
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
12 F
20

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

TOMVS XX.



BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO Xt. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI


INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XX.





ROMÆ, M. DC. XCIX.

Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Dominicus Bellisarius de Bellis Episc. Melphicten. Vicesg.

CENSVRA
TOMI XX.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

DE *ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Thomæ Stapletoni: De Magnitudine Romanæ Ecclesiæ. Item: De primario subiecto potestatis Ecclesiæ. Item: De Concilijs. Item: De Primatu Pontificis Romani. Thomæ VValdensis: De diuo Petro, & de Romano Pontifice. Vincentij Ferre: De fide. VVilhelmi Lindani: Diatriba Analytica. Zachariæ Bouerij: De Vnitate doctrinæ fidei. Item: De Successione visibili. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt Vigesimus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 16. Martij 1699.*

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES

Quorum opera in hoc XX. Tomo continentur.

INDEX CAPITVM

Huius Vigesimi Tomi.

THOMÆ STAPLETONI ANGLI

Sacrarum Scripturarum nuper in Academia Louaniensi Professoris Regij, ac Primarij.

EIVSDEM AVCTORIS.

Controuersia III. Capitalis, de primario subiecto Potestatis Ecclesiasticæ.

QVÆSTIO PRIMA.

An Christus aliquod vnum Caput constituerit.

EIVSDEM AVCTORIS.

Controuersia VI. Capitalis.

QVÆSTIO III.

De Concilijs.

EIVSDEM AVCTORIS.

Articulus quartus. De Primatu Pontificis Romani. Sectio prima. Quod hæc potestas fuit agnita à Diuo Gregorio. pag. 124.

con-

THOMÆ VVALDENSIS ANGLI CARMELITÆ

Theologi præstantissimi.

Doctrinale Antiquitatum fidei Ecclesiæ Catholicæ, Tomus primus, ibique Synopsis. pag. 263.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Deo, Christo, Petro, Ecclesia.

EIVSDEM AVCTORIS.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Membris Ecclesiæ Iesu Christi, secundùm professiones suas, & officia seruatim.

FR. VINCENTII FERRE HISPANI

Ordinis Prædicatorum.

Tractatus de Virtutibus Theologicis, & vitijs eis oppositis. Tomus primus, ibique Synopsis, pag. 358.

QVÆSTIO XI.

De supremo Capite Ecclesiæ.

QVÆSTIO XII.

De infallibilitate supremi capitis Ecclesiæ in definiendo veritates fidei, religionis, ac morum populi Christiani.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Pontifex possit errare in Canonizatione Sanctorum.

§.x. Sol-

QVÆSTIO XIV.

De electione summi Pontificis.

QVÆSTIO XV.

De comparatione potestatis Concilij Generalis cum potestate Papæ.

VVILHELMI LINDANI EPISC. RVRÆMVNDENSIS,

De vera Christi Iesu Ecclesia, vbinam locorum nunc tempestatis certò iuxtà, ac infallibiliter inuenienda. Diatriba Analytica, ibique Synopsis. pag. 463.

FR. ZA-

FR. ZACHARIÆ BOVERII SALVTIENSIS,

Ordinis Minorum Sancti Francisci Congregationis Capuccinorum Theologi.

Demonstrationum Symbolorum veræ, & falsæ Religionis aduersùs præcipuos, ac vigentes Catholicæ Religionis hostes, Atheistas, Iudæos, Hæreticos præsertim Lutheranos, & Caluinistas.

Tomus secundus, ibiq; Synopsis. pag. 478.

EIVSDEM AVCTORIS.

EIVSDEM AVCTORIS.

THOMÆ



THOMÆ STAPLETONI ANGLI

S. Scripturarum nuper in Academia Louanienſi Profeſſoris Regij, ac Primarij.

VERE' ADMIRANDA,
Seu de Magnitudine Romanæ Eccleſiæ.

LIBRI DVO.

PSAL. CXVII.

A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

Thomas Stapletonus in Suſexia inſigni Angliæ prouincia nobilibus parentibus natus, puer optimæ indolis operam dedit literis Vintoniæ in Collegio, quod inſtruendæ iuuentuti magnificentiſſimè olim extruxerat Gulielmus Vvicanus Epiſcopus Vintonienſis bonarum literarum fautor maximus. Inde poſt aliquod tempus propter laudabiles in bonis literis progreſſus, peracre ingenium, felicem memoriam, & indefeſſum ſtudium tranſmiſſus eſt Oxonium ad alterum Collegium ab eodem Epiſcopo fundatum perquam magnificum, & opulentum, vt ſic more, inſtitutoque Academiæ ad altiora ſtudia aſcenderet. Hæc tranſplantatio ad pinguius ſolùm breui effecit, vt inſtar arboris fructiferæ copioſos fructus doctrinæ produceret, & multum laudis in publico colligeret, vnde etiam iuuenis ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ Ciceſtrienſis ſub pientiſſimis Regibus Philippo, & Maria euocatus eſt. At nihil in mundo ſtabile. Status Angliæ mutatur, & cum ſtatu Religio. Moritur Maria Catholica, & ſuccedit in regnum Eliſabetha hæretica. Hæc miſerrima religionis mutatio effecit, vt tota familia Stapletonia, Gulielmus Pater, vxor, & liberi, animo verè Catholico cœperint de patria, exilio commutanda, cogitare. Traiecto itaque mari Louanium commigrabant. Hic Stapletonus ſtrenuè in Theologiæ ſtudium incubuit, magnaſque in illa progreſſiones fecit, deinde celeberrimam Pariſienſem Academiam ad ſacras maximè linguas perdiſcendas adijt, vndè deuotionis cauſa Romam ad Sancta loca viſenda peregrinatus eſt. Louanium breui rediens talentum acceptum non abſcondit in terra, ſed ad communem vtilitatem libentiſſimè contulit. Hac autem occaſione initium cœpit ſcribendi. Vt olim tempore Saulis ſurrexit Golias, qui exprobrauit agminibus Iſrael, & ætate S. Auguſtini Fauſtus Manichæus

chæus magnus Diaboli laqueus, sic sub Elisabetha Ioannes Iuellus Superintendens Sarisburiensis Apologiæ Ecclesiæ Anglicanæ author, & defensor ad nouum contrà Ecclesiam bellum classicum cecinit. Nam concionem habens ad D. Pauli Londinensis prolatis in medium quibusdam articulis in celeberrimo totius Regni auditorio prouocauit super eosdem omnes, & singulos in orbe Catholico Catholicos ad singulare certamen. Erant eo tempore Louanij multi Catholici viri doctissimi, qui non ferentes tam insolentem vnius hæretici prouocationem, fortitèr ei scriptis libris restiterunt. In primis hoc fecit Thomas Ardinghus Doctor Theologiæ percelebris, vir sicut causa, & scientia longè superior, ita Iuello non inferior eloquentia. Neque causæ Catholicæ defuit Stapletonus; varios enim libros contrà eumdem exarauit, & omnes eius errores, ac falsitates in vnum colligens fasciculum, tam ingeniosè, tam artificiosè in Auctorem regessit, vt Authorem mirabilitèr confuderit. Nec iste pius zelus, quo incredibilitèr arsit pectus Stapletoni quieuit, historiam enim Venerabilis Bedæ Anglicè reddidit, & Elisabethæ Reginæ dedicauit, proponens illi ob oculos, diligenterque commendans antiquam fidem, & religionem Maiorum suorum. Transtulit quoque in linguam Anglicam Frederici Staphyli apologiam. Et coniunxit quidem cum historia Bedæ, propugnaculum fidei primitiuæ Anglorum, cum Apologia autem Staphyli alterum pereruditum discursum super doctrinam protestantium, colligens ex Luthero, Melanctone, Caluino varias antiquas hæreses, absurditates, & contradictiones. Hi quatuor libri partim ab eo translati, partim Anglicè compositi multum profuerunt populo Anglicano ad hæresim vitandam, & fidem Catholicam amplectendam. Vbi autem Robertus Hornus Superintendens Vintoniensis, cui traditus erat in custodiam Ioannes Feckenhamus Abbas Vvestmonasteriensis iuramentum primatus Regij in causis Ecclesiasticis ab eodem Feckenhamo exigebat, isque eleganti libro causas iustissimas conceperat eur tale iuramentum recusaret, Hornus inde occasionem arripuit de regio primatu Ecclesiastico scribendi, percurrens plerasque Regum, & Imperatorum historias, easque intolerabili audacia, & impudentiâ nimis fœdè corrumpens. Quocirca meruit Hornus stylo aliquo dentato, & aculeato pungi, vt sapere deinceps disceret. Placuit vehementèr grandæuo Feckenhamo iuuenilis Stapletoni stylus vtpotè viuus, & acer; vndè Venerabilis Senex responsionis suæ contrà Hornum subiectam quasi materiam ad Stapletonum transmisit, vt eam disponeret, suoque stylo exornaret, & aliunde locupletaret, suoque proprio nomine in lucem emitteret, ne illi incarcerato nouum periculum crearet. Quod pereleganter, & pereruditè admodùm præstitit Stapletonus, conuincens Hornum in hoc vnico suo de primatu libello sexcenta falsa, quàm impudentèr deblaterrasse. Sub idem tempus cœpit Duaci in Belgio noua Academia erigi, & quia commodior iudicabatur hic locus pro Seminario Anglicano fundando, siue ob propinquitatem loci, siue ob aeris temperiem ideò Duacum venit in eum finem Gulielmus Alanus Seminariorum Anglorum Antesignanus. Venit quoque Stapletonus, & Theologiam Aquiscinti primò docuit, nec longum interfluxit tempus, quando vterque assumptus est Duaci in Professores Regios. Egit tunc quidem Stapletonus in Collegio Marchionensi, Alanus autem in suo Seminario Anglicano. Erat eo tempore Præpositus S. Amati, & Cancellarius vniuersitatis Matthæus Galenus Vvestcapelius vir pius, & admodùm erga Anglos exules affectus. Sub illo vterque gradus Theologicos de more suscepit Baccalaureatum nimirùm, Licentiatum, & Doctoratum non sine magno applausu, & honore Galenus etiam de Canonicatu Stapletono prouidebat in Ecclesia S. Amati, vndè res exulum Anglorum videbantur satis commodè hactenùs succedere. Sed pacis tranquillitas diù non stetit, hæresis tumultuatur in Belgio, se armat contrà Regem, & Auglis exulibus nec ipsum permittit exilium, sed nouo decreto Anglos è Duaco eliminandos censet, quod Principi Arausiaco fidelitatis iuramentum præstare renuant. Hinc Seminarium dissoluitur, & pars in Augliam se recipit, pars migrat Rhemos, pars Romam proficiscitur. Stapletonus cum Gregorio Martino licentiato Theologiæ, & Richardo Vito Doctore Iuris Romam rectà contendunt expectantes donec transeat iniquitas. Sedata tandem tempestate redeunt, & Stapletonus denuò in professionem suam Theologicam sedulam operam impendit, nec ob tibiam malè affectam munus docendi intermittit, sed pedes incedere non valens, iumento ad scholas fertur. Nec satis habuit de Ecclesia, & doctrinalibus fidei principijs agere in scholis, nisi etiam idem opus

ad

ad publicum commodum in lucem ederet, nulli studio, nulli labori parcens, vt hæresim euerteret, & Catholicam Religionem statueret. Et quia non indisertus videbatur Orator, placuit Academiæ Duacenæ eius oratoria facultate nonnunquam vti, vndè in Schola pro more, & consuetudine loci, dum conferebantur gradus, varias ipse habuit orationes, quæ posteà prælo dignissimæ iudicabantur. Et quia vexatio dat intellectum, Stapletonus memor vicissitudinis rerum in mundo, memor fugæ, & itineris Romani, memor incommodæ suæ valetudinis cœpit de nouo vitæ genere cogitare. Hæc meditanti occurrit ei sapientissima Societas Iesu, vt sub hoc fœlicissimo nomine sacram militiam susciperet. Quocirca resignato Canonicatu, abdicata professione Regia, relictis omnibus se obtulit Duaci Patribus Societatis, à quibus benignè acceptus, & post aliquod tempus missus est Louanium. At pijssimam quamuis Societatem suo tamen ingenio, & ætati potiùs, non conuenientem, vt sincero animo illam est ingressus, sic ex eadem bona conscientia egressus ad pristinam docendi consuetudinem redijt. Nec diù Duaci hæsit, quin rursùs in Ecclesia S. Amati prouisum ei esset de Canonicatu, & sic rebus vtcumque circa se benè dispositis totum tempus, & operam posuit partim in libris componendis, partim in habendis latinè concionibus, frequentatis à viris nobilibus, & Academicis, nolebat etenim otio torpere, sed velut ignis semper in actione quiescere. Dum hæc geruntur, vocatur Louanium ad Professionem Regiam, vt sacras literas interpretaretur, vbi sedens Promptuarium morale, atque Catholicum typis mandat, & sicut anteà Duaci librum de tribus Thomis, sic istis Ioanni Sarrazino Abbati Vedastino optimo Patrono nuncupauit. Promptuarium verò super Euangelia ferialia totius Quadragesimæ veteri Amico suo Audoeno Ludouico Episcopo, tum Cassanensi dicauit. Antidota autem Euangelica, quæ docuit Louanij Christophoro Dastonuillio, cuius in primis opera, & Præsidij Pamelis commendatione Cathedram consecutus est Louaniensem, tamquam primitias professionis suæ in grati animi testimonium dedicauit. Intereà prodit in lucem Vvithakerus Anglo Caluinianus Theologiæ Regius Professor Cantabrigiæ. Hic in quæstione quadam de Scripturis ausus est Stapletonum aggredi. Stapletonus vanitatem insigniter refellit, & veluti Leo canem illum discerpit, & taliter ossa eius comminuit, vt vix ampliùs de Vvithakero audiatur. Defensionem verò hanc suam auctoritatis Ecclesiæ circa Sacrarum Scripturarum approbationem sub nomine Cardinalis Alani sui olim Collegæ in professione Theologica primam lucem aspicere volebat. Rebus autem Belgij aliquantulùm turbatis scripsit Stapletonus Apologiam pro Rege Catholico sub Nomine Didimi Veridici, quæ ita placuit Sapientibus, vt statim destructis exemplaribus mox sit in Germania iterùm impressa. Prætereà sicut Lipsius de magnitudine Imperij, sic Stapletonus de Magnitudine Romanæ Ecclesiæ paruum, sed insignem edidit tractatum. Intereà vacat Decanatus Ecclesiæ Hiluerbecanæ in Campinia haud longè à Boscoduno. Consiliarius quidam Mecliniensis eius amantissimus illicò per literas illum admonuit, simulque hortatus est, vt hoc nomine Concilio Bruxellano se commendaret. Vndè eius hortatu ad Præsidem Dosonuillium scripsit, qui hoc negotium Concilio commendat, & vnà cum ipso Consilium Regi, erat enim reseruata collationi Regis, qui statim annuit. Latori autem literarum amico Stapletoni dixit Consilium Regium D. Stapletonum meruisse beneficium multò amplius, ac dignius quamuis ille Decanatus redderet mille annuos florenos. Auctus, & ipse in re familiari auxit alijs, adiuuans Anglos, Scotos, & Belgas, retinens multos studiosos Commensales, quorum sapientia plus quàm saporibus epulas condiebat. Inter tantam tamen lucem non defuit illi inuidiæ fumus, inuenit serpentes, qui tamen innoxio ictu eum aggrederentur; cuius tamen victor extitit. Sed hæc gloria est; quatit enim inuidia cedros Libani, vt inter Græcos Athanasium, Nazianzenum, Chrysostomum, Basilium; inter Latinos Hilarium, Hieronymum, Augustinum, magnumque Gregorium.

Extremo loco typis mandauit Antidota sua Apostolica in acta Apostolorum, & super quasdam epistolas D. Pauli. Hoc opus Clementi VIII. consecrauit. Quod opus ita charum fuit eidem magno Pontifici, vt de eius mandato Stapletonus à Cardinali Aldobrandino Pontificis Nepote, galero, vt dicebatur, donandus, fuerit vocatus. Et ille sæpè se ad iter accinxerat suadentibus amicis, alijs dissuadentibus, ne deficeret in via; sed & Serenissimus Princeps Albertus tale vniuersitatis ornamentum perdere nolebat. Stapletonus ergo se apud Pontificem

excuſat ob ſenectutem cum corporis infirmitate coniunctam, ob viarum longitudinem, cui ſe imparem fatebatur. Non tamen Pontifex ſic dimiſit hominem, ſed eius labores liberalitèr, & munificè compenſauit. Denique Stapletonus cum laboraret podagra, eius ſymptomate factum eſt, vt nonnihil claudicaret. Vſus ergo conſilio cuiuſdam Medici cauterium adhibuit in remedium ex cuius tandem obſtructione poſt tres menſes anno ætatis 63. à quo vtpotè climacterico ſemper timendum ſibi duxit, glorioſè obijt. Teſtamento libros omnes, & ſcripta Collegio Anglorum Duaceno legauit, quod ſi illud in Angliam reuocaretur, tum Patribus Societatis Ieſu illa omnia relinquenda eſſe voluit. Extat eius vita ſcripta à Dom. Henrico Holanda S. Th. Licentiato in frontiſpicio ſuorum operum. Breuitèr recenſentur eius opera. Tomi I. De Principijs fidei doctrinalibus lib. 12. Defenſio ſucceſſionis Eccleſiaſticæ liber 1. Relectio principiorum fidei doctrinalibus. Defenſio Authoritatis Eccleſiaſticæ contrà Gulielmum Vvhitakerum Anglo Caluiniſtam libri 3. Triplicatio pro Eccleſiæ auctoritate aduersùs eumdem Tomi ſecundi. De Vniuerſa Iuſtificationis doctrina hodie controuerſa libri 12. Speculum prauitatis hæreticæ per orationis quaſi ad oculum demonſtratæ. Orationes funebres. Orationes Academicæ Miſcellaneæ. Orationes Catecheticæ, ſiue Manuale peccatorum de ſeptem peccatis capitalibus. De Magnitudine Romanæ Eccleſiæ libri duo. Propugnaculum fidei primitiuæ Anglorum, Replica ad Horni flatum libri 4. Nota falſitatis in Iuellum retorta. De Proteſtantiſmo, & primis eiuſdem Authoribus diſſertatio. Tomi 3. Antidota Euangelica in 4. Euangeliſtas. Antidota Apoſtolica in Acta Apoſtolorum Tom. 1. in Epiſtolam Pauli ad Romanos tomus 2. in duas Epiſtolas ad Corinthios tomus 3. Tomi Quarti Promptuarium Morale in Euangelia, & Dominicalia, Promptuarium Catholicum in Euangelia Dominicalia totius anni, & ferialia totius Quadrageſimæ, & in feſtis Sanctorum totius anni. Tres Thomæ, ſeu res geſtæ S. Thomæ Apoſtoli, S. Thomæ Archiep. Cantuarienſis, & Thomæ Mori Cancellarij.

LIBER PRIMVS.

Verè Admiranda, ſeu de Magnitudine Romanæ Eccleſiæ.

CAPVT PRIMVM.

Mundi Imperia quatuor: Chriſti regnum æternum. Eius primaria Sedes.



Viſio prophetica admiranda Regi quidem Babyloniæ Nabuchodonoſor primùm reuelata, ſed ab eo mox obliuioni tradita, & Danieli prophetæ Dei magno, denuò diuinitùs patefacta, ipſique Regi per eum explicata, maximam meritò admirationem non Regi modo eam audienti peperit, ſed & cuilibet eam legenti excitare poterit. In illa quippè ſtatua magna, ſublimi, atque terribili, *cuius caput ex auro optimo, pectus, & brachia ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis apparebant*, quatuor maxima regna, imperia & monarchiæ orbis terrarum deſignabantur; Aſſyriorum ſeu Babylonicum, Perſicum, Macedonicum, & Romanum: tametſi loco Perſici Imperij (quod breuiſſimum fuit, & iuxtà Hebræos Danielis prophetiæ cap. 11. inhærentes, non niſi quinquaginta duorum annorum) Africanum, ſeu Carthaginenſe numeret Oroſius homo Afer, quod ille annis ſeptingentis ſteriſſe vult. Horum Imperiorum potentiam, amplitudinem, magnitudinem omnes rerum humanarum ſcriptores admirati, ſuis ſcriptis ea celebrarunt, poſteriſque commendarunt: potiſſimùm verò Romani Imperij, *quod cætera omnia* (ait Daniel) *comminuet, & conteret, ſicuti ferrum comminuit, & domat omnia*. Quare Romanarum rerum ſcriptores, & Romani Imperij præcones infiniti leguntur: ex quibus omnibus præcipua capita, & ſelectiſſima quæque in compendium redacta, eleganti, & grata methodo in lucem nuperrimè prodierunt, à Iuſt. Lipſ. politioris litteraturæ profeſſore lectiſſimo edita: vbi ad Romani imperij magnitudinem admirandam omnium oculis ſubijciendam, & in eius Imperij admirationem omnium animos excitandos, illius fines, copiæ, opes, opera, viri, virtutes elaboratè admodum ſummaque diligentia, ita ex tota antiquitate eruuntur, ac deſcribuntur; vt Rom. imperij potentiæ, virtutibus, & magnitudini admirandæ nihil hactenùs comparabile orbis terrarum habuiſſe vi-

videatur. Est quidem ita, quod vrbi Romę totius penè orbis imperium florentissimum ad aliquod breue tempus Dei prouidentia concesserit, eam maximè ob causam (ait B. Augustinus,) *quia domanda grauia mala multarum gentium*, Romani iustitiæ, & æquitatis magis studiosi, *ob solam gloriæ ingentem cupiditatem, cæteras cupiditates omnes comprimebant, vnde non erat quod de summi, & veri Dei iustitia conquererentur; quia perceperunt mercedem suam*: primùm libertatem, postea dominationem; cui vni & maximè anhelabant; iuxta illud poetæ:

Tu regere imperio populos Romane memento.

Cæterùm, cum bona venia eorum omnium, qui Romani imperij magnitudinem admirantur, aliud ego in terris imperium, regnum aliud, monarchiam aliam, magis admiror, ac suspicio, magis, & verè admirandum iudicio, de quo idem Propheta Daniel, eodem in loco statim subiungit. *In diebus autem regnorum illorum*, idest illius regni ferrei, quod cætera omnia comminuit, & subiugauit (vndè omnium hic nomen accipit) *suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, vt regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc: etiam ferreum illud Romanum: & ipsum stabit in æternum; secundùm quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum*, idest, omnia totius Mundi imperia.

Hoc quale regnum, quantum imperium, quàm latè patens, quanti roboris, quàm inuictum, excellens, verèque admirandum existimamus? Huius fines, copias, opes, opera, viros, virtutes, quanta admiratione digna arbitramur? De huius regni finibus toto terrarum orbe amplissimis ~~dicit~~ in hac visione Propheta; *Lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et impleuit vniuersam terram*: Lapis, inquam, ille de monte sine manibus excisus, filius Dei incarnatus de Beatissima Virgine sine opere virili natus: Lapis *à Iudæis quidem reprobatus, sed factus in caput anguli*; vbi statim subiungit Propheta, *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris*. Mirabile sanè, & summa admiratione dignum, quomodo paruus lapis factus sit mons magnus, qui vniuersam terram impleat, quod cæteri admirantes Prophetæ certatim celebrant. *Dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum. Fluent ad eum omnes gentes. Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ*: & alia quàm plurima. Copias, & opes huius regni magnificè quoque decantant Prophetæ: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent: & adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes seruient ei*. Et noster Daniel: *Datus est ei principatus, & honor, & regnum, & omnes populi seruient ei*. Et alius Propheta: *Afferetur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducentur; gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribunt*. Et adhuc semel: *Erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent*. Numquid huius regni Amplitudo admiranda non est? Nunc quàm inuictum, & perpetuum sit, attende. *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*. Et rursum in alia visione audiuit: *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur*. Quod cum alius Propheta multis verbis cecinisset, *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem*. Et iterum, Deo Patre ad Filium incarnandum loquente, *Vsque in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generatione, & generationem sedem tuam*; ad rem tam admirandam obstupefactus subiungit: *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine; etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum*. Huius igitur regni, siue fines, siue copias, siue robur inuictum spectes, vera, & solita admiratione digna animaduertis esse omnia.

Hìc forsitan excipiet Romani imperij admirator, hæc quidem quæ diximus summa admiratione esse digna, sed de externo aliquo, & aspectabili regno, quod intuentium oculos admiratione percellat, non esse intelligenda; verùm de spirituali tantùm, quod sensum fugiat: vnius quoque Christi Redemptoris mundi hoc regnum esse, non alicuius, aut Principis, aut populi alterius. De ipso quippe vno Christo hos omnes Prophetas loqui, *qui lapis ille de monte sine manibus abscissus est*, & de eius regno, quod nisi spirituale esse quo in cordibus credentium regnat, cùm primùm in hunc mundum descendere voluit, Angelus profitebatur dicens, *Regnabit in domo Iacob*, (quod vtique nunquam externa dominatione fecit) ipseque postmodum Christus apertè profitebatur dicens, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Istud ergo regnum vtcumque amplissimum credere magis quàm contueri, & venerari magi, quàm admirari possumus. Imò verò est hoc ipsum Christi regnum, vtcumque spirituale, maximè tamen aspectabile. In cordibus quidem credentium regnat Christus: Sed ipsi credentes homines sunt. Isti quoque credentes fidei suæ magistros, pastores, ac doctores habent. Iidem externo cultu vario, & conspicuo vtuntur. Hæc omnia aspectabilia sunt, & regnum Christi visibile constituunt. Rursum non est de hoc mundo Christi regnum, sed est in hoc mundo: Non ex hominibus; vt neque Baptismus Ioannis totus aspectabilis, sed ex cœlo est: E cælo potestatem accipit, sed quæ in terra exerceatur. Non est humana creatura seu creatio, *etsi sit*, vt potestatem sæcularem vocat Petrus, non ex populorum consensu, suffragijs, auctoritate introducta, sed à Deo Patre immediatè accepta, voce de cœlo delapsa: *Ipsum audite*: ab eo per Christum accepta, dicentem: *Omnis potestas data mihi est in cœlo, & in terra*. Quam ille rursus ad alios deriuauit, nec in persona sua, sed per ministros suos exercuit illis dicens. *Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et rursum, *Eritis mihi testes in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*.

Ascen-

Ascendens quippe in altum hæc *dona dedit hominibus. Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei*, &c. Per hos Christus toto orbe regnat. Horum ministerio regnum suum inchoauit, propagauit, dilatauit vsque ad vltimos fines terræ.

Diceris hìc mihi, quid nunc ergo aliud moliris, quàm vt Christi Ecclesiam toto orbe dispersam veluti regnum illud æternum à Daniele prædictum, tua nobis commendet oratio? & (de quo nemo dubitat) Christianam, & Catholicam Ecclesiam, regnum quoddam esse Romano imperio magis admirandum magno molimine demonstres? Atquì non ego illud molior, nec in talem collationem planè vulgarem, & per se perspicuam mea collimat oratio: Illud potiùs mecum consideratè, An toto passim orbe perinde regnat Christus? An regni sui nullam primariam sedem fixam, stabilem, inconcussam; puram, illibatam, pretiosam; validam denique, potentem, & gloriosam in terris Christus reliquit? Quorsum igitur illa eius ad Petrum verba: *Ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues regni cælorum*; & quę sequuntur. An non his verbis designatur perpetuus Petrus super quem ipse Christus suam semper ædificabit Ecclesiam? *ædificabo*, inquit, *super hanc petram*. Iste Petrus, hic Cephas, hoc saxum, me qui lapis sum angularis, illum sustinente, protegente, firmante, sui generis fundamentum, & firmamentum erit meæ extruendæ, propagandæ, & stabiliendę Ecclesiæ. Mei regni caput, metropolis, ac sedes erit: & quidem huiusmodi, vt portæ inferi, nec totius mundi persecutio, nec hæreses quæcumque diaboli arte inuentæ, nec ipsa personalia peccata aduersùs hanc petram, vel aduersùs meam Ecclesiam eiusq; perpetuam propagationem, præualere valeant.

Huic quippe perpetuo Petro *dabo claues regni cælorum* idest plenam, & adæquatam potestatem omnia administrandi, decernendi, exequendi quæ regnum cælorum (mei regni in hoc mundo finem, ac scopum) omnibus in me credentibus, quoquo modo aperiant, aut fidem in me suam malè excolentibus quoquo modo claudant. Hic ergo Petrus regni Christi caput in terris, ac fundamentum alterum designatus, vbi sedem suam fixit, vbi Christi fidem diutiùs prædicauit, vbi sanguinem suum fudit, vbi successores reliquit, nisi in vrbe Roma? Suam sedem Romanam esse voluit. Regni sui caput Romanam Sedem Christus in Petro posuit. Huc igitur nostra tendit oratio.

CAPVT II.

Argumentum cum sua distributione.

VNiùs igitur Romanæ Ecclesiæ in qua Christus potissimùm regnare voluit, magnitudinem verè admirandam, ex certis, & amplissimis capitibus, demonstrandam suscepi, verè dico, & meritò admirandam, vel hoc imprimis nomine, quod vt in verbo & promissione Filij Dei fundata fuit, ideòque ipsius Dei opus non humanum, ita eius admiratio salutaris est; tum quia ex parte intellectus filium Ecclesiæ, & Catholicum aut facit, aut firmat (doctrina huic tempori necessaria) tum quia ex parte affectus nullam corruptionem inducit.

Romani autem imperij, & rerum illarum omnium caducarum admiratio, in huiusmodi rerum amorē incautum animum rapit, quæ semel amatæ miserum faciunt: puro & beato rerum diuinarum amore spoliant: amari quippe diuina, & humana eadem mente haud secus nequeunt, quàm eodem oculo cœlum, & terra pariter spectari: vt propterea non modò prudentior, sed & beatior fuerit, qui talia non admirari didicerit: vnde & illius temporis poeta quo Romanum imperium maximè florere cæpit, ab hac admiratione amicum suum reuocat, his verbis:

Nil admirari prope res est vna Numici,
Solaque quæ possit facere, & seruare beatum.

Quòd si admiratio sapientiæ peperit philosophiam, quis dubitet quin admiratio vanitatis pariat amorem eiusdem? At sapientissimus Paulus nos monet: *Nolite pueri effici sensibus: malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti*. Ad eos loquitur qui dona, & charismata admirabantur, ipsius quidem diuini Spiritus, loqui lingua, orare lingua, benedicere spiritu, sed dona inferiora, & minus vtilia: & iubet eos æmulari charismata meliora, illa admirari, illa suspicere quæ ædificationem coniunctam habent: hoc perfectorum esse; puerile alterum. Pertentabo igitur, an non ex multis, & maximis causis, vnius Romanæ Ecclesiæ magnitudinem, proprium filij Dei opus, & quam omnes venerari debemus, verè & meritò admirandam esse demonstrare queam.

Primò. Quod vt certo ordine fiat, explorabimus primùm quanta sit eius amplitudo, quàm longè lateque propagata.

Secundò. Deinde fortitudinem, ac robur aduersùs omnia huius mundi mala, persecutiones, hæreses, peccata, inuictum explicabimus.

Tertiò. Mox potestatis eius plenitudinem, tum erga alias Ecclesias omnes, tum erga Reges, ac Principes huius mundi, seu creandos, & in sede collocandos, seu ad pacem conciliandos, seu demum, cùm id aut Ecclesiæ salus, aut regnorum necessitas postularit, vel censuris Ecclesiasticis castigandos, vel etiam regno exuendos, inquiremus.

Quartò. De vario deinceps honore à summis Regibus, ipsisque interdum fidei hostibus huic vni Ecclesiæ exhibito, quatenùs Imperatoribus Romanis exhibitus non legitur, aliqua commemorabimus.

Quinto. Subsequetur operum eius magnitudo, varietas, magnificentia, multis certè nominibus admiranda.

Sextò. Atqui in his omnibus Romani imperij magnitudinem, à Romanæ Ecclesiæ maiestate superatam fuisse, perspicuè, ni fallor, ostendimus.

Septi-

Septimò. Tandem & illud docebimus, Romani imperij, & exordia, & progessus, & salutem, à Romanæ Ecclesiæ salute,& conseruatione; veluti medium à suo fine pendere, ac semper pependisse. Quæ singula si huius temporis angustia,à me nunc dici non patiatur, aliàs dicenda, aut promenda, reponemus.

CAPVT III.

Romanæ Ecclesiæ Amplitudo.

ROmani imperij fines, & amplitudinem qui admiratur, idem Romanæ Ecclesiæ fines, & amplitudinem latissimè propagatam, longissimèque extensam si expendat, hæc illis longè maiori admiratione dignã diffiteri non poterit. Romanæ vrbis imperium totis quadringentis annis ab vrbe condita Italiæ fines non est egressum, sed cum Samnitibus, Volscis, Vlijs, Tuscis toto illo tempore de imperio decretatum, nec nisi sub annum vrbis quadringentesimum septuagesimum Turreno Tusciæ rege Hetruriæ vrbem Romanis dedente, & regnum Hetruriæ finitum, & Romanorum arma vltra Apenninum extendi cœperunt. Sed & toto illo tempore non nisi scandulis, seu ligneis tegulis totã vrbs tecta fuit,teste Plinio.Sed paulò pòst anno vrbis conditæ quadringentesimo octuagesimo tertio, prima extra Italiam arma in Siciliam mouerunt, vt Mamertinis, quorum caput Messana, auxilio essent, contrà Afros Hieroni regi opem ferentes Appio Claudio, Quinto Fabio Consulibus.

Vbi victorias nacti amplissimas,sequentibus annis in Hispaniam, & Aphricam, in Macedoniam, & Græciam, totamque Asiam tanto successu exercitus duxerunt,vt duobus post sæculis à Paulo Æmylio, Perseo vltimo Macedonum Rege deuicto, à Scipionibus Hispania,& Aphrica subactis, ab altero Scipione magno Antiocho debellato, Asia subiugata, à Lucio Sylla Græcia perdomita, ab vno Pompeio,post Mitridatem,à Lucullo fractum, Ponto, Cappadocia,Armenia,Albania, Colchide, Hemochia, Caspijs, Iberis, Parthis, Arabia, atque Iudæa magno Romani nominis terrore captis, idque adeò, vt si Plutarcho credimus, trinum è trina vniuersa orbis parte triumphum duxerit, paulòque post per Iulium Cæsarem Gallijs, Britannia, ac magna Germaniæ parte pari fælicitate superatis, ac libera tandem Republica sub vnius imperio redacta, Romanum Imperium anno ab vrbe condita septingentesimo, plus minùs, per Europam, Asiam, & Aphricam extendi,finesque latissimos habere cœpit. Aliç quidem adhuc à proximis Imperatoribus Augusto maximè, Claudio, Vespasiano,Traiano, Romano imperio prouinciæ amplissimæ adiectæ fuerunt.

Cœterùm, nec totum orbem occupauit vnquam, vt non animosè tantùm, sed & superbè, quia falsò, ac vanè Romanarum rerum scriptores aliqui iactitarunt, nec ipsius, aut Africæ, aut Asiæ regna omnia sibi subijcere potuit, cùm ad Æthiopes, & Abyssinos nunquam peruenerint, Tartaros, & Scythas à Septentrione, Chaldæos ab Oriente nunquam attigerint, ipsi autem Parthi, ac Persę Romani Imperij iugum citò semper, & facilè excusserint; vndè illud in Iulium Cęsarem scomma, quia in libris Fatalibus continebatur Parthos, nisi à Rege non posse vinci, Cęsarem regem appellari debere. Atqui Romanæ Ecclesiæ amplissimi fines, & in ipso statim exordio latissimè propagati fuere,& vniuersum terrarum orbem iuxta certissima Prophetarum oracula occuparunt. Nec ea loca tantùm, vbi Romanorum arma, leges dederunt, sed ad vltimos vsque terræ fines, qui de Romana potentia nihil vnquam audiuerunt, verè & animosè, non superbè scripsit Prosper:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mũdi quicquid nõ possidet armis,
Relligione tenet.

Nec minùs animosè, ac verè Leo ille magnus, vrbem Romam ita compellans: *Isti sunt Patres tui verique Pastores* (Petrum, & Paulum dicit) *qui te regnis cœlestibus inserendam, multò melius, multòque fæliciùs condiderunt, quàm illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt, ex quibus, qui tibi nomen dedit, fraterna cæde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia per sacram B. Petri sedem, caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quàm dominatione terrenã. Quamuis enim multis auctis victorijs ius imperij tui terra, mariq; protuleris,minùs tamen est,quod tibi bellicus labor subdidit,quàm quòd pax Christiana subiecit.* Hæc B.Leo,& gloriosè,& verè.

Verum quippè,& indubitatum est quod de Apostolicis laboribus suo adhuc tempore Paulus affirmauit: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Verùm, & indubitatum est toto terrarum orbe veluti in prouincias distributo, facta primùm in Iudæa, & Samaria diuini Euangelij prædicatione, iuxta ordinem à Christo præscriptum, [Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Achaia, Ioannem in Asia, Philippum in Phrygia, Bartholomæum in Schythia, Thomam in vtraque India tam Orientali, quàm Occidentali, Matthæum in Æthiopia, Simonem in Persia, Thaddæum in Mesopotamia, Iacobum in Hispania] hoc Christi regnum, cuius caput Roma, latissimè propagasse. Apostolicos postea viros per reliquum orbem terrarum discurrisse, & idem regnum à Romana maximè Ecclesiã vndequaque emissos dilatasse, præterquam quod in genere commemorat Eusebius, mox in particulari docebitur, vbi de Operum eius magnitudine disseretur.

In ipsa verò vrbe Roma sub D.Clemente proximo ferè Petri successore, Ecclesiam ipsam Romanam tam numerosam,& amplam fuisse constat, vt Traianus Imperator ei (vt putabat) malo volens occurrere, cauerit imprimis edicto, ne collegia, seù sodalitia essent: quo fretum edicto Plinium Proconsulem Christianorum conuentus vetuisse,eoque nomine supplicia irrogasse, ipsemet in suã ad Traianum epistola commemorat.

Hæc autem Christianorum sodalitia, que *etarias* in suo rescripto vocauit Traianus, quàm numerosa, & ampla fuerint, totius orbis potentia aduersùs ea nequicquam sæuien-

sæuiente, Tertullianum audi eadem ferè ætate ipsis persecutoribus exprobrantem. Externi, inquit, sumus (sic enim Christianos vocabant gentiles veluti ex Iudæis omnes oriundos) [& vestra omnia impleuimus: vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum.] Et paulò post: [Sola vobis reliquimus templa. Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset vtique dominationem vestram tot qualiumcunq; amissio ciuium: imò etiam, & ipsa destitutione puniisset; proculdubiò expauissetis ad solitudinem vestram; ad silentium rerum, & stuporem quemdam quasi mortuæ vrbis; quæsissetis quibus in ea imperassetis. Plures hostes, quàm ciues vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum penè omnium ciuium, penè omnes ciues christianos habendo: Sed hostes maluistis vocare generis humani, quàm erroris humani.] Hæc ille. Luculenter expressit; vt totum Romanum orbem Christianorum populus necdum ducentis post Christum annis occupauerit. Quam sanè eiusdem populi frequentiam nihil postea imminutam fuisse, perpetuæ propemodum Romanorum Imperatorum persecutiones, vsque ad Constantinum illum Magnum, qui omnium primus Christianorum toto orbe, & aperuit, & locupletauit Ecclesias, perspicuè demonstrant.

Neque enim aduersùs paucos, & ignobiles totius imperij potentia tam acriter, & acerbè sæuijsset. Vnde non ita multò post Origenes obijcienti Celso Epicureo, [Christianorum dogma obscurum, & ignobile esse rectissimè respondit, vniuerso terrarum orbi quod prædicant Christiani longè esse notius, quàm quorumcunque philosophorum placita.] At vbi Romani imperij culmen ipsum, Christi regno colla subijcere cæpit, (quod apud Origenem idem ille Celsus Epicureus breui futurum formidabat; [& ne omnes toto orbe Christiani herent, Adrianum Imperatorem templa sine idolis extruere moliemem oracula terruerunt] adeò per omnia mundi climata dilatatum hoc regnum est, vt altero post sæculo verè scripserit B. Augustinus, *suo tempore impletum fuisse, quod ante tot sæcula promissum est Abrahæ, in semine eius benedici omnes gentes*: ideòque, vt alibi scribit, *eos qui tunc prodigia peterent, vt Christiani fierent, ipsosmet prodigia, et monstra esse, qui mundo credente non crederent*. Tametsi quippè ducentis, aut trecentis post Constantinum annis mixti Christianis pagani in multis prouincijs vixerint, paganismi quoque, & idololatriæ reliquiæ vtcunque varijs Imperatorum edictis, ac legibus penitus aboleri iussæ, in ipsa vrbe Roma eiusque Senatu non solùm ad Ambrosij tempora, qui aduersùs Symmachum aram in Senatu postulantem orationem luculentam scripsit, sed etiam vsque ad Gelasium Pontificem, annis ferè post Christum quingentis, qui aduersùs Andromachum Senatorem, cæterosque Romanos Lupercalia reposcentes Apologeticum scripsit, aliquà ex parte perdurarint, *nec simul, ac semel, sed paulatim, et per partes omnes gentes Christi fides peruaserit*, (vt rectè annotauit Hieronymus) ipseque alibi Augustinus disertè profiteatur, *nonnullis adhuc gentes superesse ad quas Euangelij prædicatio non peruenerit*; tamen in vniuerso orbe cognito Christianorum Ecclesias floruisse, & Christi regnum per florentissimas terrarum partes propagatum fuisse, qui quasi ad oculum cernere velit legat, & percurrat *Prouincialium omnium Ecclesiarum cathedralium vniuersi orbis*, editum Parisijs, anno millesimo quingentesimo decimo octauo, posteaque Lugduni, anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, sub hoc titulo, *Practica Cancellariæ Apostolicæ &c.* vel magnum illud volumen, cui titulus est, *Gloria mundi*, parte quarta, cui idem Prouinciale Ecclesiarum insertum est. In eo quippe omnium totius mundi Archiepiscopatus cum suis Ecclesijs suffraganeis tanto numero recensentur, vt eorum tantùm commemoratio clepsydram nobis ad dicendum datam penitus exhauriret.

Sufficit in illo catalogo *centum triginta* Archiepiscopos, & *mille septem, et decem* Episcopatus numerari. Quibus nunc adde in sola India Occidentali viginti Episcopatus de nouo erectos, & teste Bozio insignis Ecclesiæ, templa illic constructa circiter septuaginta millia. Taceo Indiæ Orientalis insulas permultas, Sinarum populos,

Et toto penitus diuisos orbe Iapanos.

Vbi Christi regnum mirificè hodiè propagatur. Vtriusque huius Indiæ amplissima regna Romano Imperio penitus incognita fuerunt.

CAPVT IV.

Romana, & Catholica Ecclesia eadem.

Dixerit hic aliquis, ad Ecclesiæ Christianæ propagationem, non autem ad Ecclesiæ Romanæ amplitudinem vniuersum illud pertinere.

Primò. Atqui istud dicenti, aut dicere volenti, breuiter respondendum, primùm, nullam in orbe Ecclesiam Catholicam censeri, quæ Romanæ Sedis communionem non teneat, eamque veluti radicem, ac matricem non veneretur.

Secundò. Deindè Episcopales illas Ecclesias, plerasque omnes in tota maximè Europa, & Africa à Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice, vel erectas, vel approbatas, & confirmatas fuisse, vt in dicto Prouinciali sigillatim annotatur.

Tertiò. Tandem Christianam, & Catholicam Ecclesiam adeò à Romana distinctam non esse, vt in tota antiquitate, Romana, & Catholica Ecclesia pro eodem, & veluti synonima habita fuerint: quod postremum aliquot nunc exemplis demonstrabo. Nempè, vt Romani Imperij socij reliquæ gentes illi subditæ dicebantur: imò lege sancitum erat, [vt omnes, qui sub orbe Romano essent, Romani ciues appellarentur;] ideòque ciues Romani habiti sunt, qui nec Romæ nati, nec Italiæ fines vnquam ingressi fuerant, vt Paulus noster Tarsi Ciliciæ natus antequam Romam vidisset, [ciuem se Romanum etiam

natum

natum profitebatur,] imò & Senatores Romani plurimi habebantur, qui Romam nunquam viderant. vt attestatur B. Augustinus; sic propter eiusdem religionis communionem, & maximè propter Christianæ religionis caput Romanum Pontificem, cuius membra cęteri Christiani omnes se profitentur, Romanæ Ecclesiæ dicuntur, quotquot ad catholicam toto orbe Ecclesiam spectant.

Hinc scribit Optatus cum Papa Siricio sui temporis Romano Pontifice totum orbem; in vna communionis societate concordare. Sic Hieronymus ad Damasum. [Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior.]

Scribit Ambrosius de fratre suo Satyro eum foris peregrinantem quocunque appelleret, ab Episcopo loci percontari solitum, [an cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret.]

Cyprianus acceptis à quodam Episcopo literis Romam mittendis ait. [Scripsisti, vt exemplum earumdem literarum ad Cornelium (erat is Romanus Pontifex) transmitterem, vt deposita omni solicitudine sciret te secum, id est cum Catholica Ecclesia conuenire.]

Beatus Augustinus scribit, contra Pelagium [non solùm Episcopalia Concilia, & Sedem Apostolicam, sed etiam vniuersam Romanam Ecclesiam, Romanumque imperium rectissimè commotum fuisse;] Romanam Ecclesiam, sicut Romanum imperium dicit per totum orbem diffusam. Eodem sensu Innocentij, & Zosimi Rom. Pontif. aduersùs Pelagianos prolatam sententiam, [Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium,] vocat Possidonius Episcopus in vita B. Augustini. Nec aliter aduersùs Ruffinum Hieronymus. [Si Romanam fidem suam dicit, ergo Catholici sumus.] Sed & ipsi hæretici ita loqui didicerant.

Refert Victor Vticensis, Ariani Episcopi ad Regem Vandalorum verba de quodam Catholico non occidendo, sed in exilium mittendo. [Si gladio peremeris, incipient Romani martyrem prædicare.] Et apud Gregorium Turonensem ita alius loquitur Arianus: [Si consenseris dictis meis, exercemus hodiè cachinnum de hoc Romanorum presbytero:] quam phrasim sæpè apud illum authorem Ariani repetunt. Sanè Theodosius iunior ad Acacium Beroensem Episcopum ita scribit. [Vos probatos Romanæ Ecclesię sacerdotes esse manifesto argumento declarate.] [Sic Catholicos dici, & haberi decernit Gratianus, eos solos, qui Damasi Romani Pontificis communionem amplexarentur.] Refert Theodoretus. Sanè Donatistę, quia nisi Romanę Ecclesię filij haberentur, inter Catholicos reputari se non posse aduertebant, commento admodum ridiculo suos quosdam Romam miserunt, qui in montibus, & speluncis iuxta vrbem (vndè & Montenses nuncupati sunt) Episcopalem sedem occuparent, quod cum aliqua successione diù fecerant, priusquam ad publicam notitiam res deueniret, vt latè commemorat Optatus.

Eadem etiam ex causa Marcion, & Cerdo vetustissimi heretici, Romam pergentes vtcumque ducentis sestertijs Ecclesię illatis, Romanę Ecclesię communionem frustra ambiebant. Origenes quoque à Dionysio Alexandrino in hęresis suspicionem meritò vocatus, non solùm apud Fabianum Papam missa fidei suę professione se purgauit (quod solùm narrat Eusebius) sed & ipsemet sub eodem Pontifice Romam venit, etsi antea sub Zepherino Papa Romę fuisset, haud dubiè, vt pleniùs se apud Romanam Ecclesiam purgaret.

Cuius quidem rei alia multa exempla adferri possent. Sed docent hęc pauca luculenter Romanam Ecclesiam, & Catholicam pro eodem semper à fidelibus habitam fuisse, ideòque quęcunque ad Catholicę Ecclesię propagationem toto orbe factam pertinent, Romanę Ecclesię amplitudinem, finesque latissimos demonstrare.

CAP. V.

Romani Imperij periodus breuis.

AD eiusdem Ecclesiæ fortitudinem ac robur inuictum nostra nunc se vertat oratio. Sed Romani Imperij breuem periodum priùs ante oculos ponamus. Romanæ quidem Vrbis potestas amplissima, vbi post maximas in bellis Punicis acceptas clades, post tribunicios furores, post Mariana, & Syllana tempora ciuium cæde & cruore redundantia, ad aliquam tandem molem excreuerat, mole ruebat sua; totaque amissa libertate, pro qua conseruanda expulsis Regibus totis penè sexcentis annis dimicauerat, demùm ciuilibus bellis, pænitùs fracti, atque subacti, ad vnius hominis imperium colla subijcere Romani illi rerum Domini coacti sunt.

Tametsi quippè Octauio Augusto ciuilibus omnibus sublatis bellis solo tandem imperante, Imperij Romani florentissima facies resplenderet, & domi, ac militiæ Romanum nomen in summa gloria claresceret, domi quidem Senatu, ac Ciuibus altissima pace, & rerum omnium affluentia gaudentibus, foris autem Legionibus Romanis subacti, orbis Prouincias in officio continentibus, & post Augustum tribus circiter sæculis fortissimi quidam Imperatores Tyberius primis saltem Imperij sui annis, Vespasianus, Titus, Traianus, Hadrianus, duo, aut tres Antonini, paucique alij, Philippus, Valerianus, Claudius, Tacitus, Probus, Diocletianus, Romani imperij decus & honorem rebus fortissimè gestis sustinuerunt, & Ciuibus grati, & hostibus terrori; alios tamen interea Imperatores crudelitate in Ciues, ignauia in hostes, libidine & flagitijs infames, eundem circa finem vitæ Tyberium, Caligulam, Claudium, Neronem, Vitellium, Domitianum, Commodum, Seuerum, Caracallam, Heliogabalum, Maximinum, Gallienum, cum suis triginta Tyrannis, monstra potiùs hominum, quàm homines ita Roma sustinuit, vt non tam orbi imperare, quàm seruitutem seruire, imò lanienam pati, & turpissimam & acerbissimam meritò videretur.

Successit posteà Christianorum Imperato-

ratorum laudatissima series, Constantini Magni, Iouiniani, Valentiniani Senioris, Gratiani, Theodosij Magni, Arcadij, & Honorij, qui vno plus minùs sæculo Romani Imperij dignitatem splendidè sustinebant. Sed alijs interea Imperatoribus impijs, Christi Regnum grauiter affligentibus, Constantio, & Valente Arianis, Iuliano Apostata, & in impietatis pœnam barbaris, vndique irrumpentibus, ac Romanum Imperium tam in Oriente, quàm in Occidente fœdè Lacerantibus; Gothis primùm mox Bulgaeis, Hunnis, deindè & Vandalis, in Occidente quidem post Honorium plurimis tyrannis Imperium frustrà affectantibus, ipsisque mox Vandalis, Gothis, & Longobardis, Africam, Italiam, Hispaniam, Gallias penè pro libito vastantibus, per eos ferè quadringentos annos imperari cessatum est; nisi quod per Exarchos suos Rauennæ positos speciem quandam Imperij, Orientales illi Principes ægrè aliquamdiù retinuerint.

In Oriente enim, vno ferè, aut altero post Arcadium sæculo Imperij Romani culmen vtcunque eminuit, in Theodosio Iuniore, Martiano, Leone Primo, Iustino Seniore, Iustiniano, Iustino Iuniore, ac Tyberio, satis fortiter, & gloriosè imperantibus. Cæterùm tum intereà temporis impius ille Zenon, & Anastasius hæreticæ prauitati patrocinantes imperij gloriam fœdè macularunt, tum sequentibus post sæculis, Mauritij auaritia, Phocæ crudelitas, Heraclij & filiorum eius varia impietas, mox Iconomachorum Constantini Pogonati, Leonis Secundi, Philippici Primi, Leonis Tertij, Isaurici, Constantini Copronymi, Leonis Quarti, longa & execrabilis successio Imperium Romanum ita fœdauit, debilitauit, fregit, vt nouum in Occidente Imperium stabilire Romanæ Sedis Antistes, & Ecclesiæ pertæ in persona Caroli Magni, & successorum eius debuerit.

Quo quidem per aliquot iam sæcula ad nostrum vsque tempus vtcunque florente, Orientale interim imperium varia forma vsum, partim ipsorum Imperatorum maiori ex parte, aut fœda & flagitiosa libidine, aut scelere. & crudelitate inmani (quæ in particulari qui scire auet; Zonaram legat) partim Cleri, ac Populi vario, ac impio sæpèque repetito schismata (de quo mox) diù multumque agitatum, ac laceratum, à Tartaris, ac Sarracenis primùm, deindè à Turcis oppugnatum, Regum intereà, ac Principum Occidentalium armis & copijs amplissimis sæpè, & identidem recreatum, roboratum, restauratum (quæ posteà sigillatim dicentur) nunc tamen suorum Imperatorum perfidia, & ignauia, ante sesquisæculum penitùs deiectum. & extinctum iacet.

Ita Barbarorum paulatim incursus, ipsorumque Imperatorum vel ignauia, vel libido, vel impietas Romani Imperij magnitudinem quanta quanta erat, in ipso Occidente, & capite Roma primùm, posteà in Oriente, labefactauit, fregit, perdidit, vt vanè cæcinerit Poeta, *Imperium sine fine dedi, vanè vrbs æterna Deorum cura, vrbs Mundi Domina*. Ratione quidem huius Imperij celebrata, & nuncupata fuerit. Vndè Imperij huius ratione non malè cecinit Poeta nostri temporis.

Roma fuit quondam Terræ Regina Marisque,
At nunc nec Terras, nec Mare Roma regit.

Sed verò Ecclesiæ Romanæ respectu, quam ille Poeta illis versibus perstringere voluit, rectiùs ego dixerim.

Roma fuit quondam Terra Regina Marisque
Nunc Mare, nunc Terras, ampliùs illa regit.

Nam Ecclesia Romana, quæ pariter ferè cum Imperio Romano ortum suum accepit, quæ non à Romulo, aut Remo, quorum alter à fratre occisus, alter à Senatu discerptus fuit, sed à Petro, & Paulo gloriosissimis Christi Apostolis, qui animas suas pro Christo tradiderunt, fundata est, de quibus ita Chrysostomus; [Admiror vrbem Romam non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam rem, sed propter columnas illas Ecclesiæ, quibus veluti coronis duabus ornatur vrbs illa, quibus veluti duobus oculis toto Orbe resplendet; ad cuius exortum (Christo videlicet proximè nasciturо) Imago Lupæ, cum Remo, ac Romulo consecrata in Capitolio veluti de cœlo tacta cecidit], aliaque multa tum in vrbe, tum in Cœlo prodigia apparuerunt; quæ nec Augustum, nec Imperium illius Vrbis, sed Christum, & Ecclesiam Christi in illa vrbe potissimum domi naturam significabant vt latè, & doctè prosequitur rerum nostrarum nobilis Historicus Paulus Orosius; [hæc, inquam, Ecclesia Romana vtcunque omnis generis hostes, persecutiones, insidias, odia & inuidiam perpessa, per sedecim iam penè sæcula stetit, nihilominùs inuicta, stacque, floretque gloriosa.] Quod nunc compendio demonstrabo.

CAP. VI.

Romanæ Ecclesiæ fortitudo aduersùs persecutiones ethnicas.

Romani illi Imperatores, qui totis primis trecentis Imperij Romani annis Orbi imperarunt, in hanc maximè Ecclesiam Romanam, eiusque Pontifices, totis quasi collectis viribus, ac copijs sæuierunt. Viginti septem ordine Pontifices, à B. Petro, & Paulo auspicati trucidarunt. Nam & Imperatores, qui inter persecutores non numerantur, vt Vespasianus, Titus, Nerua, Commodus, Alexander, Seuerus, Galienus, & alij, vtcunque alios toto Orbe Christianos cruentis legibus non persequebantur, suorum tamen temporum Romani Pontifices, eorumque Clerum mactare non desinebant, quo factum est, vt ad Constantini vsque tempora Romani omnes Pontifices vix vno, aut altero excepto Martyres extiterint. At decem, aut duodecim illi, qui numerau-

numerantur persecutores, Nero, Domitianus, Marcus, Antoninus, Seuerus, Maximinus, Decius, Aurelianus, & omnium maximè cum suo Herculio Maximiniano, Diocletianus non illius tantùm vrbis Clerum, ac Populum ad multa hominum millia interemerunt, sed & innumeros alios extra vrbem Christianos, Romam pertrahere, & in ea potissimum vrbe lanienis conficere consueuerunt.

Testis huius rei locupletissimus Plinius secundus est, qui Bythiniæ Proconsul cùm in Christianos ex Traiani mandato sæuiret, ita ad eum scribit: *Fuerunt alij similes amentia* (Christianos dicit) *quos quia Ciues Romani erant, annotaui in vrbem mittendos*. Nec Ciues tantùm Romani, sed & celebriores alij Christiani Romam mactandi mittebantur, vt de ipso imprimis Beatissimo Ioanne Euangelista constat, ex Asia Romam misso, ibique in olei feruentis dolium coniecto, *vndè vegetior solito exiuit*. Item de Sancto Ignatio Smyrnensi Episcopo, de Sancto Onesimo Ephesino Episcopo, multisque alijs nobilissimis Martyribus, vt in Martyrologijs obseruare licet: ita vna Roma mactandis Christi ouibus generale quasi macellum erat. In ea aut Imperatores, aut Præfecti vrbis perpetuam Christianorum carnificinam exercebant, & vocante ad pugnam hoste, *non singuli milites, sed tota simul castra prodibant*, vt scribit ad Cornelium Papam Cyprianus. Nec vsquam terrarum Christianus sanguis vberiùs effusus est, quàm in vna vrbe Roma. [Illa quippè (ait Beatus Leo) cùm omnibus penè dominabatur gentibus; ita omnium gentium seruiebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Et iterum: Hic conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum.] Illa igitur vna vrbs quantò tenaciùs erat diabolo alligata, tantò pertinaciùs veritatem est persequuta.

Quare illam vrbem, vt verè scribit Beatus Leo, [beatorum millia Martyrum Apostolicorum æmuli triumphorum purpuratis, & longè, latèque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt. Nec vsquam terrarum, vt scripsit Beatus Hieronymus, tanto studio & frequentia ad Ecclesias, & ad Martyrum sepulchra, vt in vna Roma concurritur, vbi ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboratur, & vacua idolorum templa quatiuntur.] Ita quod de Christo prædictum erat in hac maxima Vrbe, & Ecclesia Romana, vbi Christi sedet Vicarius, completum est, *Dominare in medio inimicorum tuorum*. Nusquam infensos magis hostes habuit Christi Ecclesia. Nusquam eadem gloriosiùs, & diutiùs floruit.

CAP. VII.

Romana Ecclesia fortitudo aduersùs hæresum persecutiones.

Sed hac tandem persecutionis ethnicæ tempestate sedata, & per Christianos Principes pace Ecclesijs reddita, an hanc Romanam nullæ aliæ portæ inferi oppugnarunt? vtique multò sæuiores, magisque infestæ. Hæreses quippè, & atroces, & variæ, & Imperij Romani viribus armatæ, sequentibus sæculis eam certatim infestarunt, & erat hæc pugna acerbior, quia aduersùs domesticos, & sub specie communis fidei latentes hostes. [Persecutor quippè paganus (vt scribit Augustinus) apertè sæuit vt leo, hæreticus insidiatur, vt draco. Ille cogit negare Christum, iste docet: ille ingerebat violentias, iste insidias: aduersùs illam opus erat patientia, aduersùs hunc opus est vigilantia.] Sed Ecclesia Romana qua aduersùs Paganos patientia inuicta, eadem aduersùs Hæreticos vigilantia solerti vsa est; & quæ vicit leonem, vicit & draconem; iuxta illud Propheticum: [Conculcabis leonem & draconem. Leo sæuit apertè (ait in eum locum Augustinus). Draco occultè insidiatur. Vtramque vim, & potestatem habet diabolus: quando Martyres occidebantur, Leo erat sæuiens: quando hæretici insidiantur, draco est surrepens.]

Omnes autem in vniuersum insidiantes hæreticos, omnes illos tot contra latrantes Ecclesiam canes, omnes Sathanæ proprios ministros, vna Ecclesia Romana ita perpetuò cauit, abegit, prostrauit, vt non modò nulla vnquam hæresis rubigine illa Sancta Sedes attacta fuerit, verùm etiam omnes in vniuersum hæreses ipsa confecerit, ipsa iugulauerit, suo calculo, iudicio, decreto profligauerit.

Arianam hæresim vtcunque Constantio, ac Valente Imperatoribus, eam in Oriente summo studio propagantibus, Liberius, Damasus, Iulius Romani Pontifices, à toto Occidente longissimè propulerunt.

Macedonianos hæreticos idem Damasus, Donatistas, Melchiades, Nestorianos, ac Pelagianos, Cælestinus, Zosymus, Innocentius, Eutychetistas, *Leo ille Magnus*, Monothelitas, *Agatho*; Harum quoque sectarum varias, ac potentes reliquias à magnis illis Patriarchis Antiocheno, Alexandrino, & Constantinopolitano turpiter susceptas, Imperatorem Heraclij, Zenonis, Anastasij, posteàque Iustiniani patrocinio in posterioribus Imperij sui annis acriter defensas, fortissimi semper, & inuicti Romani Pontifices, Simplicius, Felix Tertius, Gelasius Secundus, Symmachus, Hormisda, Agapetus, Siluerius, piè, fortiter, ac strennè debellarunt, aduersùs singulos istos Imperatores singulari certamine depugnantes, vt eorum Epistolæ decretales omnibus legentibus demonstrant.

Imò in omnibus aduersùs huiusmodi hæreses collectis Synodis Romanorum Pontificum, epistolæ per legatos suos missæ, præ-

iudicatam sententiam tulerunt, vt in singulis illis magnis, & primis Concilijs (Niceno primo, Ephesino primo, Chalcedonensi, Constantinopolitano secundo, & tertio) videre licet. Nec secùs posteà contra Iconomachos Imperatores nuper à me commemoratos, fortissimi Romani Pontifices, Constantinus, Gregorius Secundus, & Tertius, Zacharias pro muro Dei sese opposuerunt, & ab omni prauæ doctrinæ fermento Sanctam Sedem illibatam seruarunt, quæ explicatiùs posteà dicentur.

Alijs posteà surgentibus in Græcia hæresibus, illa imprimis contra processionem Spiritus Sancti à Patre Filioque, auctore Phoca, seu Photio Constantinopolitano, cuius insaniam Michael Imperator strenuè protegebat, Nicolaus Primus Romanus Pontifex fortissimè se opposuit; reliquique post eum Pontifices ab omni semper hæresi prorsùs immunes ad Græcos illos in Ecclesiæ gremio continendos, multis coactis Concilijs, varijs legationibus in Orientem missis, omnem operam ac studium collocarunt, nullum non mouerunt lapidem (vt posteà latiùs explicabitur) donec tandem (vt notauit Trithemius) cum Latinis conciliati, semperque ab vnitate Romanæ Cathedræ resilientes, Mahometistis tandem in prædam, & seruitutem acerbissimam dati sunt, in qua & hodiè desudant.

Reliquis igitur omnibus Apostolicis Sedibus, Alexandrina, Antiochena, Ephesina, Hierosolymitana, ac demùm Constantinopolitana ipsa Romanæ æmula (vt mox dicemus) è regno Christi excisis, & propter hæreses, quas amplexæ sunt, à toto Christianismo ad Mahometismum apostatantibus (Alexandriam quippè, & vniuersam Ægyptum tunc occuparunt Saraceni, cum Cyrus Monothelita Patriarcham ageret, Antiochiam, & Syriam Homar Mahometis successor tunc debellauit, cùm Anastasius Iacobita de secta Eutychetis Patriarcha esset Antiochenus; Constantinopolim, & Asiam minorem totam tunc subiugauit Mahometes Turcarum Imperator, cum ab vnione Romanæ Ecclesiæ in Concilio Florentino maximo Græcorum consensu firmata, paulò post leuitate Græca resilirent; nec in Africa Mauri Mahometis leges susceperunt, nisi Ariani cùm essent) sola Romana Petra aduersùs omnes hæreses, Dei beneficio, & iuxtà Christi infallibile verbum triumphans, immobilis & inuicta stetit, ac stat.

Nec minori robore, ac firmitate aduersùs Occidentales hæreticos postremis sæculis exortos, Gallos maximè, ac Germanos, Berengarium, Petrobrussianos, Henricianos, Waldenses, Albigenses, Lolhardos, Wiclephistas, Hussitas, ac nostra demùm ætate Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas, & alia sectarum portenta multiplicia, vna Romana Ecclesia fortissimè præualuit; non ipsa tantùm sana semper & illibata, sed & reliquas Ecclesias orthodoxas suo robore firmans, vt nec in fide ipsa vnquam deficeret, & fratres præterea suos confirmaret, iuxtà Christi verbum.

Et cùm his annis octoginta vnam Romanam Sedem omnes horum temporum hæreses, vnanimi & ferocissimo impetu, omnibus & viribus, & artibus impugnauerint, stat stetitque hæc religionis arx inexpugnabilis, & ridiculè Pseudopropheta Lutherus, cæterorum omnium Patriarcha in tumulo suo scribi iussit:

Pestis eram viuens, moriens ero mors tua Papa.

Mortuus quidem ille est, ac sepultus in inferno, & sectam pænè totam Caluinismus suanoua luce offuscauit, viuit ac floret Sedes Apostolica Romana.

CAPUT VIII.

Romanæ Ecclesiæ fortitudo contra schisma Græcorum, & cruces domesticas.

Præter hanc duplicem rabiem Leonis, ac Draconis à Romana Ecclesia per sexdecim iam sæcula conculcatam, super aspidem quoque, & basiliscum ambulauit. Sæculi ambitionem variam, à qua multa quoque & acerba passa est, fortissimè superauit. Cùm enim Constantinopolitani Patriarchæ in illa noua Roma veteris Romæ æmuli esse voluerunt, ac primùm quidem cæteris sedibus Patriarchalibus, Alexandrinæ, & Antiochenæ contra Nicenos Canones sese anteposuerunt, vt proximi post Romanum essent, illi ambitioni in Concilio Chalcedonensi erumpenti Leo Magnus, & alij successores fortissimè se opposuerunt, postmodum verò etiam Oecumenici, & vniuersales Episcopi, quasi supremæ totius Orbis Christiani capita nuncupari cùm vellent, quod sub Mauritio Imperatore Ioannes Constantinopolitanus maximo studio affectauit, Gregorius Magnus vtrique strenuè aduersatus, Ioannis superbiam fregit, Imperatorem deterruit, nec tota illa Orientalis Imperij ambitio, ac superbia, vtcunque totis quadringentis annis sese obdurauerat, vsque ad Leonis Noni tempora, Petræ Romanæ iustam auctoritatem, vel frangere, vel imminuere, hactenùs potuit.

Fractis iam Orientalis Imperij viribus, & Occidentali restaurato imperio suis adhuc erroribus, & hostibus Romana non caruit Ecclesia, quibus tamen semper superior fuit. In ipsa Italia ab Exarchis Rauennæ residentibus, & ab ipsis Rauennæ Archiepiscopis, hac occasione Romanæ Sedis æmulis, quorum audacia vix post annos septuaginta frangi potuit, multa dura & acerba tulit.

Pulsis posteà tota Italia Exarchis, & Imperatorum Orientalium Ducibus, ab ipsis Italiæ Regibus, vt plurimum Arianis, primùm Ostrogothis, deinde Vandalis, mox Hunnis, posteà Herulis, ac demùm Longobardis, grauissimè & diuturnissimè agitata fuit, non solùm ipsa vrbe Roma à Genserico Vandalo, à Totila, & Alarico Gothis ter capta, atque vastata, sed omnibus ferè Catholicorum Ecclesijs tota Italia aut clausis,

fis, & fubuerfis, vt fub Gothis, aut impia Arianorum communione pollutis, vt fub Longobardis.

Nam fub Rothari Rege Longobardo, in omnibus ferè Italiæ vrbibus duæ Ecclefiæ, & duo Antiftites Catholicus, & Arianus conftituti funt. Omnem tamen hanc tam grauem, & tam vicinam luem in ipfis pænè vifceribus graffantem vicit ac fuperauit, fefeque femper ab omni hærefi puram, & illibatam feruauit, fed & peftes illas omnes extinxit, ac profligauit Sancta Romana Ecclefia Chrifti verbo ftabilita.

Quid? quod ab ipfis Romanis fuis Ciuibus Senatoriam dignitatem recuperare volentibus, dira & acerba paffi funt Romani Pontifices, idque totis ferè centum annis, fi vera narrat Sabellicus? Sanè hanc vnam ob caufam Auinione in Gallia totis feptuaginta annis veluti ab vrbe Roma exulantes, Sedem fuam Romani Pontifices tenuerunt. Sed & hoc domeftico malo perdomito firma, & fixa conftitit.

Porrò ne quæ deeffent inferorum portæ, machinæque Diabolicæ ad Petram iftam Romanam fua Sede exturbandam, ante annos iam mille & amplius, quædam in ea fchifmata circa veri Pontificis electionem, eaque grauia exorta funt, quæ Principes, & populos Chriftianos in diuerfas partes traxerunt, maximumque illi Sedi fcandalum pepererunt.

In primo fchifmate, cùm impius ille Nouatianus aduersùs Cornelium Papam Pfeudopontificem ageret, adeò vir ille Sanctus id acerbè tulit, (vt multò patientiùs, ac tolerabiliùs æmulum Principem Decium perfecutorem aduersùm fe infurgere, quàm æmulum Sacerdotem aduersùm fe conftitui cerneret,) quemadmodùm Deo fcribit Beatus Cyprianus. Aduersùs S. Damafum Laurentius pro antipapa fe gerens annis, quàm plurimis, & Sedem illam, & Imperatorem optimum Theodofium infigniter exercuit.

Huiufmodi fchifmata numerantur viginti quinque, quorum duo annis viginti; vnum etiam annis quadraginta perdurauit, idque eo tempore quo Huffitarum fectę graffantes, tam Sedem Romanam; quàm fidem ipfam labefactare conatæ funt. Sed & contra hanc inferorum portam præualuit Petra Romana, eiufque perpetui Epifcopi ferie, ac fucceffione continua, à S.Petro ad Clementem Octauum Pontificem Sanctiffimum, hodiè gloriosè regnantem, vfque ad ducentos triginta quinque numerantur.

Tandem poftquam omnibus ferè malis, ab impietate, & ambitione Orientali, à perturbatione ciuili, ac domeftica Romanam Sedem infeftantibus occurfum fuiffe videbatur, translato in Occidentem Imperio, ipfofmet Germanos Imperatores non paucos (qui huius Sedis beneficio Imperij diadema geftant) Fridericum Barbaroffam fub Alexandro Tertio, Henricum Quartum, fub Gregorio Septimo, Henricum Quintum, fub Pafchali Secundo, Philippum, fub Innocentio Tertio, Ludouicum Bauarum, fub Ioanne Vigefimo Secundo infenfiffimos hoftes habuit, multaque ab illis, & indigna, & acerba perpeffa eft. Nam & in horum Principum fauorem quidam illorum temporum fcriptores Romanam Ecclefiam multis calumnijs afperferunt, legitima fua auctoritate magna ex parte fpoliare contenderunt, Dantes Aligerius, Marfilius Patauinus, Guilielmus Occam, Ioannes Parifienfis, & alij nonnulli, quorum omnium infolentiam, furorem, rabiem, inuicta hæc Romana Petra, veluti rupes folidiffima facilè decuffit, labefactauit, fregit, vt de his omnibus cum Propheta dicere, & triumphare meritò poffit: *Sagittæ paruulorum factæ funt plagæ illorum.* Et rursùm: *In Petra exaltauit me, et fuper inimicos meos exaltauit caput meum.*

Hæc fcilicet fuerunt Romanæ Ecclefiæ bella Punica, hi veluti tribunitij furores, hæc eius Mariana, & Syllana tempora, ciuilia, inteftina, & domeftica mala, quibus tamen libertatem non amifit, vt Roma ethnica Orbis Domina. Hi eius Barbari, Vandali, Gothi, Hunni, Longobardi, Saraceni, Turcæ, propter quos tamen primatu à Chrifto dato non excidit; ficuti Romanum Imperium fua tota per Orbem dominatione exutum fuit, nifi quàm illi Romana hæc Sedes propter bonum Ecclefiæ, & vt Chrifti regno feruiret, benignè poftea reftituit.

Sic Romana fortitudo, & robur eius inuictum non à Romano Imperio, fed à Romana Ecclefia (fi veri rerum æftimatores effe volumus) prædicari, & admiratione digna videri debent. Sicuti ergo in eius amplitudine latiffimè propagata ftat Chrifti verbum, *Super hanc petram ædificabo Ecclefiam meam*, ita in eius fortitudine, ac robore inuicto, ftetit alterum Chrifti verbum, portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, ne quidem peccata ipfa fcelera, & flagitia, quibus aliqui etfi pauciores Romani Pontifices non caruerunt; & quidem ab anno octingentefimo feptuagefimo quarto, per annos centum quinquaginta, Pontifices circiter quinquaginta, à Ioanne Octauo, vfque ad Leonem Nonum, (exceptis quinque intermedijs, Martino Secundo, Agapeto Secundo, Ioanne Decimo feptimo, Sergio Quarto, Gregorio Sexto) propter Germanicos Imperatores liberam, & canonicam Romani Pontificis electionem impedientes à virtute maiorum plurimum deficientes parum Apoftolici vifi funt.

Sed alia Dei promiffio hanc vnam fedem conferuauit. *Si dereliquerit filij eius legem meam, et in iudicijs meis non ambulauerint, fi iuftitias meas profanauerint, mandata mea non cuftodierint, vifitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum: Mifericordiam autem meam non difpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque profanabo teftamentum meum, et quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Semel iuraui in fancto meo fi Dauid mentiar, femen eius in æternum manebit, et thronus eius ficut Sol in confpectu meo, et ficut Luna perfecta in æternum, et teftis in cœlo fidelis.* Quod, totum, vt de Catholica Chrifti Ecclefia nunquam interitura verum eft,

eſt, ita de huius Eccleſię Petra fundamento, capite, veriſsimum eſſe dubitari non debet.

CAP. IX.

Poteſtatis plenitudo erga alias Eccleſias.

VEnio nunc ad tertium Chriſti verbum, *Et tibi* Petre *dabo claues regni cęlorum,* vt de poteſtatis plenitudine Petro eiuſque ſucceſſoribus Romanæ Eccleſiæ Pontificibus data pauca dicamus: Et de ea quidem erga alias Chriſti Eccleſias ipſumque vniuerſum clerum regno Chriſti propagando, adminiſtrando, & conſummando dicatum, & conſecratum, non eſt opus in hoc argumento multa proferre. Tractarunt hanc partem ſigillarim, accuratè, copiosè plurimi hodie controuerſiarum tractatores, compendio tamen præcipua attingam. Sedis Romanæ Pontificem omnium Eccleſiarum caput, ac Præſidem ſupremum tota cognouit antiquitas orthodoxa. *Vniuerſalem, et Oecumenicum Patriarcham* in perſona Leonis Magni eum agnouit Concilium Chalcedonenſem Epiſcoporum ſexcentorum, tametſi hoc titulo Romani Pontifices nunquam vti voluerint, vt affirmat Leo Nonus. *Omnium Eccleſiarum caput,* apud Victorem Eugenius Carthaginis Archiepiſcopus, *Principem Epiſcoporum,* Optatus. *Totius Orbis magiſtrum,* Chryſoſtomus. *Rectorem domus Dei, quam columnam, et firmamentum veritatis Paulus vocat,* Ambroſius. *Catholicę Eccleſiæ Epiſcopum,* Cyprianus *tis Eccleſias pageoſmin coſmitora. Totius Eccleſiæ tota orbe diſperſæ principem,* Damaſcenus. *Eccleſiam principalem vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt,* idem Cyprianus, & rurſum, *qui cathedram Petri ſuper quam fundatur Eccleſia deſerit, in Eccleſia eſſe non poſſe. Qui exierit foras ab Eccleſia Petri, ſiti perire,* Arnobius. *Qui extra hanc domum agnum comedit, profanum eſſe,* Hieronymus. *Ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ curam confluere,* Leo. *In ſpecula paſtorali excelſiori eminere faſtigio,* Auguſtinus. *Pro ipſo principatu ſolam Apoſtolorum Principis Sedem in authoritate conualuiſſe,* Gregorius Magnus. *Ad vnam Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſſe omnem conuenire Eccleſiam, ideſt, eos qui ſunt vndique fideles,* Irenæus, Romano quippe Pontifici *datum à Domino eſſe, quod adulterinum eſt à legitimo, et pura diſcernere, ac fidem Patrum ſine vlla ſubtractione prædicare* affirmat Sanctus Baſilius. *Per Romanum Pontificem ſemper quod in fide manifeſtum, et certum eſt, oſtendi, ac declarari,* ait Epiphanius. *In vna Petri cathedra vnitatem ab omnibus ſeruari,* Optatus, *Non eſſe dubitandum in illius Eccleſiæ nos candere gremio, quæ ab Apoſtolica Sede Romana per ſucceſſiones Epiſcoporum culmen auctoritatis obtinuit,* Auguſtinus. Et addit: *Cui nolle primas dare, vel ſumma profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ,* vndè alibi de ſeipſo. *Tenet me in Eccleſiæ gremia ab ipſa Sede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit ad præſentem vſque Epiſcopatum ſacerdotum ſucceſſio.* Addam Imperatorum teſtimonia; *Romanæ ciuitatis Epiſcopo principatum ſacerdotij ſuper omnes Antiquitas contulit,* ait Valentinianus Tertius. *Tuam ſanctitatem* (ait Leoni Papæ Martianus,) *principatum in Epiſcopatu fidei obtinentem rogamus ad celebrandam Synodum te auctore. Summi Pontificatus apicem apud Romanos Pontifices eſſe nemo eſt qui dubitet,* profitebatur Iuſtinianus, antequam à ſua Theodora ad hæreticorum patrocinium pertractus fuit. Gratianus illam ſolam pro orthodoxa, & Catholica fide agnoſci iubet, *quam Damaſus Romanus Pontifex approbaret. Hac fide* (ait Maximus Imperator) *Roma ipſa venerabilis gloriatur, cuius etiam in hac parte principatus eſt.* Quicquid igitur ad Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudinem pertinet, vnam Eccleſiam Romanam exercuiſſe, qui ſingula eius poteſtatis officia excurrere velit, facilè deprehendet Concilijs Epiſcoporum generalibus, & vocandis auctorem fuiſſe, & per ſuos legatos in ſingulis præſediſſe, & ea demùm concluſa roboraſſe, perpetua hactenùs Eccleſiæ Chriſtianę praxis demonſtrat.

In primo Concilio Nicæno diſerto canone cautum eſt, *Ne præter ſententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrentur.* Hunc Canonum aduersùs Arianos citat Iulius Romanus Pontifex. Eundem commemorat in Hiſtoria Eccleſiaſtica Socrates; & ante eum Athanaſius, qui totam Iulij epiſtolam, in qua ille canon legitur, Apologiæ ſuæ ſecundæ inſeruit. Sed & idem Canon, tam in epiſtola Synodica Athanaſij, & aliorum Ægyptiorum Epiſcoporum ad Felicem Papam, quàm in epiſtola Damaſi ad tria Concilia Africana legitur. Tandem, & Iuſtinianus Imperator in ſuis Conſtitutionibus Nouellis illum agnoſcit, cùm ait: *Nulla vnquam Synodus rata legitur, quæ ab Apoſtolica B. Petri Sede non fuerit fulta.* Quare, & in Concilio Chalcedonenſi aduersùs Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham, [Synodum facere ſine auctoritate RomanęSedis auſum,] eadem regula profertur.

Hinc & Africana omnia Concilia aduersùs Pelagianos à Cæleſtino Papa confirmata ſunt, & poſt eum Pelagianorum reliquias, vtcumque à Concilio quodam Carthaginenſi, & altero Numidiæ damnatas; [nondum tamen euidentèr ab Eccleſia ſeparatas fuiſſe] ſcribit Auguſtinus, [donec maniſeſtiſſimo Sedis Apoſtolicæ iudicio damnati repentè continuiſſent,] vt in alia ſcribit epiſtola: ac poſtremò literis Innocentij Papæ, [totam de hac re dubitationem ſublatam fuiſſe] alibi affirmat.


Hanc ob cauſam varia hæreticorum Concilia, etiam Imperatorum auctoritate ſuffulta, verbi gratia, Antiochenum, & Ariminenſe Arianorum, quibus fauit Conſtantius Imperator, Iconomachorum Synodus à Conſtantino Copronymo collecta, omni auctoritate, ac fide caruerunt, ex hoc potiſſimum capite, quod nec Iulius, nec Damaſus Romani Pontifices priora illa (vt & Socrates, ac Sozomenus in hiſtoria Eccleſiaſtica, & Athanaſius in Apologetico ſecundo diſertè profitentur) nec poſtremum Zacharias Pontifex Romanus approbaret, quod Sanctus Stepha-

phanus iunior; impio Imperatori in os affirmauit. Primarium hoc Ecclesiasticæ potestatis officium in Romano Pontifice residere hæc pauca doceant.

Alterum supremi Primatus argumentum perspicuum est, ab omnibus alijs Episcopis, & Patriarchis ad hanc sanctam Sedem appellationes deferri. De hoc etiam in Concilio Nicæno diserto Canone cautum est: ipseque Canon non à Iulio tantùm Papa in epistola secunda ad Orientales, sed & à Socrate, Sozomeno, Theodoreto in historia ecclesiastica commemoratur: postea que tum in Concilio Laodicensi Canone septimo; tum in Concilio Chalcedonensi Canone nono disertè repetitur, & à Nicolao Primo in epistola aduersùs Michaelem Imperatorem asseritur. Sed & ante Concilium Nicænum primum ad Stephanum, & Cornelium Romanos Pontifices ab Episcopis Africanis appellatum fuisse, ex D. Cypriani epistolis apertè constat.

Nam posterioribus sæculis à summis Patriarchis, magnisque Episcopis iniuriam domi passis, ad Romanos Pontifices, veluti ad supremum Pastorem, ac Iudicem appellatum fuisse, exempla Magni Athanasij Patriarchæ Alexandrini, cum alijs Episcopis, Marcello Anciræ, Asclepa Gazæ, Lucio Adrianopolis, Paulo Constantinopolis ad Iulium Papam, item Flauiani, & Chrysostomi Patriarcharum Constantinopolitanorum ad Leonem Magnum, & Innocentium Primum; Ioannis quoque Talaide Patriarchæ Alexandrini, ad Simplicium Romanum Pontificem ad oculum docent, qui vel ab impijs Imperatoribus Constantio, & Zenone, vel ab hæreticis partim Arianis, partim Eutychianis vexati, & iniuria affecti appellauerunt.

Inter quos etiam Theodoretus ille Cyrensis Episcopus doctissimus fuit, à Maximo Antiocheno Patriarcha suo ad Leonem Papam appellans, multique alij Orientales Episcopi aduersùs Acacium, Patriarcham Constantinopolitanum ad Symmacum Papam appellantes. Quid attinet alia supremæ potestatis officia circa Episcopos, vt minimum Occidentalis Ecclesiæ omnes confirmandos (in Oriente quippe, & Africa à suis vel Patriarchis, vel primæ Sedis Metropolitanis Episcopi inferiores confirmationem acceperunt, ipsi verò Patriarchæ, & Metropolitani à Pontifice Romano missa ad eum fidei suæ, & legitimæ consecrationis attestatione publica, quam epistolam Synodicam vocabant) totius verò Orbis Episcopos, vel excommunicando, vel reconciliandos hoc loco commemorare? Harum rerum exemplis plena tota antiquitas est, quæ à tractatoribus controuersiarum plenè, vt diximus, digesta, & obseruata sunt.




LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Magnitudine Romanæ Ecclesiæ.

CAPVT PRIMVM.

Romanæ Ecclesiæ potestas in Orbis Principes etiam creandos.



Hactenus de plena in ipsos Ecclesiasticos, aut res sacras, Summorum Pontificum potestate, compendio dictum est: Nunc verò quanta etiam auctoritate in ipsos Reges, & Monarchas vsi fuerint, paucis attingemus: Nam eo magis Ecclesiæ Romanæ maiestas elucescet, si quantam in ipsos Orbis terrarum Principes, ac Reges potestatem exercuerit, qualisque illis vicissim à totius orbis Regibus, ac Principibus honor exhibitus fuerit, similitèr paucis demonstremus. Magna certè Romani Imperij gloria de Regibus Asiæ, Armeniæ, Macedoniæ, Africæ. Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, ac demùm Britanniæ triumphasse, eos aut regno exuisse, aut tributarios, aut certè beneficiarios fecisse. Magnæ laudi, & meritò Augusto Cæsari fuit, quod [Reges socios non aliter vniuersos, quàm membra, partesque Imperij curæ habuit.] Tiberius verò ad Imperij sui dignitatem plurimum facere existimabat, [quod Reges infestos, ac suspectos comminationibus magis, & quærelis, quàm vi represserit: alios verò ad se blanditijs euocatos ad propria regna nunquam remiserit.] Nero autem pro summa gloria duxit, [quod Tiridatem Armeniæ Regem in vrbe Roma maximo cum fastu, ac pompa imposito illi diademate creasset.] Videamus tamen an hanc gloriæ partem Romanæ Ecclesiæ maiestas Imperio parem, addo & maiorem non habuerit. Sanè Imperatorem Romanum triginta, aut quadraginta legionibus armatum, reges multos aut subiugasse, aut obnoxios sibi habere parùm mirandum fuit. Pontificem verò Romanum prorsùs inermem, nec vlla armata manu potentem, Regibus terræ iura dare, vel ad regna euehere, vel euectos diademate ornare, vel cum alijs regibus dissidentes ad pacis fœdera inducere, vel contrà Deum, ac Religionem peccantes castigare, adeòque regnis interdùm suis exuere, quis non summa admiratione dignum duxerit? Neque enim ex aliqua Romanæ vrbis, aut potentia, aut prærogatiua tanta potestate Romanos Pontifices vsos fuisse, manifesto documento esse potest, quòd post translatam à Constantino Imperij Sedem in Byzantium, Roma deinceps Imperatorum Christianorum nunquam Sedes fuerit: sed Imperatores omnes in Occidente consedentes, aut Treuiris in Germania, vt Constans, Constantini Magni filius, aut Mediolani, vt Valentiniani tres, aut Rauennæ, vt Honorius, aut in Gallia, vel Germania, vt Carolus Magnus, eiusque successores consederunt, in vrbe verò Roma quasi illic Sedes Imperij esset nunquam. An verò ita se res non habet? De Regibus ab hac Sede institutis, & creatis primùm videamus. Quis nescit sola huius Sedis auctoritate (quia hoc Ecclesiæ saluti expedire videbatur) Carolum Magnum Franciæ Regem à Leone III. Occidentali Imperio donatum, & diademate Augustali ornatum, primùm Occidentis Imperatorem creatum fuisse? cuius Imperij successio ab annis iam penè octingentis perdurauit. Istud vnum nullis à me verbis amplificabitur. Quantæ tamen res ea auctoritatis, adeòque maiestatis fuerit, facilè prudens quisque apud se expenderit. Orientali quippè Imperio maximum inde vulnus inflictum fuisse, cui & nunquam per tot sæcula mederi illud potuit, vtcumque sæpè, ac subindè illud tentauerit, maximè sub Isaacio Commenores ipsa loquitur. Sed & idem Pontifex eodem tempore Pipinum Caroli filium, Italiæ Regem creauit, & coronauit. Aliquanto post tempore anno millesimo primo, cùm Hungaria Regem non haberet, Stephanus regalem dignitatem à Sergio Romano Pontifice petens, eam obtinuit: quæ gratia Polonorum Duci idem eodem tempore petenti, denegata est. Sed anno demùm millesimo trecentesimo vigesimo, Venceslaus Dux à Ioanne XXII. regalem illam dignitatem obtinuit, Cromero Polono teste. Porrò anno millesimo septuagesimo sexto, Demetrius Russorum, seu Ruthenorum Rex primus, à Gregorio VII. declaratus est. Paucis post annis Edgarus primus Scotorum Rex ab Vrbano II. declaratur. Tandem anno millesimo duodecimo, beneficio Eugenij III. Alphonsus primus Portugalliæ Rex inauguratur. Primus porrò Hierosolymorum Rex, vndè qui hoc nunc titulo gaudent, descendunt omnes (præcesserunt quippè alij, Gothefridus Lotharingiæ Dux, & Balduini eius posteri ab exercitu Christiano

in

in Reges electi, qui ad quartam, aut quintam tantùm generationem regnarunt) fuit Ioannes de Pregma, vel vt alij scribunt, Brenna, Viennæ Allobrogum Princeps ab Innocentio Tertio creatus. Sed & Mindacus Lithuanorum Dux, quia militibus Teutonicis, à quibus bello fractus fuerat, certas prouincias concesserat, ad hoc eum instigante Opissone Abbate Messanensi, Innocentij IV. legato, ob id illi à Pontifice Regium nomen impartitum fuit. Sunt & hodie duo magni Duces, Moscouiæ vnus, in Italia alter, qui ab hac Sancta Sede Regali dignitate donari dudum contendentes, eam adhuc obtinere non possunt. Veteres Romani Fabricius, Cato maior, & alij maiorem sibi gloriam duxerunt, Regibus imperare, ac Reges facere, quàm Reges esse. Est igitur huius Sanctæ Sedis eximia potestas in prouincijs Christianis sua auctoritate Reges instituere, creare, inaugurare, tametsi potestatem regiam ipsa non exerceat. Quid quod Reges non à Pontifice Romano, sed à populis, & communitate ciuili constituti, ipsam tamen inaugurationem suam, eiusque formam ad præscriptum huius amplissimæ Sedis acceperunt; à certis videlicet Archiepiscopis vncti, quibus Romanus Pontifex hanc potestatem dedit, & ea verborum forma, quam idem instituit? Rex Franciæ ab Archiepiscopo Remensi, ex institutione Hormisdæ Papæ; Rex Angliæ ab Archiepiscopo Cantuariensi ex Adriani III. priuilegio; Rex Scotiæ ab Archiepiscopo S. Andreæ, de concessione Vrbani II. Rex Germaniæ à Moguntino, Bohemiæ à Pragensi, Poloniæ à Gnesnensi, Hungariæ ab Albæ regalis, Suetiæ ab Vpsalensi, Daniæ à Lundensi Episcopis, ex Romanæ Sedis instituto, vt earum regionum scriptores proprij, Dubrauius, Cromerus, Bonfinus, & Ioannes Magnus memoriæ prodiderunt, in Reges vnguntur, & coronantur omnes.

CAPVT II.

Romana Ecclesiæ studium ad Reges conciliandos.

IAm verò in conciliandis ad pacis fœdera Regibus Christianis, qui intestinis bellis, & sese mutuò consecerunt, & toti Reipublicæ Christianæ maximas clades intulerunt, quantam operam, quam diligentiam assiduam, sæpèque felicem, & efficacem Romani Pontifices, veluti Patres orbis Christiani posuerint, aliquot hic exemplis aperiendum est. Ac sanè quemadmodùm felix in ea parte est Ecclesia Christi Catholica, quod ad componendas omnes fidei controuersias vnum habet Petrum, vnum caput visibile, vnum supremum Pastorem, qui, iuxtà Christi verbum, *confirmet fratres suos* (quo vno beneficio apud Catholicos totis his sexdecim iam sæculis vnitas fidei, ac religionis conseruata est, & eo vno remedio, quia omnis hæresis caret, nulla apud quoslibet hæreticos, vel vnius anni concordia constare potest, quod vel maximè hodiernæ hæreses ad oculum demonstrant) sic & quoad pacem ciuilem, & tranquillitatem externam inter Orbis Christiani Principes, aut seruandam, aut faciliùs recuperandam, vnus Romanus Pontifex veluti arbiter, & moderator à Christo datus est, qui eam suo studio, suo concilio, sua auctoritate, & sæpissimè Christianis Regibus reddiderit, & nullam operam ad eam restaurandam prætermiserit. Innocentius I. tota Italia bellis flagrante, & Alarico Gottho vrbis obsidionem minitante, vrbe ipsa populo supplicante exiuit, & ad Honorium Imperatorem Rauennæ agentem peruenit, de pace inter ipsum, & hunc Gotthum quoque modo componenda tractaturus: quæ etsi pax non successit, officium tamen præclarum optimus Pontifex fecit, & ipse Alaricus capta vrbe Roma, mitiùs se multò, & clementiùs gessit, vt suo posteà loco dicetur magis. Nec dissimiliter Ioannes Papa primus à Theodorico Ariano Italiam turbante ad Iustinum seniorem pacis componendæ causa missus, legationem non recusat, optimi Patris officium facit, & Ecclesiæ interim laboranti, tametsi cum suæ vitæ discrimine sapienter consulit. Mox Agapetus Pontifex à Theodato Gotthorum Rege ad Iustinianum Imperatorem missus, qui alteri bellum comminatus fuerat, pacem ab Imperatore impetrauit. Ad Orientale Imperium conseruandum, & eius Principes toties ab Ecclesiæ vnione relapsos, eidem conciliandos & veniendos, quantùm operæ, & studij Romani Pontifices impenderint, mox alio capite dicetur, vbi de Operum huius Sedis magnificentia tractabitur. Nunc ad Occidentem oculos vertentes, in Germania primùm, quàm præclara huius generis officia Romani Pontifices præstiterint, exquiremus. Vbi Fridericus secundus Teutonicos milites è Syria abductos (magno Christiani Orbis malo) in Germania collocasset, atque ad Prussiæ prouinciam à Christi fide tunc alienam, & Polonis Christianis infensam, subigendam, Christique religione imbuendam, sola interueniente Gregorij IX. auctoritate, destinasset, vt latè narrat Cromerus, & ex publicis Actis contrà Nauclerum, & alios probat, inter vicinos Principes Christianos, & istos Teutonicos milites variæ simultates, & contentiones, quæ ad arma prorumperent subindè exortæ sunt. Ad quas assiduè componendas, ne Ordinis illius præclari ad fidem dilatandam progressus, quibus Satan inuidebat, impedirentur, vide vt Romani Pontifices incessantèr aduigilarint. Post annum millesimum ducentesimum quadragesimum tertium, cùm Suentopolus Dux bello, armisque promptissimus plurima Teutonicis eripuisset, Guilihelmus Episcopus Mutinensis Apostolicus legatus effecit, vt ablata ille redderet, pacemque eum Teutonicis firmaret. Sed & cùm paulò post fidem datam fallere cœpisset, idem rursùs effecit Opisso Abbas Massanensis Innocentij IV. legatus. Ab eodem similitèr Innocentio missus alijs de causis Iacobus Archidiaconus Leodiensis pacem rursùs violatam inter Teutonicos, & eundem Suentopolum redintegrauit. Sed & anno millesimo ducentesimo octuagesimo secundo Philippus Episcopus Firmanus Pontificis Legatus pacem conciliauit inter eosdem Teutonicos, & Mescingum Pomeranorum Ducem. Sed & paulò post anno millesimo trecentesimo tri-

gesimo sexto, cùm inter Polonos, & Teutonicos bellum oriretur, ad id componendum, suam auctoritatem Romanus Pontifex requisitus interposuit, cui tamen Ludouicus Bauarus Imperator ita obstitit, vt pax exitium non sortiretur, ait Cromerus. Exarsit posteà exitiale, & funestissimum bellum anno millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, quo tota Germania conflagrauit, inter Carolum IV. Imperatorem, Regem Bohemiæ, Morauiæ, Germaniæque Principes ab vna parte, & Cazimirum Poloniæ, Ludouicum Vngariæ, Sigismundum Daniæ Reges, Russiæque, & Tartariæ Principes ab altera parte. Quod vbi sensit Vrbanus V. Romanus Pontifex, Legatum misit, qui non modò Reges adduxit ad concordiam, sed omnes ipsos affinitatibus nouis coniunxit. Sed & rursùm cruentissimis bellis inter Teutonicos, & Polonos ortis, quæ nullo modo componi posse videbantur, tandem Ioannes XXIII. prudenti Consilio vsus Legatum misit, per quem pactæ induciæ inter Teutonicos, & Polonos, & controuersiæ reiectæ ad Concilium Constantiense. Martinus autem Quintus in Concilio Constantiensi Papa declaratus ter suos ad eandem rem conficiendam Legatos misit: vbi semper magis se difficiles, ac refractarios Teutonici præbuerunt. Quapropter grauissimis adhuc bellis inter eos, & Polonos obortis, ad ea sedanda Nicolaus V. Legatum misit. Paulus quoque Secundus ei ferè proximus, ad eandem rem misit Legatum Rodulphum Episcopum Lansanensem: per quem tandem confecta pax summa cum laude: quæ fixa, & firma perstitit, donec Illustrissimus ille Ordo maximo Germanicæ nationis dedecore ad Lutheranismum prolapsus, penitùs extinctus fuit, & Liuonia à Moscouitis occupata, magnaque regnis Germanicis decessio facta, quod Tilmannus Bredenbachius edito ea de re libello, & Cromerus latè exponunt. Sed & nostra ætate cùm inter Stephanum Poloniæ Regem fortissimum, & Basilium Moscouiæ Ducem circa Liuoniç principatum bellum acerrimum exarsisset, Gregorius XIII. misso Antonio Posseuino Societatis Iesu Presbytero, Sedis Apostolicæ Legato, pacem Germaniæ perutilem, & firmam inter illos vicinos Principes composuit. Iam inter Gallos, & Anglos centum olim continuis annis bello mutuò decertantes quotiès, & quanto studio Romani Pontifices pacem componere adnisi fuerint, & nostri, & Gallorum Annales passim meminerunt. Illustre illud, & memorabile est, quod stante in acie Ioanne Francorum Rege maximis cum copijs ex tota Francia collectis aduersùs Edonardum Angliæ Principem, Regisque filium paruo tunc satis, & minimè expedito agmine munitum, duo Cardinales ab Innocentio VI. Auinione tunc sedente, Legati missi, inter vtrumque exercitum discurrentes vtrique Principi varias pacis conditiones proponebant; sed iniquiores petente Franco certam sibi victoriam promittente, reiecta quidem legatorum intercessio, & neglecta Romani Pontificis postulatio fuit; sed cum maxima Francorum clade, quorum Rex Ioannes ea pugna captus cum Philippo eius filio, ac nobilibus mille septingentis: vt latè narrat Polydorus Virgilius. De Paulo III. scribitur, totum eum quamdiù sedit (sedit autem annis quindecim) in eo fuisse, vt pax inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum primum Gallorum regem componeretur: ad quam etiam componendam ipsemet Nissam Pedemontanam veniens coràm cum vtroque illo potentissimo Monarcha pacis media, & conditiones tractauit; quæ cùm non succederet, decem saltèm annorum inducias impetrauit, vt narrat Paulus Iouius. Quid hoc loco commemorem, quod proximis his diebus factum, omnes læti vidimus, & admirati sumus; inter duos potentissimos Monarchas, Regem Hispaniæ Catholicum Philippum II. & Regem Franciæ Christianissimum Henricum IV. post longum, & atrox inter vtrumque bellum, opera, studio, auctoritate Sanctissimi Pontificis Clementis VIII. Petri nunc locum gloriosè tenentis, pacem exoptatissimam stabilitam esse, cuius tractatio à Sua primum Sanctitate initium accepit, misso primùm prudentissimo Patre, Ordinis Minorum Generali, qui inter vtrumque Principem discurrens pacis semina spargeret, adhibitoque posteà Illustrissimo Cardinali Mediceo, cum alio adhuc Nuncio Apostolico, qui rem totam cum vtriusque Principis Legatis prudentissimis conficerent.

Quam superi pacem firment, faxintque perennem. Plura huius generis Romanorum Pontificum officia præstantissima, in quibus huius Sedis, & auctoritas, & pietas mirificè eluxit, infrà à nobis commemoranda sunt, vbi de Operum Romanæ Ecclesiæ magnificentia dicendi locus erit.

CAPVT III.

Romanæ Ecclesiæ potestas ad Reges Ecclesiæ noxios castigandos.

AD potestatis eius amplitudinem, in qua nunc versamur, non minùs propriè pertinet, vt quàm in Regibus creandis, & inaugurandis prærogatiuam exercuit, eandem in corripiendis, castigandis, & cùm id salus Ecclesiæ postularet, imperio exuendis exercuisse doceatur. Hanc prorsùs Romanis Pontificibus auctoritatem in primis necessariam esse, vel hoc vno argumento perspicuè demonstrant Theologi, quòd spiritualis suprema potestas ad animarum salutem à Christo Petri successoribus data, debet omninò esse in suo genere perfecta, vt quælibet ciuilis potestas est; vt finem videlicèt sibi propositum consequatur, omniaque media adhibeat, quibus animarum salus eius finis, ac scopus procuretur; omnia quoque impedimenta remoueat, quibus idem finis impediatur, ac per hoc peccantes in Deum, ac religionem Principes, siue ne ipsi pereant, siuè ne alios perdant (quo in genere à malis Principibus maximum periculum est) & corripere, & coercere, & censuris Ecclesiasticis castigare, ac demùm ne totus pereat populus, ab impia administratione penitùs remouere possit, ac debeat.

Cui argumento sanè validissimo hoc breue dilemma adiungunt; Regem Christianum, qui ad ouile Christi pertinet, aut ouem gregis

gregis esse, aut pastorem. Pastores verò sui populi, vt pro animabus eorum Deo rationem reddat'ot, Reges, nec esse volunt, nec possunt. Oues igitur gregis Dominici sunt, ab ipsis pastoribus, maximè à supremo Pastore, & pascendi, & regendi.

Cæterùm nos hoc loco ad Ecclesiæ Romanæ potestatem amplissimam demonstrandam, non an sit inquirimus (alterius loci disputatio hæc est, quam & alibi executi sumus) sed qualis, & quanta erga Mundi Monarchas ipsos de facto fuerit, ex rebus in Orbe Christiano gestis demonstrare satagimus.

Et quidem si antiquissima tempora reuoluimus, Philippus primus Christianus Imperator, anno Domini ducentesimo quadragesimo nono, imperij sui anno quarto baptizatus, ac postea licentia Imperiali grauiter delinquens, & diebus Paschalibus cum cæteris Christianis Synaxim facere cupiens, à Fabiano Papa vsque ad debitam Exomologesim factam, ab Ecclesiæ ingressu prohibitus fuit. Arcadium verò Imperatorem in Oriente, qui ante annos mille ducentos S. Ioannem Chrysostomum Sede Patriarchali expulerat, Innocentius I. Romanus Pontifex, etiam quo tempore Italiam, Romamque ipsam Gothi occuparent, scriptis ad eum literis cum sua Eudoxia excommunicauit. Anastasium Imperatorem Eutychianæ hæresi acriter patrocinantem, Anastasius secundus similiter excommunicauit, factique sui rationem insigni, ad Imperatorem scripto Apologetico fortiter de..it. Philippicum Iconomachum in Oriente in Catholicos sæuientem, Constantinus Papa non excommunicauit modò, sed neque nummi Imperatoris, aut Imago Romæ reciperent mandauit. Leonem similiter Isaurum Iconomachum acerrimum, Gregorius tertius Romæ Concilio Indicto excommunicauit, & ab eius obedientia Italiam totam abstraxit, vt Miscellæ author scribit. Michaelem verò Theophili filium, qui Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham Catholicum iniquè expulerat, quàm acriter Nicolaus Primus redarguerit, insignis ad eum epistola declarat.

Dixeris, in absentes, ac longè positos Orientis Imperatores ferociùs à Romano Pontifice, quasi extra periculi aleam posito, actum fuisse, in eosdem verò præsentes, aut in Occidentalis imperij proximos Reges, hanc illos libertatem exercere minimè ausos fuisse. Atqui multò se, & fortiùs, & acriùs aduersùs Occidentalis Imperij Principes, religionis iura violantes, Romani Pontifices sese opposuerunt. Nam & Orientis Imperatoribus contra Deum pugnantibus, quàm etiam in faciem Romani Pontifices restiterint, aliquot exempla docuerunt. Liberius aduersus Constantium Imperatorem Arianum, quàm liberè, intrepidè, & constanter se gesserit, pulchrè, & latè describit Theodoretus. Agapetus Papa Constantinopolim veniens, cùm Iustinianus illicita illi quædam minaciter extorquere vellet, respondit: [Atqui ego me non ad Diocletianum, sed ad Iustinianum venisse existimabam,] quo & responso Imperatoris audaciam fregit. Marrinus Primus pari constantia Constantinopolim ad Constantem Monothelitam fraude perductus, impijs eius conatibus imperterritus restitit.

Cæterùm in Occidente magis hæc Romani Pontificis fortitudo, & potestas eluxit. Gregorij Septimi aduersùs Henricum Tertium Imperatorem Simoniacum pugnæ, & quanta constantia impietatem eius perfregerit, Canusij, maximè præsente Imperatore, à Germanis scriptoribus, vtcumque in hunc Pontificem pessimè affectis, latè describuntur. Qui etsi vicissim optimum Pontificem miris modis vexauerit, Imperio tamen à proprio tandem filio propter nimis præfractam rebellionem spoliatus est. Ludouicus Quartus Bauarus ab Alexandro Tertio, & à Ioanne Vigesimosecundo, Ottho Quartus propter similem impietatem Imperio eijcitur, substituto illi ab Electoribus Friderico, Secundo. Qui tamen, & ipse impiè se postea ac tyrannicè gerens, ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi throno Imperiali similiter deiectus est, eique suffectus Lantgrauius Hessius.

Quid, quod propter imperandi ignauiam, & Chilpericus Rex Francorum suffecto Pipino Martelli filio, quem & S. Bonifacius Germanorum Apostolus, Suessioni coronauit, & Carolus Crassus Imperator, Adolphus quoque, & Venceslaus Imperatores, ac demum Sanctius Portugalliæ Rex, Romanorum Pontificum auctoritate à regali, & imperiali fastigio depulsi sunt? Cùm autem Ladislaus IV. Hungariæ Rex à fide catholica resiliens, Hunnorum ritus amplecteretur, missus à Romano Pontifice Nicolao III. Cardinalis Firmanus Regem cœtu piorum priuauit, populumque in officio, & cultu Christiano continuit. Ioannem Angliæ Regem propter sacrilegia nimis attrocia, Innocentius III. iure regni priuauit. Boleslaum II. Poloniæ regem cognomento Ferum, propter Stanislai Cracouiensis Episcopi cædem, Gregorius VII. anathemate percussit, & regni titulo, ac iure priuauit, vnde successor eius Vladislaus regem se appellari non est passus, quod propter Pontificis interdictum inunctus, & coronatus non esset.

Porrò Robertum Siciliæ regem ab Henrico Imperatore damnatum, Clemens V. absoluit, regnoque restituit. Sed maximè illustris in hoc genere fuit Vrbani II. laudarissimi Pontificis fortitudo; qui ab Henrico III. Imperatore dudum excommunicato, Italia pulsus, & in Galliam profugiens, eodem tamen tempore, nec Imperatorem absoluit, & ipsum Regem Franciæ Philippum, ob incestas nuptias cœtu Christianorum depellit, ac alios nihilominùs Christianos in Occidente Principes, aduersùs Saracenos Asiam, Palæstinamque tenentes ita efficaciter commouit, vt equitum centum millia, peditum 300000. in Orientem miserit, per quos Asia cum Palæstina recepta fuit. Debuit hoc inter opera admiranda huius Sanctæ Sedis à me commemorari; sed ex alio capite hic quoque locum habere oportuit.

CAPVT IV.

Ecclesia Romana ab Orbis Monarchis quantùm honorata.

VIdeamus nunc quasi partis appendicem quantus vicissim à Regibus Christianis, interdum etiam à fidei hostibus huic S. Sedi Romanæ honor habitus, quanta illi veneratio delata fuerit. Ac primùm Apostolorum Petri, & Pauli, qui hanc Sedem fundarunt, monimentis, ac tumulis, quanta veneratio non à populo tantùm Christiano, ex omnibus terrarum partibus eò confluente, sed ab ipsis summis Imperatoribus antiquitùs deferri solita fuerit, duo Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ lumina testatum reliquerunt.

Chrysostomus in Oriente Patriarcha ita scribit. [Seruorum Christi splendida sunt sepulchra,quæ Orbem maximè Regiam (Romam dicit) occupauerunt; & dies perspicui sunt, diem festum terrarum orbi facientes: non ædificiorum amplitudine, & splendore (hac enim etiam parte excellunt) sed quod amplius est, conuenientium studio, Nam & ille ipse purpura indutus peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus, & fastu deposito contingit sanctos, rogans vt sibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem (Paulum) & piscatorem, Petrum, patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema gestans.] Hæc ille non de vno certo Imperatore loquens, sed de more, & pietate solemni Imperatorum omnium Christianorum, vndè alio in loco scribit, [Relictis omnibus ad sepulchra Piscatoris, & Pellionis currunt, & Reges, & Præsides, & milites.] In Homilia, quòd Christus est Deus. Eodem modo D. Augustinus Occidentalis Ecclesiæ lumen. [Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris.Ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia Piscatoris.] Et alio in loco: [Videtis, & Imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum Piscatoris Petri submisso diademate supplicare.] Quare D. Chrysostomus Romani Imperij gloriam hac ex parte à Romana Ecclesia plurimum superatam esse, disertè annotauit. [Nullus, inquit, ex Romanis Regibus tanto in honore fuit,quanto vnus Paulus. Imperator quidem foris alicubi iacet abiectus; hîc autem velut viuens, & regnans tenet.]

De Petro quoque alio in loco tantundem. [Quot Reges vrbes euerterunt, portus extruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt; nec tamen eis quicquam profuit, sed silentio, & obliuioni dati sunt. Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam post mortem resplendet Sole clariùs.] Sed parum hoc dices ad Romanæ Ecclesiæ gloriam, quæ potiùs à viuis in ea sedentibus Pontificibus, quàm in defunctis eius fundatoribus quærenda est.

Age igitur, & eorum successoribus dum viuerent Pontificibus,quantus à mundi Principibus honor exhibitus fuerit,aliquot exemplis illustribus ostendamus. Ammianus Marcellinus ethnicus scriptor tempore Valentis, & Valentiniani senioris de honore incredibili sacerdotibus, quos cœlibes vocat, Romę maximè exhibito, inuidiosè scribens, de Prætextato Orientis aliquando Proconsule, & vrbis præfecto narrat, cùm B. Damasus Papa ad Christianam fidem amplectendam eum adhortaretur, ei respondisse. [Facite me Romanæ vrbis Episcopum, & protinus ero Christianus;] tactus videlicet honorum cupiditate, quos videbat non à plebe tantùm, sed ab Imperatoribus ipsis, tunc Christianis Romanis Pontificibus deferri.

Sanè cùm Ioannes Papa à Theodorico Ariano Italiæ Rege, ad Iustinum Imperatorem Constantinopolim Legatus missus,eò aduenisset, [Imperator ipse cum tota vrbe obuius illi processit, & ad ipsius pedes venerationis causa procubuit, ad templum deduxit, vbi insignia Augustalia sibi detraxit, procidensq; suppliciter petijt, vt rursùs illis ipsum adornaret.] Nec dissimiliter Constantino Pontifici Nicæam Bithyniæ se conferenti,Iustinianus Imperator ei occurrens, ac de more coronatus ad pedes Pontificis procubuit, eis osculum dans. Eodem honoris genere Imperatores, ac Reges Christianos Romanæ Ecclesiæ Pontificem perpetuò prosecutos fuisse, quorquot Orthodoxi, & benè Christiani erant,exempla Pipini Regis erga Stephanum Secundum Franciam ingredienti, Caroli Magni erga Leonem Tertium, cùm eum in castris ad Lippiam excepit: Ludouici Pij erga Sergium Secundum cùm Romam veniret, & aliquot post annis erga Nicolaum Papam in Franciam venientem; Henrici Quarti erga Paschalem Secundum; Friderici primi erga Adrianum Quartum; Duorum etiam simul Regum Ludouici Francorum, & Henrici Secundi Anglorum erga Alexandrum Tertium in Franciam venientem, qui obuiam Pontifici progressi, ac veluti stratorum functi officio, dextra læuaque equum Pontificis tenuerunt, ad hospitium vsque comitati.

Ne verò quisquam à proximis tantùm Regibus, aut præsentibus velut ciuilem tantum honorem Romanis Pontificibus deferri existimet, Reges Christiani à nostro climate remotissimi omnem honorem, tam ciuilem, quàm religiosum huic Petro nostro Romano exhibuisse leguntur. Ante annos circiter septuaginta, à Mexicanis oris Indiæ Occidentalis ad Clementem VII. missi sunt duo Proceres illustres, qui nomine illarum Pontifici perpetuam obedientiam pollicerentur, ac præstarent; quos se hoc officio functos vidisse, Paulus Iouius scribit.

Ad eundem similiter Clementem eodem ferè tempore, Dauid Abyssinorum in Æthiopia Rex Legatos misit, cum literis, qui nomine ipsius, & omnium regnorum suorum, quæ latissima sunt, obedientiam perpetuò pollicerentur, eodem quo cæteri Catholici Reges modo. Idem per suos Legatos Orientalis Indiæ Reges præstiterunt, vt Osorius refert.

Quid quod ab vltima Iapona, quæ vltra Indiam Orientalem, tam procul penè abest, quàm ipsa à nobis India illa, ad Greg.XIII.

ante pauculos annos trium Iapanensium Regum legati tres, solius obedientiæ, ac venerationis exhibendæ causa, trium penè annorum nauigatione, & profectione supplices accesserunt? Quid vnquam simille vllis Romanis Imperatoribus, quantumcumque latè dominantibus accidit?

Sed nunc, & ab ipsis fidei hostibus dominationem regiam consecutis, Romanæ Ecclesiæ Pontificibus quantus sit honor habitus, paucis similiter exemplis commonstrabimus. Luithprandus Longobardus Rex, & hostis, & hæreticus, post multas iniurias ipsi Pontifici Gregorio III. illatas, & quædam oppida illi sublata, cùm in Exarchatum ipsum Rauennatem Imperatori Orientis subiectum irrupisset, Papiæ à Pontifice conuentus, ac rogatus destitit ab incœptis: in causa aliena Pontificem veneratus, quem in sua causa sola patientia vsum animaduertit. Rachis quoque alius Longobardorum Rex, cùm Pentapolim aggressus Perusiam obsideret, à Zacharia Pontifice placatus, ad saniorem mentem redijt.

Sed magis memorabile est, quod Attilam illum Hunnorum Principem, & flagellum Dei dictum, cùm innumeras secum copias ducens, in Italiam irrupisset, obuia quæque flamma, ferroque vastans, & iam Padum traiecturus esset, Leo Pontifex ad illum locum ei occurrens, cunctis admirantibus effecit, vt placatus ad sua rediret.

Sed & postea cùm Gensericus Vandalorum Rex Arianus, Romam captam direpturus esset, impetrauit ab eo idem Pontifex, vt à cædibus, & incendijs abstineret.

Nec minùs admiratione dignum est, Luithprandum Longobardorum regem pariter cum Paulo Exarcho, cùm Romam obsidione pertinacissimè cingerent, ad ipsumque Pontificem Gregorium II. intermedium destinato venirent, ab ipso tamen Pontifice animo intrepido, ex vrbe in castra ad illos egresso, itaut placatos, aut deterritos fuisse, vt re infecta abierint, & ab incœpto destiterint.

Tanta fuit non apud Christianos Reges mòdò, sed & fidei hostes Petræ Romanæ veneratio, quam soli nostrorum temporum barbari, & incensati hæretici probare nesciunt. Ac de amplissima potestatis plenitudine Romanæ Ecclesiæ hęc compendio dixisse, vel subnotasse potiùs, & pauca de multis obiter attigisse sufficiat

CAPVT V.

Operum magnitudo, prima Conuersio gentium.

NVnc ad operum magnitudinem, & magnificentiam venio, quæ Romanam Ecclesiam magis adhuc admirandam, & illustrem reddunt, tametsi in hac vna parte à Romano Imperio longissimis interuallis illam superari certissimè quis sibi fortè persuadeat. Romani Imperij ab operibus magnitudo, siuè admiranda, siuè stupenda in eo maximè eluxisse videtur, quod totius Europæ, Asiæ, Africæ regna, prouincias, gentes, florem saltem ipsum, & robora, aut subegit, aut domuit, aut ita pacauit, vt victoria atque Imperio Romanorum lætarentur.

Sanè Imperij Romani Metatores, vt sic dicam, & qui eius fines propagarunt, à subactis sibi gentibus ita gloriam captarunt, vt non solùm priuati illi Duces in libera adhuc Republica Scipiones, & alij, Africani, Asiatici, Macedonici nuncupati fuerint, sed Imperatores demùm orbem digito, qui temperabaut Alemannici, Francici, Dacici, Parthici, Gotthici, Britannici, alijsque deuictarum gentium titulis, & cognominibus ornari, ac decorari, hacque in re magnam gloriæ, splendoris sui partem ponere voluerint. Tota tamen hæc gloria, totus splendor, tota magnificentia non nisi cum populorum strage, spolijs, & cæde coniuncta erat, vt aliorum miseria Romanorum fælicitas fuerit.

Atqui Romanæ Ecclesiæ Opus illud vnum, & meritò admirandum, & magnificentissimum erit, quod eius vnius opera, labore, auspicijs, innumeræ gentes, per Europam, Asiam, Africam, non bello subactæ, non fortunis, aut libertate spoliatæ, non seruituti tributariæ addictæ; sed in summam, ac beatam libertatem à seruitute, & captiuitate Diaboli, hostis humani generis infestissimi assertæ, à tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem, ab ira ad gratiam, ab interitu ad salutem, à scelere, & maleficio ad virtutis, ac pietatis studium, denique à ferina barbarie ad humanitatem imò vitam angelicam excolendam traductæ, & translatæ fuerint.

Quod etsi omnibus Apostolis à Christo in Mundum missis commune esse videatur, tamen illud Christi verbum Petro specialiter dictum, cùm præter expectationem traheret rete ita plenum magnis piscibus, vt rumperetur rete, & alij ad auxilium vocarentur, [Ex hoc eris homines capiens,] manifestè docet Petri, & successorum eius in hac piscatione spirituali capturam longè fore quauis alia Ecclesia vberiorem, & fæliciorem.

Velut enim à Sole radij, & è fonte riui, & à capite in reliqua corporis membra vitalis omnis influxus, operatio, motus: sic à Romana Ecclesia, & vna Petri sede longè latèque fides Christiana diffusa per totum Orbem fæliciter est propagata: quod his verbis Innocentius Primus ad Decentium scribens animosè, & verè profitetur. [Quis, inquit, nesciat, aut non aduertat id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè videatur accipere exemplum: præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, insulasque interiacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes.] Quæ tanti Pontificis verba dilucida veritate esse subnixa, tametsi in singulis harum orbis partium prouincijs, ac locis ostendere perdifficilè sit, cum harum rerum memoriam post tot sæcula extare in tanta Scriptorum veterum iactura impossibile penè videatur; plurimis

mis tamen, & illustribus exemplis demonstrare conabor.

Habuit ab ipso D. Petro institutos Episcopos, primosque Apostolos, [Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum, Capua Priscum, Neapolis Asprenatem, Tarracina Epaphroditum, Equicolæ populi Marium, Ptolomæum Nepe, Romulum Fesulæ, Paulinum Luca, Raueuna Apollinarem, Verona Eupropium, Patauinum Prosdocimum, Ticinum Syrum, Aquileia, post Marcum, Hermagoram.] Hæc in vna Italia.

In Gallijs Lemouicenses Tolosani, & Burdegalenses Martialem; Tungrenses, Colonienses, & Treuerenses Maternum, nec non Valerium; Remenses Sixtum; Arelatenses Trophimum; Senonenses Sabinianum, Cenomanenses Iulianum, Vienna, & Moguntia Crescentem, Catalaunium, Nemmium; Bituricenses Vrsinum; Auernenses Austremonium, Sanctoneuses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum, & Marcianum, Hispania Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hesychium Eufratium, & alios. In Britanniam quoque nostram à Claudio Imperatore subiugatam confestim à B. Petro Iosephum ab Arimathea destinatum penetrasse, & Euangelium ibi prędicasse, certissima apud nos monimenta sunt. Hinc Simeon Metaphrastes, & alij in ipsas Britanuias Petrum peruenisse affirmant.

Reliquos verò omnes à solo B. Petro ad tam varias prouincias missos esse, ex certis, & indubitatis monimentis docet Baronius in suis ad Romanum Martyrologium annotationibus, alia multa prætermittens minùs explorata. Sanè Aurelijs in Gallia templum olim vidimus paruum, sed vetustissimum, S. Pierre le vif, nuncupatum, quia viuente adhuc D. Petro extructum fuit.

Porrò Numidiæ in Africa Episcopos à D. Petro ordinationum suarum initia accepisse, scribit ad eos Gregorius Magnus. Vndè Tertullianus Afer longè antea scripserat, [Habes Romam vndè nobis quoque auctoritas præsto est.] Et Cyprianus Afer Romanam Ecclesiam matricem appellat, quia ab ea non Carthago tantum, sed Mauritania, & Numidia fidem primitùs acceperunt. Sed & in Phœnicia, Syria, & Asia quòd Episcopos varios D. Petrus constituerit, postquam à vinculis illis Hierosolymitanis liberatus esset, Simeon Metaphrastes ex antiquioribus chartis recenset: videlicet Cęsareæ, Stratonis, & Sidonis, quibus Herodes propter receptum ab illis Petrum, & in honore habitum grauitèr infensus fuisse legitur in Actis, statim post solutum à vinculis Petrum: Deinde Beryti, Biblij, Tripoli, Phœniciæ ciuitatibus; mox Orthosiæ, Antandri, in insula Arado, Balanæis, Pantæ, Laodiceæ, ac demùm in Antiochia Syriæ Metropoli.

Inde verò in Cappadociam profectum Tyanæ, mox Ancyræ in Galatia, Dein Sinopi, & Amaseæ Ponti ciuitatibus, ac subinde Gangræ in Paphlagonia, Postea verò Claudiopoli, ac inde Nicomediæ, ac Niceæ Bithiniæ, tum fidem prædicasse, tum Episcopos reliquisse. Nam & Bysantinis ipsis primum Episcopum à B. Petro datum fuisse, præterquam quod idem auctor refert, Agapetus Pontifex in epistola ad Petrum, quæ in quinta Synodo generali recitatur, satis insinuat, affirmans hanc singularem dignitatem Mennæ Patriarchæ Byzantino, seu Constantinopolitano (quem suis manibus Papa isthic ordinauerat) accedisse, [quia à temporibus B. Petri nullum alium vnquam illa Ecclesia accepit Episcopum manibus Romani Pontificis ordinatum:] addens prætereà, ideò rem tantam prouenisse, [vt illi Menna similis esse videatur, quos in illis quandoque partibus Apostolorum primi electio ordinauit.] Hæc Agapetus Pontifex antiquæ traditioni celebre testimonium præbens, quòd in Cappadociæ, & Ponti partibus varios Episcopos B. Petrus præsens instituerit.

Hinc verò recta Romam venit Claudij anno secundo, & (vt scribit B. Leo) [siluam illam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum, constantior, quàm cùm super mare graderetur, ingreditur. Iam populos, qui ex circunsione erant, erudierat: Iam Antiochenam Ecclesiam vbi primùm Christiani nominis orta est dignitas, fundauerat: Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerat: Ac ita demùm trophęum Crucis Christi Romanis arcibus intulit, quo illum diuinis ordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis.] Hæc hactenus Leo.

In hoc verò Mundi seu compendio, seu miraculo, seu capite, & vertice, non fidei tantùm luce, populum Orbis dominatorem B. Petrus illustrauit, sed & celeberrimum illum Magum Simonem Neroni intimè dilectum, & cui veluti Deo sancto statua iam in vrbe erecta fuerat, in aera subuectum veluti cœlos in totius populi conspectu conscensurum oratione præcipitauit, vt pedibus confractis ad ambulandum ei plantæ deessent, qui per aera volitare se posse præsumpserat, quod plurimi graues auctores attestãtur. Clemens Const. libro 6. cap. 9. Arnobius libro secundo aduersùs gentes, Cyrillus Catech. 6. Epiphanius hæresi vigesima prima. Eusebius libro secundo, cap. 14. Philast. de hæres. cap. 3. Augustinus epist. 85. & lib de hæres. cap. 1. & contrà Fulgentium Don. cap. 23. Seuerus hist. lib. 2. Theodoretus hæresi Fab. lib. 1. & Maximus Taurinens. sermone quinto in Natiu. Apost. Petri, & Pauli.

Quid quod & Romæ residens varios in alias orbis partes diuini verbi Pręcones emisit, qui in Ecclesiæ Romanæ corpus populos colligerent? Scribit Ioannes Vasæus Hispanus, diligentissimus antiquitatis indagator, anno Domini quadragesimo quarto, creatos Romæ à Beato Petro Episcopos, & Hispaniam missos, Cæcilium ad Elibertinos, Euphrasium ad Illiturgitanos, Secundum ad Abilenses, Indaletium ad Vrsitanos, Ctesiphonem ad Abderitanos, Hesichium ad Cartesanos. Scribunt, alij anno quinquagesimo missum à B. Petro in Hispaniam Saturninum, postea Tolosæ Episcopum. Hic Romanæ Ecclesiæ primus Pontifex, sicuti Romani Imperij primus prænomine Imperator

Iu-

Iulins Cæsar. Qui si ex eo veluti dignus vt primus orbis Imperator esset, à Plutarcho celebratur, [quòd mille vrbes vi cepit, quòd regiones trecentas subiecit, quòd centena hostium millia in acie cecidit, quòd In Asię, Africæ, Hispaniæ bellis ciuilibus victor gloriosus extitit,] quantò, & maior, & verior erit Romanæ Ecclesiæ gloria, cuius fundator primus tot gentes, ac populos, ipsamque demùm vrbem Romanam ad vnam diuinæ veritatis lucem ex omnium penè superstitionum colluuie traduxerit, nec corpora seruituti addixerit, sed animas in libertatem, & salutem asseruerit.

Videamus nunc an eius postea successores eandem operam non præstiterint, non illustres tantùm, & gloriosa, sed salutares, ac beatas victorias consecuti. Clemens B. Petri proximus penè successor Luteriam Parisiorum, Dionysium Areopagitam cum socijs suis Eleutherio, Rustico, & alijs misit, qui eam Franciæ partem nobilissimam Christo acquirerent. Ab eodem Clemente Baiocensibus in Gallia Exuperius, Ebroicensibus Taurinus, Rothomagensibus Nicasius, Metensibus Cęlestinus, & Felix Episcopi dati sunt, qui postremi totum illum tractum, qui Lotharingia dicitur, Christo conciliarunt. Quintinus autem Romani Senatoris filius, à Marcellino Papa baptizatus vnà cum Piatone, Dionysio, Ruffino, Valerio, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Luciano, Marcello, & alijs, religionem Christianam in Ambianis, & Veromanduis propagarunt.

Iam & vetus Britannia missis ab Eleutherio Papa Fugario, & Damiano, & Scotia adiacens misso à Cœlestino Papa Palludio, vel si vera narrat Hector Boetius, missis à Victore Romano Pontifice fidei magistris, & ipsi demùm Anglosaxones occupata Britanniæ insula, à B. Gregorio Magno, misso Beato Augustino Monacho cum alijs vndecim socijs fidem Christi acceperunt. Paulò pòst Conon Papa S. Chilliano cum Ditomanno, Colomanno misso, primos Germaniæ populos ad fidem Christi pertraxit, teste Sigisberto. Nam non ita multo pòst auspicijs Gregorij secundi suam egressi Anglosaxones, Hollandiam, Phriliam, Westphaliam, Turingiam, & Cattos, aliosque Germaniæ populos Christo quoque lucrati sunt: Sanè Winfridus, vel vt alij scribunt, Benfridus, postea Bonifacius dictus, à Gregorio Secundo, Moguntiæ primus Archiepiscopus creatus, eodem auctore, & Zacharia successore eius, creauit Episcopos Traiecti Cobanum, Herbipolis Burchardum, Eistetensium Vvillibaldum, Salisburgensium Ioannem, Frisingensium Erimbertum, Ratisponensium Vviuibaldum, è monasterijs Angliæ omnes eductos.

Similiter in Phrisia fidem primi plantarunt Vvillibrordus, Suibertus, Acca, Leuinus, Hannudus, Vvalterus, Vvittinghius, & Marcellinus Monachi Angli. Auspicijs eiusdem Gregorij Secundi, Corbinianus Noricis Christum prædicauit. Morauia Christi cultum complexa est, missis eò Cyrillo, & Methodio, à Nicolao Primo, qui varios pręterea populos ad Christi fidem adduxerunt, Triballos, Rascios, Bosuenses, Seruios, & Croatas; vniuersam denique gentem quæ Vistula, Danubio, & Vago flumine circundatur: ac demùm in Mysia Bulgaros, Gazaros, Bohemia opera Stephani Septimi Romani Pontificis. Dania ab Agapeto II. fidem accepit.

Primùm Illyrij Episcopum Eleutherium, Anicetus Papa, & ordinauit, & eò misit. Scribit Stanislaus Orichonius à Ioanne XIII. missos fuisse, Vandalos, & Lechitas sacra Christiana docerent. A quo etiam Pontifice missus est Ægydius Cardinalis Tusculanus, qui Christi religionem in Polona stabiliuit: nam priùs fidem susceperat, missis Roma Gallis magistris, vt scribit Martinus Cromerus in colloquijs de rebus religionis. Ænea Syluio teste, Liuonia cum suo Principe complexa est Christi cultum, opera Meinardi, quem prouinciæ illius Episcopum creauit Alexander Tertius. Noruegia tota à Nicolao Anglo postea Romano Pontifice Hadriano Quarto dicto, Christi, & Romanæ Ecclesię adiuncta est. Addit Saxo Grammaticus ab eodem, & Bernardo Anglo alijs assumptis socijs, Daniam eadem fęlicitate donatam esse. Ita totam hanc Europæ partem, Hispanias, Gallias, Britanniam, Germaniæ populos, tam vastos, ac diuersos, opera potissimùm, & auspicijs Romanorum Pontificum ad Christi fidem conuersos fuisse cernimus. Sanè Galli Antistites scribentes ad Leonem Papam primum agnoscunt Romanam Sedem [fontem, & originem religionis suę extitisse.]

Iam vero nostra ipsorum ætate, ac memoria, quis nescit amplissimas, & numerosissimas gentes in vtraque India Orientali, & Occidentali, sed hac magis, adeòque, & Iaponios, & Sinarum populos sacerdotum quidem maximè Societatis Iesu, & aliorum Monachorum opera immediata, ac labore, auspicijs tamen, & auctoritate vnius Romanæ Ecclesiæ, à qua missionis suæ originem omnes acceperunt, ad Christi gloriosum regnum accessisse? Nam & quos populos Asiaticæ, & Orientalis Ecclesiæ, siue per Episcopos, & presbyteros suos, vt interioris Indiæ per Frumentium ab Athanasio missum, Saracenos per Moysen Monachum, Burgundos per quendam Galliæ Episcopum anno quadringentesimo trigesimo (nomen Historici non produnt) siue piorum Imperatorum opera ad Christi fidem adduxerunt; vt sub Iustino seniore Lazos, sub Iustiniano Herulos, Hunnos, & Afros Azimitenos, sub Constantino IV. Persarum Regem, non nisi in communione, societate, ac fide Romanæ Ecclesiæ, cum qua omnes communicarunt, Christi regno adiunxerunt.

CAP. VI.

Mundi Imperia à Christi regno contrita.

HÆc est præda Dauid, hæc spolia Amalech, hæc trophea Apostolica, quibus non corpora subiugantur, sed animæ liberantur, & In æternam felicitatem asseruntur. Hæc est gloria Christo propria, qui à Romano Proconsule interrogatus, an Rex esset, profitetur *se ideo natum fuisse, & in hunc Mundum venisse, vt testimonium perhiberet veritati,* vtique docendo, & propagando illam, ac demum, *vt saluos faceret qui perierant.*

Hæc

Hæc est denique illa beata libertas, quam vnus Esaias verbis amplissimis, veniente Christo, futuram prædicauit. Consurge, consurge, induere fortitudine tua Syon, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem, Ciuitas Sancti, quia non adijciet vltra, vt pertranseat pro te incircuncisus, & immundus. Omnis superstitio, & cultus sacrilegus è medio eui tolletur. Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem. Solue vincula colli tui captiua filia Sion: quoniam hæc dicit Dominus. Gratis venundati estis, & sine argento redimemini, vtique sanguine Filij Dei, quem prædicatio Apostolica Mundo reuelauit. Tandem hoc maximè modo, (lapis de Monte sine manibus abscissus, comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Christique Regnum, quod Deus Cœli suscitauit, comminuit & consumpsit vniuersa regna Mundi,) etiam Romanum ipsum.

Comminuit autem, atque consumpsit, non quòd facta Apostolica prædicatione, fideque Christi per illa omnia regna, totumque Romanum Imperium propagata, aut Imperatores Romani, aut alij in Mundo Reges esse desiecerint, cùm surgente hoc Christi Regno, duo eius primarij Præcones clara voce suis edixerint. (Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Subiecti estote omni humanæ creaturæ, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis.)

Imò vt mox distincto capite docebitur, à salute & felicitate huius Regni Christi, Imperij Romani salus pendebat, nec alia magis de causa tanta eius Imperij gloria ad nihilum tandem redacta fuit, quàm quia Christi Regno hostis esse voluit. Sed cætera Mundi regna per vnum Christi Regnum comminuta, consumpta & contrita à Prophetia dicuntur; quia tota illorum vanitas, superbia, impietas, iniustitia, cæcitas, ignorantia, superstitio, aliaque innumera mala, quibus vniuersa Mundi regna, Romanum Imperium maximè, laborabant, per Christi doctrinam, cui colla tandem submiserunt, Constantino illo Magno primo præeunte, facemque alijs Imperatoribus præferente, pænitùs abolita fuere, vt regna illa Mundi non iam ampliùs mundana, ac terrena, sed spiritualia, & sancta esse cœperint, legesque & edicta, arma & potentiæ, diuitiæ, & opes, eorum regnorum Religioni Christianæ non superstitioni gentilitiæ, pietati non impietati seruirent, vt Imperatori iam Christiano nihil magnificentius esset, quàm ve filius Ecclesiæ vocaretur, quod ad Valentinianum iuniorem scripsit Ambrosius, vt Imperatores, ac Reges capita iam submitterent manibus sacerdotalibus, quod scripsit Chrysostomus, & Valentianus Senior Imperator, libenter se facere dicettis verbis professus est, [vt iam seruiant Deo iubendo bona prohibendo mala, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad diuinam religionem,] quod scripsit Beatus Augustinus.

Denique vt in ipsa sua inauguratione, sese ac regna sua Christianæ religionis obsequio, custodiæ incremento deuoueant, quod ipsa coronationis, & inaugurationis forma tam Imperatori, quàm alijs nostræ Europæ Regibus vsitata apertè contestatur, Imperatoris inaugurandi iuramentum, in manibus Coloniensis Archiepiscopi præstari solitum refert Sleidanus.

Regis Franciæ iuramentum manibus Episcopi Remensis fieri consuetum, verbis amplissimis conceptum, à Gallicis Historicis Giraldo, Paulo Æmylio, Belleforestio, & alijs commemoratur. Regum Angliæ iuramentum in manibus Cantuariensis Archiepiscopi, nostri Annales referunt; sicuti & Regis Poloniæ in manibus Archiepiscopi Gnesnensis, Alexander Gaguinus, & Stanislaus Oricheuius.

Quatenùs igitur Regna Mundi, ipsumque Imperium Romanum Christi Regno se subiecerunt, se suaque eius honori, & propagationi deuouendo, eatenùs quoad impietatis vetustatem contrita, & comminuta censentur (quid enim est aliud Regnum aliquod subiugare, quàm ad obedientiam pertrahere?) tametsi quoad sanctæ religionis nouitatem resloresccre, & beata se esse meritò glorientur.

Cuius felicitatis nouæque gloriæ Romana potissimum Ecclesia Regibus Mundi, ipsisque Imperatoribus prima radix, origo & fundamentum fuit. Ita gentium, ac populorum ad fidem conuersio Romanæ Ecclesiæ, vel opera, & labore, vel auspicijs, & authoritate facta, inter opera eiusdem Ecclesiæ, magnificentissimum meritò censeri debet.

CAPVT VII.

Orientalis Ecclesiæ fides quanto studio conseruata.

Atqui cùm Petra ista Romana non solùm ad ædificandum Christi Regnum fundamenti locum teneat, sed & ad idem conseruandum potestatem singularem acceperit; dicente ei Christo, eu conuersus confirma fratres tuos, nec minor est virtus, quàm quærere, parta tueri, dispiciendum est in conseruando hoc Christi Regno, quàm strenuam operam Ecclesia Romana nauauerit, quàm gloriosè, & magnificè in ea se gesserie.

Sicut Romano Imperio in duo semel capita diuiso, Occidentale, & Orientale, & duobus iam pedibus subnixo, iuxta Danielis vaticinium ex parte ferreis, ex parte autem fictilibus, fictili quidem, & fragili in Occidentis tractu, propter innumeros barbaros ei ab Aquilone adiacentes Vandalos, Gothos, Hunnos, qui in illud irruperunt, ferreo autem & fortiori in Oriente, propter nouam Imperij Sedem Constantinopoli positam; exinde labascere cœpit, ac tandem in Occidente excisum est, donec de nouo vnius Romanæ Ecclesiæ opera, & authoritate reflornit ac reuixit, sic Orientalis Ecclesia ex illa sua noua Roma Constantinopolitana Sede superbiens, & in Christo luxurians, postquam per varias hæreses, ac schismata, ab Occidentali, & veteri Romana Petra sese ne-

farie

fariè per aliquot sæcula certis interuallis, peculanter separasset, à Persis, Saracenis, Tartaris, ac Turcis, diù, multumque diuexata, vltimum tandem exeidium iugo Mahometano subiecta passa est.

Ne autem ad hanc extremam calamitatem florentissimæ illæ quondam Ecclesiæ adducerentur, sed vt tum à Barbarorum incursibus, tum ab hæretica prauitate, & schismatica labe immunes seruarentur; quantum studium, quàm indefessam operam, & laborem vna Romana Ecclesia posuerit, Deo per illam, sicut suum quondam Israelem per varios Prophetas, vnum post alium subindè missos, quasi de nocte consurgente, & quotidiè commonente, vtcunque illi omnem hanc Romanæ Ecclesiæ in ipsos pietatem, sicuti vetus ille populus omnes Dei nuncios, subsannarent, & parui penderent, imò & illi illuderent, donec ascenderet furor Domini in eos, & nulla iam esset curatio, compendio nunc, & ordine exponam.

Hæreticas pestes in Oriente exortas, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Nestorianos, Eutychetistas, Monothelitas, Iconomachos, quomodò vna Romana Ecclesia, sua maximè authoritate prostrauerit, atque extinxerit, nuper explicatum dedimus.

Schisma, & diuisio illarum Ecclesiarum à Matrice Romana, in ambitione, & superbia Constantinopolitanorum Præsulum, primò parturiit, quando eius Ciuitatis Episcopus, qui nec Metropolita est, sed Heracleæ Metropolitæ subiectus, propter Imperij Sedem, & nouæ Romæ titulum, primùm Patriarchalis, & Metropolitanus fie esse voluerit, vt Antiocheno, Alexandrino, & Hierosolymitano Antistitibus, quibus post Romanum Pontificem primum ordinem Canones Nicæni constituerant, sese anteponere, & post Romanum primo loco haberi, sub finem Concilij Chalcedonensis contenderit, cui facto & ambitioni, etsi Leo Magnus fortissimè se opposuit, Nicænorum Canonum assertor, & post eum Gelasius in Tomo de vinculo anathematis, [Imperatoris tamen patrocinio præualuit] quodammodò ait Liberatus. Et rectè sanè adiecit, quodammodò.

Quamuis enim tam in sexto Concilio Generali ducentis post anni, quàm ab ipso maximè Iustiniano magna contentione actum fuerit, vt post Papam Romanum proximo censeretur loco Constantinopolitanus Præsul, nihil tamen ampliùs à Romana Ecclesia obtinere potuit ambitio illa, in sola sæcularis Imperij noua Sede fundata, quàm vt post primas illas Patriarchales Ecclesias, Alexandrinam, & Antiochenam, ipse quoque Patriarchalis haberetur: quod his verbis Leo Nonus aduersùs Michaelem Constantinopolitanum profitetur.

[Cùm nullo diuino, vel humano priuilegio honorabilior alijs, Ecclesijs Constantinopolitana existat Ecclesia, & Antiochena, atque Alexandrina, ob reuerentiam Principis Apostolorum inter alias retineat dignitatis iura, tamen pia Mater Romana Ecclesia nolans dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per Beatos prædecessores nostros in aliquot Synodis curauit decernere, vt salua principalium, & Apostolicarum sedium dignitate Constantinopolitanus Antistes honoraretur, sicut Regiæ Ciuitatis Episcopus.]

Romanæ igitur Ecclesiæ indulgentia, & prudentia, huic primæ Græcorum ambitioni, hoc modo mederi voluit, ne à Catholici corporis vnitate resiliret. Sed verò pro innata quadam Ecclesiæ Constantinopolitanæ superbia (cuius morbo ita laborabat, vt edicto Augustorum Theodosij, Arcadij, & Honorij prohibitum sit, quenquam ex Constantinopolitana Ecclesia defuncto Episcopo Sisinnio, eius Ecclesiæ Pontificatum deinceps sperare, sed ex alia sibi iugiter Pontificem expetere,) non hic ambitionis eius modus aut finis fuit.

Voluerunt deinceps Constantinopolitani Episcopi, Vniuersales, & Oecumenici appellari, quo vanitatis vocabulo non Romano tantùm, sed & omnibus totius Orbis Episcopis dignitas Episcopalis subtrahebatur, dum vni ex toto arrogaretur.

Hunc titulum planè Antichristianum, vt illum Beatus Gregorius appellat, post tam multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopos hæretica labe notatos, magnaque ex parte hæresum nouarum Architectos, post Eusebium Nicomediensem Sedis Constantinopolitanæ inuasorem, & maledicti Arij signiferum, post Macedonium Hæresiarcham, post Eudoxium, & Demophilum Arianos, post Maximum Apollinaristam, post Arsatium schismaticum, post Nestorium alium Hæresiarcham, post Acacium schismaticum pertinacissimum, post Anthimum Eutychianum, post Eutychium resurrectionis in carne negatorem, vnus Ioannes successor proximus, ne nihil illi Sedi turpitudinis deesset; sibi primus arrogauit, applaudente Mauritio Imperatore, cuius arrogantiam, etsi plurimis Epistolis Beatus Gregorius Magnus acerrimè refutarit, eiusque successores sub Anathematis pœna interdixerint, & damnauerint, eandem tamen successores eius Imperatorum patrocinio fulti, nunquam corrigere voluerunt, paucis quibusdam illius Ecclesiæ sanctis sacerdotibus exceptis, Methodio, Maximo, Tarasio, & alijs.

Sed quis huius arrogantiæ fructus alius esse potuit, quàm vt altum sapientes, & typho sæculari inflati, in iudicium inciderent diaboli, in hæreses, & schismata sibi quasi cathenatim succedentia? Nam sub tertio post Imperatore Heraclio, à Sergio Pyrrho, & Paulo Constantinopolitanis Episcopis, exorta est Monothelitarum hæresis plurimarum sectarum infausta parens, cui à Romanis Pontificibus, Theodoro, Martino Primo, & Agathone, sexta generali Synodo conuncata, maximo studio obuiam itum fuit, ne hac rursùm contacta labe Orientalis periret Ecclesia.

Cæterùm hac vesania non contenti, Orientales Iconomachiam proximo sequenti sæculo, maximo studio, & cum acerbissima Catholicorum persecutione propagarunt, nec vlli magis, quàm Constantinopolitani, donec

donec Paulus tandem Patriarcha Constantinopolitanus relicto Episcopatu pœnitentiam agens ad vnionem hortaretur, eique suffectus Tarasius vir sanctissimus, non priùs dignitatem illam acceptare voluerit, quàm cum Romana Ecclesia Græci se vnirent, & de Imaginum quæstione in Synodum vniuersalem Nicææ congregandam consentirent, vbi illi hæresi, & adiuncto schismati penitùs occursum fuit. Mox enim sub Constantino, & Irene, Nicæna septima Synodo generali ab Adriano Primo celebrata, Græci Latinis iterùm vniti fuerunt.

A qua tamen vnione Constantinus citò resiliens, à Matre Irene Imperio priuatur, eiusque successor Nicephorus alia in Oriente Synodo conuocata, cum Romana Ecclesia quartùm vnitur.

Huius verò proximi ferè successores Leo Armenius, Michael Balbus, Theophilus ad Iconomachiam relapsi, schisma renouarunt, donec sub Michaele Tertio Theophili filio, studio & opera S. Methodij Patriarchæ Constantinopolitani, qui Romæ enutritus, à Sede Apostolica Constantinopolim presbyter missus fuerat. Imaginum cultus & orthodoxa doctrina restitueretur.

Cæterùm ne diù infelix Oriens conquiesceret (per Apostolos quippè Petrum, & Paulum, Occidens factus est Oriens, vt eleganter scripsit Nicolaus Primus) sub eodem Michaele ingens alia discordiæ flamma succensa est. Cùm enim Bardas Cæsar omnia sub Michaele administrans, vxore contra fas dimissa, & nurui suæ copulatus, ab Ignatio Patriarcha Constantinopolitano ab Ecclesiæ ingressu arceretur, isque ea occasione Ignatio Sede sua spoliato, Phocam, seu Photium quendam intruderet, ab isto Phoca, & per illum hominem alioqui multæ lectionis, & acutum, quem Nicolaus Primus, & Adrianus Secundus expulerunt, Ignatiumque in Concilio Generali octauo Constantinopoli sub Imperatore Basilio habito restituerunt, noua aduersùm Latinos quæstio de processione Spiritus Sanctus à Patre, Filioque primùm agitari, & ventilari cœpit.

Quæ vna quæstio maximæ, & pertinacissimæ Græcorum à Latinis dissensionis, ac discessionis causa fuit, vt in Concilio Florentino Marcus Ephesius attestabatur. Ducentis quidem ferè post annis nouam aduersùs Latinos quæstiunculam de Azymi in mysterijs consecratione mouerunt, idque tanta contentione, vt Michael Constantinopolitanus Patriarcha ausu nefario Latinos veluti Azymitas excommunicare præsumpserit, cuius insaniam Leo Nonus doctissima aduersùs eum epistola facilè compescuit. Missus quippè à Leone Nono Constantinopolim Legatis crimen suum Græci agnouerunt, & iterùm se Latinis, etsi frigidè adiunxerunt, vt in Chronico suo notauit Sigisbertus.

Sed altera illa quæstio implacabilis odij seminarium fuit. Tametsi quippè aperto schismate à Latinis Græci confestim sese non separabant, nec Photij insaniam omnes mox complexi sunt, illum tamen granem errorem ducentis post Photium annis tanta pertinacia defendere cœperunt, vt Romanam Ecclesiam eo nomine excommunicare non sint veriti, si vera narrat Hermannus Gigas à Genebrardo citatus.

Sanè huius erroris sicuti, & multorum aliorum Leo Nonus in epistola ad Constantinum Imperatorem paucis post annis Græcos insimulauit, arguit vt ad saniorem mentem redirent, missis Constantinopolim tribus Legatis viris doctissimis, vno Cardinali, vno Archiepiscopo, & tertio Romanæ Curiæ Cancellario, omnem operam posuit. Sed & quadraginta circiter post annis in Concilio Barensi sub Vrbano Secundo Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus hunc Græcorum errorem illis præsentibus doctissimè refutauit.

Centum annis post plus minùs Adrianus Quartus pro sollicitudine paterna suspicatus Græcos non benè nobiscum conuenire, misit ad Emanuelem Imperatorem, Balduinum, & Balditzonium Clericos Romanos doctissimos, qui hoc inquirerent. Ad Basilium quoque Acridenum Thessalonicensem Metropolitam in eandem sententiam scripsit, qui tum quidem benignè responderunt, nihil esse dissidij in fidei doctrina inter nos, & Græcos. Extant literæ vtrinque missæ in Codice iuris Orientalis inter responsa Patriarcharum. Alexander Tertius huius successor proximus, curauit, vt præter alios Constantinopoli esset Hugo Etherianus vir doctissimus, & Emanueli Imperatori gratus, cuius extant scripta subtilissima aduersùs Græcos de Spiritus Sancti processione à Patre Filioque. Sed & missus sub idem tempus in eandem rem Constantinopolim Ioannes Cardinalis Pontificius Legatus, qui à furentibus Græcis occisus est.

Porrò vix triginta post annis in Concilio Lateranensi generali, sub Innocentio Tertio ennuenientibus Patriarchis Græcis Constantinopolitano, & Hierosolymitano, de hac quæstione veluti iam sopita, nihil actum aut conclusum legitur, seu Romani Pontificis, & Latinorum Præsulum reuerentia tacitis, seu ex animi sententia tacentibus Græcis. Nam eodem ferè tempore Ioanne Duca in Oriente imperante, Nicephorus Blemmydes doctissimus Monachus, & Græcus, hunc suorum errorem eruditissimo scripto refutauit, vt Nicephorus Gregoras, Historicus Græcus author est.

Quare paulò post siue propter constantiam, & insignem eruditionem Ioannis Becci Patriarchæ Constantinopolitani, qui à suis grauissimè vexatus, ad mortem tamen vsque Latinæ Ecclesiæ dogma orthodoxum contra cæteros Græcos fortissimè astruebat, Nicephori Blemmydæ scriptis adiutus, vt idem commemorat Gregoras, siue propter Fratres Ordinis S. Dominici, & S. Francisci quos Gregorius Decimus ad Græcos ab errore reuocandos Constantinopolim miserat; Michael Septimus Paleologus dictus cum omnibus suis in Concilio Lugdunensi sub eodem Pontifice nouam, & solemnem cum Latina Ecclesia vnionem fecit. At verò eodem Imperatore mortuo, cui etiam à Sacerdotibus Græcis, si Blondo credimus, vel certè à filio, vt Gregoras commemorat, sepultura ideò negata est, quia Latinis consenserat.

Andronico Secundo proximè imperante, iterùm Græci à Latinis schisma renouant, idque maiori credulitate contra suos, quàm

olim

olim contra Iconomachos vsi. Beccus tamen Patriarcha vtcunque depositus publica facta disputatione ab vnione Latinorum non discessit; imò tantùm effecit, vt Thessali Phtiotæ, & Pelasgi, ipseque Imperator Andronicus, ipsis Episcopis frustrà reluctantibus cum Latinis conuenirent, vt latè describit, ac deplorat Nicephorus Gregoras. Qui etiam commemorat duos Episcopos à Pontifice Romano Constantinopolim missos, qui cum refractarijs Græcis de quæstione illa controuersa publicè disputarent; sed ipsomet procurante Gregora ad disputationem admissos non fuisse, eo quòd (vt ipsemet fatetur) nemo inter Græcos illis par esse videretur.

Nihilominùs sub proximo Imperatore Andronico iuniore, cùm missis à Benedicto XII. Constantinopolim legatis pro Ecclesiarum vnione omnem collationem, ac disputationem Græci pertinaciter recusarent, vnus Barlaam Monachus Calaber Constantinopolim profectus, hæresim hanc Græcanicam tribus totis annis publicè exagitauit, nemine resistente, donec Palamam quendam illi Græci opponerent, quem cùm ex scriptis suis hæreticum hominem esse, in publico consessu, cui & Imperator interfuit, probare vellet, ab omnibus explosus audiri non potuit.

Ita sola pertinacia Iudaica aduersùs conceptum errorem veritati oculos aperire noluerunt, vnde factum est, vt Græcorum rebus in peius labentibus, & in magnas angustias Orientali illo Imperio redacto (de quo mox) ipsis quoque Græcis propter hanc vnam quæstionem toto iam animo Latinæ Ecclesiæ communionem respuentibus, vt disertè profitebantur, vno integro post sæculo ad generale Concilium sub Eugenio Quarto, Ferrariæ primùm, posteà Florentiæ habitum Episcopi Græcanici cum suo Imperatore Ioanne Paleologo conuenerint, vbi post multas, & doctissimas disputationes habitas, (eo maximè Græcis demonstrato, particulam illam filioque, non fuisse aliquam Symboli Patrum adiectionem aut additionem (quod illi maximè clamitabant) sed expositionem clariorem) omnes in vniuersum Episcopi Græci (vno Marco Ephesio excepto) ipseque Imperator nouam, & vltimam cum Latinis vnionem, eamque in omnibus fidei articulis plenam, atque perfectam iurauerunt. Cæterùm leuitate plusquam Græcanica ab vno illo Marco Ephesio iterùm seducti, ad vomitum suum redierunt retrocedentes à sancto mandato.

Quare & viginti post annis Mahometes Turcarum Imperator ad quos Asia, & Græcia pellendos cum Latinis Principibus copias, & vires suas coniungere Imperatores Orientales sæpè, ac subindè rogari (vt ipsemet narrat Gregoras) nunquam voluerunt, Constantinopolim vi capit, idque ipso Pentecostes die, quo Spiritus Sancti descensum (cuius æternam processionem à Patre Filioque agnoscere Græci noluerunt) Catholica celebrat Ecclesia, Constantinum Imperatorem cum omni sua gente interficit, & Orientale Imperium tollit, totamque illic Christianitatem seruituti acerbissimæ, quam adhuc feciunt crudelissimè subiecit.

Hæc Romanæ Ecclesiæ ad conseruandam Orientali Ecclesiæ pacem, vnionem sanam, & orthodoxam doctrinam per aliquot sæcula opera indefessa, cura & sollicitudo paterna, hoc eius studium indefatigabile fuit. Sed vt diuinæ Scripturæ verba repetamus, [dum illi subsannabant nuntios Dei, [tot Legatos doctissimos à tot Pontificibus missos:] & paruipendebant sermones eorum, illudebantque Prophetis Apostolicis, idque, si Trithemio credimus terdecies conciliari, toties relapsi,] ascendit tandem furor Domini in eos, & nulla superfuit curatio. Eluxit interim Romanæ Ecclesiæ opus magnificentissimum, & verè admiratione dignum. quæ per tot sæcula, tam refractarios hostes, tam pertinaciter aberrantes oues in caulas Dominicas reuocare, nullo vnquam tempore cessauit.

CAP. VIII.

Orientalis Imperij dignitas quanto sudore defensa.

ALiud nunc Romanæ Ecclesiæ opus, non tam Pontificale, & Pastorale, quàm Regale, aut etiam Imperiale (humanum dico propter infirmitatem multorum qui regalia, magis quàm pontificalia, & prophana, magis quàm sacra admirantur) explicare aggredior, quo videlicet Christianorum Regna, Prouincias, Vrbes, tam in Oriente, quàm in Occidente, aduersùs Barbarorum, & infidelium incursiones, armis & exercitibus potentissimis missis, vel tutari fuerint, vel etiam recuperauerint, idque eo solo intuitu & fine, vt Christiana religio, aut sarta tecta conseruaretur, aut à Barbaris oppressa, in integrum restaurata reflioresceret.

Primus qui hoc magno animo attentauit, & fœlicem, ac gloriosum successum reportauit, fuit Vrbanus Secundus pietate, fortitudine, eruditione præstantissimus Pontifex. Saracenis enim, & Turcis Syriam, & Asiam penè totam obtinentibus, & ipsa quidem Hierosolyma à Saracenis ferè quingentis annis occupata, Imperatoribus autem Græcis, aut otio, & ignauia torpescentibus, aut ab omni eum Latinis fœdere ad communem hostem e xpugnandum abhorrentibus, Vrbanus Secundus ausus est omnium primus populos Cruce signare, & in Concilio Claromontano celeberrimam expeditionem aduersùs Saracenos, & Turcas indicere, vsque ad tercentena armatorum millia ex Gallis, Burgundis, Italis, Hispanis, & Anglis collecta (soli quippè tunc conquiescere, & alijs Christianis illudere Germani voluerunt. ipso videlicet Imperatore Henrico Tertio huic Pontifici infensissimo) Ducibus Gothifredo Lotharingiæ, & Brabantiæ Duce, cum fratribus Eustathio, & Balduino, qui tribus exercitibus ductis, Nicæa primùm vrbe Turcis, mox Hierosolyma Saracenis erepta, tota Asia, & Syria paucis post annis fidei hostes eiecerunt, Christique trophæa in latissimis illis tractibus de nouo erexerunt. Et Asiæ quidem Ciuitatibus Imperatori Orientis restitutis (tametsi Zonaras id taceat, & Nicephorus Gregoras vnico tantùm verbo agnoscat, *Orientem qui à Turcis tenebatur fuisse, ab Alexio Commeno receptum ope Gallorum fassus)*

Syria verò, & Palæstina à Christianis Europæis retenta, Græcorum Rex, & Imperij Orientalis salus, ac dignitas per annos propè ducentos in tuto fuit.

Hoc bello sacro Romani Pontificis auspicijs feliciſſimè confecto, ad ea conseruanda, quæ fortiſſimè recuperata erant, primus militum Hierosolymitanorum Hospitaliorum, siue S. Ioannis Ordo, soli Sedi Apostolicæ, & magno magistro proprio subiectus institutus fuit, qui ad vrbem ipsam Hierosolymitanam tutandam, & peregrinos eò proficiscentes hospitio excipiendos, ex religionis voto sese obstrinxerunt. Horum exemplo Templariorum Ordo ad templi defensionem à Gallis Principibus erectus fuit; quia Gallorum maximè opera recuperata Hierosolyma fuerat. Horum erat peregrinos per loca sacra ducere, ac reducere, vt sine vllo periculo, aut maleficio sanctam illam peregrinationem peragerent. Sed & non ita multo post Frederico primo Imperatore à Gregorio octauo literis, ac legationibus impulso, copias quoque ampliſſimas in Syriam ducente, exædificata Hierosolymis S.Mariæ æde, Ordo Teuthonicus Cælestino Pontifice approbante, aduersùs fidei Christianæ hostes institutus etiam fuit. Horum exempla longè post in Hispania Castellani secuti sunt, ordinem Sancti Iacobi ad fidei defensionem, & aduersùs Mauros Mahometanos, excitantes. Vltimi fuere Lusitani, qui ad eundem finem ordinem Christi excitarunt: Atqui (quod obseruatione, & admiratione digniſſimum est) cæteris omnibus Ordinibus iam extinctis, quia suis Regibus, non Sedi Apostolicæ immediatè subiecti erant, & Templarijs quidem à Philippo Pulchro Galliarum Rege, cupiditate magis, quàm iusta ex causa (si Gallis auctoribus credimus) penitùs extinctis, Teutonicis verò militibus primùm à Friderico secundo ex Syria abductis, & ex auctoritate Gregorij noni in Prussia collocatis, postmodùm autem Alberto eorum magno magistro in hæresim Lutheranam prolabente, & Prussiam sibi titulo Ducali subijciente, hoc modo sublatis; Castellani demùm, & S. Iacobi militibus, eiectis semel tota Hispania Mauris Mahometanis, solo iam Rege magni magistri locum obtinente, ideòque ampliſſimos huius Ordinis fundos in Commendas, quibus ei videtur clargiente, similiter à primæua Institutione dilabentibus; quod & idem Lusitanis accidit; soli nunc Hierosolymitani milites, & S. Ioannis Ordo supersunt, qui Apostolicę Sedi subiecti, aduersùs hostes fidei ex primo eorum instituto in armis stant; & vtcumque antè paucos annos Rhodo eiecti, Melitam adhuc insulam tenent, vndè soluentes publicos fidei hostes indesinenter fatigant, & à Siciliæ, atque Italiæ ingressu fortiſſimè abarceut. Opus hoc heroicum, & magnificum Romanæ Ecclesiæ auspicijs, & auctoritate inchoatum, in suo adhuc robore perstat.

Cùm autem ad sacrum aduersùs fidei hostes bellum ab Vrbano Secundo primò excitatum, totis ducentis, & amplius annis in Syria, & Asia à Saracenis, & Turcis eripienda, Occidentis Principes Christiani plurimam, & perpetuam operam posuerunt, Nicæa primùm, mox Edissa, dein Antiochia, ipsaque demum Hierosolyma illis erepta, Accarone, Beritho, Sidone, Tyro, Ascalone, similiter expugnatis, Ægypcijs quoque, qui Christianos in terra Sancta infestabant, à Balduino secundo Hierosolymorum Rege bello victis, atque perdomitis, vt ipsi tandem Imperatores Germaniæ, primùm Conradus tertius cum Ludouico Rege Galliæ, postea Fridericus Barbarossa maximis copijs in Asiam contrà Turcas mouerent; ipsis intereà Imperatoribus Græcis omnia perfidè contrà Latinos Principes agentibus, Alexio quidem insidias illis in via struente, Emanuele verò Comneno etiam gypsum farinæ Christianorum miscente, & ipsos Turcos contrà Christianos Occidentales clanculum excitante, ac denique Fridericum in Germania regnantem aduersùs Alexandrum Tertium commouente, Isacio quoque secundo Friderici transitum modis omnibus, sed frustrà impediente, quæ omnia Nicetas Choniates scriptor Græcus commemorat; non destiterunt intereà Romani Pontifices ad Orientis Imperium conseruandum, fideique hostes, ne illud inuaderent profligandos, omnem operam, ac studium incessanter ponere. Nam & ipse Alexander Tertius, cui Græcus Imperator insidias struxit, Romæ Concilio habito inter alia decreuit, ne quis ex nostra Europa, arma, aut bellica instrumenta Turcis adueheret: & sub Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi maximo, de recuperanda rursùs Hierosolyma, quam post octoginta octo annos Saladinus Christianis nuper eripuerat, decretum fuit: vndè Honorio tertio proximo eius successore hortante Andreas Hungariæ Rex, cum alijs Christianis Principibus Gallis in Asiam proficiscens Damyatam vi cœpit; & primò facta cum Saladino pace reuertens, paulò post Hierosolymam eo pulso recipit: quam mox Tartari cum Saracenis iuncti Christianis eripiunt. Vndè & paucis post annis Gregorio Nono id plurimùm satagente, Ludouicus quartus Francorum Rex maximis rursùm copijs in Asiam traijcit. Eodem tempore alij Christiani Principes cum Bela Rege Hungariæ, in Syriam profecti, vario Marte cum Saracenis, & Tartaris pro terra sacra pugnant: &(cæteris diſſentientibus in hac militia Christianis Principibus) Soldanus Ptolemaidem occupauit, & omni Syria Christianos eiecit, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, vt Æneas Syluius notat: Quare eodem tempore Bonifacius octauus nullum non mouit lapidem, vt Christiani Reges ad Hierosolymitanam profectionem rursùm se accingerent; quod Nauclerus commemorat, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono. Triginta autem post annis plus minùs in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. paulò post habita, de recuperanda Palæstina communibus armis Michael Paleologus Græcorum Imperator cum Latinis consenserat.

Sed illo promiſſis non stante, cùm Turcæ Chersonesum in Europa occupauerant, multis prœlijs Græcos Imperatores fuderant, omniaque animo deuorarent, Ioannes XXII. Rex Franciæ, & Veneti fœdere inito (nam Ludouicus Bauarus Imperator, hostis Ecclesiæ à Pontifice denunciatus fuit) aduersùs Turcas classem emisere; à nostris feliciſſimè

res

res gestæ: Turcæ victi; multa loca recepta, vt narrat Gregoras Græcus, & è nostris Ioannes Villaneus. Sed quid? Græci ipsi Andronicus senior, & iunior, huiusque liberi de Imperio decertantes, Turcas in Europam ad auxilium vocant, & ad suum ipsorum interitum, ac ad nostrum, apertam ianuam patefaciunt. Non destiterunt tamen ab officio suo, & Christianæ religionis conseruandæ studio indefatigabili Romani Pontifices. Nam cùm Latini Principes Imperatorem Græcorum Andronicum iuniorem, senioris nepotem missis legationibus hortati essent, vt iunctis copijs Turcas Europa pellerent, sed frustrà, vt ipsemet refert Gregoras, Romani Pontifices ipsi, Benedictus Duodecimus, & Clemens Sextus, anno millesimo trecentesimo quadragesimo quarto potentissima classe aduersùs Turcas suis sumptibus in Asiam missa, à principio victores extiterunt, Smyrna capta; mox per imprudentiam magnam cladem acceperunt: nouis nihilominùs copijs sequente anno à Pontifice submissis, vt latè narrat Villaneus: Sed annis posteà quinquaginta, Baiazethe Turcarum Imperatore Bossinam, Croatiam, & Illyricam vastante Sigismundus Hungariæ Rex, collectis ex omni Europa magnis auxilijs, sed à Romano Pontifice tum magna vi pecuniæ, tum misso exercitu adiutus, primò quidem in Walachia Turcas superat, sed posteà ad Nicopolim in finibus Græciæ fusus, fugatusque est. Turcarum verò Imperatore Amurathe, tam Græcorum Imperium miserum in modum lacerante, quàm Hungaros, & Germanos varia incursione molestante, Ioannes Hungariæ Rex, ab Eugenio Quarto instigatus, & adiutus, Turcarum copias sæpè fudit, maximè apud Adrianopolim, vt Bonfinius latè narrat. Missa quoque ab eodem Pontifice in Hellespontum classis, cui Franciscus Albertus Cardinalis præerat: Atque actum prorsùs videbatur de Imperio, ac rebus Turcicis, nisi Amurathes maximis propositis conditionibus à Rege Hungariæ, & Poloniæ Vladislao (inconsulto Romano Pontifice) pacem mercatus esset: qua posteà ad preces Imperatoris Constantinopolitani rescissa, Regeque, ac Iuliano Pontificio legato, ad Varnam collatis signis infeliciter trucidatis, auctæ quidem Turcarum vires; non tamen destitit vel idem Pontifex, vel successores eius Turcas perpetuò premere, & Græcis auxilia subministrare. Nam Nicolaus V. Eugenij successor, ad omnes Europæ Reges Legatos misit, vt arma concordibus animis in Turcas sumerent. Qui tamen cùm nihil efficeret, Deumque Græcis post Concilium Florentinum ad schisma relapsis, iratum esse aduerteret, prædixit illis vir sanctus, fore vt intrà triennium in potestatem Turcarum omnes venirent, nisi interea resipiscerent: quod & euenit, Constantinopoli capta, totoque Græcorum Imperio penitùs tunc extincto, vt nuper annotauimus.

CAPVT IX.

Euerso Imperio Orientali contrà Turcas opera, & labores.

EVerso nihilominùs illo Imperio, sequuti posteà Pontifices ad hostem fidei Græcia pellendum, incredibilem operam posuerunt. Calixtus Tertius Nicolai successor voto se ad id astrinxit, missoque in Hungariam Ioanne Caruaiali Legato Cardinali, & Ioanne Capistrano, innumeras copias coegit, & anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Turcarum Regem Mahometem victoria celeberrima fudit. Aquileiensem Patriarcham magna classe instructa aduersùs eundem misit, qui triennio multa damna illis intulit, nonnullas insulas cepit: Mandauit prætereà, vt toto orbe Christiano sono campanæ meridionali Christiani admonerentur omnes, vt ea hora genibus flexis, Deum pro victoria aduersùm Turcas inuocarent. Missis quoque tam ad omnes Europæ Reges legationibus, quàm sacris multis concionatoribus, qui cœlestium spe præmiorum populos ad hoc excitarent, nullum optimi Pontificis officium toto quo sedit triennio prætermisit. Sed propter intestinam Principum Christianorum discordiam parùm effecit. Eum sequutus Pius secundus, qui nihil aliud toto quo sedit quinquennio egit, quàm vt Græciæ aduersùs Turcas subueniretur, Concilium Mantuæ ad hoc indixit, & quamuis mox excitata fuerint bella grauissima inter Germanos, & Hungaros, Castellanos, & Aragonenses, Edouardum quartum, & Henricum sextum de Angliæ regno certantes; Renatum Andegauensem, & Ferdinandum Neapolis Regem; tantus tamen eius fuit ardor, vt inito cum Venetis fœdere classem magnam instruxerit, exercitum maximum compararit, Anconamque ipse ad id bellum profecturus perrexerit. Ibi dum Venetorum naues expectat; vita decessit, Cardinales ad inceptum prosequendum adhortatus. Ij naues Christophoro Mauro quibus in Turcas pergeret tradidere: ingentem quoque pecuniæ vim ad Matthiam Coruinum Hungariæ Regem transmisere, vt stipendia militibus aduersùs Turcas persolueret. Pio substitutus est Paulus secundus, de cuius in hoc genere præclaris officijs etsi Platina sileat, suo aduersùs hunc Pontificem odio, & stomacho indulgens, Cambinus tamen in libro secundo rerum Turcicarum, scribit fœdus aduersùs Turcas cum Venetis initum, à Paulo secundo fuisse continuatum. Alij quoque Scriptores commemorant, maximum ab illo studium positum fuisse, vt pax inter Christianos Principes aduersùs Turcarum Regem componeretur: tandemque formulam pacis certis conditionibus adiectis ab ipso fuisse promulgatam, cui Principes Christiani, qui non acquiescerent, fidelium consortio priuarentur. Paulo secundo successit Xystus quartus, qui simulatque creatus est, quatuor Cardinales summa cum potestate ad omnes Europæ Principes misit, vt ipsos ad concordiam, pacemque adductos, in Turcas impelleret: Sed propter acer-

acerbas,& mutuas Principum Christianorum concertationes, Gallo, & Anglo circa regni fines bella bellis ferentibus, Ludouico vndecimo, & Carolo Burgundo simili contentione sese mutuò lacerantibus, mox Maximiliano Germanorum Imperatore, & in Belgio, & contrà Heluetios, & in Italia multa prelia inanitèr pugnante, in Hispania aduersùm Saracenos Ferdinando dimicante, mox Carolo octauo Gallo Apuliam,& Neapolim Hispanis adimente, sed confestim missa Neapolim classe, Ferdinando Hispano vtramque recuperante, tum tota Italia bellis ferè continuis ad annos circitèr triginta inardescente, de Principatu Mediolanensi, de Venetorum finibus, de regno Neapolitano; & inter medias has flammas Luthero Apostata nouo hæreticæ prauitatis incendio Germaniam infestante, quod in Galliam, Angliam, & Belgium peruadens, omnia ferro, flammaque miscuit, & necdum restinctos ignes, vtinam aliquandò restinguendos succendit, propter has, inquam, intestinas Principum concertationes à quibus respirare Christianus hic Orbis non potuit,nec Sixtus ille quartus profecit quicquam, nec alij Romani Pontifices eius successores, ab integro penè post sæculo aduersùs Turcarum potentiam in immensum crescentem remedium aliquod adferre potuerunt. Vide enim vt sexaginta, aut circitèr annorum spatio(aliud agentibus Christianis) creuerit. Intereà quippè præter Imperium Constantinopolitanum vniuersum penitùs subactum, Imperium quoque Trapezontinum cum duodecim regnis Turca occupauit, ducentas vrbes Christianis ademit, Peloponnesum, & Pontum expugnat, Chalcidem, Schodram, & Hydruntum occupat; Methoneu, Naupactum, & Dyrrachium Venetis aufert, ab altera quoqueOrbis parte duobus deuictis Soldanis, Ægyptum, & Arabiam regno suo adijcit, rerum ferè omnium in Oriente potitus, & ad nos se conuertens vnius ferè anni spatio, Belgradum propugnaculum Christianorum in continente, & Rhodum propugnaculum maritimum expugnat, ac tandem in Hungariam cum magno exercitu irrumpens, Ludouicum Regem prœlio superatum interficit, Budam regni caput diripit, & totius penè Hungariæ dominus factus, toti deuorandæ Germaniæ proximus inhiat: Sic autem breui tempore in immensum creuit, quia Romanorum Pontificum sanctissimis monitis acquiescere, priuatas querelas componere, in communem hostem sese armare Christiani Principes noluerunt. Anno tamen millesimo quingentesimo trigesimo secundo, cùm Solymanus in Germaniam venisset, Clemens septimus instructissimum Italorum exercitum sub Hippolyto nepote Cardinali Legato misit, & auri ingentem vim dedit, vt Germaniæ opem ferret. Tandem nostra ætate Pius Quintus Romanus Pontifex, & pietate, & eruditione præstantissimus, facto cum Rege Catholico, & Venetis fœdere, classem numerosam ducentarum, & nouem triremium, præter sex maiores, & quadraginta communes, aduersùs Turcarum Principem emisit,& apud Echinades insulas, in faucibus sinus Corinthiaci, non longè ab Actiaco promontorio,vbi olim Antonium Octauius profligauit, victoriam maximè memorabilem reportauit, ducentis hostium triremibus partim captis,partim depressis, 40000. cæsis, 2000. captis. Christianis è captiuitate liberatis 12000. tantam sanè, vt ab eo in hunc vsque diem tempore, classe cum Christianis dimicare Turca ausus non fuerit. Eius successor Gregorius decimus tertius, pro fide Catholica restauranda, quàm variam, nobilem, & heroicam operam posuerit, sed in alio genere, mox in alio capite dicetur.

Prætermittere non debeo, quod qui hodie Petri clauum tenet, Clemens Octauus verè sanctissimus Pontifex,ad hunc fidei hostem à Christianorum finibus arcendum, & copias ex Italia non contemnendas in Hungariam misit, & maxima pecuniarum vi Transsiluaniæ Principem iuuit.

Hæc sunt heroica, & verè admiranda Romanæ Ecclesiæ Opera, non ad proprij Imperij terminos propagandos, aut ad proprij nominis gloriam (duos, & perpetuos Romanorum Imperatorum fines, ac scopos) sed ad fidem Christianam conseruandam,& ad Christi gloriam, regnum, & imperium stabiliendum gloriosè impensa. Imò velim me quis doceat, an tot vnquam Imperatores pro sui Imperij conseruatione tam soliciti fuerint, quàm pro alieni Imperij (Græcorum dico) conseruatione tot Romani Pontifices à me commemorati, perpetua quadam, ac succedanea cura soliciti extiterunt.

CAPVT X.

Munificentia in pios toto Orbe laborantes.

VEnio nunc ad aliud Operum genus verè quoque heroicum, & admirabile, quo vna Ecclesia maximè praecellit. Romani Imperatores pro summa gloria ducebant, vt Patres patriæ propter beneficia Reipublicæ collata, nuncuparentur: tametsi de more potiùs, quàm de iure, & vana Senatus populique assentatione magis, quàm ex recta ratione titulus ille plerisque tribueretur. Atqui Romanæ Ecclesiæ Antistites ita non patriæ, ac Reipublicę tantùm Romanę,sed totius Orbis Christiani tales patres his multis sæculis extiterunt, vt hæc vna Sedes omnium in eo miserorum, & afflictorum perpetuum Asylum, ac perfugium extiterit, omnes laborantes filios suos, veluti pia, & amantissima mater suo gremio complexa, suo sinu fouendos exceperit. Exempla aliquot, quæ occurrunt subijciam: nam singula commemorare, nec mea potest variarum rerum inscitia, nec huius instituti ratio patitur. Et quidem à primis Ecclesiæ Romanæ incunabulis Romanorum Pontificum hæc propria penè gloria fuit, vt Christianorum toto Orbe afflictorum calamitatibus succurrerent, indigentijs subuenirent,cruces subleuarent, non literis modò Ecclesias ad animi fortitudinem adhortando, sed pecuniarum collato subsidio. Extat huius rei apud Eusebium, antiquum, & celebre exemplum. Sic enim apud eum Dionysius Corinthiorum Episcopus, ad Clerum Romanum, sedente Sotere Episcopo à B. Petro 12.

quasi

quasi sesquisæculo post Christum natum, [Apud vos, inquit Dionysius, is mos iam inueterauit, vt omnes fratres varijs afficeretis beneficijs, & Ecclesijs permultis, quæ in quaque ciuitate sunt, vitæ mitteretis subsidia, Sic planè non solùm egentium subleuatis inopiam, verùm etiam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem fertis. Sicque per ea beneficentiæ subsidia, quæ iam à primis Ecclesię vestræ iactis fundamentis passim mittere consueuistis, cùm sitis Romani, Romanorum consuetudinem à Patribus traditam sedulò obseruatis: quam quidem certè beatus Soter vester Episcopus, & hactenùs custodinit diligenter, & mirum in modum suo propenso studio adauxit: idque non modò opes in sanctos reficiendos delegatas benignè subministrando, verùm etiam fratres ad ipsum aduentantes, tanquam pater indulgens, ac clemens in liberos, beato, ac pio sermone ad virtutem cohortando.] Hæc de munificentia Romanorum Pontificum ab exordio Romanæ nascentis Ecclesiæ, erga cæteras Ecclesias longè latèque positas, tum fidelissimus testis Dionysius affirmat, tum ipse testatur Eusebius eadem liberalitaris officia ad vltimam vsque Ecclesiæ persecutionem suo tempore grassantem perdurasse.

Sanè persecutione acerbiùs excitata Episcopos longè positos, Romam ad necessaria vitæ subsidia confugere solitos, ex epistola Romani Cleri ad B. Cyprianum, vacante Sede, scripta patet, vbi ita loquuntur. [Diù, & quidem multi, & quidem cum quibusdam vicinis Episcopis, & quos ex alijs prouincijs longè positis, persecutionis istius ardor eiecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innouandum putauimus.] Porrò in acerbissima illa sub Vandalis persecutione Africana, Himerico Rege trecentos triginta Episcopos, Trasimundo autem ducentos vigintiquinque ex Africa in Sardiniam ablegante, rebus omnibus necessarijs destitutos, hos omnes, teste Paulo Diacono, vnus Symmachus Papa abundè aluit, missis omni anno, & pecunijs, & vestibus (ait Anastasius Bibliothecarius) nihil, vt ipsis necessarium deesset. Idem quoque captiuos per Liguriam & Mediolanum, & per diuersas prouincias pecunijs redemit, & dona multiplicauit, & diuisit, vt in libro de Romanis Pontificibus legitur.

Dixerit aliquis, vndè Romanæ Ecclesiæ veteri illi, & antiquæ necdum à Constantino dotatæ, aut certè sub Symmacho regnante in Italia Theodorico, Gotho, & Ariano, illa dote propèmodum spoliatæ tantæ opes, tanti thesauri, vt laborantibus in persecutione Christianis, tot & tantis tam liberaliter succurrere potuerit: Laudantur magnificè Imperatorum veterum, maximè Iulij Cœsaris effusa dona in milites, in populum, in Senatum: Sanè quæ ex Galliæ templis magnus ille latro corraserat, ipso Suetonio teste, quæ ex aliarum gentium spolijs, cæde, rapinis, alij Imperarotes extorserant: quæ non nisi ad luxum, & sui singuli Imperij stabilimentum erogarint? An non sic prædones nostros Batauos, & Cattiacos admirari, & laudare possumus, qui ex Brabantiæ, & Flandriæ spolijs, ex innumeris abductis è publica via captiuis, ex pagorum incendijs, tum seipsos peregregiè ditarunt, tum ad rebellem aleudum militem tam multis his annis dona, & stipendia erogarunt?

An non Archipirata ille Dracus, qui apud insulas, & mare Occidentalis Indiæ thesauros Regis Catholici intercepit, mercatores diripuit, ciuitates maritimas expilauit, vt sic in immensum ditatus, & ad equestrem ordinem euectus lautissima fortuna, homo alioqui obscurissimus, vteretur; eodem quoque iure veluti vir magnificus, & nouus quidam Triptolemus, laude, & admiratione dignus videbitur? Aut qui nuper opulentissimum freti Herculei portum Calis repentina xducta classe spoliarunt, & in Angliam suam immensis abductis spolijs, publicum populo epulum in vicis Londinensibus dederunt, suæque Principi opes amplissimas aduexerunt, veluti magnifici admodum viri laudibus efferri pari iure non debent, vt dicamus ad magnitudinem regni Anglicani hoc totum pertinere? Atqui Romanæ veteris Ecclesiæ opes non nisi ex voluntarijs Christianorum oblationibus, aut pijs opulentorum hominum legatis, aut factis ex tempore collectis more, & ritu Apostolico, aut denique ex variorum Principum donis amplissimis natæ sunt. Origo earum, & fundamentum pietate nituntur, sicuti vsus, & expensio non nisi ad pietatem destinantur.

Neque enim alia ratio, vndè Romanæ Ecclesiæ tanti tunc temporis thesauri essent, cogitari potest. Thesaurum illum Romanæ Ecclesię, quem sub Decio Imperatore ex mandato Sixti Pontificis Laurentius Diaconus, ne persecutor raperet, pauperibus erogauit, à Philippo Christiano Imperatore, qui proximè Decium præcessit, donatum Ecclesiæ fuisse plus quàm probabile est. Vnus Marcion hæreticus ducenta sestertia Romanæ Ecclesiæ intulit, vt eius Ecclesiæ communionem obtineret: quæ mox homini impio restituta: ipseque à fidelium communione eiectus.

Constantinus Copronymus Iconomachus à Gregorio III. in Concilio Romano excommunicatus, cùm alia via Pontifici nocere non posset, tributum quoddam sesquitalentorum, quod Sicilia, Calabria, Apulia Templo S. Petri pendebat, in fiscum redegit.

Sed & ex varijs Gregorij Magni, epistolis, luculenter patet maxima tunc fuisse Ecclesiæ Romanæ patrimonia, in Africa, Neapoli, Dalmatia, Gallia, Sicilia. Sanè vnus Mutius Iustinopolitanus librum confecit, in quo collegit omnia à Principibus in Ecclesiam Romanam munera collata. Siuè ergò ex donis diuitum Christianorum (antequam Reges, & Principes nutricij huius Ecclesiæ erant, iuxta Esaiæ vaticinium) siuè ex oblationibus, & collectis fidelium, abundauit semper Romana vetus Ecclesia, vndè afflictos toto Orbe Christianos subleuaret.

Quod, vt minus mirum videatur, vnus Cyprianus Carthaginensis Archiepiscopus, ad redimendos captiuos in prouincia Numidiæ misit eò sestertium nummum centummillia, quæ ex collecta Christianorum subitanea corraserat: vt ex eius ad Episcopos Numidię epistola patet. Sed ad rem ipsam nunc redeamus, & alia munificentiæ exempla in

vna

vna Romana Ecclesia proferamus.

Leo IV. exædificata in Vaticano vrbe Leonina, eam Corsicis Christianis quos Saraceni ex insula depulerant, incolendam dedit, assignatis viritim agris, vndè viuerent.

Porrò Nicolaus I. conquerente Imperatore Michaele Theognostum presbyterum Photij per Imperatorem intrusi hostem Constantinopoli Romam fugientem, à dicto Pontifice receptum, & refocillatum fuisse, ei respondet, *multa esse Christianorum millia ex omnibus terræ finibus properantium, quæ ad Beati Petri protectionem quotidiè se conferunt.* Hinc videlicet in vna vrbe Roma pristinis temporibus ante Academias toto Orbe constitutas, multarum nationum scholas, Saxonum, Anglorum, Gallorum erectas legimus: harum quippè in vitis Pontificum per Platinam frequens fit mentio.

Et Ioannes Magnus Vpsalensis Episcopus, dedit in lucem literas quasdam Gregorij VII. ad Suenonem Regem Danorum, & Olaum Noruegiorum, & ad Regem Visigothorum, quibus petit inter alia, vt mittant Romam clericos, ac pueros nobiles, vt sacras literas, moresque Christianos commodè doceri possint.

Ex epistolis quoque B. Gregorij I. liquidò apparet, quantum Pontifici Romano semper curæ fuerit, in singulis totius Orbis regionibus egentes Catholicos subleuare.

Sed vnus nostro tempore Gregorius XIII. prædecessoribus suis eiusdem nominis magnis, & sanctis Pontificibus, vt in reliqua pietate nihil degenerauit, ita in hoc munificentiæ genere, eos omnes longo interuallo superasse videtur.

Hic enim munificentissimus Pontifex præterquam quòd seminarium Germanorum in Vrbe Roma iam inchoatum, per applicationem Ecclesiasticorum bonorum ad decem aureorum millia dotauit; erexit ipse anno Pontificatus sui secundo in Vrbe Roma seminarium Hungarorum; anno quinto Neophytorum, in quibus etiam Chaldæi, & Armeni instituuntur; Anglorum quoque, & Græcorum. Anno Pontificatus nono seminarium Viennense in Austria, Pragense in Bohemia, Græcense in Stiria, Omulecense in Morauia, Branspurgense in Prussia, Mussipontanum in Lotharingia. Vndecimo Pontificatus anno Vilnense in Lithuania, Claudiopolitanum in Transsiluania, Fuldense in Franconia: ac demùm in vltima Iapania tria seminaria, Funanense, Arimanense, & Anzuchxamense.

An huius Pontificis munificentissimæ pietati aliquid adijci potest? At non hic Heroicus ille animus conquieuit. In Orientem Legatos misit, in quibus Baptista Romanus è Societate Iesu; per eos conuocatum Concilium Episcoporum quadraginta nationis Maronitarum: Collegium prætereà institutum in quo pueritiam Orientalium, quàm Maronitarum in catholica doctrina erudiantur, vt indè in patrias sedes reuersi, suos docere possint, quæ ad Christi cultum pertinent. Quid quod in egendos, & pauperes vrbis Romæ, aliosque priuatos exules, Græcos à Turcis eiectos, & Anglos patrij schismatis flammas fugientes, tantam liberalitatem exercuit, vt animaduersum fuerit (teste Bozio) eum quotannis aureorum 70000. hos in vsus erogasse. Nec tacendum est in hanc quoque florentissimam Academiam liberalitatis suæ riuos hunc Summum Pontificem ita deflexisse, vt eo nomine inter huius Academiæ benefactores Anniuersaria celebritate meritò reponatur.

Tandem memorabilis huius munificentiæ ex publicis rationibus accuratè summa collecta, meruit ex Senatus Consulto, teste Illustrissimo Baronio, præclaro gloriæ monimento, in Capitolio, vnà cum statua omnium votis publicè consecrari, digno planè omnium Patris, atque Pastoris elogio, quod inter alia hæc verba habet in marmore incisa. *Sestertium octingenties singulari beneficentia in Egenos distributum.* Est autem horum summa viciescentena millia aureorum. Talia sunt Romanæ Ecclesiæ opera magnifica, ad Dei cultum, vel proximi vtilitatem destinata.

CAP. XI.

Romanæ Ecclesiæ munificentia domestica.

Laudatur magnificè Imperij Romani magnitudo ab ædificijs in vrbe Roma incomparabili arte, & sumptu extructis, ab Arcubus triumphalibus, ab Amphitheatris, à Circis, à Thermis, à Columnis, ab Aquæductibus arcuatis longissimè in vrbem deductis, à templis maximè Capitolino, in quorum descriptione Doctorum ingenia laborant: denique, & à frumentatione totius populi, alijsque huiusmodi.

Sed hæc omnia non nisi ad voluptatem inanem, & ostentationem vanam, aut etiam impietatis cultum extructa fuere; duobus exceptis, Aquæductibus, & Frumentatione publica. Priori quidem magnificentiæ maius successit in Ecclesia Romana miraculum; Ne enim huiusmodi aquarum deriuationibus tam longè, tantoque sumptu petitis populus Romanus indigeret; aqua Tyberina vtcunque maximè turbida intra mœnia vrbis, non extra, potabilis iam facta est, idque tanto purior, ac defecatior, quanto diutius in cisterna seruatur, etiam ad annos reposita, sola sanè, vt ciuium traditio habet, B. Gregorij I. prece, & benedictione in eum vsum veluti consecrata. Frumentatio autem illa publica, præterquam quod à subsidijs illis Romanorum Pontificum vndequaque extra vrbem collatis facilè superatur, quæ non ex aliarum gentium spolijs, vt illa Romana, sed ex piarum personarum voluntaria oblatione nata fuere, etiam ipsamet ab Octauio Augusto Imperatore sapientissimo adeò non probata fuit, vt primum quidem, ne ob eam populus frequentiùs à negotijs auocaretur, *pro eo quòd sui quisque mensis tesseram acciperet, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinauerit, sed ob populare desiderium consuetudinis veteris id non perfecerit; postea verò magno impetu motus fuerit eam in perpetuum abolendi, quod eius fiducia cultura agrorum cessarat: non tamen id præstiterit, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui.* Sed istis, vt dixi, duobus exceptis reliqua

qua omnia non nisi ad vanitatem destinata fuere, nec nisi delicijs effœminatorum, & iactantiæ seruiebant. Visebantur Amphitheatra amplissima duo; Theatra duo; Ludi quinque; Naumachiæ quinque; Nymphæa vndecim; Thermæ duodecim; Lupanaria quadraginta quinque; Arcus marmorei triginta sex; Circi duo; Septizonium Seueri, Moles Hadriani, Augusti Mausoleum, Columnę Traiani, & Antonini, Balnea priuata innumera. Hæc non nisi ad luxum, & iactantiam instituta, quæ admirantium animos extra omnem sensum raperent, dimidium propè vrbis occupabant, vt è Publico Victore apparet. Sed inter hæc omnia nulla hospitia publica pauperibus ægris curandis aptata: Hodiè in vrbe viginti quinque numerantur. Nullus erat locus publicus in quo paruuli expositi exciperentur, & alerentur: Hodiè locupletissimæ sunt ædes S. Spiritus in Burgo, ab Innocentio III. conditæ, magnisque prouentibus auctæ.

Nulla erant collegia, in quibus de publico adolescentes haberent quomodo bonis literis erudirentur: Hodiè sunt hæc ampla, & opulenta: Capranicæ, Nordini, Anglorum, Germanorum, Bohemorum, Vngarorum, Gorborum, Suecorum, Græcorum, Syrorum, Maronitarum, Neophytorum, Chaldæorum. Nullæ erant domus publicæ, in quibus impuberes puellæ patreque orbatæ, ac pauperes discrimen castitatis adeuntes educarentur, & honestis moribus imbuerentur. Est hodiè in hunc vsum Monasterium quod vocatur Sanctæ Catharinæ Iunariorum. Nullæ erant ædes in quibus publico sumptu alerentur, & instituerentur, tum pueri, tum puellæ inopes vtroque parente orbatæ: Nunc sunt duæ; altera quatuor Sanctorum coronatorum, altera S. Mariæ in Aquiro.

Nulla erant gymnasia in quibus adolescentes erudirentur ad omne doctrinarum genus, imò Academici ex Athenis Romam venientes, adeò Catoni maiori displicuerunt, vt eos vrbe exigendos in Senatu suaderet: Nunc præter quatuordecim humaniorum literarum scholas, quarum singulæ singulis regionibus attribuuntur, sunt gymnasia amplissima publica duo: alterum quod Sapientię vocatur, alterum verò quod est Societatis Iesu, à Gregorio XIII. fundatum.

Tandem nulla hospiria Peregrinis aduenientibus ad Romanorum sacra quæcunque illa forent visenda Romæ erant, in quibus aduenis istis certo aliquo tempore alimonia de publico suppeditaretur: Hodiè præter Hospitale S. Trinitatis, quod quibuslibet peregrinis triduo patet, multis nationibus suum separatim hospitale fundis benè dotatum extructum est, non Gallis modò S. Ludouici, Belgis de Anima, Anglis S. Thomæ Cantuariensis, & singulis Italiæ prouincijs, sed & ipsis extremis Æthiopibus, & Armenis, his ad S. Mariæ Ægyptiacæ, illis verò ad S. Stephani post templum S. Petri. Hæc sunt Romanæ Ecclesiæ opera verè magnificentia ad Dei cultum, & Proximi vtilitatem, omnis Reipublicæ benè institutæ duos fines primarios excitata, & destinata, quæ pectori cuiuis Christiano verè admiranda, & suspicienda videri debent.

CAPVT XII.

Temporum magnificentia.

At inquies, ad opera magnifica quod attinet, saltem quoad ædificia, ac templa splendididissima, arte, & opere incomparabili extructa, Romani Imperij gloriæ Romanæ Ecclesiæ moderatio necessariò cedere debet. Quid enim in Romanæ Ecclesiæ templis, atque ædificijs, vel Capitolio Romano, vel Pantheo Agrippino, vel templo Pacis Vespasiani, vel ipso vrbis templo comparabile ostendi potest? Et æquum tamen erat vero Deo magnificentius seruiri, quàm idolis, & dæmonijs gentium. Atqui iudicium tantisper suspende, qui hæc Romana ethnica tantopere extollis; vide mecum, an non templum S. Pauli Apostoli via Ostiensi, & magnitudine, & multitudine columnarum: item templum S. Mariæ ad Præsepe, siuè Maioris, vt nunc vocatur, quodlibet horum multis partibus non superet. De forma fortassè quæstio foret, in qua antiqua illa superabant. Sed in hoc etiam genere, vnum illis omnibus oppono Templum Societatis Iesu, Illustrissimi Cardinalis Farnesij, opera & opibus magnificentissimè nostro tempore extructum, quod veteribus illis, & forma, & materia, & mole multò excellentiùs indicant Romani hodiè scriptores graues.

Quicquid autem de illo Templo sit, de templo B. Petri in Vaticano, quid Thomas Bozius scriptor Romanus, & modernus scripserit, ipsius his verbis referam. Quid de templo Sancti Petri quod nunc perfectum conspicimus, & admiramur, dicemus? Ac ne quis antiquitatum cupidus laudator temerè nos loqui putet, afferamus, quæ de pantheo scribit, quasi spectaculo tanti operis attonitus Amianus Marcellinus. Pantheon (inquit) veluti regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertices scansili suggestus, Consulum, & priorum Principum inuitamenta portanres. Hæc Ammianus. Atqui Tholus solummodo Templi S. Petri est altitudinis cum Pantheo eiusdem supra fastigium quatuor ædium, quibus insidet medius, latitudinis verò paululò minoris, specie porrò longè excellentiori ob multiplices fenestras, capitula, bases, columnas, epystilia, & coronas.

Adde illud longè pręstantissimum, quòd Tholus est duplici fornice contectus, & inter vtrunque fornicem quasi ædiculæ innumeræ suis, & ipsæ cameris distinctæ. Sed cùm quatuor, vt diximus, infra Tholum, seù verticem illum concameratum sint templa, horum quodlibet mole, artificio, excellentiaque materiæ nobilius Pantheo est. Præter hæc quatuor templa inter se cohærentia, & peruia, quibus insidet excellentissimè Tholus, est spatium medium Tholo respondens, quod est à pauimento vsque ad summum verticem altitudine duplum ad Pantheon.

Adde aditum interiorem, & fornicem posteriorem: vt omittamus porticum, quod nondum perfecta sit. Hæc omnia sanè si perpendas, rationemque discriminis ducis, vi-

E debis

debis Templum D. Petri in vrbe admirabili isto Pantheo sextuplo reuera esse admirabilius. Pantheon altitudine est pedum centum nonaginta octo: tantum latitudine. Atqui quodlibet ex ijs quatuor quibus incumbit tholus supremus nostri Templi est celsitudinis maioris eiusdemque propè latitudinis. Superest deinde spatium medium cum tholo, & pars anterior, & posterior. Supersunt intercurrentia ab imo ad supremum fastigium, tum molis ipsius, tum cuiuslibet templi spatia parietibus inclusa, lato interstitio suas domunculas cum suis cameris aptè dispositas habentia: ita vt reuera hoc templum dignitate, & artificio superet omnia, in quibus iactat se cum suis fabulis ostentatrix antiquitas. Hæc hactenùs Bozius scriptor Romanus, qui quæ vidit attestatur.

Addit celsitudinem huius templi tantęque molis stadij dimidij esse plùs minùs: pedum scilicet tercentum, longitudinem verò quadringentorum: moxque cum Dianę Ephesiæ fano iuxtà Plinij descriptionem comparans, ad cuius structuram viginti septem Asiæ Reges coierint, & ducentos viginti annos in opere consumpserint, ostendit cum vix octoginta anni ab huius templi inchoatione effluxerint, nec tot Reges ad opus perficiendum sese adiunxerint, in reliquis omnibus multò esse illo fano nobilius Diui Petri templum. Quàm nunc Romæ esse vellem, vt hoc nobilissimum templum, cuius & initia, & progressus olim vidi, nunc consummatum, & absolutum cernerem, meaque illic Deo vota nuncuparem. Atqui illic, & esse, & floruisse mihi nuper licuerat, à summa in terris maiestate benignissimè vocato, nisi hoc me loco Dei prouidentia, Principis voluntas, ac benignitas, meaque infirmitas, addo & indignitas constrictum tenuissent.

Quòd si iam quæ extrà vrbem Romam toto passim Orbe Christiano magnificentissima extructa templa conspiciuntur, vel ex Francisco Aluaretio de templis Æthiopicis omnem penè fidem superantibus, vel ex Ioanne Bruschio de templis Germanicis, vel ex Procopio de ædificijs Iustiniani, tam multis, tam magnis, tam celeberibus, vel ex Iacobo Zieglero de templis Borealibus, vel quę in sola Italia S. Marci Venetijs, S. Spiritus Florentiæ. Sanctorum Petri, & Petronij Bononiæ, S. Ioannis Euangelistæ Rauennæ, Sanctorum Dominici, & Episcopis Neapoli videntur, vt Galliam, Belgium, Angliam, & Hispaniam prætermitterem, maximè S. Laurentij ædem à potentissimo Hispaniarum Rege Philippo Secundo recentissimè in sua Scuria, & magnificentissimè extructam hoc loco commemorare, & describere vellem, qui adhuc antiquitatem Romanam illis anteponere auderet, helleboro dignum existimarem. Sed nos in Romanæ Ecclesiæ vna Vrbe, & Sede sistimus; eamque, & eius opera magnifica omnibus antiquæ Romæ monimentis anteponere nihil formidamus.

CAP. XIII.

Romana Ecclesiæ Senatus.

Quod vno adhuc argumento confirmabimus. Romanæ Imperij splendor, magnitudo, maiestatis, ex Romanæ Vrbis Senatu, & Patribus illis conscriptis, magna haud dubiè ex pare eluxit: quorum videlicet prudentia; consilio, grauitate annis benè septingentis libertatem illa vrbs seruauit, multisque populis imperauit; quem etiam confessum, qui sub Imperij fastigio coluerunt, optimi semper Imperatores habiti sunt, maximè postquam ab Octauio Augusto Senatorum incondita turba, & numerus nimis superfluens ad iustum, & mediocrem redactus erat. Sed quid? An Romanę Ecclesiæ suus deest, aut defuit vnquam Senatus? Iam ab exordio nascentis illius Ecclesiæ Clerus Romanus, quo Senatu, & Presbyterio primi Pontifices vsi sunt, quanta grauitate, & auctoritate excelluerit, vt vacante Sede alias Ecclesias in officio continuerint, vacillantes roborarint, aberrantes in viam reduxerint, rebus dubijs finem dederint, missis etiam per totum Orbem eorum literis, ex varijs Diui Cypriani epistolis, quibus cleri Romani literæ inseruntur, luculenter patet.

Sed progressu temporis clero illius vrbis ad maximum numerum excrescente, factus est delectus, & vt ab ipso D. Clemente Primo, iuxtà septem vrbis regiones, septem Notarij instituti sunt ad Martyrum res gestas accuratè scribendas, quibus Notarij Numerarij hodie septem, seu Protonotarij septem de numero participantium successore; ita si Wolfango Lazio viro doctissimo credimus, iuxtà veteres curatores vrbis, & regionum illius, qui Præfecto prætorio Vrbano proximo loco, & ordine subsetuiebant, instituti sunt Presbyteri Cardinales ad titulos singularum regionum, prout à Martyrum memorijs per loca distinctis, distinctas nuncupationes acceperunt.

Hinc in Concilio Romano sub Siluestro Primo habito tempore Constantini Magni, Diaconi in Cardine constituti, fit mentio: Item Cardinalium vrbis Romanæ septem, qui Dalmaticis vterentur, & pallia Lænostina læua eorum tegerent. In eodem Concilio Papa Siluester, septem vrbis regiones diuisit septem Diaconibus, veluti earum curatoribus. Hæc igitur prima, & antiquissima amplissimi huius Ordinis institutio est, vt ineptè Volaterranus, alijque Neoterici ad annum 1040. eam reijciant.

Sequentibus autem temporibus, vt maiori in numero, & pretio esse, ita non iam ab vrbis regionibus quibus præerant, sed à templis, martyrumque memorijs, vel etiam ab ædificijs, & patrimonijs Sedi Apostolicæ Legatis discriminis causa vocari ceperunt; vndè in Decretis Symmachi Papæ, qui sedit anno quadringentesimo nonagesimo quinto, legimus Diaconos non solùm regionis primæ, secundæ, quartæ, quintæ, & septimæ, sed titulo S. Clementis, S. Marci, S. Matthæi, S. Laurentij, S. Pammachij, S. Sabinæ, videlicet à memorijs martyrum: tum titulo Da-

masi,

masi, Cyriaci, Chrysogoni, Marcelli, Caij, videlicet à bonis legatis: tum denique Æmilianæ, Crescentiæ, Cæciliæ, Praxedis, Faciolæ, videlicet à collationibus matronarum: qui omnes post Italiæ Episcopos subscripserunt, quibus necdum hic ordo prælatus fuerat. Idem subscriptionis Ordo, & sub eisdem titulis, in quadam apud Gregorium Magnum constitutione anno sexcentesimo legitur.

His solis postea in Concilio Mantuano sub Nicolao Secundo eligendi Pontificem potestas datur, quæ cùm priùs penes totum Clerum Romanum esset eumque numerosissimum, non sine magno sæpè tumultu illa electio fiebat.

Demùm in Concilio Lugdunensi sub Innocentio Quarto, purpurati Patres maioris dignitatis causa constituuntur. Horum postea collegium, tametsi vsque ad Sixtum IV. numerum trigesimum non attingerint, & vsque ad Leonem Decimum vix quinquaginta superarint, vsque ad numerum autem septuagesimum, si Onuphrio Panuinio credimus, nunquam peruenerint, viros tamen semper, & omni scientiarum genere florentissimos, plurimosque etiam scriptis monimentis illustres, & rerum agendarum prudentia solertissimos, & pietate, ac virtute celeberrimos, alios etiam ex prima Orbis Christiani nobilitate ascitos complexum fuit. Horum opera, & ad legationes amplissimas toto Orbe obeundas, & ad pacem inter Principes Christianos bellis se mutuis conficientes componendam, & ad perpetua rerum decernendarum consilia (ad quæ bis per omnem hebdomadam conuocantur,) & ad causas omnes, ac difficultates decidendas, siue forum conscientiæ, siue forum externum ea concernunt, felicissimè vtitur summus ille Orbis arbiter D. Petri successor. Sed & à summis Monarchis ad regnorum, & Rerumpublicarum amplissimarum gubernacula, vicaria potestate tenenda, summo consentiente Pontifice, assumuntur. Nihil vt hoc amplissimo ordine, vel nobilitate illustrius, vel eruditione præstantius, vel ad res gerendas prudentius Orbis vnquam viderit. Ad Ecclesiæ igitur Romanæ magnificentiam, qua Imperio Romano nihil cedat, Ordo iste, & Senatus amplissimus meritò pertinet.

CAPVT XIV.

Orbis salutem ab hoc sacro Principatu pendere.

ET ad Imperij ipsius adeòque Orbis totius, decus, tutelam, ac columen, & hic selectissimorum Ecclesiæ procerum ordo, & quicquid hactenùs de Romanæ Ecclesiæ amplitudine, fortitudine, potestate, dignitate, ac splendore in medium protulimus. Eminentissimum namque hunc Ecclesiæ Romanę Principatum vniuersis his, siue naturæ, siue gratiæ ornamentis illustrare voluit diuina benignitas, nihil vt deesset, quod inclinantis, ac labantis Mundi restitutioni necessarium foret, vt in huius, qui tam perspicua luce in omnium oculos incurreret, sacrosanctam societatem sese aggregarent, quicumque vitæ suæ rationem sibi quoquo modò constare vellent, ab eo qui abirent, aut in eum cæci impingerent, elisi, fractique corruerent: id pluribus exemplis à pluribus illustratum, ego ex ijs quę hactenùs dicta fuere, satis constitutum existimo; addo tamen, ne quid quod instituti ratio requirat, prætermittam, paucula alia. Vrbis imò non vrbis, sed orbis Romani clades, vastitates, ruinas, quibus Deus erecto primitus sacrosancto huic principatui illatas iniurias vindicauit, ac gentiles Imperatores, vsque ad Constantinum Augustum simul cum ipso Imperio obtriuit, compendio recenset fidelis, ac grauis scriptor Orosius. Illis è medio sublatis primus Imperatorum Romanum apertè Christi trophæum erexit Constantinus Magnus, ac sacrorum Principi Romano Pontifici vrbem, orbemque submittens, bonis omnibus Romanum Imperium locupletauit.

At alius ab eo alium rerum suarum successum obtinuit, Liberii Romani Pontificis persecutor Constantius, iterum veteres illæ orbis terrarum ruinæ, euersa funditùs terræ motu Nicomedia; Pontus, Asia, Macedonia, grauissimis cladibus obtritæ: ipseque Imperator incurabili planè morbo ad instar Pharaonis à Deo percussus, sed ab eo iterum Sanctorum intercessione sanatus, dum in sua impietate perseuerat; vita simul, & Imperio exuitur.

Eadem mala sub Valente, Romano Pontifici adhærentes persequente, in orbem ipsumque iterum Imperatorem recurrere, qui anno Imperii sui decimoquarto à Gothis profligatus, & in Tugurio concrematus, impietatis suæ pœnas dedit. Similis malorum congeries Iustinianum Christianissimum priùs, ac felicissimum Principem excepit: Cùm enim in Sylucrinum, ac Vigilium Romanos Pontifices impias manus iniecit, nullo non calamitatis genere exagitatus est, tandemque in insaniam versus, subitoque morbo perculsus è vita migrauit. Similibus à Deo malis mulctatus Constantius Heraclii nepos, cùm sanctissimum Romanę Ecclesię Prçsulem Martinum in insulam Chersonis relegasse: Similibus Leo eiusque filius Constantinus Copronymus; cùm in eandem petram impegissent.

Et hęc quidem mala iustissima Dei ita perpessi Orientis Imperatores: Quid post eos alii, siue Reges, siue Imperatores rerum in Occidente potiti, qui illorum impietatem imitati sacrosancto huic Principatui rebelles extitere? eiusue iura sibi temerè violanda prçsumpsere? Et ipsi similia omnia. Philippus Pulcher, & Carolus VI. Francorum Reges, Occidentis Imperatores Henricus II. & IV. Fridericus II. Ludouicus Bauarus aliique plures: vbi eo magis diuina iudicia extimescenda occurrunt, quod non in solos Reges, ac Imperatores, sacræ huic maiestati iniurios superni numinis ita exarserit, sed populos ipsos, prouincias, regna, imperia quę iis hic quaquam ratione socia, similibus plagis inoluerit: Et his iterum plena, & veterum, & recentiorum Historiographorum scripta. Neque aliorum hactenùs ab annis nongentis, aut regna euersa, aut occupata ab impiis Mahometanis imperia, quàm eorum,

rum, qui ab eius sese obedientia subtraxere.

Vbi namque modò, quę olim in Asia, quę in Africa? fueruut. Quę causa schisma, & ab hoc principatu discessio. Et in Europa hac nostra? Dii meliora; Et hic tamen, quid sani, quid integri, quid in re Christiana tranquilli, ac pacati? Quid aliud quàm quod huic sacro principatui inhęrescens, ab eodem ne labat sustinetur, à quo quod recedit, hosti cedit, vincitur, subiugatur, perditur: Neque enim aliud iuxta illud diuini Vatis oraculum expectandum, *Gens, & regnum, quod seruierit tibi, peribit.*

EPILOGVS.

ET hæc quidem verè Admiranda de Romana Ecclesiæ Principatu compendio dixerimus, qua quale, quantumque illius regnum sit, præ reliquis Mundi regnis, & imperijs sufficienter, cuique ob oculos posuerint: aurea illa sint, argentea, ænea, ferrea, terrena tamen sunt, ac caduca omnia, eoque suæ potentiæ modum habentia, suis conclusa limitibus, suis temporibus definita, hoc verò nostrum ortus sui principium in Deum ipsum auctorem refert, ab eo suscitatum, super petram ædificatum; potestas huius, potestas diuina, cælestis, claues regni cælorum sortita, potestas æterna, quæ non auferetur, & cuius regnum non corrumpetur, ventorum turbines, ac tempestatum omnium procellas immota excepians. Languescunt itaque alia illa omnia sensimque deficiunt, regnum verò hoc regnum omnium seculorum est, & dominatio eius in omni generatione, & generationem. Nec mirum: cùm hæc potestas ab ipso Christo sit. Qui ascendens in cælum apertè profitetur, sibi datam à Patre omnem potestatem in cælo, & in terra.



EIVS



EIVSDEM AVCTORIS.

CONTROVERSIA

III. CAPITALIS,

DE PRIMARIO SVBIECTO Poteſtatis Eccleſiaſticæ.

QVÆSTIO PRIMA.

An Chriſtus aliquod vnum Caput conſtituerit.



Ccleſiam Chriſti politiam habere non democraticam, in qua omnes poteſtatem habent, aut totus populus; nec ariſtocraticam, in qua pauci optimates æqualitèr gubernant; ſed monarchicam, in qua ſingulis parœcijs vnus paſtor, ſingulis diœceſibus vnus Epiſcopus, ſingulis prouincijs vnus Archiepiſcopus, multis etiam prouincijs vnus Patriarcha præficitur; in præcedenti Controuerſia oſtenſum eſt; & hæreticorum ſententiæ partim de totius multitudinis regimine, partim de Miniſtrorum æqualitate, partim de vnius Principis laici ſuprema poteſtate, aliæque hùc incidentes, in eadem Controuerſia refutatæ ſunt. Nunc quæritur, an Eccleſiæ regimen ſic ita monarchicum, vt etiam toti corpori Eccleſiæ, ipſiſque multarum prouinciarum Patriarchis, vnus aliquis ſupremus Pontifex præeſſe credendus ſit. Ad cuius deciſionem ſequentes quæſtiones, & articulòs ſubnectimus.

QVÆSTIO I.

Chriſtus apertis verbis Petrum conſtituit totius Eccleſiæ Caput.

ARTICVLVS I.

QVia articulus iſte verbali Chriſti conſtitutione nititur, quæ non vno tota momento, ſed gradatim, & per partes (vt multa alia fidei noſtræ dogmata) à Chriſto facta, & tradita eſt, propterea per gradus ſingulos, & concluſiones totidem, hanc Chriſti conſtitutionem exponemus, eademque contrà hæreticorum cauillationes multas defendemus. Eſt enim hæc Chriſti verbalis conſtitutio in perſona Petri vnum, & primum fundamentum præſentis quæſtionis, adeóque totius huius Controuerſiæ.

Prima Concluſio.

AD conſtituendum Petrum totius Eccleſiæ ſuæ caput, primus gradus quem Chriſtus fecit, eſt noui nominis prædictio. Hanc Ioan. 1. expreſſit. Andreas primò ſequutus Chriſtum, *inuenit fratrem ſuum Simonem, et dixit ei, Inuenimus Meſſiam*; & adduxit ad eum Ieſum. *Intuitus autem illum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Ioannis. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Hæc ibi.

In his verbis obſerua quatuor. Primùm, quòd ad primum aſpectum Petri, & in primo eius congreſſu, hanc nouam nuncupationem Chriſtus prædixerit. Solent enim illa attentiùs retineri, quæ in primo congreſſu nobis dicuntur. Voluit igitur Chriſtus in primo ſtatim congreſſu hoc illi prædicere, vt tam ab illo, quàm à poſteris diligentiùs obſeruaretur.

Secundò, quòd Euangeliſta commemorat, quòd Chriſtus, antequam loqueretur, Petrum intuebatur. Neque enim ſuperuacaneè, aut temerè vel fecit hoc Chriſtus, vel recitat Euangeliſta, ſed ſingulare aliquid Chriſtum facturum notat. Sic enim Marc. 10. de adoleſcente, qui mandata à iuuentute ſua obſeruauerat, dicitur, *Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum*: & ibidem paulò poſt; *Intuens illos Ieſus* (erant enim perturbati) *ait, Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum.* Sic quod habetur Luc. 22. *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum*, eadem dictio eſt Græcè *enebleпſe ton Petron*. Omninò igitur hic intuendi modus, vel antè, vel inter loquendum, aut agen-

agendum, studiosum quendam, & singularem semper affectum coniunctum habet.

Tertiò obserua, quòd primùm Christus vulgare eius nomen protulerit: *Tu es Simon*, &c. hoc enim fecit, vt antithesis ipsa fortior, & noui nominis, noua pollicitatio mox secutura illustrior fieret.

Quartò obserua, quòd dixit, *Tu vocaberis Cephas*. Significat enim non solùm, quòd nouo nomine appellandus esset, sed etiam, quòd illud nouum nomen aliquid singulare, & excellens in eo portenderet. Sic Genes.17. *Tu vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te*. Idcircò etiam non statim hoc ei nomen imponit, sed imponendum longè antè prædicit. Hoc Christo solemne fuit in rebus maximi momenti, ea, antequam fierent, prædicere; vt magis vel crederentur, vel memoria tenerentur. Sic de Sacramento Corporis,& Sanguinis sui in vltima cœna porrigendo, Ioan.6. longa disputatione prædocuit. Sic futuram mortem, & resurrectionem suam Matth. 16. accuratè prædixit. Sic de mittendo Spiritu sancto diligenter præmonuit, Ioan. 14. & 16. *Nunc*, inquit, *prædixi vobis, priusquam fiat; vt, cùm factum fuerit credatis*. Nec aliter in veteri Testamento, quia maximum erat fidei mysterium, quòd *in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes*, propterea multis verbis hoc Abrahę promittitur.

Primùm indefinitè, Gen. 12. & 15. *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*.

Secundò nominatim, *ex vxore Sara*, Gen. 17. *Benedicam vxori tuæ Saræ, et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum*, &c.

Tertiò die definito, Gen. 18. *Iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore*, &c. Idem de terra Chanaan animaduertere licet Gen. 12. 13. 14. & 17.

Postremò obseruat eodem modo hoc factum fuisse hoc loco in persona Petri Chrysostomus hom.18. in Ioan.

Secunda conclusio.

AD declarandum Petrum cæterorum omnium Caput, secundus gradus, quem Christus fecit, erat ipsa noui nominis impositio. Aliquanto enim tempore post, *ascendens in montem* (ait Marcus cap. 3.) *vocauit ad se quos ipse voluit, & fecit vt essent duodecim cum illo: & imposuit Simoni nomen Petrus*. Eandem noui nominis impositionem diligentèr quoque commemorat Lucas cap.6. In hac autem nuncupatione obserua tria.

Primùm, quòd eo primùm tempore facta est noui nominis impositio, quo *duodecim Apostolos designauit Christus*, vt Lucas commemorat; & *eos misit prædicare*, vt Marcus ait; locis citatis. Vt videlicèt eodem momento Caput cæterorum pastorum insinuaret, quo ipsos pastores eligeret, & in opus mitteret. Nec prius, quia non est vsus capitis sine corpore; nec posteriùs, quia sine Capite vicario non voluit pastorum, & omnium corpus esse. Non quòd tunc completa esset sui corporis mystici forma, sed quia tunc formari illud cœpit, quasique in vtero Christi per primam Apostolorum prædicationem parturiri, donec in die Pentecostes adueniente Spiritu sancto tanquam anima Ecclesiæ, vltimam suam formam acciperet.

Secundò obserua, quòd etsi tres Euangelistæ Matth. cap.10. Marc. cap.3. Luc. c.6. cæteros Apostolos nullo seruato certo ordine in hac vocatione Christi enumerauerint, sed Marcus Iacobum, Lucas, & Matthæus Andream secundo loco posuerint, & sic de alijs; omnes tamen vno consensu, Petrum primo loco tanquam indubiè caput cæterorum posuerunt. Hac etiam de causa omnes 4. Euangelistæ Petri cognomen, vel prædictum, vt Ioannes; vel positum à Christo fuisse, vt cæteri tres commemorant. Iacobi autem, & Ioannis cognomina *Boanerges* à Christo etiam imposita solus Marcus narrat: idque (vt videtur) monente ipso Petro humilitatis causa, ne noui nominis impositio aliquid singulare in Petro significare videretur. Totum enim Marci Euangelium Petri dictata fuerunt; de qua re posteà.

Tertiò obserua, quòd hæc noui nominis impositio aliquid singulare, & excellens in ipsa persona Petri omninò notare debuerit. Probatur, quia ita semper in mutatis nominibus Abrahæ, Saræ, Israel, & aliorum veteris Testamenti obseruatum est. De qua re lege Chrysostomum hom. 18. in Matth. & Cyrillum Alexandrinum lib. 2. cap. 12. in Ioannem.

Tertia Conclusio.

TErtius gradus quo Christus vsus est ad hanc supremam Petri potestatem constituendam, erat dati noui nominis expositio. Hanc fecit Matth. 16. his verbis: *Et ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*. In his verbis docet Christus, ideò Petro cognomine à se antea illum donatum fuisse, quia ipse futurus erat vera Ecclesiæ suæ Petra, id est, rupes & fortitudo inuicta, nempè ædificandæ Ecclesiæ suæ fundamentum, primus architectus, indefectibilis Magister, & supremus Pastor. Hunc horum verborum sensum literalem, atque germanum esse, vt ostendamus, quatuor obseruare debemus.

Primùm, ex qua occasione Christus hæc verba Petro dixerit. Occasio, & circunstantia loci docet, Christum hoc loco personæ Petri aliquid singulare & excellens, & proprium quoddam donum suum, velle conferre. Proposuerat Christus omnibus Apostolis quoddam problema: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Cui cum nemo satisfecisset, aliud proposuit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Hic solus Petrus respondens dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Hæc responsio quia illa ipsa erat, quam expectabat Christus, & quam tamen apertis verbis ille adhuc non docuerat, Christus primùm collaudata eius fide, & dicens: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est* (in quibus verbis Patris reuelationem, & donum excellens Petro primò datum aperuit) posteà suum proprium donum quasique tantæ fidei, & obedientiæ eius mercedem additurus, ait: *Et ego dico tibi, &c.* Verba igitur sequentia manifestè aliquid

quid continere debent ipſi perſonæ Petri à Chriſto collatum.

Hoc eſt, quod Patres ſcripſerunt, *Chriſtum hoc loco confeſſioni Petri de ſe mercedem reddere*. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Hilarius, & Hieronymus in Commentarijs ad hæc verba. De hac mercede dixit Cyrillus: *Si Beatus Petrus tam nobiles honores conſecutus eſt Filium Dei confeſſus, &c.* lib.4. Dialogorum. Et Hilarius de Trinitate lib. 6. ait, *Petrum vltra humanæ infirmitatis modum ſuperuenientem beatæ ſuæ fidei confeſſione gloriam promeruiſſe*. Hoc eſt quod Chryſoſtomus ſcripſit, *quoddam hic eſſe Filij donum proprium Petro datum, ſicut Patris quoddam erat eidem conceſſum. Pater enim reuelauit Petro Chriſtum eſſe Filium Dei viui: Filius tribuit Petro, vt ſit Eccleſiæ Petra*. Homil.55.in Matth.

Secundò obſerua, quomodo loquatur Chriſtus, quàm emphaticè, & ſignificatiuè.

Primò iubet aduertere quis loquatur ei: *Ego dico tibi*. Deindè eum nouo nomine compellat, quod antea fecisse non legitur: *Tu es Petrus*.

Tertiò coniunctiuè addit, *Et ſuper hanc Petram*; ſcilicet quæ tu es. Alioqui enim coniunctio illa, vel eſt otioſa, vel falſa. Si autem ſeriò & verè apponitur, prorsùs perſonam, cui ita expreſsè loquitur, ſignificare debet.

Tertiò obſerua, quid loquatur, & quid ſeu mercedis, ſeu gratiæ promittat Chriſtus hoc loco. Ait: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. In his verbis Chriſtus promittit Petro, fore vt illum Eccleſiæ ſuæ primum architectum, & ſupremum Paſtorem conſtituat. Probatur ex vi verborum Chriſti, in quibus expendentis tria explicabimus.

Primùm, quanta ſit vis illius verbi, *ædificabo*.

Secundò, quantum importet, quod dicit, *Super hanc Petram*.

Tertiò, quantum valet, *Eccleſiam meam*. Circa primùm duo notanda. Vnum, quid ſit, *ædificari Eccleſiam*: alterum, quod dicit, *ædificabo*. Quod ad priùs attinet, ædificatur Eccleſia, & fit *domus Dei*, 1.Timoth.3. dum vel collecta paſcitur, docetur, regitur, vel paſcenda aut regenda colligitur. Hoc ſenſu dixit Apoſtolus Chriſtum *dediſſe Apoſtolos, Prophetas, etc. ad ædificationem Corporis Chriſti, etc.* ad Epheſ.4.

Eodem ſenſu per doctrinam rectæ fidei dicimur *ædificari Deo*, 1.Timoth.1. *ædificatione Dei, quæ eſt in fide*; & 1.Corinth.14. *omnia ad ædificationem fiant*. Quod ergo Chriſtus dicit ſe *ædificaturum Eccleſiam ſuam*, ſignificat ſe aliquam poteſtatem, & gratiam collaturum ad colligendam, & regendam Eccleſiam ſuam. Quod ad poſterius attinet, valdè notandum eſt, quòd non dicit Chriſtus, Ædificabitur Eccleſia mea ſuper te, vel, Tu ædificabis Eccleſiam meam, ſed dicit, *Ædificabo Eccleſiam meam ſuper hanc Petram*; id eſt, me ædificante, & te ſemper in fide ſolidante, vt ſis verè immobilis Petra, me agente, tibique ſemper cooperante, ædificabitur Eccleſia mea. Ad quod exactiùs intelligendum, notandum eſt quòd Chriſtus, vt Deus, eſt agricola ipſe ſicuti Pater. Ioan. 15. *Pater meus agricola eſt*, & 1.Corinth.3. *Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis*. Sed Chriſtus, vt Deus homo factus, *eſt vitis vera, et nos palmites*, Ioan.15. id eſt, eſt caput vitale corporis ſui: *Ipſum enim dedit Deus Caput ſuper omnem Eccleſiam*, Epheſ.1. & hoc ſenſu Deus per Chriſtum, vt per inſtrumentum coniunctum, ideòque vitale, ædificat, plantat, & rigat Eccleſiam ſuam. Vndè Apoſtolus: *Deus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi*, 2.Corinth.5. Sed idem Chriſtus vtitur alijs inſtrumentis ſeparatis, per quæ ædificat, & regit Eccleſiam ſuam, ſicuti manus per calamum ſcribit.

De hoc genere ædificationis loquitur hic Chriſtus, & ait: Ego qui ſum vitalis architectus totius Eccleſiæ, ſed ſoleo per alios operari, & ædificare, ædificabo ſuper hanc Petram, id eſt, ſuper te Petrum, te videlicet inſtrumentaliter agente, ſed me ſemper vitam, & gratiam agendi tibi ſubminiſtrante. Et hic ſenſus ex verbis ſequentibus magis adhuc confirmabitur.

Secundò igitur expende, quantùm valeat quod dicit, *Super hanc Petram*.

Primùm, his verbis perſonam Petri intelligit.

Probatur primò ex copula coniunctiua, vt ſuprà.

Probatur ſecundò ex conſenſu omnium Patrum, qui ſic illa verba exponunt: Chryſoſtomus, Hilarius, Hieronymus, & Euthymius in Com. in hunc locum. Reliquos poſteà afferemus.

Deindè, per hæc verba oſtendit Chriſtus Petrum fore non quemlibet architectum, aut Paſtorem Eccleſiæ ſuæ, ſed planè primarium, & fundamentale quoddam in genere ſuo quale Chriſtus eſt in alio genere. Chriſtus enim, vt homo, eſt caput & fundamentum vitale; Petrus hìc declaratur futurus Caput, & fundamentum miniſteriale.

Probatur primò, quia vocat eum non ſimpliciter Petram, *hanc Petram*, id eſt, Petram miniſterialem, & participatiuè dictam. Chriſtus enim eſt abſolutè Petra, & fundamentum Eccleſiæ, Petrus *hæc Petra*, id eſt, quædam Petra per participationem. Vndè Baſilius in homil. de pœnitentia: *Chriſtus verè eſt immobilis Petra, Petrus verò propter Petram*. Idem repetit Ambroſius lib.6. cap.2. in Lucam, & addit Sermone 47. *Conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur et operis, et pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur*. Sic Leo Magnus Epiſt.89. *Petrum in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, quod ipſe erat, voluit nominari*. Et iterùm Serm.2. in Natali Petri, & Pauli: *Tu Petra es, qui mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi ſunt poteſtate propria ſint tibi mecum participatione communia*. Nec aliter. Proſper de vocat.Gentium lib.2. cap.28. *Hæc fortiſſima Petra ab illa principali Petra communionem, et virtutis ſumpſit, et nominis*. Tertullianus quoque lib.4. cap. 13. contrà Marcionem. *Petrum vocat, quia et lapis, et Petra Chriſtus. Itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis nomen peculiariter communicare*. Quod etiam egregiè explicat Arnobius in Comment. in Pſal. 106. Cùm enim per Petram, ex qua in

dtſer-

deserto populo sitienti fluxit aqua, Christus significetur, ait Arnobius: *Vniuersa flumina in deserto huius sæculi benedici vsque hodiè à Petro, et ipsum esse exitum aquarum in sitim; ita vt, qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat*. Hæc ille.

Secundò probatur, quia propter hæc verba Patres vocant Petrum fundamentum Ecclesiæ. Hilarius super hæc verba: *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum*. Sic Cyprianus: *Petrus super quem fundauit Christus Ecclesiam*, lib.1.Epist.3.lib.4. Epist.9. in tract. de habitu virg. in serm. de patientia, & in Epist. ad Quintum fratrem. Sic Hieronymus in 2.cap. Esaiæ,& in cap.16. Hieremiæ, & in Abdiam: *Super vnum Petrum ædificat Ecclesiam*. Idem scribunt Basilius in Com.ad 2.cap.Esaiæ,Origenes hom.5. in Exodum,Cyrillus in Ioannem lib.6.cap.12. Theodoretus lib.5.hæret.fab.cap.de pœnitentia, Chrysostomus homil.26.ex varijs locis in Matth.

Tertiò probatur ex vera ratione fundamenti seu petræ per metaphoram dictæ. Fundamentum tres habet conditiones. 1. Vt sit fortissimum, immobile, & tale cui firmiter inniti posset tota ædificij moles. 2. Vt primum locum in ædificio obtineat, nam à fundamento incipit domus. 3. Vt à nulla parte ædificij dependeat, sicuti cæteræ partes, sed ipsummet sit tota ratio sustinendi alia, cùm ipsum à nulla alia ædificij parte sustineatur. Hæc autem omnia in Petro hìc locum habent.

Nam primùm propter fortitudinem fidei vocatur à Christo Petra. *Petrus Petra dicitur* (ait Ambrosius) *eo quòd tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat*. Serm.47. *Tu es Petrus* (ait Euthymius) *vt qui fidei Petra futurus es; & super hoc robur ædificabo, &c.* in Comment. ad hunc locum. Denique firmitatem accipit à Christo semper ædificante, vt suprà dictum est. Quam etiam ob causam Christus adiecit; *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*: de quibus verbis mox plura. Sed & posteà propter hoc indefectibile robur dictum est ei: *Oraui pro te, vt non deficiat fides tua*. Luc.22. Deinde, ait, in hæc vreba Chrysostomus, *Christum hoc loco id agere, vt homo piscatoris quauis petra firmior reddatur, vniuerso terrarum Orbe reluctante*, homil. 55. in Matth.

Prætereà, Petrus est fundamentum, & Petra Ecclesiæ, propter immobilitatem illius fidei, quam hoc loco professus est: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Hic enim articulus est fundamentum totius reliquæ fidei nostræ. Hic est articulus quem specialiter Iudæi, & Gentes persecuti sunt: Iudæi conspirando, *vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret*, Ioan.9. Gentes iuxta illud Psal. 2. *Fremuerunt Gentes, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius*. Hanc ergo fundamentalem fidem Petrus hoc loco professus, & in eadem fundatus firmiterque roboratus, Petra & fundamentum fit, ad confirmandos fratres suos, Luc.22.

Iuxta secundam fundamenti conditionem Petrus primus mortalium hanc fidem hoc loco professus est, pòsteàque primus eandem fidem docuit Iudæos, Act. 2. Gentes, Act. 10. Vndè notat Ambrosius, *ideò eum Petram esse dictum, eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit*; Serm. 47. Planè sicut Abraham ab Esaia Petra synagogæ vocatur: *Attendite ad petram vndè excisi estis, attendite ad Abraham patrem vestrum*, cap.51. & *Pater multarum gentium*, Genes. 17. quia primò illi reuelatum est de nasciturо ex semine eius Messia, & primus hoc credidit; sic omninò Petrus est Petra Ecclesiæ hoc in loco, & Pater Christianorum, quia illi primò reuelatus est Christus à Patre, ille primus Christum professus est; ille primus Christum Iudæis, & Gentibus prædicauit.

Meritò igitur in ædificanda Ecclesia rationem fundamenti habet, quia, vt ait Hilarius lib.6. de Trinit. *ille subiacet ædificationi Ecclesiæ*; ille primus credit, vt ad ædificium primus pertineat, & primus docet, vt ædificium primus incipiat.

Iuxta tertiam fundamenti conditionem Petrus immediatè à Deo hanc fidem accepit ipso Patre reuelante, quod Christus hoc loco profitetur, & eum hoc nomine *beatum* nuncupat.

Notat hoc Epiphanius, & dicit: *Ioannes, cùm à Filio didicisset, Apocalypsim seu reuelationem suam scripsit; Petrus verò à Patre instructus est, certitudinem fidei fundaturus*. In Anchorat. circa initium. Petrus igitur fundamentum est Ecclesiæ totius in ratione ædificandi, seu colligendi eam, tum quia ipse ad eius structuram primus in ædificio ponitur, idque ipsius primarij architecti, seu agricolæ manu, Dei Patris videlicet, nulloque hominum ministerio fidem edoctus, idcòque à nulla ædificij parte ipse dependens, aut suam quasi coagmentationem accipiens, tùm quia ipse primus reliquas ædificij partes collegit, & sibi fundamento adiunxit, & coagmentauit dum fidem ipsam primus Iudæis, & Gentibus prædicauit, fieretque piscator hominum, & primus, & maximus. Et ad hoc alludens Augustinus dicit, *quòd nos Christiani non quidem in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus, Petri de Christo ædificati sermonibus*, de Ciuitat. Dei lib. 18. cap.54.

His ergo tribus modis probatum est, quòd per hæc verba, *Super hanc Petram*, Christus declarauit personam Petri fore primarium fundamentum ministrale, & primarium architectum suæ Ecclesiæ. In hac tertia obseruatione sequitur pars tertia de illis verbis, *Ecclesiam meam*, hæc enim verba indefinitè dicta, significant totam Ecclesiam Christi, & Petrum totius Ecclesiæ primarium Pastorem fore. Vndè Chrysostomus, exponens quódnam sit proprium Filij donum Petro hìc datum: *Pater*, inquit, *ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerso Orbi Christus præposuit*. Hæc ille homil.55. in Matth. Confirmatur etiam hic sensus per verba sequentia: *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, vtique aduersùs totam Ecclesiam, nam contra partes multas præualuerunt.

Argu-

Argumenta hæreticorum, quòd per illa verba, Super hanc Petram, *perſona Petri non debeat intelligi.*

VT hunc ſenſum verborum Chriſti, qui verè literalis, & germanus eſt, à nobis extorqueant hæretici, & quemuis alium ſubſtituant multa cauillati ſunt.

Primum Argumentum.

Nomine Petræ hoc loco intelligitur Chriſtus ipſe. Ergo non perſona Petri.

Probatur antecedens ex anthoritate Auguſtini tract. vltimo in Ioan. & Serm. 13. de verb. Domini. *Super meipſum*, inquit, *Filium Dei viui ædificabo eam. Super me ædificabo te, non me ſuper te.* Et confirmatur, quia *Chriſtus non dicit, Super hunc Petrum; ſed, Super hanc Petram. Petra autem erat Chriſtus*, Sic Auguſtinus Retract. lib. 1. cap. 21: Rurſùm confirmatur, quia Chriſtus hìc de paſſiua ædificatione loquitur ipſius Petri, quæ præter cæteros, & ſupra cæteros propter maiorem fidei feruorem à Chriſto ædificatus eſt, iuxta illud ædificandi genus omnibus fidelibus commune, de quo ipſe Petrus dicit: *Tanquam lapides viui superædificamini in domos ſpirituales, &c.* 1. Pet. 2. Eſt argumentum Caluini Inſtitut. lib. 4. cap. 6. num. 1.

Secundum Argumentum.

Hic ſenſus incurrit maledictum Hieremiæ: *Maledictus homo qui confidit in homine*, cap. 17. & docet Eccleſiam ædificari ſuper hominem, quod eſt blaſphemum. Et confirmatur ex Auguſtino ibidem, qui contra hunc ſenſum hoc ipſum inconueniens adfert, dicens: *Volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant, Ego ſum Pauli, ego Cephæ, &c.*

Tertium Argumentum.

Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, quàm quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, 1. Corinth. 3. Ergo Apoſtolo contradicit, quòd Petrus hoc loco ponatur pro fundamento Eccleſiæ, & eſt magis fidei conueniens, ac ſalutare, Chriſtum in fundamento ponere, quàm Petrum. Et confirmatur ex antitheſi vtriuſque. Petrus erat *Petra ſcandali* negans Chriſtum, Luc. 22. & vocatus *Sathanas* hoc eodem cap. Matth. 16. Chriſtus verò ipſe Filius Dei, & qui deuicit Sathanam.

Quartum Argumentum.

Omnes Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fundamentum quoad miniſterium, & ſub Chriſto. Ergo non poteſt hoc loco Petrus ſingulariter poni fundamentum. Patet antecedens ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentu Apoſtolorum, & Prophetarum.* Apocal. 21. *Eccleſiæ Ciuitas habet duodecim fundamentu duodecim Apoſtolorum.*

Probatur conſequentia, quia ſic fieret iniuria alijs Apoſtolis, vel ſaltem nihil hic ampliùs Petro, quàm poſteà alijs confertur, atque ita non vnum, ſed multa erunt ſuprema Eccleſiæ Capita.

Confirmatur etiam antecedens authoritate. Andreas vocatur primus, Ioan. 1. mittuntur bini ad prædicandum, quod apertè excludit omnem ſuperioritatem; Luc. 10. Aſſignantur illis duodecim ſedes æquales, *iudicantes duodecim tribus Iſrael*, Luc. 22. Omnes æquales mittuntur ad prædicandum; Matth. 28. Super omnes deſcendit Spiritus Sanctus Act. 1. Hieronymus ſcribit, *Super omnes Apoſtolos fundari Eccleſiam, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudinem ſolidari*; lib. 1. contra Iouinianum.

Quintum Argumentum.

Patres hæc verba, *Super hanc Petram*, intelligunt de fide & confeſſione Petri. Sic Chryſoſtomus in Comment. ad hunc locum, & ſuper Pſal. 32. & Serm. 21. de Pentecoſte, ſemper exponit, *Super hanc Petram*, id eſt, *ſuper fidem, atque confeſſionem quam Petrus fecit.* Cyrillus Alexand. Dialog. de Trinit. lib. 4. Petram hoc loco per agnominationem nihil aliud quàm *inconcuſſam, & firmiſſimam diſcipuli fidem* vocaſſe Chriſtum ſcribit. Similiter Hilarius de Trinitate lib. 6. *Super hanc confeſſionis Petram Eccleſiæ ædificatio eſt*, & paulò poſt: *Hæc fides, Eccleſiæ fundamentum eſt.*

Sic etiam exponit hæc verba Ambroſius in Comment. ad Epheſ. 2. & Auguſtin. in Ioan. tract. 124. de verb. Domini Ser. 20. Hieron. in Comment. ibidem: *Per hanc Petram intelligimus Chriſtum, quem Petrus confeſſus eſt.* Sic & Gloſſa ordinaria exponit. Denique ſic ſuſtinet intelligendum eſſe Cardin. Cuſanus Concord. Cathol. lib. 1. cap. 13. Quin & idem ſenſus apud quoſdam etiam Romanos Pontifices inuenitur, vt apud Leonem Magnum, Agathonem, Adrianum Primum, & Nicolaum Primum, in Epiſt. ſuis decretalibus. Hic ergo eſt literalis verborum horum ſenſus.

Et confirmatur, quia hunc ſenſum nulla abſurda conſequuntur, qualia iam recenſuimus: imò hic ſenſus neceſſarius eſt, quia fides Mediatoris reuera eſt fundamentum omnium credibilium, reſpectu ſtatus noui Teſtamenti, & huius articuli explicita cognitio ſola facit hominem Chriſtianum, & hanc fidem Petri, atque confeſſionem repetit Ioan. cap. 6. tanquam fundamentum doctrinæ Chriſti, cùm multi ab eo recederent. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, ait ad Chriſtum Petrus.

Dilutio eorundem.

Ad hęc omnia ordine reſpondetur.

Ad Primum Argumentum.

REſpondetur, Chriſtus in his verbis intelligi non poteſt.

Primùm, quia perſona Petri intelligitur, vt probatum eſt.

Secundò, quia Chriſtus eſt quidem petra, ſed non *hęc petra*, vt dictum eſt.

Tertiò, quia loquitur de futura ædificatione; ait enim, *ædificabo*. At super Christum ab origine Mundi ædificata erat Ecclesia, & ille semper erat *angularis lapis*, ad Ephes. 2. quia semper in eum credere oportebat, *nec in alio nomine poterant homines salui fieri*, Act. 4. imò & ipsa Christi Ecclesia propriè dicta iam cœperat ædificari super Christum, vocatis Apostolis, & ad prædicandum missis, vt dictum est conc. 2.

Quartò, quia, loquitur de ædificatione per seipsum facienda: Deus autem super Christum, non Christus super seipsum ædificat, vt iam dictum est; & adhuc probatur, quia Christus *non seipsum glorificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum*, &c. Heb. 5. Non seipsum fecit Caput Ecclesiæ, sed *Deus dedit eum Caput super omnem Ecclesiam*; ad Ephes. 1. Sic Christus non facit seipsum hoc loco fundamentum, sed Pater ab ipso incarnationis momento hanc illi dignitatem contulerat. Ad auctoritatem August. responde, quòd est sensus moralis, non literalis. Ad confirmationem ex eodem responde, quòd Petrus, & petra in Syriaco sermone, quo Christus locutus est, non differunt omninò, ideòque Syriacè Christus dixit: *Tu es Petra, et super hanc petram*. Vtrobique enim dixit *Cephas*, quod petram significat. Vide Hieron. in Com. ad Gal. cap. 2. Vide etiam Antidota nostra Euangelica ad hæc eadem verba.

Præterea, Aug. eodem in loco vtrumque sensum probat, tam nostrum, quem attulimus, quàm hunc alium, iubetque *eligere lectorem quem velit*. Ad alteram confirmationem responde, Christum apertè de ædificatione Ecclesiæ super hanc petram loquutum fuisse, siue Petrus, siue aliquid aliud per hanc petram intelligatur: de ipsius autē Petri passiua ædificatione non loquitur; nam & nulla talis fuit in Petro singularis. Iacobus, & Ioannes (quem diligebat Iesus) propter fidei, & charitatis feruorem vocati sunt filij tonitrui, Marc. 3. Paulus in labore ministerij *plus omnibus laborauit*, 1. Cor. 15. Ratione sanctitatis *non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista*, Matth. 11. Itaque præter potestatem, & auctoritatem vix aliquid in Petro super cæteros erat. Est autem *Cephas nomen auctoritatis*, ait Chrysost. hom. 18. in Ioan. Quare hoc vocabulo vtitur Paulus, cùm Petri potestatem significare vult, ad Gal. 2. *Dixit Cephæ coram omnibus*, & 1. Cor. 1. *Ego sum Pauli, ego Cephæ*. Vide Thom. Waldensem Doctor. fidei lib. 2. cap. 5. Eodem enim argumento vsus est Wicleff.

Ad Secundum Argumentum.

Hic sensus non ponit Petrum Ecclesiæ fundamentum, aut caput vt hominem humana tantùm facultate præditum, sed vt petram à Christo factum, & in fide semper à Christo rohorandum; vt iam dictum est. Ad confirmationem ex August. responde, Augustinum in priori sensu negare Petrum esse fundamentum propter Donatistas, qui ex hominum sanctitate veritatem Sacramentorum pendere volebant. Et hæc est causa quare Augustinus vbique ferè in alterum sensum propendeat, vt per hanc petram non persona Petri, sed Christus intelligatur.

Ad Tertium Argumentum.

Petrus non est aliud fundamentum, specie videlicet, vel toto genere à Christo distinctum, quale est qui à Christo non mittitur, sed seipsum ingerit, vel qui Christo apertè aduersatur; sed est alterum fundamentum, eiusdem quidem generis, sed accidente differens: cùm Christus sit fundamentum principale absolutum, atque vitale, Petrus verò fundamentum, participatum, & ministeriale. Denique non est *allon* sed *eteron*. *Christus* (ait Augustinus) *fundamentum est primum, et maximum, quo vlterius nihil est. Sed vt Christus apertè dicitur Sanctus sanctorum, sic figuratè dicitur Fundamentum fundamentorum*. Hæc ille enarrat in Psal. 86. Quemadmodùm ergo principaliter Christus est *bonus pastor*, Io: 10. *vnus Magister*, Matth. 23. *vna lux vera, qua illuminat omnem hominem*, Ioan. 1. & tamen ministerialiter, & per participationem multos dedit *pastores, atque doctores*, Ephes. 4. quibus etiam dixit, *Vos estis lux mundi*, Matth. 5. sic omninò Christus est vnicum fundamentum principale. 1. Cor. 3. sed per participationem *superædificati sumus super fundamenta Apostolorum*, ad Ephes. 2. & *fundamenta domus Dei in montibus sanctis* Psal. 86. & licèt præparatus sit *mons domus Domini in vertice montium*, Esa. 2. idest, Christus in capite pastorum, tamen (ait Hieron. ibidem) *super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, et loquitur ad eum, Tu es Petrus*, &c.

Sed hanc rem totam S. Basilius præclarè exponit in homil. de pœnitentia: *Licèt Petrus petra erat, non tamen petra erat vt Christus. Nam Christus verè est immobilis petra, Petrus verò propter petram. Axiomata sua Iesus largitur alijs, largitur autem ea non euacuatus, sed ea nihilominùs habens. Petra est, et petram facit*. Hæc ille. Ad confirmationem responde, quòd nulla hic est antithesis inter Christum, & Petrum, sed Petri quidem ad Christum subordinatio, Christi verò respectu Petri gratiosa communicatio, & perpetua cooperatio, vt ostensum est: non enim Simon Bar-Iona, sed Petrus à Christo petra factus est Ecclesiæ fundamentum.

Ad Quartum Argumentum.

Omnes Apostoli erant quædam fundamenta, & quidam architecti ad fundandam, inchoandam, vel colligendam, item ad pascendam, & regendam, vel perficiendam Ecclesiam; sed solus Petrus erat primarium fundamentum ministeriale, & generalis architectus; quia soli illi dictum est, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, idest, vniuersalem, vt ostensum est. Omnibus Apostolis commune hoc erat, *vt prædicarent Euangelium vbi non erat Christus nominatus, nec super alienum fundamentum ædificarent*, sed ipsi primi fundatores essent, & vt *sapientes architecti fundamenta ponerent*, vt Paulus de seipso scribit ad Rom. 15. & 1. Cor. 3. Sed inter ipsos fundatores ministeriales, vnus erat Petrus, & ordine, & tempore primus fundator, vt antea ostensum est; & robore, ac soliditate cæteris robustior, ac magis inuictus, vt Christi verba

Verba hoc loco affirmant; & res ipsa iam ostendit, quia Petri Ecclesia adhuc firma manet, cæterorum omnium Apostolorum labores, & Ecclesiæ, quàm primùm à Petri consortio recesserunt, & ab illo firmari desierunt, vel ad Paganorum confusionem redierunt, vel in languore schismarico contabuerunt. Omnes erant fundamenta, sed non omnes erant Petræ. Soli Petro hoc Christus promisit, & postea contulit, *orans pro fide eius,vt non deficeret*, Luc. 22. Omnes erant in Apostolico hoc, & fundatorum officio fratres, sed soli Petro dictum est, *Confirma fratres tuos*, Luc.23. quia ille solus erat per participationem petra, vt suprà ex Patribus ostensum est.

Responde igitur breuiter, omnes Apostolos esse fundamenta quoad reliquam Ecclesiam, & sibi subditos æqualiter, sed quoad se inuicem non æqualiter;quia ipsorum Apostolorum Caput erat Petrus. Omnes habebant parem potestatem,quoad amplitudinem rerum gerendarum circa subiectas sibi oues, sed in ordine gerendi supremus erat Petrus; ne posita omnimoda æqualitate sequeretur schisma. Probatur hic sensus primùm, quia à Patribus communiter Petrus vocatur *Caput,Princeps,Coryphæus Apostolorum*.A Chrysostomo vocatur *Vertex totius consortij Apostolici*, hom. 55. in Matth. & *Princeps Apostolorum*, hom. 27. ex varijs locis in Matth. *totius Orbis Magister*, hom. 87. in Ioan. *cætus Apostolici Vertex, & Coryphæus*, hom.87. in Ioan. Ab Epiphanio vocatur *Coryphæotatos Apostolorum*, in Anchorat.ab Augustino *alter Paterfamilias*, respectu Apostolorum, in quæst. ex nouo Testamento, qu.45. imò *alter primogenitus* à Chrysostomo hom.59. in Matth. ab Optato lib. 2. *omnium Apostolorum Caput*, à Theodoreto *Princeps Apostolorum*,in Com.ad Gal. cap. 1. Gregorius Magnus vocat alios Apostolos *sub vno Capite Petro omnes membra Ecclesiæ, & singularum plebium capita*, Regist. lib.4. epist. 38. Augustinus *primatum Apostolorum in ipso Petro excellenti gratia præeminere*, scribit de bapt. contrà Donat. lib.2. cap.1.

Deinde probatur, quia Patres quando æqualitatem cæterorum Apostolorum ponunt, hanc tamen Petri prærogatiuam respectu aliorum disertè docent, idque seruandæ vnitatis causa. Hieron.in arg.citatus etsi dicat,*super omnes Apostolos Ecclesiæ fortitudinem ex æquo solidari*, tamen vt intelligas hoc eum sentire respectu subditorum tantùm, & stante vnitate cum vno Capite Petro, addit: [Tamen inter duodecim vnus eligitur,vt Capite constituto, schismatum tollatur occasio.] lib.1. contrà Iouin. Sic Cyprianus cùm dixisset, [omnes Apostolos pari consortio præditos fuisse honoris, & potestatis,] adiecit statim: [Sed exordium ab vnitate proficiscitur, primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur.] Et paulò antè: [Quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat Christus, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit; & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit.] Hæc ille.

Docet omnes esse, quoad sibi subditos in regendo ouili pares; tamen, vt vnitas totius gregis conseruetur, esse quandam originem ab vno incipientem, Petro videlicet,cui sua auctoritate hoc Christus disposuit dicens illi, *Super hanc petram*, &c. Hæc enim Christi verba in præcedenti sermone Cyprianus allegauerat, & ex illis verbis hanc conclusionem intulerat. Et notandum, quòd cùm Christus, nec prædicaret gentibus,Matth.15. nec, dum in terris ageret, prædicari permisit Matth. 10. per Petri prædicationem inchoari Ecclesiam suam in vocatione Gentium voluit: sanè vt ostenderet vnum Petrum Ecclesiæ Gentium primum preesse,à quo principium acciperet.

Nunc ad reliqua in Argumento citata. Andreas erat primò vocatus, sed Petrus manifestè prælatus. De 27. Discipulis, non de Apostolis dictum est, quòd bini, & bini ad prædicandum mitterentur, Luc. 10. Duodecim sedes attribuuntur 12. Apostolis propter gloriæ quandam æqualitatem in altera vita, non propter potestatis omnimodam æqualitatem in hac vita. Illa etiam gloria non potestati huius vitæ, sed merito, & laboribus respondet. Omnes æqualiter mittuntur ad prædicandum, & pariter accipiunt Spiritum sanctum, quia respectu cæterorum fidelium sunt omnes æqualiter capita,& magistri,non autem respectu mutuo ad se inuicem, vt dictum est. Sanè quilibet Parochus in sua parœcia,& Episcopus in sua diœcesi, pari potestate fungitur quoad verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem, respectu omnium subditorum. Et hoc est quod Cyprianus dicit, *vnum esse Episcopatum,cuius partem vnusquisque Episcopus in solidum tenet*, lib. de vnit. Eccles. nempè quia vnusquisque pro animabus subditorum suorum respondebit, & solus ille quasi proprius eorum pastor.

Quare vt inter multos Ministros verbi, quorum vnusquisque æqualiter potest verbum Dei prædicare, & Sacramenta administrare vnus tamen est Pastor, & quasi Decanus classis, qui in vtroque genere quoad dispositionem, & politiam generalem præsidet, iuxta Caluinistas;& vt inter multos pastores, atque parochos vnus est Episcopus, vt omnes Lutherani agnoscunt, imò & inter ipsos Episcopos vnus est Archiepiscopus (vt Angloaluinistæ nobiscum volunt) qui quoad iurisdictionem maior est,vt in præced.Contr. qu.3. ostensum est: sic inter 12. Apostolos, & fundamenta Ecclesiæ 12. vnus erat Petrus Apostolorum Caput, & fundamentum primarium, Nec æqualitas Apostolorum respectu subditorum ipsis, magis tollit Petri primatum in respectu mutuo ad inuicem,quàm æqualitas Ministrorum in sensu Caluinistarum tollit primatum vnius ad tempus Decani, aut æqualitas pastorum, & Episcoporum in sensu Lutheranorum, & nostro tollit superiorem gradum, vel Episcopi super pastores, vel Archiepiscopi super Episcopos.Hæc igitur cauillatio, nisi cum absoluta prorsùs omnium Ministrorum æqualitate subsistere non potest.

Ad quintum argumentum,quod magna SS. Patrum auctoritate niti videtur, respondet, totum esse verum, quod ex Patribus affertur; sed illud totum sensui hactenùs confirmato de persona Petri nihil repugnare, sed po-

potiùs astipulari. Non enim Petrus est fundamentum Ecclesię absque fide, sed Petrus in fide, quam illic confessus est, à Christo roboratus, est tale fundamentum; & propter talem fidem, quam primus professus est, Matth. 16. quam immediatè à Deo solus accepit, ibidem; quam primus docuit, Act. 2. in qua ædificante Christo ipse semper ædificat. Matth. 16. & confirmat alios roboratus à Christo Luc. 22. factus à Christo fundamentũ Ecclesiæ. Sic Abraham erat *Petra Synagogæ*, Esa. 51. erat *Pater credentium* (Rom. 4.) propter fidem qua credidit Deo de futuro Messia. Fides autem ipsa quam Petrus confessus est, per se accepta, & vel in nullo, vel in quouis supposito considerata, fundamentum Ecclesiæ esse non potest: id est, super talem fidem, vel à nemine prædicatam, & assertam, vel ab alio quàm à Petro prædicatam, Ecclesia infallibiliter ædificari iuxtà Christi hoc loco promissionem non potest.

Probatur priùs; quia fides à nemine prædicata, neminem etiam docet, aut in Ecclesiam colligit: actiones enim sunt suppositorum.

Probatur posteriùs, quia nemini alij, quàm Petro Christus dixit; *Super hanc petram*, &c. Non possumus igitur de aliqua alia persona certi esse. Christi enim promissionibus, non humanis coniecturis, fides nostra nititur. Deinde, si super fidem quam Petrus confessus hoc loco est, ædificari Ecclesiam ponimus extra personam Petri, & successorum eius, æquè ac pariformiter hanc prærogatiuam, quiuis fidelis sibi vendicabit, & æquè super vnumquemque ædificabitur Ecclesia.

Nulla enim ratio est cur hanc prærogatiuam vnus sibi magis quàm alius (quantumcumque de fidei suæ certitudine glorietur) vendicare possit, cùm soli Petro, & eius locum, & gradum tenentibus, (vt posteà probabitur) Christus hoc promiserit. Est ergo (vt Patres verè affirmant) *fides Petri, seu confessio fidei*, quam Petrus hoc loco fecit, *fundamentum Ecclesiæ*; non autem fides vaga, sed determinata ad aliquod subiectum; nec qualiscumque, sed roborata; nec quomodo libet roborata, *sed ad confirmationem aliorum*; ac denique non in quocumque subiecto, sed in solo Petro: cui soli Christus loquens hoc promisit cuius solius fidem Christus hic laudauit, & remunerare voluit, cui soli posteà dixit, *Confirma fratres tuos* Luc. 22. *Pasce oues meas*, Ioan. 21. & multa alia.

Prętereà, hunc sensum ijdem Patres in argumento citati confirmant. Chrysost. enim cum dixisset, *Super hanc petram, id est, super fidem*; pauló pòst dicit: *Sublimiora Petrum sapere Christus facit, & Ecclesiæ pastorem constituit*. Hom 55. in Matth. & pauló pòst concludens ait: *Tu ex his omnibus, quanta sit Petri potestas, intellige. Et ego tibi dico quia tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam*. Cyrillus quoque Dialog. lib. 4. cum dixisset, *Petram hoc loco firmissimam discipuli fidem Christum vocasse* pauló pòst ait, *hos nobiles honores B. Petrum consecutum esse*; docens quòd antea, cùm fidem exponeret, Petri personam non excluderet, sed manifestè includeret.

Sic Hilarius lib. 6. de Trinit. cùm dixisset, *Super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est*; addit pauló pòst: *Hæc fides regni cælestis habet claues*. Quod tamen non de fide ipsa seorsim accepta, sed de persona Petri habente illam fidem, necessariò intelligendum est. Personæ enim illi dictum est: *Tibi dabo claues*, &c. Ambrosij, & Hieronymi verba suprà produximus, in quibus noster sensus astruitur. Augustinus quoque hunc non improbat; sed alium libentius sequitur, tanquam magis mysticum, & moralem sensum, quo ille magis delectari solet: de qua re mox plura. Ad confirmationem responde, supra fidem mediatoris esse quidem fundamentum omnium credibilium respectu singulorum credendum, sed Ecclesiæ ædificandæ fundamentum respectu totius corporis fidelium illam non esse, nisi quatenùs in Petro roborata est. Sanè locus Ioannis nostram sententiam confirmat: illic enim vacillantibus alijs discipulis, multisque abeuntibus, Petri fides fratres confirmauit, cum diceret Christo: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*.

Quarta Conclusio.

CHristus vt Petrum supremum Ecclesiæ pastorem designaret, promisit ei totius Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem in illis verbis Matt. 16. *Et tibi dabo claues regni cęlorũ*.

Probatur, quia tota, & adequata potestas clauium Regni cęlorum est tota, & plena potestas supra regnum Cęlorum, id est, supra Ecclesiam militantem. Et confirmatur, quia clauium potestas propria est aperire, & claudere, quocumque tandem modo id fiat. Tota igitur ratio claudendi, & aperiendi regnum cęlorum Petro hoc loco promittitur. Clauditur autem, & aperitur regnum cœlorum in tota, & completa gubernatione Ecclesiastica. Aperitur videlicet quando, vel ad communionem Ecclesię militantis aliquis primò introducitur per prædicationem verbi, aut per Sacramenta, vel in eadem communione conseruatur per eandem prædicationem, per Sacramenta varia, & per legum salutarium constitutionem, vel perficiuntur aliqui qui vtrumque hoc officium Ecclesiæ præstent.

Clauditur verò quando, vel ab eadem communione aliquis excluditur per excommunicationem à Sacramentorum communione, per suspensionem ab exercitio officij alicuius spiritualis, per depositionem, & degradationem, vel denique per ligamen peccatorum, quæ est absolutionis negatio. Hanc variam apertionem regni cœlorum docent Scripturæ, & Patres. De apertione per doctrinæ prædicationem dicit Paulus 1. Ti. 4. *Hæc faciens teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt*. Vndè, & Hieron. in cap. 14. Esaiæ scripsit, *Apostolos soluere homines sermone Dei, & testimonijs Scripturarum, & exhortatione doctrinæ*. Eodem sensu scripsit Tertul. in lib. de pudicitia, *Petrum, & in primo baptismo, & in disceptatione illa de non seruanda lege veteri, Act. 15. reserasse aditum ad regna cœlorum*. Ad hoc genus videlicet pertinet clauis scientiæ in magistris Ecclesiæ, qua quidem claue, quia magistri veteris Synagogæ abusi sunt, taxat eos hoc nomine Christus dicens Luc. 11. *Tulistis clauem scientiæ*, &c. Denique hanc cla-

clauem Chriſtus exercuit, Luc. 24. *cùm aperiret Scripturas* duobus diſcipulis poſt reſurrectionem. Poſtremò hanc *clauem ſcientiæ* tribuit Ambroſius *Paulo*, *& clauem potentiæ Petro*, ſerm. 66. Non quia, vel hanc Paulus, vel illam Petrus non habuerit, ſed quia in hac potentię claue Petrus excelluit, in illa ſcientiæ claue Paulus eminuit.

Probatur præterea concluſio, quia plenitudinem poteſtatis in Chriſto nomine clauium Scriptura exprimit. Primùm, in figura Chriſti ſummo ſacerdori Eliacim apud Eſaiam dicitur cap. 22. *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius; & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat.* Deindè de perſona Chriſti aperte idem affirmatur Apoc. 3. Dicitur enim *Sanctus ille, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Hanc ergo poteſtatis plenitudinem, clauis nomine expreſſam, Chriſtus in Petro huius poteſtatis ſuæ Vicario futuram docet, dicens illi, *Tibi dabo claues regni cęlorum*: ideſt, Tu aperies, & nemo claudet; tu claudes, & nemo aperiet. Quare Hilarius in Com. in hunc locum vocat Petrum *beatum cęli ianitorem, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur.* Qua etiam phraſi, & titulo ornat B. Petrum Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 6. & 17. Hippolytus quoque in oratione de conſummatione Mundi, & Theodorus Studites in Epiſt. ad Paſchalem primum, vt refert Franciſcus Turrianus pro Epiſt. Pontiſ. lib. 2. cap. 6.

Hæreticorum argumenta contra claues Petro datas.

Primum Argumentum.

CHriſtus per claues regni cœlorum intellexit tantùm poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Patet, quia ſtatim ſubiecit exponens quid vellet. *Et quodcumque ligaueris ſuper terram*, &c. Hæc autem poteſtas omnibus Apoſtolis æquè data fuit, Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram*, &c. & rurſum Io. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Nihil ergo ſingulare Petro promiſſum eſt hoc loco. Et confirmatur, quia ſic Hieron. affirmat *cunctos Apoſtolos claues regni cęlorum accepiſſe*, lib. 1. contra Iouin. & Cyprianus docet *omnibus Apoſtolis parem poteſtatem Chriſtum tribuiſſe* in illis verbis Ioan. 20. in lib. de vnitate Eccleſię. Auguſt. tract. 124. in Ioan. ait *totam Eccleſiam in Petro accepiſſe claues regni cęlorum*, id eſt, poteſtatem ligandi, atque ſoluendi.

Secundum Argumentum.

Claues datæ ſunt Petro, non quia perſonæ eius, ſed quia toti Eccleſiæ, cuius ille figuram, atque perſonam gerebat, datæ ſunt. Sic Auguſtinus perpetuò rem exponit. *Si in Petro*, inquit, *non eſſet Eccleſiæ ſacramentum; non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues. Et ſi hoc Petro tantùm dictum eſt, non hoc facit Eccleſia. Sed ſi in Eccleſia hoc fit, Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.* Hæc ille tract. 50. in Ioan. Rurſum, *Quod ad Petrum*, inquit, *propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt. Tibi dabo claues vniuerſam ſignificabat Eccleſiam.* Hæc ille tract. 124. in Ioan. Et adhuc apertiùs Enarrat. in Pſal. 108. *Quædam*, inquit, *dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habens illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam; ſicut illud eſt, Tibi dabo claues.* Et confirmatur hoc argumentum, quia vocantur à Patribus *claues Eccleſiæ*, non claues Petri. Sic Auguſt. hom. 50. de doctr. Chriſtian. lib. 1. cap. 18. de baptiſ. contra Donatiſtas lib. 7. cap. 51. Datæ ſunt ergo Eccleſiæ, non perſonæ Petri.

Tertium Argumentum.

Claues hoc loco ſignificant poteſtatem prædicandi Euangelium communiter omnibus Eccleſiæ Miniſtris datam: Ergo non plenitudinem aliquam poteſtatis ſoli Petro promiſſam. Patet antecedens, quia clauem regni cœlorum Chriſtus exponit eſſe *clauem ſcientiæ, quam habebant legisperiti*, vt homines introirent in regnum cœlorum, Luc. 11. Hæc eſt autem verbi prædicatio; & nunc quidem Euangelij annunciatio per Miniſtros verbi, quam Paulus vocat *verbum reconciliationis*, 2. Cor. 5. Et confirmatur hic ſenſus, quia ſumma Euangelij hæc eſt, quòd per Chriſtum à peccatis redemptionem accepimus. Hoc in prædicatione verbi dum annunciatur, ſoluuntur peccata credentium, ligantur non credentium. At hæc poteſtas omnibus Eccleſiæ Miniſtris communis eſt. Imò non tam poteſtas, hæc eſt, quàm miniſterium; ipſorum hominum reſpectu. Poteſtas enim propriè in verbo eſt, miniſterium hominum eſt. Hæc eſt tota poteſtas clauium, & à poteſtate iuriſdictionis, quę eſt excommunicatio perſonalis, vel reconciliatio, quam Chriſtus in verbo ligandi, & ſoluendi expreſſit hoc loco, & Matth. 18. planè diſtincta, adeòque illa inferior. Hęc eſt Caluini in hunc locum interpretatio, quam vocat *non argutam, non coactam, non detortam, ſed germanam, fluentem, obuiam*; Inſtitut. lib. 4. c. 11. nu. 1. quam ſequitur Philip. de Mornay c. 7. Tractatus de Eccleſia.

Solutio eorundem.

Ad primum Argumentum.

REſponde, illa verba, *Et quæcunque ligaueris*, &c. non eſſe expoſitionem aliquam illorum verborum, *Tibi dabo claues*, ſed rem planè diſtinctam promittere. Probatur primùm à particula coniunctiua. *Et*. Sicuti enim cætera omnia præcedentia per coniunctionem diſtinguuntur, iſta videlicet. *Et ego dico tibi, & ſuper hanc Petram, & portæ inferi non præualebunt; & tibi dabo claues*: ſic poſtremum iſtud eodem modo prolatum à præcedentibus diſtinguitur, *Et quodcunque ligaueris &c.* Chriſtus enim multa hoc loco per accumulationem Petro dixit. Primùm, *quod ille eſſet Petrus*, ſeu Petra quædam; ſecundo, quòd *ſuper illam petram ædificaret Eccleſiam ſuam*; tertiò, quòd ſic ædificaretur, *vt portæ inferi*

non

non prænalerent, &c. quartò, *quòd daret illi claues*, quintò nunc atque postremò. quòd habiturus esset, *potestatem ligandi, atque soluendi*. Est igitur, & hoc à præcedentibus distinctum, vt præcedentia omnia inter se distincta sunt. Sic autem distinctum est, vt sit pars potestatis clauium, non autem tota, & adæquata potestas earum.

Nempè, vt Scholastici Doctores vnanimiter hanc potestatem ligandi, & soluendi exponunt, est iurisdictio in foro exteriori excommunicandi, suspendendi ab officio, & vicissim reconciliandi, & restituendi, iuxta similia verba Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis*, quæ haud dubiè ad forum externum pertinent, vt & ipse Caluinus loco citato rem accipi. Nam iurisdictionem in foro interiori per veram coram Deo remissionem peccati, in alijs Christi verbis fundari, Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. ijdem Scholastici docent, sicuti, & suam commentitiam remissionem per Euangelij annunciationem in eisdem verbis ponit Caluinus loco citato.

Sed hæc tota expositio non est totalis, & æquiualens, sed partialis, eademque minor pars potestatis clauium. Iurisdictio enim in foro interiori maior planèque, maxima pars est potestatis clauiũ; vtpotè, quæ & animam verè soluit, aut ligat, & à solo sacerdote iurisdictionem habente exerceri potest: altera verò etiam à non sacerdote exercetur; etiam iuxta Caluinistas, qui suis Senioribus de plebe hominibus illam attribuunt, & animam sæpè non pertingit. Non possunt ergo illa verba, *Et quodcumque ligaueris*, &c. stare pro insta, & plena explicatione aliorum verborum, *Tibi dabo claues*, &c.

Ad confirmationem ex Patribus respondeo primùm, ex Scripturis non haberi, quòd cæteri Apostoli claues acceperint. Deindè, quòd Hieronymus hoc dicat, illum agonisticè hoc dicere, & in certamine contra aduersarium Iouinianum hæreticum, non autem dogmaticè, aut positiuè. Illa autem distinctio quantum valeat, & quàm sit interdum necessaria, vide Basil. Epist. 64. & Athanas. in libello de decretis Nicœnæ Synodi.

Tertiò responde, tam ad Hieron. quàm ad Cypriani, aut aliorum Patrum verba, quòd omnes Apostoli parem potestatem à Christo acceperint ratione Apostolatus temporanei, & quoad sibi subditos, non autem ratione officij pastoralis duraturi, & in respectu mutuo ad se inuicem, vt dictum est in concl. 3. Resp. ad 4. arg.

Quartò responde, quòd Patres, cùm dicunt cæteros Apostolos accepisse claues, hic exponunt quoad potestatem ligandi, atque soluendi, quod fatemur; non autem illud exponunt, quo ad plenam, & adæquatam potestatem clauium.

Quintò responde, solum Petrum *singulariter*, *& nominatim* tum claues ipsas, tum potestatem ligandi, atque soluendi hoc loco accepisse, cæteros verò Apostolos *non nisi communiter*, Matt. 18. & Io. 20. vt videlicet intelligeremus Petrum ratione primatus, & regiminis solùm accipere, cæteros verò accipere quoque quoad plenissimam executionem, sed non quoad supremum aliquod regimen, & nec quoad præcipiendi, atque deriuandi vim in alios omnes, etiam ipsos reliquos Apostolos.

Hoc enim vni datum est, *ad schisma tollendum*, vt suprà ex Hieronymo ostendimus; *& ad vnitatis Ecclesiasticæ originem demonstrandam*, vt ex Cypriano ostendimus. Hanc ob causam *à Petri cathedra, tanquam principali, vnitatem sacerdotalem oriri*, scribit Cyprianus in lib. 1. Epist. 3. Illam quoque *Ecclesiæ catholicæ radicem, atque matricem* vocat libro 4. Epist. 8. Propter hunc sensum scribit Optatus, *in vna Petri cathedra vnitatem ab omnibus seruari, ne cæteri Apostoli singulas cathedras sibi quisque defenderet*; libro 2. contra Par. nempè singulas absque vnitate capitis, à quo ad cæteros potestas immediatè deriuatur; iuxta illud S. Leonis in Anniuersario assumptionis suæ: *Firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis confertur*. Quare solus Petrus à Christo ordinatus, & factus Pastor Ecclesiæ suæ, Ioan. 21. alios Apostolos Episcopos creauit, vt Iacobum Hierosolymis, teste Eusebio lib. 2. cap. 1. & Chrysost. hom. 87. in Ioan. Sic solus Petrus à Christo baptizatus est, ipse autem *Andream, & Iacobum, & Ioannem, & alios baptizauit*, vt refert Clemens Alexandr. lib. 5. Hypotyposeon.

Ad secundum Argumentum.

Ad 2. responde, claues quidem Ecclesiæ datas esse in persona Petri (intelligendo semper per claues potestatem ligandi, & soluendi, vt semper intelligit August.) idque, *quia figuram gerebat Ecclesiæ*, vt August. dicit; sed addendum ex Augustino quod hæretici detruncarunt, *propter primatum, quem in discipulis habuit*; loco citato in Psal. 108. & rursum, *propter Apostolatus sui primatum, totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam*; loco citato ex tract. 124. in Ioann.

Accepit ergo Ecclesia, idest, tota communitas Prælatorum Ecclesiæ, in persona Petri tanquam in persona Capitis, vt Respub. in persona Principis, vel magistratus supremi; aut vt Senatus ciuicus in persona primi scabini, seu Consulis. Talis acceptio non excludit personam Petri, aut Principis in Rep. vel primi scabini, aut Consulis in Senatu, sed maximè, & potissimùm includit.

Ille enim non solùm cum cæteris accipit, sed etiam præ cæteris, inquantum Caput est cæterorum. Sic Rex in persona regni, propter primatum quem gerit, *accipit à Deo gladium quem portat*. Accipiunt quoque eundem gladium alij iudices, & prætores etiam ex ordinatione Dei, sed per manum Regis, & immediatam eius potestatem. Ita Petrus accipit claues in persona omnium Apostolorum *propter primatum* (ait August.) quas postea Apostoli quoque cæteri accipiunt, & quidem à Christo, sed per Petrum.

Quòd si nomine Ecclesiæ totum corpus fidelium intelligis, datæ sunt quidem, & illi, sed ratione finis, non formaliter; quia propter fideles, non propter Petrum datæ sunt, verè tamen, & formaliter ipsi Petro. Et hoc sensu vocantur à Patribus *claues Ecclesiæ*, non claues Petri. Porrò sensus ille Augustini *illustris est intellectus*, & mysticus, vt & ille quo-

quoque, *quòd Iudas gerit personam inimicorum Christi*, quem etiam ibidem in Psalm. 108. August. tractat; literalis tamen, & proprius intellectus est de persona Petri hoc loco, & de persona Iudæ illo loco, *Episcopatum eius accipiat alter*; Psal. 108.

Ad tertium Argumentum.

Responde, quòd prædicatio Euangelij est tantùm vna pars potestatis clauium, vt dictum est. Reliqua tota cauillatio vno falso fundamento nititur, illo videlicet, quòd remissio peccatorum in Ecclesia nulla est alia, quàm per prædicationem Euangelij; quam in nostris Antidotis Euangelicis refutauimus, ad Ioan. cap. 20. vers. 23. Tollit enim ab Ecclesia cum Nouatianis omnem vetam potestatem remittendi peccata in foro interiori. Ex quo absurdo aliud infert, potestatem clauium esse inferiorem potestatem ipsa iurisdictione in foro exteriori; cùm tamen hæc sit vna pars, eademque minor potestatis clauium, vt suprà dictum est. Sed placuit hodiè hæreticis, saltem Caluiniſtis purioribus (nam Anglocaluinistæ, & Heluetici Ministri illam ab Ecclesia sustulerunt, & magistratui concesserunt)excommunicationis potestatem partim Ecclesiæ Ministris, partim senioribus laicis concedere, vt sic in foro exteriori ligare, & soluere, & aliquam saltem externam disciplinam in populo conseruare, sibique auctoritatem exoptatam retinere hoc modo possent. Non placuit illis maximè necessariam remittendi peccata potestatem in Sacramento pœnitentiæ à Christo datam agnoscere, vt sic ab omni pœnitentię labore liberi, solam fidem stabilirent, & peccati regnum confirmarent. Hęc est Caluini interpretatio, non (vt ille dicit) germana, fluens, & obuia: sed, vt res ipsa docet, adulrera, violenta, & impia.

Quinta Conclusio.

CHristus, vt Petrum designaret supremum Ecclesię Pastorem, & Petram Ecclesię indefectibilem, quod Matth. 16. promisit, postea de facto illum in fide confirmat, & confirmandi alios potestatem ei tribuit.

Probatur ex verbis Christi, Luc. 22. *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Ad vim verborum horum rectiùs tenendam, obserua tria.

Primùm circumstantiam verborum, quę hęc erat. Cœna facta turbati Apostoli propter Christi verba dicentis fore, *vt vnus ex ipsis eum traditurus esset*, mox, vt fit in perturbatis animis, ex illa lite in aliam inciderunt; *factaque*, ait Lucas, *contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Hanc eorum intempestiuam cōtentionem cùm sedasset Christus dicens, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*, &c. prohibens omnem dominandi appetitum in suis Ministris; ne tamen omnem etiam superioritatem, & potestatis differentiam pariter prohibuisse, & ęqualitatem omnimodam, quam volunt hodiè hęretici, insinuasse videretur, subiungit statim hęc verba; apertè demonstrans, Simonem Petrum illum fore maiorem eorum, de quo contendebant.

Secundò obserua, quòd in communi omnium Apostolorum periculo solum Petrum Christus confirmat in fide. *Sathanas*, inquit, *expetiuit vos; ego autem rogaui pro te.* Ex hoc enim manifestè ostendit Christus, quòd Petri tanquam Capitis cęterorum maiorem curam habuit; vt videlicet per illum postea alij confirmantur. Sic Patres rem exponunt.

Leo Magnus in serm. anniuersario assumptionis suę: [Commune quidem erat omnibus Apostolis periculum, specialis tamen à Domino cura suscipitur: tanquam si aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & ita gratię diuinę ordinatur auxilium, & firmitas, quę per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.] Hęc ille. Sic August. in lib. de quęst. ver. & noui Test. quęst. 79. [Pro Petro rogabat Saluator, pro Iacobo autem, & Ioanne non rogabat? Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogare dignoscitur. Semper enim in Preposito populus, aut corripitur, aut laudatur.] Hęc ille. Idem docet serm. 124. de tempore.

Tertiò obserua, quòd ideò pro fide Petri Christus rogauit, *vt ille conuersus confirmaret fratres suos.* Hęc enim verba planè ostendunt, Petro datam esse curam cœterorum omnium, etiam ipsorum Apostolorum.

Probatur, quia fratrum nomine Apostolos Christus intelligit, de quibus dixit, *quòd Sathanas expetiuerat eos cribrare*, &c. Deindè, *confirmare fratres*; id est, ipsos Coepiscopos, collegas, & comministros, est proprium officium firmæ Petræ, cui cœteri omnes innitantur, qualem Petrum futurum Christus, Matth. 16. promiserat. Ad quod meliùs intelligendum, notandum est, duas esse partes præcipuas officij pastoralis, seu prædicationis fidei.

Vna est, conuertere incredulos ad fidem, altera est conseruare fideles in fide. Vtrumque Apostolus exprimit ad Ephes. 4. dicens pastores esse datos *ad ædificationem corporis Christi*, quæ prior pars est, *& ad consummationem Sanctorum*, idest, confirmationem *catartismon* fidelium, quæ posterior pars est. Sic Paulus, & Barnabas *perambulabant confirmantes Ecclesias*, Act. 15. & Timotheus mittitur à Paulo *ad confirmandum fratres*, 2. Thess. 3. Hæc duo officia alibi vocat *plantare, & rigare*. 1. Cor. 3. Priùs officium Petro promittitur, quando *super eum ædificanda*, idest, eius primùm ministerio inchoanda Ecclesia promittitur, Matth. 16. posteriùs officium hoc loco, in quo potissimùm pastoralis potestas, & auctoritas conspicitur. Confirmare enim, est vacillantes in fide corroborare, aberrantes à fide reducere, pertinaces reprimere, denique totius gregis saluti contrà luporum rabiem prospicere. Quare ex hoc loco primatum Petri diligentèr annotarunt Patres. [Vide, inquit Ambrosius, & intellige, quid dicat Dominus. Ventilatur Petrus, incidit in tentationes, sed Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus

tatus

tatus à diabolo est: ideòque antè significat Dominus, quid sit illud, quod posteà eum elegit Dominici gregis pastorem. Nam huic dixit: Tu autem conuersus confirma fratres tuos.] Hæc ille in Psal.43. Sic Theophilactus: [Manifestus, inquit, verborum sensus est, quòd cùm te discipulorum principem fecerim, tu, cùm resipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra, & firmamentum es.] Hæc ille in Com. ibidem. Contrà hunc locum, vt planè perspicuum, atque inuictum, nec Caluinus aut in Institutionibus, aut in Harmonia ad hunc locum, nec Beza in Annotationibus suis, nec Philippus de Mornay, nec alij quos viderim hæretici, aliquid cauillari sunt ausi.

Sexta conclusio.

CHristus tandem apertis verbis Petrum supremum totius Ecclesię pastorem constituit, dicens ei Ioan.21. ter repetito sermone, *Pasce agnos meos, Pasce oues meas*. Ad cuius loci sensum, ac vim plenissimè assequendam obseruabis quædam.

Obserua primùm, quòd in præsentia trium Apostolorum *Iacobi, Ioannis, & Thomæ*, ac trium discipulorum, quasi in præsentia Episcoporum, & Sacerdotum Summum Pontificem creaturus, hanc illi pastoralem potestatem contulit.

Obserua secundò, quòd in pręsentia aliorum solus pascere iubetur. *Nam ideò*, ait Chrysostomus, *omissis alijs solùm Petrum affatur, quia os erat Apostolorum & Princeps, & Vertex ipsius cætus*. Homil.87 in Ioan. Hoc etiam August. obseruans scripsit: *In ipso Petro vnitatem Ecclesiæ commendauit. Multi erant Apostoli, & vni dicitur, pasce oues meas*. lib. de pastoribus, cap. 13. Solus ergo pastor a Christo constituitur, vt in eo commendaretur vnitas, & ab illo vno tota ratio pascendi tanquam à capite vicario deriuaretur.

Obserua tertiò temporis circumstantiam. Nempè post resurrectionem, post datam cæteris Apostolis remittendi peccata potestatem, Ioan.20. iam iam ad Patrem ascensurus, ideòque aut tunc, aut nunquam Vicarium constituturus, hæc verba Petro dixit. Notauit hoc Ambrosius dicens: *Christus eleuandus in cœlum; amoris sui Vicarium Petrum reliquit*. lib.10. cap.24. in Lucam.

Quartò obserua, quòd antequam diceret, *Pasce*, dilectionem, eiusdemque apertam confessionem, exegit *Simon Ioannis diligis me?* Hac ideò fecit, vt ostenderet se ouium suarum curam illi velle committere. Patet, quia ad singulas dilectionis confessiones subijcit Christus, *Pasce*. Notauit hoc Chrysostomus, sic ad literam hunc locum exponens: *Ter*, inquit, *interrogat, & semper idem præcipit dicens, Pasce, vt demonstret quanti ouium suarum curam faciat*. Eundem sensum probat Augustinus tract. 13. in Ioan.

Quintò obserua, quòd exegit Christus à Petro *dilectionem plus cæteris. Simon Ioannis, diligis me plus his?* Nam diligenti plus cæteris datur potestas pascendi plusquam cæteris. Vndè Ambrosius: *Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus anteferetur*. lib.10. cap.24. in Lucam.

Sextò obserua, quòd ter dicit Christus *Pasce*, & primò quidem *agnos*, posteà *oues*. Obseruauit hoc Ambrosius loco sæpè citato his verbis: *Tertiò Dominus interrogauit, non iam agnos, vt primò, quodam lacte pascendos; nec oniculas, vt secundò; sed oues pascere iubetur, vt perfectiores perfectior gubernaret*. Hæc ille. Sic Euthymius in Comm. ad hunc locum *per agnos imperfectiores, per oues perfectiores designari* ait. Petro igitur totum ouile committitur pascendum, tam laicorum, qui vt agni pascuntur; quàm ipsorum sacerdotum, qui vt oues pascunt quidem agnos, sed pascuntur à summo Pastore.

Septimò obserua, quòd in verbo etiam *pascendi* discrimen est apud Ioan. Græcè scribentem. Nam in prima Christi responsione dicitur, *vosce ta arnia mu, pasce agnos meos*. In secunda, *pimæne ta pronata mu, Rege oues meas*. In tertia, *vosce ta pronata mu, pasce oues meas*. Ostendit enim hæc distincta Christi responsio, quòd agni quidem, & vulgus fidelium à Petro *pascendi* solùm sunt, propter communem doctrinæ cibum à Petri cathedra accipiendum; *regendi* sunt verò, & in pascua deducendi, à suis proprijs pastoribus, & Episcopis, quibus immediatè subijciuntur; oues autem, idest, grandiores, & perfectiores, Episcopi, & pastores ipsi, tum pascendi sunt pabulo communis doctrinæ (ne præter Petrum sapiant) tum etiam ab illo tanquam supremo pastore immediatiùs regendi committuntur. Non enim frustrà tum distinctè Christus locutus est; & verba Christi exactissimè tenenda sunt.

Obserua octauò vim verbi, *pasce*. Omnes enim alios actus Ecclesiastici regiminis sua vi complectitur, siquidem omnia ad pastum animarum diriguntur. Hinc Euthymius in verbo *pasce, tum pascendi curam, tum etiam gubernationem, Petro commissam esse* scribit, in Com. ad hunc locum. August. oues pascendas, idest, *docendas, regendasque exponit*, tract 123. in Ioan. Sic Scriptura, *pascere, & regere*, pro eodem accipit. 2.Reg.5. *Tu pasces populum meum, & eris princeps super eum*. Ezech.34. Psal.2.23.47. similitèr & Actor.20. regere Ecclesiam Dei, *pimænin*. Sicut ergo Dauidi in figura 2.Reg.5. Christo in promissione Ezech.34. & Mich.5. re autem ipsa Matth.2. *Qui regit populum meum Israel*, sic Petro præsenti tanquam Vicario Christus dicit, *pasce oues meas*, idest, rege Ecclesiam meam, & princeps esto super populum meum.

Obserua nonò, dicit *oues meas*, indefinitè, & generalitèr; vt alibi: *Animam meam pro ouibus meis pono*. Io.10. idest, *pro salute totius mundi*, 1.Ioan.2. &, *Erit vnum ouile, & vnus pastor*, principalitèr Christus, ministerialitèr Petrus. Denique hìc, *oues meas*, vt Matth.16. *Ecclesiam meam*, idest, vniuersalem, quia *contrà illam portæ inferi non præualebunt*.

Obserua decimò, quòd propter tantam verborum significantiam, ex hoc potissimùm loco Patres Petri primatum colligunt. Origenes in cap. 16. ad Rom. *Petro*, inquit, *cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut terram fundaretur Ecclesia* (quod futurum Matth. 16. promissum erat) *nullius confessio virtutis ab eo nisi charitatis exigitur*. Sic Chrysostomus, *propter magnitudi-*

nem

nem dilectionis Petrum cæteris Apostolis prælatum esse, & præfecturam illi committi, scribit libro 5. de sacerdotio: & alibi, propter hæc Christi verba. *Ecclesiæ primatum, gubernationemque per vniuersum Mundum Petro à Christo concreditum esse* scribit hom. 1. de pœnitentia, quem sequitur Theophylactus ad verbum in Comment. ad hunc locum. Gregorius Magnus propter hæc verba, *totius Ecclesiæ curam Petro Dominica voce commissam esse*, scribit Regist. lib. 4. epist. 5.

Obserua vndecimò, miraculum, quod Christus fecit antequam ad hæc verba veniret. Nam piscante cum cæteris Petro, accedit Saluator ad littus, & eo iubente *vt mitteret in dexteram nauigij rete, miserunt, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*. Deindè, Petrus, audito, quòd Dominus in littore esset, *mittit se in mare, cùm alij discipuli nauigio venirent, trahentes rete piscium*. Tertiò, illis trahere non valentibus, *ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus 153. & cùm tanti essent, non est scissum rete*. Ioann. 21. Hoc in loco solus Petrus *quia feruentior cæteris* (quem eius feruorem Christus hoc temporis puncto testatum voluit) *natando ad Iesum venit*, vt notauit Chrysost. hom. 86. in Ioan. Secundò, rete piscibus plenum notat Ecclesiam in plenitudine Gentium. Tertiò, quòd solus Petrus dicitur ascendisse, & traxisse, significat potestatem amplissimam in colligendo Ecclesiam soli Petro datam. Quartò, quòd non est scissum rete, significat Petri Cathedram nullam vmquam in fide scissuram, seu apostasiam passuram; quod mille, & 600. iam ferè annorum immobilis perseuerantia ad oculum probauit. Quintò, totum hoc per miraculum priùs insinuatum, quia res ipsæ efficaciùs docent, quàm verba, posteà verbis docetur, quæ iam tractauimus. Non aliter sanè, quàm Ioan. 6. doctrinæ de futuro Eucharistiæ mysterio præmittitur miraculum de 5000. ex 5. panibus satiatis, vt notauit Chrys. hom. 45. in Ioan. & similitèr Ioan. 9. ad ostendendam cæcitatem Pharisæorum præmittitur miraculum de cæco à natiuitate sanato.

Argumenta hæreticorum contra hanc supremam pascendi potestatem his verbis Petro datam.

Primum Notabile.

PAscere oues Christi, est docere verbo, & exemplo, non præesse toti Mundo, sicut Glossa ordinaria exponit ad verbum *Pasce*. Omnibus autem Apostolis dictum est: *Docete omnes gentes*. Matth. 28. Omnibus ergo data est pascendi potestas non secus, quàm Petro. Et confirmatur ex Augustino, qui sic hunc locum exponit serm. 62. de verbis Domini. *Ergo fratres, cum obedientia audite oues vos esse Christi, sicut nos cum timore audiuimus. Pasce oues meas*. Hæc ille. Putauit ergo Aug. non secus sibi, quàm Petro hæc verba dicta esse. Est argumentum Philippi de Mornay cap. 7. in tractatu de Ecclesia.

Secundum Argumentum.

Petrus ipse scribens ad alios presbyteros, ait illis: *Pascite, qui in vobis est, gregem*. 1. Petri 5. Ergo aut nihil illi præ alijs datum est, aut ius, quod acceperat cum alijs ex æquo communicauit. Est argumentum Caluini vnicum contrà hunc locum, Institut. lib. 4. cap. 6. num. 3. Et confirmat magis dictus Philippus, quia Petrus ibidem non vocat se Principem pastorum, sed remittit eos ad Christum, quem disertis verbis vocat *Principem pastorum*.

Tertium Argumentum.

Christus hoc loco nullam nouam potestatem Petro confert, sed veterem illi restituit; Apostolatum scilicèt, quem negando Christum meritò amiserat. Et probatur, quia ad huius rei argumentum trinam ab eo requiric amoris confessionem, quæ triplici negationi responderet, quasique satisfaceret. Sic Aug. hunc locum exponens tractat. 123. in Ioan. *Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minùs amori lingua seruiat, quàm timori. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare Pastorem*. Sic etiam Cyrillus Alexandrinus hæc verba exponit lib. 12. cap. 64. in Ioan. item & Hilarius.

Quartum Argumentum.

Pascendi potestatem non secùs alijs Apostolis, quàm Petro datam fuisse, Christus docuit illis verbis; *Quod vni dico, omnibus dico*. Marc. 13. Quare & sic Ecclesia semper hoc intellexit. Probatur, quia de omnibus Apostolis canit: *Quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse Pastores*. in præfat. Can. Missæ.

Quintum Argumentum.

Omnes Episcopi in ratione pascendi sunt æquales. Ergo Petro per hæc verba nulla singularis potestas data est. Probatur antecedens ex verbis Cypriani in lib. de vnitate Ecclesiæ: *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Et pastores sunt omnes: sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur*. Hæc ille. Et confirmatur ex communi Scholasticorum sententia, quæ docet Sacerdotium esse animam Ecclesiæ, quæ est tota in toto, & in qualibet eius parte: vt scribit Card. Cusanus de concord. Cathol. lib. 3. cap. 41. Ioan. Parisiensis cap. 13. de Papali, & Regia potestate, adeòque tota docet Schola Sorbonica. Sunt argumenta Philippi de Mornay loco citato.

Solutio eorumdem.

Ad primum Argumentum.

GLossa ordinaria corrumpitur: non enim habet illam aduersatiuam particulam, *Non præesse toti Mundo*; sed hanc *Non corporali cibo, aut pabulo*. Docet ergo per verbum *Pasce* doctrinam spiritualem intelligi, non pabulum corporale. Et hoc sensu omnes Apostolos, atque etiam Episcopos, vt confirmatio

tio probat, pascendi mandatum à Christo accepisse verum est, sed omnimoda, & æqualis potestas pascendi qualis Petro nulli alij data est. Talem enim potestatem non ex solo verbo *Pasce*, sed ex multis alijs circumstantijs prædictis colligimus, quæ non nisi in Petro locum habent.

Ad secundum argumentum.

Petrus vocat alios pastores, & iubet pascere, non propter totam potestatem communicatam, sed propter partem solicitudinis in eos deriuatam. Sic potestas gladij est etiam in Ducibus, Prætoribus, & magistratibus regijs, non tamen cum tanta plenitudine, vt in ipso Rege. Ad confirmationem responde, quòd Christus est *Princeps pastorum* principalis, sicut est fundamentum principale, Petrus verò ministerialis, vt suprà in concl. 3. ad 4. arg. responsum est. Idem Petrus vocat Christum *Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum*, cap. 2. Non tamen sequitur nullos alios præter Christum esse pastores, & Episcopos animarum nostrarum: dicente Paulo ad Heb. 13. de Præpositis Ecclesiæ, *quòd ipsi peruigilant pro animabus nostris*.

Ad tertium argumentum.

Docent quidem Patres hanc triplicem confessionem Petri respondere triplici negationi eius: sed ille sensus huius loci moralis, ac mysticus est, non literalis. Quare August. statim subiungit verbis citatis: *Quid est aliud, Si diligis me, pasce oues meas, quàm si diceretur: Non te pascere cogita, sed oues meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam, &c.* Totum hoc morale est: quod literali sensui nullo modo præiudicat, sed superaddit, eique innititur, sicut parietum ornatus fundamento. Cyrillus quoque illum sensum, vt mysticum adfert, non vt literalem. *Altius quiddam*, inquit, *hac ratio parturit*. Nostrum verò sensum literalem esse, & aliorum Patrum ad literam expouentium auctoritas, & ipsius loci tam multiplex circumstantia à nobis obseruata, manifestè conuincit. Quibus etiam addi potest manifesta Ecclesiæ praxis circa Petri successores: quam optimam esse Scripturæ interpretem, posteà suo loco Contr. 6. quæst. 7. art. 2. ostendetur.

Ad quartum argumentum.

Verbum Christi perperàm citatur. Non enim ait, *Quod vni dico*: sed, *quod vobis dico, hoc omnibus dico: vigilate*. Deindè, hoc verbum in moralibus propriè locum habet; & in ijs, quæ ad publicam doctrinam, seu fidei, seu morum attinent, locum habere possunt; non autem in ijs, quæ vel ad perfectionem, vel ad auctoritatem paucis datam spectant. Dicens enim, *Vigilate, & orate*, subiunxit; *quod vobis dico*, &c. Alioqui quod dixit Matthæo sedenti in telonio, *sequere me*, Matth. 9. & quod dixit solis 12. *Accipite Spiritum sanctum*. Ioan. 20. omnibus dixisse censendus erit. Omnes autem Apostoli erant pastores, sed non vt Petrus, vt ad 1. arg. iam responsum est.

Ad quintum argumentum.

Ad verba Cypriani responde, Episcopatum quoad substantiam Sacerdotij vnum esse, & respectu huius *à singulis Episcopis* in solidum eius partem teneri: vnusquisque enim Episcopus, atque simplex sacerdos completè sacerdos est, & potestate idem, sicut vir & puer respectu humanæ naturæ. Vide quæ suprà respondimus ad 3. arg. in refut. 3. sentent. circa art. 3. quæst. 3. Contr. 2. & rursùm ad 4. arg. contrà 3. concl. artic. præsentis. Hoc sensu Hieronymus dixit in epistola ad Euagrium, *siue Romæ, siue Eugubij sedeat Episcopus, eiusdem meriti, eiusdem Sacerdotij esse*: scilicèt quoad illa, quæ ad officium sacerdotale essentialitèr pertinent, vt administrare Sacramenta, prædicare verbum, remittere peccata, respectiuè quoad sibi subditos. Ratione tamen iurisdictionis magis extensæ, Archiepiscopus ab Episcopo, & summus Pontifex ab vtroque differt; sicut omnis Episcopus etiam ratione potestatis ordinis magis extensæ à simplici presbytero differt. Rursùm, vnusquisque Episcopus in solidum est Episcopus respectiuè, idest, respectu subditorum suorum, pro quorum animabus ipse est redditurus rationem completè, & in solidum, ideòque & eas docendi, corrigendi, &c. potestatem habet completam, etsi subordinatam ad vnitatis conseruationem. Hunc sensum ipse Cyprianus alibi satis explicat dicens: *singulis pastoribus portio gregis est ascripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus*. lib. 1. epist. 3. Ad confirmationem ex Scholasticorum sententia, responde, à Scholasticis solere distingui varias potestates Ecclesiasticis Ministris collatas: primam, *potestatem Consecrationis*, quam aliqui vocant *potestatem Ordinis*, secundam, potestatem administrandi Sacramenta, & maximè Pœnitentiæ Sacramentorum, quam vocant aliqui *potestatem clauium*; tertiam, potestatem prædicationis; quartam, potestatem iudiciariam in foro exteriori: & has quatuor omnibus sacerdotibus respectiuè competere. Quintam potestatem ponunt dispositionem Ministrorum, soli Petro, & eius successoribus propriam, vel propter determinationem iurisdictionis Ecclesiasticæ immediatè à Christo acceptæ, vt multi putant: vel propter totam iurisdictionem super omnem Ecclesiam à solo Petro immediatè à Christo acceptam, posteà in alios distributam; qui sensus magis conuenit Christi verbis soli Petro dictis, *Pasce oues meas*. In his enim verbis materiam subiectam accipit Petrus totam Ecclesiam, & iurisdictionem in illam pascendam, atque regendam. Vndè Theophilus Alexandrinus in libro Paschali ait: *Finito prandio, commissionem ouium Petro commendat Dominus, & nulli alij*. Quamuis enim omnes Apostoli acceperint à Christo potestatem vel clauium, vel iurisdictionis, Ioan. 20. & Matth. 18. tamen ipsam iurisdictionem assignata materia subiecta à Christo non acceperunt, sed solus Petrus. Hanc distributionem, & explicationem fecit Ioannes Parisiensis loco in argumento citato.

Ad hoc quod dicitur ex Scholasticorum sen-

sententia, Sacerdotium esse sicut animam, quæ est tota in qualibet parte, &c. est quidem illud dictum Cusani loco citato, sed sensus eius est, quòd Sacerdotium est totius Ecclesiæ quasi anima, in quantum Deus per sacerdotes Sacramentorum ministros, tanquam per actiua organa operatur ad reliqui corporis, id est, populi fidelis salutem, verè tamen Ecclesiæ anima est Spiritus Sancti, qui per sacerdotes, tanquam per membra actiua, & excellentiora operatur. Est autem Sacerdotium, iuxta eius sententiam, quasi anima, quia quoad substantiam spiritualis potestatis est in vnoquoque membro sacerdotali, id est, in vnoquoque sacerdote, totum, atque completum, vt iam dictum est, externa verò eius exequutio atque iurisdictio pro varietate membrorum diuersa.

Quod his verbis eleganter explicat Cusanus loco citato: [Sacerdotium est, vt anima vna, quæ tota in toto est, & in qualibet eius parte; sed executiones potestatum quoad decretam vnicuique Prouinciam secundùm plus, & minùs ab extrinseco dependentes, non diminuunt spiritualem potestatem in se, sicut ipsa anima in pede hominis non est maior, nec minor propter vitam quam pedi præstat, quàm est ipsa anima quæ in capite, vel corde residet, sic ipse Papatus se habet, vt anima in capite, & Patriarchatus, vt anima in auribus, vel oculis, & Archiepiscopalis dignitas, vt anima in brachijs, & Episcopalis, vt in digitis, & sic de singulis vsque ad pedes. Vna est ergo à Deo spiritualis potestas, licèt illa ex parte membrorum alia, & alia maior, & minor videatur.] Hæc ille. Quæ explicatio, Petri potestatem singularem in externo regimine Ecclesiæ nihil infirmat, sed egregiè illustrat.

QVÆSTIO I.

Quòd Christus Petrum factis illustribus designauit supremum fore Ecclesiæ suæ Pastorem.

ARTICVLVS II.

Obseruat Sanctus Augustinus, Christum Dominum, ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter voluisse intelligi, [& miracula quæ faciebat, sic fecisse, vt mira essent videntibus, vera intelligentibus:] Serm.44. de verbis Domini. Et alibi docet, quòd [sicut humana consuetudo verbis, ita diuina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba noua, vel minùs vsitata moderatè, ac decenter aspersa splendorem addunt, ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus quodammodò luculentior est diuina eloquentia.] Hæc ille Epist.49. quæst.6. Et Christi ergo facta circa Petrum consideranda sunt, vt quid per illa intelligi voluerit, capiamus. Tria tantùm notabimus. Vnum enim & illustre valdè in 6. conclus. obseruat. 11. præceden. artic. iam annotauimus.

Primum erit, quod Matth.17. legimus. Rogatus Christus, vt tanquam paterfamilias didrachma solueret, iubet Petrum capto pisce, aperire os eius, & staterem, quem ibi reperiret, tollere: *Illum, ait, sumens, da eis pro me, & te.* A solo patrefamilias, & magistro domus solui debet didrachma. Christus ergo iubens solui etiam pro Petro, manifestè ostendit Petrum quoque magistrum domus suæ, id est, Ecclesiæ, censeri debere. Sic Chrysostomus: *Vidisti honoris excellentiam, quoniam & Petrus primogenitus erat.* Homil.59. in Matth. Soluit autem staterem, id est, *duplex didrachma*, vt exponit Augustinus Serm.6. de verbis Apostoli, pro se & Petro, quasi in vna familia duo essent capita subordinata, sicut in Republ. Gubernator, & Locumtenens.

Rursùm soluens pro se, & pro Petro, pro omnibus soluisse censetur, quia in Petro post Christum tanquam in capite omnes continentur. Sic Augustinus quæst. ex nouo Testamento quæst.75. [Saluator cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, sic & post Saluatorem omnes continentur. Ipsum enim constituit esse Caput eorum, &c.] Sed & sic hoc Christi factum Apostolos intellexisse apparet. Statim enim Matth.18. [In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Quis putas maior est in Regno Cœlorum? Quia, inquit Hieronymus, videbant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum. Ideò interrogabant, &c.] Hæc ille in Commenr. ibidem.

Neque verò obstat quod statim subijcit Hieronymus: [Videns autem Iesus cogitationes illorum, & causas erroris intelligens, &c.] Error enim discipulorum non erat in materia prælationis Petri (vndè Chrysostomus homil. 66. in Matth. notat filios Zebedæi agnouisse se cæteris omnibus præterquam Petro præponi) sed in desiderio gloriæ, vt ipse Hieronymus statim explicat, & consequentia Textus ostendit, cùm [Christus aduocans paruulum statuit eum in medio eorum.] Postremò, notat Chrisostomus homil. 59. in Matth. quòd [Marcus Petri discipulus, quia ingens hic honor magistro deferebatur, ipso forsitan Petro deprecante ne de eo magnifica diceret, hoc factum in suo Euangelio prætermiserit, negationem tamen Petri non siluerit.]

Et sanè tacet quoque Marcus, quæ Matth.16. de Petri dignitate dicuntur, præcedentia tamen, & consequentia, vbi Petrus Sathana à Christo vocatur, diligenter commemorat. Sic etiam verba illa Luc.22. & Ioan.21. quæ de Petri fide indefectibili, & potestate pascendi loquuntur, factum quoque Matth.14. quod proximo loco tractabimus, penitùs prætermisit Marcus, cuius Euangelium à Petro lectum & approbatum, imò (vt aliqui existimant) dictatum fuit. Hanc enim ob causam *Petri interpres* vocatur à Tertull. contra Marc. lib.4. ab Irenæo lib.3. cap.11. & à Hieron. in Cathalogo virorum illustrium.

Secundum factum, quo Christus Petri prærogatiuam ostendere voluit, erat, quòd illo annuente Petrus ambulauit super aquas, vt veniret ad Christum, ipso quoque Christo

ambulante, Matth. 14. Ex hoc enim facto tria colligimus.

Primùm, quòd aquas calcauit solus Petrus pariter cum Christo, planè significat, quòd omnes hæresum, & persecutionum fluctus sola Petri sedes calcabit, & superabit, sicuti ipsum Christi nomen idola omnia contriuit, quibus hæreses successerunt. Sanè iuxta illud Christi Matth. 16. [Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Propter illa enim verba, ait Chrysostomus: [Christum eo loco illud agere, vt homo piscator, quauis Petra firmior reddatur, vniuerso terrarum Orbe reluctante;] homil. 55. in Matth. Et Augustinus propter illa verba dixit: [Ipsa est Petri sedes, quam superbæ non vincunt inferorum portæ.] In Psalmo contra partem Donati. Quod ergo ibi verbo promittebatur, hic illustri facto significatur.

Secundò, ambulatio Petri super aquas designat vniuersam Ecclesiam Petri potestati subiectam fore, qui non in certa, & particulari nauicula, vt cæteri Episcopi in certa Diœcesi, sed super aquas ipsas indeterminatas venit ad Christum. Notauit hoc S. Bernardus: [Gradiens (inquit) super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi,] Apocal. 17. lib. 2. ad Eugenium.

Tertiò, demonstrat quandam prærogatiuam nulli veterum concessam, vt notauit Ambrosius Serm. 47. Nam Moysi quidem Exod. 14. Eliæ, & Helizeo 4. Reg. 2. pro magno miraculo cesserunt quidem aquæ, non autem ipsas aquas illi calcabant. Et hoc pro singulari excellentia Petri supra Moysen notauit Chrysostomus homil. 57. super Matth. Significat enim quòd illis quidem veteribus Mundus reluctatus non fuerit, Petrus autem Mundum etiam reluctantem superauerit, quod quantis, & quot modis eius sedes fecerit, habes suprà explicatum, Controuers. 1. quæst. 5. artic. 2. conclus. 2. probat. 15.

Tertium factum, quo Christus Petri ampliorem, quàm cæterorum potestatem ostendere voluit, animaduerti potest in metaphora piscandi, & piscatorum, quo Christus vsus est, cùm Apostolorum futuram vocationem designaret. Dixit quidem Christus Matth. 4. Petro, & Andreæ, simul vtrumque vocans, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, quod etiam Iacobo, & Ioanni ibidem, & Mar. 1. dixisse videtur. At verò in hac metaphora piscandi homines, Petri excellentiam Christus semel, atque iterùm significate voluit.

Primùm Luc. 5. [Vt cessauit loqui ad populum, dixit ad Simonem Petrum, Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum,] ait Ambrosius lib. 5. cap. 5. in Lucam. Quod cùm Petrus ingenti fide faceret, dicens, [Per totam noctem laborantes nihil cæpimus tamen in verbo tuo laxabo rete,] tam copiosam multitudinem piscium concluserunt, vt rupto rete, & aduocatis socijs, duas nauiculas implerent, ita vt propèmodum mergerentur. Hac autem tam ingenti captura piscium, cùm & Petrus, & Iacobus, ac Ioannes multum essent obstupefacti, ait ad Simonem Iesus, *Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens*. Hæc ibi.

In hoc facto solus Petrus iubetur *ducere in altum*, solus Petrus *laxat rete*, solus Petrus attonitus præ cæteris [procidit ad genua Christi, dicens. Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum:] denique soli Petro dicitur, *Homines eris capiens*; nempè quia eius potissimùm ministerio plenitudo Gentium (quam illa copiosa captura piscium figurabat) vel colligenda, vel certè pascenda, & regenda erat. Licèt enim ratione personalis collectionis, & plantationis fidei Paulus dicat: *Abundantiùs illis omnibus laboraui*, 1. Corinth. 15. tamen ratione gubernationis, & dispositionis Ministrorum, vna Petri sedes per omnes gentes fidem, vel propagauit, atque plantauit per se, & per suos, vel contra hæreses confirmauit, vt latè à nobis ostensum est suprà. Controuer. 1. quæst. 5. artic. 2. conclus. 2. probat. 11. & 18. Contra hunc articulum nihil hæretici hactenùs (quod ego viderim) disputarunt.

QVÆSTIO I.

Petrus hanc supremam potestatem exercuit.

ARTICVLVS III.

AD huius articuli explicationem notabimus ex Scripturis duo.

Primùm, quæ ad Petri supremam potestatem, deindè quæ ad præcipuum eius bonorem referuntur. Ad supremam potestatem pertinent ista.

Primùm, Petrus pronunciat Iudam proditorem Apostolatu, & Episcopatu suo excidisse, Act. 1. vbi authoritatem Pontificiam in deponendis Episcopis primus exercet.

Secundò ibidem proponit faciendam surrogationem noui Apostoli: [Oportet ex his viris, &c. testem nobiscum fieri vnum ex istis.] Super quæ verba Chrysostomus hom. 3. in Acta: [Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem! Quàm in hoc choro Princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui!] Posteà laudat quidem Petrum quòd agat adhuc omnia ex communi discipulorum sententia, *nihil authoritate sola, nihil cum imperio*, potuisse eum tamen, vel solum Apostolum surrogare apertè asserit. [Quid? (inquit) an non licebat ipsi eligere? Licebat, & quidem maximè: verùm id non facit, ne cui videatur gratificari.] Hæc ille.

Deindè laudat aliorum discipulorum modestiam, quòd solo Petro loquente tacetent: [Considera, inquit, quo pacto ei concedunt solium, id est, Primatum, nec ampliùs ambigunt disceptantes inter sese. Et paulò post: Meritò primus omnium authoritatem vsurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Christus. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Hæc ibi Chrysostomus.

Hic ergo Petrus auctoritatem confirmandi fratres à Christo acceptam exercuit, proponendo noui Apostoli electionem, de cuius

cuius apoſtaſia meritò turbati erant. Nunc etiam primatum eius cæteri Apoſtoli, & Diſcipuli agnouerunt, quem antea agnoſcere noluerunt. *Diſcipuli* (inquit Chryſoſt.) *cùm nundum Spiritus gratia corroborati eſſent, facilè commoti ſunt circa prælationem condiſcipulorum*, vt Matth. 17. & 20. item Luc. 22. *gratia verò accepta tales non fuerunt, ſed vbique primatum Petro præbent*. Hæc ille hom. 15. in Matth.

Tertia ſupremæ poteſtatis actio fuit, quòd ſtans Petrus cum vndecim prædicauit Euangelium Iudæis, Act. 2. Hic enim *Eccleſiam Chriſti actu incepit*, vt notauit Ambroſius ſerm. 47. & poſt eum Euthymius in Matth. cap. 16. Idem *primus prædicauit gentibus* in domo Cornelij, idque ex reuelatione de cœlis, Act. 10. Sic idem primus tum Hieroſolymis, vbi prima fuit Chriſtianorum Iudæorum Eccleſia, fundauit Eccleſiam, creans Iacobum eius loci Epiſcopum, vt ſuprà ex Chryſoſt. & Euſebio notauimus; tum Antiochiæ, vbi prima erat Gentilium Chriſtianorum Eccleſia, & primò nominati ſunt Chriſtiani, Act. 11. *Eccleſiam fundauit*, teſte Ignatio in epiſt. ad Magneſianos. Erat autem hoc ſingulare primatus, ſeu primarij fundamenti in ædificanda Eccleſia argumentum. *Aliud eſt enim*, ait Chryſoſtomus, *oſtium clauſum recludere, & negotio principium, aliud verò poſt deinceps confidentiùs agere*, in Com. ad Gal. cap. 2. Quare & hoc ipſum Petrus in argumentum iuſtæ auctoritatis ſuę adfert Act. 15. cum ſententiam ſuam dicturus de obſeruatione legalium, hoc præfatur, quòd *eligit Deus ab antiquis diebus per os ſuum audire gens verbum Euangelij*.

Quarta ſupremæ poteſtatis actio erat, quòd primum archihæreticum Simonem Magum detexit; iudicauit, excommunicauit, ac denique publicè deuicit. Detexit dicens: *Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*. Iudicauit dicens: *In falle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe*. Excommunicauit dicens: *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto*. Act. 8. Romæ publicè deuicit, & in cœlos adſcendere conantem præcipitem deiecit, vt refert Ambroſius ſerm 66. S. Maximus hom. 5. in Natali Apoſt. Petri, & Pauli, Egeſippus lib. 3. cap. 2. de excidio Hieroſ. Hieron. in Catalogo viror. illuſtrium, Simeon Metaphraſtes in Comm. de peregrinat. Petri, & Pauli, & S. Auguſt. ex opinione plurimorum epiſt. 86. & in libello de hæreſibus, hær. 1. Theodoret. lib. 1. hæret. fabularum.

Quintum ſupremæ poteſtatis argumentum eſt, quòd ille ſolus morti verbo delinquentes adiudicauit, ad terrorem cæterorum. Ananiam, & Saphiram mentientes Spiritui Sancto verbo occidit. *Vnde factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia*. Act. 5. & vocat hoc Gregorius Magnus, *maximum argumentum quanta potentia ſupra cæteros exercuiſſet*, lib. 1, epiſt. 24.

Sextum ſupremæ poteſtatis argumentum eſt, quòd orta Antiochiæ magna quæſtione circa fidem, quamuis non deeſſent tunc ibi Apoſtoli, & ſeniores, Paulus, Barnabas, & alij, vt apparet Act. 13. tamen aſcenderunt Hieroſolymam ad eam decidendam, quia Petrus Hieroſolymis erat, *vt ab ipſo afferrent ſolutionem*, vt annotauit Theodoretus in epiſt. ad Leonem Magnum, Commentarijs eius in Paulum præfixa.

Septimum ſupremæ poteſtatis argumentum erat, quòd in Concilio Hieroſolymitano primus ſententiam dixit, & totam litem primus definiuit, poſt cuius ſententiam definitiuam *tacuit omnis multitudo*, &c. Act. 15. de quare mox latiùs. Atque hęc ſunt poteſtatis, ſeu iuriſdictionis primariæ in Petro ex Scripturis argumenta.

Nunc ex iiſdem ſupremi honoris, ſeu dignitatis argumenta breuiter colligemus. Honore, & dignitate Petrum cæteris omnibus iam ab initio præcelluiſſe, argumenta ſunt multa.

Primùm, quòd vt in Euangelio abſente Chriſto ad Petrum cæteri Apoſtoli colligi ſolebant, vt Marc. 1. *Proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant*, id eſt, cæteri Apoſtoli, vel Diſcipuli; & Ioan. 21. *Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas*, &c. ſic poſt Aſcenſionem Chriſti Apoſtoli omnes aſcenderunt, *vbi manebant Petrus, & Ioannes*; ab illo videlicet, vt totius conſortij Duce, & Collegij Capite, nunquam diuulſi.

Secundò, quòd primus, & ſolus Iudęis loquitur, ſocios defendens à ſuſpicione ebrietatis, Act. 2. primus, & ſolus reſpondet Phariſæis, defendens ſuam, & ſociorum prædicationem, Act. 4. primus, & ſolus tuetur miraculo facta apud populum, Act. 3.

Tertiò, quòd ipſe primus miracula fecit, idque *ſanando claudum pedibus*, quod myſterio non carere docet Ambr. ſerm. 68. quia *vt in Eccleſia fidei fundamentum Petrus tenet, ita in homine membrorum fundamenta confirmat*. Atque hæc quidem omnia in vnum colligens Chryſoſt. Petri primatum egregiè ex illis concludit his verbis: [Vide vbique Petrum circumcurſare, & primum inueniri. Quando eligendus Apoſtolus, hic primus. Quando loquendum Iudæis non eſſe Apoſtolos ebrios, quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ alijs eſt. Quando agendum contrà Principes, quando contrà Ananiam, quando ab vmbra ſanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum, hic, & vbi moderatio:] id eſt, vbi auctoritate opus erat. [Vbi autem tranquillitate res erant plenæ, communitèr omnes. Sic non exigit honorem maiorem.] Hæc ille hom. 21. in Acta Apoſt.

Poſtremò ad ſingularem Petri honorem, & ſupremam dignitatem facit quòd Paulus *poſt annos tres* prædicationis ſuæ *venit Hieroſolymam videre Petrum*: in Græco eſt *iſtorſæ tan Petron diſcendi cauſa inuiſere Petrum*: vnde ſubiungit, *Et manſi apud eum diebus quindecim*. Quare hoc *ex officio, & iure eiuſdem fidei, & prædicationis* feciſſe Paulum ſcribit Tertullianus in Præſcript. id eſt, vt oſtenderet ſe eandem cum Petro fidem prædicare. *Dignum enim erat*, ait Ambroſius in Com. ad hunc locum, *vt cuperet videre Petrum, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum*. Quare hoc honoris cauſa factum fuiſſe diſertè Patres docent. *Principi Apoſtolorum*, ait Theodoretus in Com. ibidem, *quem par erat honorem tribuit*. Idem ait Hieron. in Comment. ibidem; & epiſt. 11. ad Auguſt. *Tanta*, inquit,

aucto-

auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus scripserit, Deinde post annos tres, &c.vt suprà. Chrysost. hom.87. in Ioan. *Quia*, inquit, *os Apostolorum Petrus erat, Princeps & Vertex ipsius cætus, propterea Paulus ascendit eum videre præ alijs.*

Argumenta hæreticorum quòd Petrus primatum non exercuit.

Primum Argumentum.

PEtrus iussus à collegis ire in Samariam, non detrectat; Act.8. Quòd cum mittunt Apostoli, eo declarant se eum minimè habere pro superiore: quòd obsequitur, & legationem sibi mandatam suscipit, eo fatetur sibi cum illis esse societatem, non aduersùs eos imperium. Hæc Caluinus Institut.lib.4.c.6. num.7.

Secundum Argumentum.

Cùm accusatur quòd ad gentes ingressus fuerit, etiam si id fit immeritò, respondet tamen, & sese purgat, Act.11. Non ergo quod sibi videbatur faciendi potestatem habuit, sed ad rationem reddendam alijs subiectus erat.

Tertium Argumentum.

In Concilio Apostolico Act. 15. maximus erat huius supremæ auctoritatis vsus: nullam tamen ibi exercuit. Ergo &c. Patet maior. Probatur minor, quia Iacobus ibi sententiam tulit tanquam Concilij Præses. Ait enim: *Propter quod ego iudico non inquietari eos, &c.* id est, *cum potestate dico esse scribendum*, exponit Chrysost. hom. 33. in Acta.

Quartum Argumentum.

Cùm ad pastores scribit epist. priori, non mandat ex imperio quasi superior, sed collegas suos facit, & comiter hortatur, vt inter æquales fieri solet. Imò, & hodie Petri successor vocat omnes Episcopos fratres: & vicissim veteres Episcopi ad eum scribentes, non nisi fratrem, & collegam nominant, vt passim in epistolis Cypriani ad Cornelium, & Africanorum ad Innocentium I. videre licet.

Quintum Argumentum.

Paulus Petrum habuit prorsùs pro æquali, non pro superiore. Probatur ad Galat. 2. *Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est, & mihi inter gentes.* Quare Petrum, *nihil illi contulisse* scribit, sed tantùm *dexteras societatis ei, & Barnabæ dedisse.*

Sextum Argumentum.

Paulus apertè, & in faciem *reprehendit Petrum, vt non ambulantem ad veritatem Euangelij.* Ergo saltem æqualis erat Petro. Probatur, quia inferior superiorem arguere, maximè publicè, & coram alijs, non debet. Et confirmatur, quia hinc Glossa ordinaria secundùm Augustinum docet, Paulum cæteris Apostolis digniorem fuisse, quia hic à Christo glorioso, & immortali, illi verò à Christo adhuc mortali vocati essent. Sunt argumenta Caluini, & Philippi de Mornay in tract. de Eccles. cap.5.

Septimum Argumentum.

Quæ ex Scripturis ad exercitium huius primatus probandum afferuntur, nihil momenti habent. Probatur ex varijs quæ afferri solent. Primùm, quòd Paulus ad Petrum venit, id fecit non vt subiectionem profiteretur, sed tantùm vt testatam faceret omnibus doctrinam communem. *Contuli cum illis Euangelium*, &c. Gal. 1. Deinde, quòd primus loquitur, &c. factum est ex zelo, non ex auctoritate. Tertiò, quòd primus Apostolorum vocatur, & quòd primo loco, vel sedet, vel agit Petrus, fuit primatus Ordinis, non potestatis. Ordo requirit in omni conuentu vnum esse primum. Sed non inde sequitur illum cæteris præesse. Exemplum est de sex Electoribus Imperij, inter quos est ordinis differentia, sed non potestatis.

Octauum Argumentum.

Apostoli elegerunt Petrum vt cæteris præsideret, teste Anacleto Papa epist. 2. & apud Grat. 2. distinct. cap. *In nouo*. & dist. 22. cap. *Sacrosancta*. Ergo non fuit à Christo institutus. Et confirmatur, quia communis Theologorum sententia fuit, quòd per consensum Ecclesiæ non ex iure diuino, Petri successores tenent primatum. Quare Card. Cusanus sustinet, Episcopum Treuerensem per Ecclesiæ consensum posse fieri summum Pontificem, lib. 2. cap. 13. & 24. de concord. Catholica.

Solutio eorundem.

Ad primum Argumentum.

REsponde, mitti ab alio, minorem esse, qui mittitur, non probat, nisi qui mittit, vel ex imperio vt maior, vel consilio vt sapientior, mittat, vt distinguit S. Thom. 1. part. qu. 43. art. 1. ad 1. arg. propter Arianos, qui sic arguebant, Filium esse minorem Patre, quia à Patre mittitur: de qua re lege August. lib. 2. cap. 5. de Trin. Nec iuuat euasio Philippi de Mornay, qui huic Caluini argumento vim addere volens ait, in humanis semper missum esse mittente inferiorem. Nam & in humanis Decanus sæpè mittitur à suo collegio, & Princeps senatus à toto senatu.

Deindè Act. 15. Paulus, & Barnabas mittuntur ab Ecclesia Antiochena Hierosolymam ad Apostolos super quæstione de legalium obseruatione, idque ex decreto Ecclesiæ illius, dicit enim Lucas: *Statuerunt, vt ascenderent. Paulus, & Barnabas, & quidam alij, &c.* Ait verò Ecclesiæ Antiochenæ præcipui Magistri, & Doctores erant Paulus, & Barnabas, vt apparet. Actor. 13. Quare

iuxtà hoc argumentum, nec Paulus, nec Barnabas erant cæteris discipulis superiores.

Præterea, Petrus erat quidem caput Apostolorum, & totius Collegij Vertex, tamen membrum quoque collegij Apostolici, ideòque à toto collegio, quod in capite, & membris collectum maius est solo capite, mitti potuit, etsi caput esset. Postremò, potuit ab Apostolis mitti, non quia mandato illorum parebat, sed quia voluntati, & desiderio eorum acquiescebat, qui hoc ex bono Ecclesiæ iudicabant, vt illi Principes Apostolorum in Samariam irent, sicuti Iosuè cap.22. filij Israel miserunt Phinees summum sacerdotem, & decem Principes cum eo de singulis tribubus ad filios Ruben, & Gad, &c. qui ædificaucrunt altare vltra Iordanem, vel potiùs non rogatus, nec mandatum expectans, pro singulari zelo, quem habebat, mitti sua spontè cum Ioanne voluit.

Ad secundum argumentum.

Est officium boni Pastoris, vt ipse Petrus pastores docuit Epist. 1. cap. 5. [paratum semper esse ad satisfactionem omni poscenti eum rationem de ea quæ in ipso est spe, & fide cum modestia.] Quare Petri modestiam circa hoc factum Gregorius Magnus diligenter notauit. [Petrus ille, inquit, Apostolorum primus, &c. quærelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit. Si enim, cùm à fidelibus culparetur, authoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere sic poterat, vt pastorem suum oues, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in quærela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset.] Hæc ille lib.9. Epist.39. Vides vt ex eodem Petri facto mel Gregorius, venenum suxerit Caluinus.

Ad tertium argumentum.

Neganda est minor, quia Petrus solus, & prior sententiam tulit. [Cùm enim magna conquisitio fieret (ait Textus Act.15.) id est, post altercationem magnam, varijs varia sentientibus, surgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres, &c.] quæ cùm dicit, sententiam Spiritus Sancti primus pronunciat. [Nisi autem Præsidens, & primus fuisset (ait Waldensis) procax esset, quòd in absolutione dissidij, & in definitione sententiæ singulos præueniret.] Doctr. fidei lib.2. cap.4. Sententiam autem pronunciat hoc modo.

Primùm authoritatem suam declarat, quia Gentibus Euangelium prædicauerat. [Vos scitis, inquit, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, &c.] Hæc erat maior propositio, quòd Gentes erant participes fidei æquè, ac Iudæi, & hanc statim probat, [quia nihil discreuit Deus inter nos, & illos dans illis Spiritum Sanctum sicut, & nobis, fide purificans corda eorum.] Mox infert minorem propositionem, quòd nec Iudæi per legalia saluari poterant absque fide in Christum. Et quia contrarium erat grauis error, grauiter, & seuerè hoc arguit dicens. [Nunc autem quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?] Et hìc tanquàm bonus pastor noxia pabula remouet, moxque in bona pascua deducens, suam sententiam profert, & quæstionem definit. [Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum, & illi;] id est, sicut Patres nostri crediderunt.

Hæc fuit definitiua sententia, Gentes non per obseruationem legalium, sed per gratiam Christi saluandas esse, sicut omnes ab Orbe condito iustos. Huic sententiæ nemo contradixit. *Imò* (ait Scriptura) *tacuit omnis multitudo*; id est, omni ampliùs inquisitione cessante, sententiæ Petri omnes acquieuerunt. Sic apertè post Tertullianum in lib. de pudicitia, Hieronymus Epist.11. inter Epist. Augustini. [Audito, inquit, Petro, tacuit omnis multitudo, id est, in sententiam Petri, Iacobus, & omnes simul presbyteri transierunt.] Hæc ille, vbi & decreti Apostolici Petrum *Principem, & primum authorem* vocat.

Quare, & Græcus Scholiastes in hunc locum dicit Petrum surrexisse, non Iacobum, non solùm quia magis spiritu feruebat, sed etiam, *taos tin prostasian ton mathiton egcechirismenos*. [Vt qui præsidentiam discipulorum seu Apostolorum adeptus esset.] Vnde & Waldensis Petrum veluti cæteris præsidentem ita loquutum fuisse scripsit, vt suprà iam citatum est. Ex quibus respondetur ad probationem minoris. Quòd enim posteà [Iacobus iudicat, idque cum potestate, vt vult Chrysostomus, id propterea fecit (ait ibidem, Chrysostomus) quia illius loci Episcopus erat & vt in ore duorum, aut trium staret omne verbum, id est, vt omnium consensu promulgaretur sententia, maximè quia hæc quæstio Hierosolymis primùm orta erat. Nam à Hierosolymis descenderant Antiochiam] qui illam mouebant, vt apparet Act.15. in principio capitis.

Expediebat igitur, & ab eius loci Episcopo sententiam pronunciari. Alioqui Iacobus manifestè se ad verba Petri refert, eiusque sententiam ex Scriptura veteri confirmat. Quæ autem addit præterea Iacobus, erantque à Concilio definita, ad principalem quæstionem non spectabant, sed ad illam incidebant, & ex magna parte temporarium decretum continebant, vt de suffocato, & sanguine abstinendo, quod posteà Ecclesia abrogauit. Vide plura in Antidotis nostris Apostolicis ad hunc ipsum locum.

Ad quartum argumentum.

Petrus cæteros Pastores, vt fratres, & æquales alloquitur, Dominum suum imitatus, qui etiam fratres discipulos suos vocare non est grauatus, & quidem post gloriosam resurrectionem, Matth. vltimo. [Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.] Deindè, Petrus est maior cæteris, quoad potestatem, quando eius exercendæ, locus est; sed minor omnibus quoad affectum

iuxta

iuxta illud Christi, [Qui maior est in vobis, fiat sicut minor.] Luc.22.

Ad cuius intelligentiam semel contra hæreticorum importunitatem notandum est primatum Petri, aut successorum eius non defendi à nobis, quasi principatum quendam, & dominium pompaticum supra Ecclesia, vel, vt in primo argumento odiosè Caluinus loquitur, *imperium aduersùs Ecclesiam*, quale Christus disertè prohibuit Matth. 17. & 20. Luc.22. Sed iste primatus, quia potestas est ministralis, non absoluta, & participata, non authentica, ideò non excludit communem fraternitatem inter caput, & subditos. Christi potestas quia absoluta,& authentica fuit, ideò ille elt [vnus Magister noster, omnes autem nos fratres sumus,] Matth.23.atque ideò etiam siue exercens, siue non exercens potestatem, semper est caput nostrum, nosque subditi.

At Petri supra alios pastores, & pastorum supra suas oues potestas, quia ministerialis est, ideò nec extrà exercendæ potestatis tempus vlla prorsùs superioritas est, (vndè egregiè Sanctus Gregorius Papa dixit: [Cùm culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sumus,] lib. 7. Epist. 64. nec quando exercetur, vel mera potestas est, quia iuxta leges Sacræ Scripturæ, & Canones præfixos exerceri debet, non ex voluntate, aut arbitrio proprio, vel etiam dominij alicuius potestas (vndè Petrus [Non dom inantes in Clero,] 1.Pet.5.) vel denique mercenaria potestas propter proprium commodum (talis enim *pastor non est*, Ioan. 10.) sed est *potestas ad ædificationem*, & salutem aliorum tantùm data & propter bonum communis Ecclesiæ, vnitatem scilicet & ordinem seruandum data, ideòque ministerialis, & seruilis potestas, vt propereà optima ratione summus Ecclesiæ Pontifex seruum seruorum se vocet.

Seruilis, inquam, non quia coercione careat, sed quia coercet non per modum dominij, sed per modum seruituris, iuxta illud Pauli, [Nos serui vestri per Iesum,] 2. Corint.4. Verùntamen coercionem habet, & vtri *Præpositi* sunt, quibus etiam *subiacere*, *& obedire omnes debent*, Heb.13. sed liberè,non seruiliter, iuxta gratiam noui Testamenti, [quia non sumus sub lege, sed sub gratia,] Rom. 6. Hoc totum expressit Petrus cùm diceret Epist.1. cap. 5. [Pascite, qui in vobis est, gregem, prouidentes *Episcopuntes* non coactè, sed spontaneè secundum Deum (quod respicit modum potestatis ex parte exercentis illam) neque vt dominantes in clero,] sed forma facti gregis ex animo, quod tollit mundanum dominatum, & ponit ministeriale regimen ad ædificationem aliorum.

Talis suprema potestas habet subditos pro fratribus, & filijs, non pro seruis. Et potestatis quidem participes, vt coepiscopos, & consacerdotes, vocat *fratres*, omnis autem potestatis expertes, & laicos vocat filios. Sic etiam & veteres Episcopi ipsum supremum Pontificem, [& fratrem, & collegam, & socium] vocarunt ratione communis Episcopatus, & ministerij, [cuius ab vnoquoque pars in solidum tenetur,] vt antea explicatum est. Talis tamen appellatio non probat nullum ab eis agnitum fuisse primatum vnius supremi Pontificis supra reliquos.

Primùm, quia non semper, & in omni sermone debita honorum vocabula adhibentur. Quare Petrus Epist. priori etsi cap. 5. vocet Christum [Principem pastorum, tamen paulò ante cap. 2. vocat eum Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum.] Sic Paulus in eodem contextu vocat Christum [Apostolum, & Pontificem (*archierea*) confessionis nostræ,] Heb.3. Deindè, quia ijdem Patres alijs in locis tam verbis, quàm factis supremum Pontificem illum agnoscunt, quem alibi fratrem, & socium vocant. Sic Optatus, qui vocat [Siricium Papam socium suum, Petrum vocat Principem nostrum,] lib. 2. Cyprianus, qui passim vocat Cornelium Papam [fratrem, & collegam,] tamen lib. 3. Epist. 11. vocat eundem [Catholicæ Ecclesiæ Episcopum.] Sic Augustinus ad Bonifacium Papam scribens, vtrumque eodem contextu recognoscit. [Communis, inquit, est omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio (quamuis ipse in eo præmineas celsior fastigio) specula pastoralis,] contra duas Epistolas Pelagianorum lib.1. cap.1.

Ad quintum argumentum.

Paulus vult dicere, quòd sicut Petrus erat celebris, & illustris propter conuersionem Iudæorum, quos primus, & maximo numero conuertit, sic & ille illustrem operam nauauit in conuertendis Gentibus. Tamen, & Petrus omnium primus Gentibus prædicauit, vt ostensum est, multisque postea Gentibus prædicauit Antiochiæ, Romæ, & alibi, & Paulus à Iudæis prædicationem incæpit, (licèt non in Iudæa, sed in ipsorum Synagogis per multas tunc Gentes dispersis) vt passim per Acta apparet, [testificans Iudæis, & Gentibus,] Act.20. sed [Iudæis repellentibus verbum, conuertit se ad Gentes,] Act. 13. Est itaque comparatio, quam Paulus facit ipsius Apostolatus, quod ille Gentium, Petrus Iudæorum Apostolus fuerit per agnominationem in quo sanè sic omnes Apostoli pares erant, vt Petri tamen primatus consisteret, vt iam sæpiùs dictum est.

Rursùm, Paulus erat Gentium Apostolus, non quia vel ille solos Gentiles, vel ille solus Gentes conuertit, sed quia in ipsa Iudæa Iudæis prædicare non potuit, iuxta quod Christus illi in templo oranti apparens prædixit. [Festina & exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me, &c.] Act.22. Postremò, Petrus nihil Paulo contulit in illa secunda eius profectione in Hierusalem post ano.14. de qua loquitur Gal. 2. Sed in prima profectione post annos tres, de qua loquitur Gal. cap. 1. quando [ascendit videre Petrum,] idque discendi causa, vt vox Græca significat, potuit ei aliquid contulisse Petrus. Quanquam primatus Petri supra reliquos non tam in docendo, quàm in disponendo, & moderando ipsos doctores ad vnitatem conseruandam consistebat.

Ad

Ad ſextum argumentum.

Paulus reprehendit Petrum, non quia Petrus maior non erat, ſed quia *maior cùm eſſet, voluit tamen fieri ſicut minor*, iuxtà Domini præceptum Luc. 22. ideſt, paſſus eſt modeſtiſſimè ſe à minori fratre redargui. Sic Patres rem exponunt. Auguſt. de bapt. contrà Donat. lib. 2. cap. 1. [Apoſtolus, inquit, Petrus in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, à poſteriori Apoſtolo Paulo correctus eſt.] Idem epiſtola 19. ad Hieronymus, ait: [Eſt laus iuſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro.] Sed omnium apertiſſimè in Com. ad hunc locum: [Firmitas, & charitas Petri, cui ter à Domino dictum eſt, Amas me? paſce oues meas, obiurgationem poſterioris paſtoris pro ſalute gregis libentiſſimè ſuſtinuit. Nam erat qui obiurgabatur ipſo obiurgatore ſui admirabilior, & ad imitandum difficilior. Facilius enim eſt videre quid in alio corrigas, atque id obiurgando corrigere, quàm videre quid in te corrigendum ſit, libentèrque corrigi, vel per te ipſum, nedum per alium, adde per poſteriorem, adde coràm hominibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima eſt diſciplina Chriſtiana.] Hæc Auguſt. Sic etiam Gregorius Magnus hom. 18. in Ezechielem hoc ideò factum dicit, [vt qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus & in humilitate.] Nec aliter Cyprianus in epiſtola ad Quintum fratrem. [Nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm Paulus de circumciſione poſtmodùm diſceptaret, ſe vindicauit, aut arrogantèr aliquid, vel inſolentèr aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obremperari à nouellis, & poſteris ſibi potiùs oportere; nec deſpexit Paulum, quòd perſecutor Eccleſiæ fuiſſet.] Hæc illè. Sicut ergo verum eſt Paulum perſecutorem fuiſſe, ideòque ſi eum hoc nomine deſpexiſſet Petrus, ita quidem, vera tamen ex cauſa feciſſet; ſic verum eſt primatum Petrum habuiſſe, licèt eo iniuſtè, aut ſuperbè abuti hoc loco noluit. Ad formam ergo argumenti reſpondendum, *in vitio conuerſationis* (quale hoc fuiſſe in Petro olim oſtendimus) publico, & ſcandaloſo, quale hoc erat, fas eſt minori maiorem arguere, citrà tamen contumeliam, & contemptum, ſicut Paulus fecit: idque ab huiuſmodi minore, qui proximus illi loco, & auctoritate eſt, quem redarguit, qualis Paulus erat, quod notauit Ambroſius his verbis: *Quis*, inquit, *cæterorum auderet, Petro primo Apoſtolo, cui claues regni cælorum Dominus dedit, reſiſtere, niſi alius talis vt Paulus*, ideſt, auctoritate proximus? Hæc ille in Comm. ibidem. Alij Patres, vt Chryſoſtomus, & Hieronymus in Comment. ad hunc locum, exiſtimant hanc reprehenſionem Pauli volente, & ſuadente Petro ex compoſito factam fuiſſe. Nemo verò antiquorum Patrum primatui Petri per hanc reprehenſionem quicquam detractum docuit.

Ad ſeptimum argumentum.

Triplex illa cauillatio contrà primatum Petri ab hæreticis non probatur, ſed aſſeritur tantùm. Verus autem primatus non ordinis tantùm, ſed & poteſtatis, manifeſtè ex ijs, quæ diximus, patet.


Et prima cauillatio auctoritate Tertulliani, Ambroſij, Theodoreti, Hieronymi, & Chryſoſtomi, quos in poſtremo puncto huius articuli produximus, apertè conuincitur.

Secunda cauillatio ex verbis Hieronymi & Græci ſcholiaſtis, & Thomæ Waldenſis in reſp. ad 3. arg. manifeſtè repellitur.

Tertia cauillatio ex verbis Patrum in reſp. ad 6. argum. euidenter deſtruitur. Si enim ſolus fuiſſet ordinis primatus, & non poteſtatis, factum Pauli reprehendentis Petrum tot Patres, Auguſtinus, Gregorius, Cyprianus; Hieronymus, Chryſoſtomus, Ambroſius, tam diligentèr non excuſaſſent.

Ad octauum argumentum.

Anacleti verba, quæ dicunt, quòd *Apoſtoli Petrum principem eorum eſſe voluerunt*, non ita hoc dicunt, quia ex ipſa voluntate, conſenſione, aut electione Apoſtolorum, & non aliter, princeps illorum fuerit; ſed quia ad Chriſti ordinationem, & inſtitutum, Apoſtolorum voluntas, & conſenſus obedientèr acceſſit. Et probatur ex ipſo Anacleto, qui ibidem ait, quòd *Petro primò Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, Domino dicente ad eum: Tu es Petrus, &c. Et tibi dabo claues*, &c. Vide, quòd fundat Petri Pontificatum ſuper verba Chriſti. Et apertiùs in epiſt. 3. *Petro à Domino conceſſum eſt, & ipſi inter ſe voluerunt idipſum, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis*. Deindè, Anacletus non loquitur de principatu Petri quaſi ex voluntate Apoſtolorum conceſſo, niſi reſpectu ipſorum Apoſtolorum, & ſuprà ipſos. Indè autem probari non poteſt, quòd etiam ex voluntate Apoſtolorum ſuit caput totius reliquæ Eccleſiæ. Nam etſi poterant ſeipſos ſubijcere cui vellent, non tamen ita poterant reliquam totam Eccleſiam abſque mandato Chriſti ſubijcere. Atque hinc manifeſtè vana apparet eorum collectio, qui ſic argumentantur: Apoſtoli fecerunt Petrum ſuum principem: Ergo Epiſcopi poſſunt conſtituere Papam, qui ſit Caput totius Eccleſiæ, quemcumque Epiſcopum, ſeu Petri ſucceſſorem, ſeu alium. Non enim idem ius habet aliquis in alios, quod in ſeipſum. Imò ſic adhuc arguimus: Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe principem ipſorum: Ergo non erant de iure diuino æquales; ſed vnum Petrum cæteris præeſſe debere, ex verbis Chriſti intellexerunt. Probatur conſequentia, quia ſi Chriſtus voluit eos eſſe omninò æquales, profectò nec ipſi vni Petro principatum deferre ſine violato ordine à Chriſto poſito potuerunt, nec delatum Petrus accipere ſine ſacrilegio potuit. Quare ex Anacleti verbis illud potiùs ſequitur: Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe principem: Ergo illud Chriſtus priùs voluerat, atque ordinauerat. Ex quibus omnibus apparet grauius error Nicolai Cuſani, & aliorum, qui propter hęc Anacleti verba per conſenſum Eccleſiæ, & non ex iure diuino, primatum Petri, & ſucceſſorum eius introductum fuiſſe poſuerunt.



QVÆSTIO II.

An Romanus Pontifex Petro successerit.



HÆc quæstio duos patit articulos. Primus est, an Petri primatus habuerit aliquem successorem,

Secundus est, an Romanus Pontifex pro illo successore habendus sit.

QVÆSTIO II.

Quòd Petri primatus transijt ad successores.

ARTICVLVS I.

PRimatus, & suprema potestas Petri, quam Christus illis verbis apertis contulit, & factis demonstrauit, quamque ille posteà exercuit, in eius persona non desijt, sed ad eius successores transijt. Probatur hęc conclusio multis modis.

Prima probatio.

Primùm ab officio pastorali. Petrus enim à Christo supremus pastor ouium suarum, institutus est, Ioan. 21. vt iam probatum reliquimus. Pastor verò significat ordinarium Rectorem Ecclesiæ, & perpetuum. Probatur, quia Ecclesia semper est ouile. Io. 10. *Erit vnus pastor, & vnum ouile.* Quæ autem ordinaria sunt, per successionem perpetua sunt, saltem manente potestatis obiecto. Et confirmatur adhuc magis, quia omnia alia officiorum nomina à Christo in Ecclesia posita, & ab Apostolo enumerata ad Ephes. 4. & 1. Cor. 12. extraordinaria erant, & temporanea; *Apostoli* videlicèt, *Euangelistæ*, *& Prophetæ*, vt in præcedentibus ostensum est. Soli *pastores*, *& doctores* (quòd idem officium faciunt) perpetui sunt in Ecclesia. Petrus ergo in officio pastorali omnibus alijs prælatus, habet necessariò huius supremi pastoratus successorem; sicuti alij pastores. Hanc autem successionem agnoscens Chrysost. ait, *Christum ouium suarum curam tum Petro, tum Petri successoribus commisisse*, lib. 2. de sacerdotio.

Secunda probatio.

Petro soli nominatim tota cura pascendi simul, & semel commissa est, & ei in persona claues regni cęlorum traditæ sunt. Ergo eius personæ successio, & continuatio necessaria est, non solùm potestatis illi traditæ. Aliorum Apostolorum successio, nec quoad loca, nec quoad personas certas, perpetua fuit (nam & de facto iam penitùs abrupta est) quia nulli illorum nominatim, sed in genere tantùm; nulli illorum tota pascendi potestas simul, & semel à Christo collata fuit, sed certæ regiminis partes, vt Io. 20. Matt. 18. & vltimo. Sic in veteri Synagoga, quia cum tribu Leui, & nominatim cum Aarone, & filijs eius, pactum Deus inierat Num. 18. propterea non nisi in tota Leuitica tribu sacerdotalis successio, & non nisi in filijs Aaronis supremi Sacerdotij successio, perpetuò conseruata est.

Tertia probatio.

Petrus à Christo stabilitus, vt in fide non deficiat, hanc singularem prærogatiuam accepit, non vt persona priuata, & pro se tantùm; sed vt persona publica, & propter bonum Ecclesiæ. Probatur, quia Christus statim subiecit, *Confirma fratres tuos*, Luc. 22. Stabilitus ergo est ad confirmationem fratrum. Sed Ecclesia hac confirmatione, & quidem talis publicæ personæ, de cuius indefectibilitate certa sit, semper indiget. Ergo est semper in Ecclesia alter Petrus, & talis publica persona ad confirmandos fratres, qualis Petrus erat. Hoc autem non potest haberi, nisi per successionem in locum Petri, quia aliter de legitima persona non constabit, cessante iam omni vocatione extraordinaria, vt suprà ostensum est.

Quarta probatio.

Ecclesia semper est ædificanda (nam *portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*) sed vt non præualeant, super alterum Petrum in fide roboratum (Christo semper illum ædificante, iuxtà illud *ædificabo*, Matth. 16.) ædificari semper debet; cuius videlicèt auctoritate propagetur, & regatur. Ergo debet semper esse in Ecclesia alter Petrus. Sed is non est, nisi qui Petri loco sedet, hac propagatione, & successione spirituali factus Petri filius, & hæres legitimus.

Quinta

Quinta probatio.

Finis propter quem Petrus accepit à Chriſto primatum ſuprà alios, perpetuò militat. Ergo & ipſe primatus perpetuus eſſe debet. Probatur antecedens, quia ad conſeruationem vnitatis hoc factum eſt, vt ſuprà oſtenſum eſt, q. 1. art. 1. concl. 3. ad 4. arg. & concl. 4. ad 1. arg. Probatur conſequentia, quia poſita neceſſitate finis, ponuntur, & media ad finem neceſſaria. Porrò neceſſitas huius finis nunc maior eſt, quàm Apoſtolorum tempore, *primitias Spiritus habentes* periculo ſchiſmatis obnoxij non erant.

Sexta probatio.

Synagoga habuit vnum Summum Pontificem. Ergo multò magis Eccleſia per omnes gentes diſperſa vnum Eccleſiaſtici regiminis Caput habere debet, ad quod in dubijs, & difficilibus recurrat. Vide hoc argumentum latè deductum à Melchiore Cano in locis Theologicis, lib. 6. cap. 3. & ab Alberto Pighio Hierarchiæ Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 3.

Septima probatio.

Eccleſia eſt corpus perfectè ordinatum. Cant. 6. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; & ab Apoſtolo propter ordinem perfectum ſingularum partium comparatur corpori naturali, 1. Cor. 12. & ad Rom. 12. Habet ergo præter cætera membra etiam caput ſui generis. Dico ſui generis, vt cætera membra ſunt, oculi, brachia, manus: nempè corporis militantis vnum ſupremum caput militans (vt oculos habet, & manus militantes, Epiſcopos, & ſacerdotes inferiores) quòd immediatè, & proximè cætera membra regat, idque præter ſupremum, & mediatum regimen Chriſti Capitis. Alioqui non habebit Eccleſia illam à Deo perfectionem, quam cæteræ res omnes à natura habent. In omni enim rerum natura omnis multitudo, ſeu omnia genera rerum, accipiunt influxum à primo agente, ſed mediante aliquo vno. Orbes cœleſtes mouentur à prima cauſa, mediante primo mobili. Lucida omnia illuminantur à prima cauſa, mediante Sole. Calida omnia ab eadem calefiunt, mediante igne. Senſus & potentiæ omnes in corpore naturali à prima cauſa operationem accipiunt, mediante vna anima, quæ hoc ſenſu *caput hominis* ab Aug. vocatur lib. 6. cap. 6. & lib. 12. cap. 7. de Trinitate. Sic planè multitudo fidelium, vt ſit corpus ordinatum, & perfectum, à Chriſto capite tanquam prima cauſa, mediante vno ſupremo Paſtore, & altero Petro, influxum (non gratiæ internæ, ſed) diſpoſitionis, & regiminis externi accipit. Chriſtus enim primarium, & vitale caput Eccleſiæ, vt ſingulas Eccleſias quaſi ſingula ſui corporis myſtici membra per ſingulares paſtores regit, & paſcit; ſic vniuerſam Eccleſiam, vt totum corpus ſuum myſticum, quod vnum ideòque vnicum eſſe debet, per vnum caput vicarium, & ſupremum paſtorem regit. Sic enim *vnitatis origo ab vno Petro incipit, vt vna Eccleſia monſtretur*, dixit notanter Cyprianus in libro de vnit. Eccl. Huius autem vnitatis Eccleſiæ ſuæ ab vno capite potiſſimùm dependentis forma, in charitate fraterna, quam naturaliter nobis Deus inſeruit, eleganter expreſſa eſt. *Ad illam enim vehementiùs commendandam, & ſingulum hominem Deus creauit, vt ab illo vno homine omne diffunderetur genus humanum*, ait Auguſt. de ciuitate Dei lib. 12. cap. 21.

Octaua probatio.

Eccleſia militans ordinatur ad formam, & exemplum Eccleſiæ triumphantis. Probatur Exod. 25. & 26. *Fac ſecundùm exemplar tibi monſtratum in monte*. Illud autem tabernaculum ad imaginem cœleſtis extructum, figura erat Eccleſiæ, vt Apoſtolus ad Hebr. 9. deducit. Rursùm Apocal. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo*, &c. Atque hinc hierarchiam Eccleſiaſticam ad formam cœleſtis hierarchiæ deducit Dionyſius Areopagita cap. 6. Eccleſiaſt. hierarchiæ. Sed in triumphante illa, omnibus Angelorum ordinibus vnus Deus præſidet. Ergo & in Eccleſia ſimiliter. Eſt deductio D. Bernardi lib. 3. de conſideratione ad Eugenium: *Non vilem reputent formam hanc in terris, quæ ſimilem formam habet in cœlo, quæ Deum habet auctorem, quæ de cœlo ducit originem*. Hæc ille.

Nona probatio.

Plerique Proteſtantum, vt Lutherani omnes, Helueticæ, & Anglicanæ Eccleſiæ, volunt vni diœceſi, & prouinciæ vnum præeſſe, vel Superintendentem, vel Epiſcopum, vel principem laicum; & in ſingulis prouincijs monarchicam politiam, vel neceſſariam eſſe, & iuxta verbum Dei, vel certè conuenientiſſimam eſſe confitentur. Multò magis in tota Eccleſia debet eſſe vnum Caput.

Probatur conſequentia, quia vnitas totius Eccleſiæ eſt magis neceſſaria, & bonum commune totius corporis habet magis rationem finis, quàm vnitas, vel bonum commune vnius diœceſis. In omnibus autem virtutibus, & actibus eſt ordo ſecundùm ordinem finis, Ethic. 1. Præterea, poſita vnitate ſingularum prouinciarum reſpectu ſubditorum ſuorum, niſi tamen ſit vnitas ipſarum prouinciarum inter ſe, nulla eſt Eccleſiæ vnitas, ſed horrenda ſchiſmatum facies, vt hodiè. Vniri autem inter ſe prouinciæ omnes non poſſunt, niſi Capitibus, & Prælatis eorum ſub vno primario Capite vnitis, & ſubordinatis.

Decima probatio.

Eccleſia eſt vna, & perfectiſſimè vna, vt in 1. contr. oſtenſum eſt. Vna autem perfectiſſimè eſſe non poteſt, cùm ſit collecta multitudo, niſi ab vno gubernetur.

Probatur primùm à natura corporis Eccleſiaſtici. Corpus enim omne collectum, quò maius, vel minus eſt, eò magis, vel minùs vnitatem Rectoris requirit. Ciuitas mediocriter magna poteſt à tota communitate regi, vt quæ dicuntur hodiè liberæ ciuitates, & pagi Heluetici. Ciuitas maior non niſi à pau-

paucis optimatibus, vt Roma exactis Regibus aliquot sęculis floruit. Ciuitas maxima non nisi ab vno Rege gubernari potest, vt eiusdem vrbis imperium toto orbe propagatum ad monarchiam necessariò deductum fuit. Sic enim Ecclesia, quia est Ciuitas maxima per omnes gentes diffusa, non nisi ab vno supremo Pontifice ritè gubernari potest.

Probatur secundò ab vnitatis ratione. Vnitas enim cùm duplex sit, vna per se propriè, altera reductiuè, & impropriè, vt quando plures in vnum consentiunt; absque dubio vnitas per se melior, & perfectior est, quàm vnitas reductiuè, & impropriè. Hæc enim sunt vnum, illa est. Hæc magno labore, & non sine contentione, vt in collegijs, & optimatum regimine accidit: illa neminem habet contradicentem. Deindè, in proposito res caret omni periculo. Nam in monarchico regimine vnicum illud periculum est, ne in tyrannidem vergat: hic verò in vnius Petri primatum, primùm quoad fidei vnitatem, quod est fundamentum religionis, nunquam potest in tyrannidem verti, quia fides eius est indefectibilis, & errare non potest; quod etiam postea magis ostendetur. Deindè, in legibus morum condendis habet assistentiam Spiritus sancti clauibus promissam, quod quatenùs sit verum, in altera Controuersia docebitur. Ecclesia ergò cùm sit perfectissimè vna, debet per se, & simpliciter, non solùm reductiuè, & imperfectè, esse vna.

Quàm autem excellens sit, & necessaria in Rep. copiosa, & benè ordinata vnius supremi Principis potestas, lege apud Chrysost. hom. 6. ad populum Antiochenum, & homil. 34. in Epist. ad Heb. apud Hieronymum in Epist. ad Rusticum monachum, apud Cyprianum in tractatu, quòd idola dij non sunt, & apud Athanas. in lib. contra Gentiles, & insignem locum Trapezuntij Græci apud Franciscum Turrianum pro Epist. Pontif. lib. 2. cap. 7. Et hæc quinque postrema argumenta vt probant alicuius primatus in Ecclesia necessitatem, ita posito Petri primatu ex Scripturis demonstrato, multò fortiùs probant eundem à Christo institutum esse, non solùm in Petro, sed etiam in successoribus eius.

Argumenta hæreticorum contra successionem primatus Petri.

Primum Argumentum.

VNus inter Apostolos summus fuit, quia pauci erant numero. Sed quod inter paucos valet, non protinus trahendum est ad vniuersum orbem terrarum, ad quem regendum nemo vnus sufficit. Talis ergò successio ponit impossibile.

Secundum Argumentum.

Christus est vnicum Caput Ecclesiæ, ad Ephes. 1. 4. & 5. Fit ergo iniuria Christo, cùm aliud caput ponitur. Nec sufficit dicere hoc aliud Caput esse ministeriale, aut vicarium caput: tale enim Scriptura nusquam exprimit. Non debet ergo contra apertam Scripturā illud admitti, quod Scriptura tacet.

Tertium Argumentum.

Paulus viuam Ecclesiæ imaginem aliquoties nobis depingit: vt ad Ephes. 4. vbi Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores, & doctores enumerat; de vno autem Capite non loquitur cùm id tamen locus ille postularet; nec vllo modo debuit omitti si verum esset. Rursum ibidem in illa commendatione vnitatis, postquam dixerat, *Vnum corpus, vnus Spiritus, vna spes vocationis, vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*, cur non addit, vnus summus Pontifex? nihil enim aptius dici poterat. Denique eodem capite ait Apostolus: *Christus caput est, ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iuncturam subministrationis secundùm operationem in mensura cuiusque membri augmentum corporis facit.* Vides, vt omnes mortales sine exceptione in corpore collocet, honorem, & nomen capitis relinquat vni Christo. Hæc sunt Caluini ad verbum argumenta. Instit. lib. 4. cap. 6. num. 8. 9. & 10.

Quartum Argumentum.

Contra probationes factas idem cauillatur Caluinus. Contra 6. probationem dupliciter. Primùm, quia quod in vna natione vtile fuit, id in vniuersum orbem extendere nulla ratio cogit. Imò gentis vnius, & totius orbis longè diuersa erit ratio. Perindè enim est, ac si quis contendat totum Mundum à Præfecto vno regi debere, quia ager vnus non plures præfectos habeat.

Secundò, quia ille summus Pontifex Iudæorum Christi typus erat, idque non in doctrina modò, sed in propitiatione Dei, quam morte sua peregit Christus, in qua propriè consistit nouum Christi Sacerdotium, translato veteri. Contra 7. probationem cauillatur ex huiusmodi ratiocinatione à rerum naturis petita non illud consequi, quòd vnus debeat totum orbem imperio tegere; sed hoc solum, quòd regnum duos non capit, & quòd omnis potestas impatiens consortis est. Contra 8. probationem: Non est, inquit, quòd de comparatione cælestis, & terrenæ hierarchiæ subtiliter philosophentur. Nam nec de illa tutum est vltra modum sapere: & in hac constituenda non alium typum sequi oportet, quàm Dominus ipse verbo suo delineauit. Hæc Caluinus loco citato.

Solutio eorundem.

Ad primum Argumentum.

PRimatus Petri non fuit super solos Apostolos, sed etiam supra reliquam omnem Ecclesiam, vt ex præcedentibus patet. Quare non trahitur à paucis ad totum orbem, sed in toto orbe continuatur quod in Petro cœpit. Viuente enim adhuc Petro totius Ecclesiæ capite, *in omnem terram exiuit sonus Apostolorum*, Rom. 10. Deindè, etsi tunc paucorum fuisset Ecclesia, trahi tamen debet ad Ecclesiam toto orbe diffusam, propter ea, quæ dicta sunt in probat. 5.

Tet-

Tertiò, vnus homo ad regendum totum orbem non sufficit per se, & ex suis solius viribus, imò ne ad vnam Paręciam quidem regendam, si paulò numerosior existat. Sed partim per alios coadiutores in partem sollicitudinis vocatos, vt vnam Paręciam vnus pastor, & vnam Diœcesim vnus Episcopus, vnamque prouinciam vnus Archiepiscopus, sic totam Ecclesiam vnus Petri successor regit; partim non humana, sed diuina ope fultus, gratia, & fortitudine promissa donatus, vnus Petri successor ad regendam vniuersam Ecclesiam valet: quantumcumque illud infidelitati hæreticorum impossibile videatur.

Ad secundum Argumentum.

Non fit iniuria Christo, quia Caput vicarium successor Petri ponitur; & hoc vicarium Caput Scriptura non tacuit; nisi quòd Protestantes obliuiscantur Scripturam, aut ei credere recusant, quæ Petro,& eius successoribus dixit (vt in 1. & 4. probat. ostensum est) *Pasce oues meas*, & iterùm; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Christus enim per vicarium caput pascit oues suas, & per vicarium caput ædificat Ecclesiam suam. Hoc est in disputando principium petere.

Ad tertium Argumentum.

Ad primam partem argumenti aliàs responsum est, in Controuers. 2. q.3. art.3. in resp. ad 2 arg. circa 2. errorem. Ad 2. partem argumenti responde, nullo modo consequi, quia dictum hoc loco non fit cùm commodè dici posset, ideò nihil huiusmodi esse.

Primùm, quia alibi satis hoc explicatum fuit, vt in Euangelio in persona Petri.

Secundò, quia etiamsi explicatum alibi non fuisset, tamen iuxta regulam August. *solet Scriptura breuitatis causa multa tacere, quæ ex serie traditionis sunt intelligenda*; lib. de fide, & operibus. cap.9.

Tertiò, Cyprianus in vnitate ab Apostolo commendata vnum Ecclesiæ Caput ex serie traditionis intellexit. Quam ob causam cum dixisset lib.1. Epist. 8. *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia*, addit, *Et cathedra vna super Petrum Domini voce fundata*. Rursum lib.3. Epist. 11. refert quorumdam schismaticorum abiurationem in hanc formam: *Nos ignoramus vnum Deum esse,& vnum Christum Dominum,& vnum Spiritum sanctum, & vnum Episcopum in catholica Ecclesia esse debere.* Denique in lib. de vnitat. Eccles. cathedræ Petri, super quam fundatur Ecclesia, vnitatem probaturus ait: *Quando & Apostolus hoc doceat,& Sacramentum vnitatis ostendat, dicens, Vnum corpus, & vnus Spiritus, & vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides.* Moxque ostendit Ecclesiæ corpus *esse vnum in Episcopatu vno, cuius à singulis in solidum pars tenetur: & vnitatem seruari in origine, quia vnum est Caput, & origo vna*; in Petri videlicet persona, & cathedra, vt in præcedentibus ostenderat. Cyprianus ergo in eo quod Apostolus dixerat, *vnum corpus esse Ecclesiam*: vnitatem Capitis necessariò intellexit, non Christi tantùm, sed & Petri, ac cathedræ eius.

Ad 3. partem argumenti responde, omnes mortales esse in corpore Christi, ideòque & Petrum ipsum, eiusque successorem, vtcumque sit Caput, esse tamen membrum vniuersalis Ecclesiæ, sed primum membrum, quale caput est, vt alibi ex Gregorio Magno ostendimus. Et certè non esset Ecclesia sub Christo Capite totum corpus, quale Apostolus eam vocat,nisi præter Caput Christum haberet in suo corpore; Caput cæteris membris connaturale, & simile. Totum enim corpus nullum est absque omnibus membris, quorum præcipuum est caput.

Ad quartum Argumentum.

Ad priorem partem 1. cauillationis, eiusque confirmationem, responde, simile non esse quod infertur. Totus enim Mundus ab vno Præfecto propterea non regitur, quia nec necessaria, nec conueniens, nec ferè possibilis est vniuerso orbi eadem politia ciuilis. Non est necessaria, quia nec regiminis, nec legum vniformitas est omnibus gentibus necessaria. Non regiminis, quia siuè sub aristocratia, siuè sub democratia, seù monarchia, gubernari ciuiliter, iustè, & pacificè vnaquælibet regio potest. Non legum, quia pax, & societas humana varijs, & diuersis legibus institui, & conseruari commodè, & honestè potest. Nec conueniens, nec ferè possibilis est, quia varij, & diuersissimi hominum mores, & ingenia variam regiminis, & legum formam necessariò requirunt pro locorum, affectionum, & consuetudinem humanarum varietate. At in Ecclesia Christi, vnitas fidei, Sacramentorum, & cultus essentialis vniformitas, non solùm possibilis, ac conueniens, sed & summè necessaria est, propter Ecclesiæ vnitatem, de qua in 1. Controuersia.

Ad posteriorem partem 1. cauillationis responde, primatum vnius supremi Pontificis, quem ponimus, non in Sacramentorum administratione, per quæ propitiatio per Christum facta nobis applicatur, & Sacerdotium proprium noui Testamenti exercetur, sed in externa iurisdictione consistere; quam etiam habuit summus Pontifex Iudæorum, vt apparet Deuter.17. Deindè, hoc argumentum non trahitur à figura ad veritatem, sed à minore ad maius.

Ad 2. cauillationem responde, ratiocinationem illam à rerum naturis petitam prorsùs hoc euincere, quòd Ecclesia: cùm sit vnum regnum cęlorum, vna domus, vna ciuitas, debeat quoque habere vnum Caput, sicut omnis cætera multitudo collecta, & ordinata habet.

Ad 3. responde, non esse æquum vt Caluinus SS.Patres doceat, Dionysium Areopagitam, & Bernardum, quos adduximus,quatenus illa comparatione cælestis, & terrenæ hierarchiæ vti oporteat; sed magis æquum esse vt ipse ab eis discat. Nos verò in constituenda Ecclesiastica hierarchia illum typum sequimur, quem Dominus in verbo suo nobis delineauit, sicuti iam de persona Petri copiosè ostensum est. Sed verbum Domini hære-

hæretici non admittunt, nisi faciant illud verbum suum, id est, nisi proprio, & nouitio sensu suo vim verbi peruertant.

QVÆSTIO II.

An Rom Pontifex S. Petro in primatu totius Ecclesiæ successerit.

ARTICVLVS II.

AD huius articuli affirmantem partem constituendam, quæ ab hæreticis hodie acerrimè, & totis castris impugnatur, ponemus conclusiones.

Prima Conclusio.

Primatum Petro in Scripturis datum ad successores eius in Rom. Ecclesia peruenisse, ex eisdem Scripturis tradiderunt Patres. Probatur per inductionem. Illud Matth. 16. *Super hanc petram*, &c. ad Romanam sedem applicat Augustinus: *Numerate*, inquit, *vel ab ipsa Petri sede, & in illo Patrum ordine, quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam superbæ non vincunt inferorum portæ.* Hæc ille in Psalmo contra partem Donati. Per Petri autem Sedem, Romanam illum intelligere certò constat, cùm alibi *Petri successores*, enumerans, *Rom. Pontifices* commemoret, ep. 66. Sic Hieronymus ad Damasum Papam scribens: *Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Sic Cyprianus *Rom sedem* vocat *cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia*, in lib. de vnitate Eccles. Idem facit Theodorus Studites in epist. ad Paschalem.

Rursum, illud Luc. 22. *Ne deficiat fides tua*, ad Romanum Pontificem, vt Petri successorem, applicat Cyprianus lib. 1. epist. 3. dicens, *ad Romanam fidem perfidiam accessum habere non posse.* Quare ad illius sedis fidem tanquam indefectibilem veteres Patres recurrebant, & recurrere suadebant. Sic Basilius Magnus epist. 53. Sic Hieron. in Apolog. 3. aduersùs Ruffinum. Sic Episcopi Tarraconenses in epist. ad Hilarium Papam, quæ exrat inter decreta eiusdem, tom. 2. Conc. Sic Eulalius Carthag. in literis ad Bonifacium Papam tomo eodem: Ruffinus in expositione Symboli, & Leo IX. in epist. Synodica ad Petrum Antiochenum.

Tertiò, illud Ioannis 21. *pasce oues meas*, ad Romanos Episcopos succedentes applicat August. contra epist. fundamenti cap. 4. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede apostoli Petri, cui Dominus pascendas suas oues commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, Sacerdotum successio.* Vide etiam insignem locum ex Leone Imperatore apud Franc. Turrianum pro epist. Pontificijs lib. 2. cap. 6. Patres ergo istas Scripturas, quæ primatum loquuntur, in Romanis Pontificibus Petri successoribus locum habere agnouerunt.

Secunda Conclusio.

Sanctus Petrus in vrbe Roma Episcopatum tenuit, & in eadem successores reliquit. Probatur. quia Pontificis Romani sedes vocatur *Petri sedes, cathedra Petri, sedes apostolica*. Consequentia patet, quia *sedes & cathedra* Episcopalis, dignitatis vocabula sunt, iuxta Ecclesiæ vsum ex Scriptura acceptum, vocante Christo Pontificalem Synagogæ dignitatem *cathedram Moysis*, Matth. 23.

Probatur antecedens per inductionem; *Damasi Papæ sedem* vocat Hieronymus *cathedram Petri*, in epistola ad eundem. Romanam Ecclesiam, *Ecclesiam Petri* vocat Arnobius in Psal. 106. Cornelij Papæ sedem vocat Cyprianus *cathedram Petri, & Ecclesiam principalem*, &c. lib. 1. epist. 3. & locum Fabiani Rom. Pontificis, vocat *locum Petri*, lib. 4. epist. 2. Optatus sic scribit lib. 2. *Negare non potes scire te in vrbe Roma primò cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederet omnium Apostolorum caput Petrus.* Hanc etiam ob causam Romanæ Ecclesiæ successionem ab ipso Petro primo eius Ecclesiæ Episcopo veteres omnes deducunt, quorquot illam successionem describunt: vt Irenæus lib. 3. cap. 3. Tertullian. in Præscript. August. epist. 166. Optatus lib. 2. Epiphanius heres. 27. contra Carpocratianos. Denique Eusebius lib. 3. c. 4. & cæteri omnes historiæ Ecclesiasticæ scriptores à Petro ordiuntur Rom. Pontificis successionem. Hippolytus apud Prudentiū vocat *Rom. Ecclesiam cathedram Petri.* Prosper in lib de ingratis *Sedes Romana Petri quicquid non possidet armis, Relligione tenet.* Dorotheus in Synopsi *Petro Linum Romæ successisse* scribit. Denique Hieron. D. Petrum in vrbe Roma 25. annis sedisse scribit in Catalogo virorum illustrium. Postremò, Petrum Romę Simonem Magum deuicisse, ex multis auctoribus suprà ostendimus.

Tertia Conclusio.

Sanctus Petrus successorem sibi in Rom. Ecclesia ordinauit: vnde manifestum fit, illius loci Episcopos Petri esse successores. Probatur ex epist. Clementis ad Iacobum fratrem Domini, in qua scribit Clemens, quòd Petrus illum in conuentu fratrum Episcopum ordinauerit, suæque prædicationis, & doctrinæ cathedram tradiderit. Hoc etiam attestatur antiquissimus Tertullianus, qui in lib. de præscript. ait Clementem à Petro Rom. Ecclesiæ ordinatum fuisse. Idem affirmat Damasus in Pontificali, in vita Clementis. Porrò illa Clementis epistola à Ruffino ante annos 1200. translata, & ab Anacleto, & Alexandro Pontificibus, alijsque antiquissimis scriptoribus honorificè citata, quàm vera, & genuina sit, lege Franciscum Turrianum lib. 1. pro Can. & epist. Pontificijs contra Magdeburgenses.

Quarta Conclusio.

Vniuersam potestatem Ecclesiasticam, quæ ad hunc primatum pertinet, Rom. Pontifices per omnes ætates ad hæc vsque tempora exercuerunt; ideòque illi soli Diui Petri successores semper habiti fuerunt, & habendi sunt. Hæc conclusio ex subsequentibus quæstionibus confirmabitur, in quibus de singulis huius supremæ potestatis partibus

bus contrà hæreticos differetur. Hoc tamen in loco, vt argumentum à praxi Eccleſiæ deductum, quod fortiſſimum eſt, ad maiorem articuli confirmationem ponitur.

Hæreticorum cauillationes contrà Rom. Pontificum in B. Petri locum, ac ſedem, ſucceſſionem.

Prima cauillatio.

CHriſtus Hieroſolymis functus eſt Epiſcopatu dum vixit, & moriendo Sacerdotij munus impleuit. Nec tamen potuit honorem loco acquirere, vt Caput eſſet Hieroſolymitanus Epiſcopus. Ergo multò minùs Petrus debet hoc Romæ acquirere.

Secunda cauillatio.

Si quia Petrus Romæ ſedit, ideo illic collocauit ſedem primatus, ſequetur quoque, quia Moyſes in deſerto ſedit, debuiſſe olim Iſraelitas ſedem primi Pontificis in deſerto ponere.

Tertia cauillatio.

Petrus Antiochiæ ſedit. Ergo Antiochena Eccleſia primatum ſibi vendicare debet. Nec ſufficit dicere translatum poſtea fuiſſe Romam iubente Domino, vt Marcellus Papa in epiſt. decretali affirmat. Quo enim oraculo habuit bonus ille vir Dominum hoc iuſſiſſe? Deinde, ſaltem ſecundum locum habere poſt Romanum debuit. Nunc autem Alexandrina illum ſemper tenuit, non Antiochena.

Quarta cauillatio.

Priuilegium hoc Petri, aut perſonale fuit, aut reale, aut mixtum. Si perſonale, nihil ad locum vbi vel ſedit, vel defunctus eſt. Si reale, ergo vbi ſemel datum eſt, loco non adimitur propter perſonæ mortem, vel diſceſſum. Si mixtum, non erit ſimplex loci conſideratio, niſi perſona ſimul reſpondeat. Atque ita iuxta primum non habebit Roma primatum, iuxta ſecundum habet Antiochia, iuxta tertium neutra.

Quinta cauillatio.

Si Romanę Eccleſiæ pro fundatoris ſui dignitate hic honor primatus debetur, reliquæ etiam Eccleſiæ debent ordine ſuo conſiſtere. Sic quia Petro Ioannes, & Iacobus ſemper in Scriptura proximi ponuntur, eorum Eccleſiæ erunt etiam Romanæ proximæ. Ac inter Patriarchas vltimum locum habuit Hieroſolyma, vbi Iacobus ſedit. Epheſus, vbi Ioannes ſedit, ne vltimo quidem angulo hęrere potuit. Prætereę ſunt, & aliæ Eccleſiæ, tum quaſcumque fundauit Paulus, tum quibus alij Apoſtoli præfuerunt. Sedes Marci, qui vnus tantùm ex Diſcipulis fuit proximum Romanæ honorem adepta eſt. Ergo aut præpoſterus hic ordo fuit, aut primatus Eccleſiæ non ſequitur fundatorem.

Sexta cauillatio.

Petrus Romæ non ſedit. Ergo Rom. Epiſcopus ei non ſuccedit. Probatur antecedens ex hiſtoria ſacra. Paulus ad Gal. 1. & 2. cap. reſtatur Petrum Hieroſolymis fuiſſe, & habitaſſe viginti annis poſt Chriſti mortem. Ait enim cap. 1. poſt annos tres, & cap. 2. poſt annos 14. ſe Petrum Hieroſolymis conueniſſe qui ſunt ferè viginti anni. At à Chriſti morte ad finem imperij Neronis, ſub quo Petrus paſſus eſt, numerantur 37. anni. Reſtant ergo tantùm 17. anni ex quibus cùm Antiochiæ longo tempore vixerit, vt hiſtoriæ perhibent, pauci anni ſuperſunt ex quibus potuit Romæ ſedere. Falſum ergo eſt quod Hieronymus ait Petrum 25. annis Romę ſediſſe.

Septima cauillatio.

Paulus Romanis epiſtolam ſuam ſcripſit, ex itinere, cùm Hieroſolymam poſtremò proficiſceretur, vbi captus, & Romam miſſus erat. In ea epiſtola, quæ ad ſummum quadriennio antequam Romam veniret ſcribebatur, cùm multos pios ſalutet cap. 16. nulla Petri fit mentio, quem tamen ante alios omnes ſalutaſſet haud dubiè ſi ibi fuiſſet. Sic Romam adductus Paulus *Excipitur à fratribus*, vt narrat Lucas Act. vltimo: de Petro nihil. Deinde 2. ad Tim. 4. ſcribit Paulus ſe in prima ſua Romæ defenſione ab omnibus derelictum fuiſſe. Vbi tunc igitur Petrus? An deſertor fuit Euangelij. Ex ipſa vrbe Roma quaſdam Paulus ſcribit epiſtolas, in quibus ſemper de Petro tacet, cùm de alijs fratribus non taceat.

Octaua cauillatio.

Inter Scriptores non conſtat quis fuerit Romæ Petri ſucceſſor. Alij Linum, alii Clementem faciunt, & multas abſurdas fabulas narrant de diſputatione inter eum, & Simonem Magum. Quare parua fides hiſtorijs illorum temporum adhibenda eſt.

Nona cauillatio.

Teſtatur Paulus Petri Apoſtolatum peculiariter ad Iudæos pertinere, ſuum verò ad nos. Proinde, vt ſocietas illa, quam intee ſe pacti ſunt, rata apud nos ſit, imò vt Spiritus ſancti ordinatio firma apud nos habeatur, in Pauli Apoſtolatum, magis quàm Petri reſpicere nos conuenit. Non poteſt ergo Petrus primatum ſuper gentes vſquam ponere. Atque hæc omnia ad verbum ferè vnus Caluinus, Inſtit. lib. 4. cap. 6. num. 11, & ſequentibus.

Decima cauillatio.

Act. vltimo dicunt Iudæi Paulo, ſe nihil de illo priùs accepiſſe ab aliquo, & ſectam illam, quam profitebatur, ſeſe ignorare; id ſolùm ſcire, quòd paſſim ei contradiceretur. At nullo modo veriſimile eſt, Iudæos illos Romæ agentes tam ignaros Euangelicæ prædicationis eſſe potuiſſe, ſi Petrus Romæ tanto

to antè tempore docuisset; maximè cum Iudæorum Apostolus potissimùm esset.

Vndecima cauillatio.

Paulus alios eius congressus cum Petro commemorat Hierosolymis, & Antiochiæ habitos, ad Gal. cap. 1. & 2. Nusquam autem scribit se Romæ Petrum vidisse. Ergo nunquam ibi simul fuerunt.

Duodecima cauillatio.

Scribit Hieron. in Com. in cap. 23. Matt. Petrum à Iudæis crucifixum, & Stephanum lapidatum fuisse. Non est ergo Romæ passus, aut certè tota illa historia incerta est.

Decimatertia cauillatio.

Papatus Romanus est articulus fidei. Non debet ergo fundari super opinionem incertam: imò ex Scripturis constare debet. Petrum autem Romæ sedisse, ex Scripturis non constat.

Decimaquarta cauillatio.

Si ex doctrina accipitur successio, Antiochiæ docuisse Petrum ex Scripturis constat, non Romæ. Si ex morte doctoris, Paulus etiam Romæ passus est, & diu docuit. Ille ergo erit potiùs primus Romanus Episcopus quàm Petrus.

Decimaquinta cauillatio.

Omnes Episcopi sunt successores Petri, vt sustinet Cardinalis Cusanus de concord. Cathol. lib. 2. cap. 13. & probat ex verbo Anacleti distinct. 21. cap. In nouo, vbi dicit de Episcopis verum esse, quòd qui eos audit, Christum audit; non dicit, qui eos audit, Papam audit. Sunt ergo Petri successores immediatè à Christo missi sicut Petrus. Non est ergo Pontifex Romanus singulariter Petri successor. Hæc Philip. de Mornay cap. 8.

Solutio, & abstersio earundem.

Ad primam.

NOn est simile; & ratio discriminis est, quia Christus vt est Caput Ecclesiæ vitale, & quoad influxum, (in quo genere nullum habet Vicarium) sic loci vbi docuit, passus est, nullam voluit esse quoad Capitis dignitatem prærogatiuam. Caput autem Ecclesiæ quoad externam gubernationem, quia Christus in persona propria propriè non fuit, sed ad hoc misit Apostolos; ideò vbi externæ gubernationis Caput Petrus sedem fixit, ibi Ecclesiæ caput censeri Christus voluit. Præterea, Hierosolymis caput Ecclesiæ esse non debeit, tum quia breui post Christum exterminanda erat, *vt lapis super lapidem non staret*, Matth. 24. tum quia hoc fuisset errorem Iudæorum, qui putabant in Hierosolymis Messiam regnaturum.

Ad secundam.

Ecclesia quoad hoc conformis est Synagogæ. Nam vt illic vbicumque residebat summus Sacerdos cum tabernaculo fœderis, & arca, ibi erat Cathedra Moysis; vt primùm in deserto, sed ambulatoriè in tabernaculo, & tentorio, 1. Reg. 7. postea in Silo Iudicum 18. ac postremò in Hierusalem: sic vbicumque Petrus primus Apostolorum sedem fixit, vt primùm in Iudæa, sed ambulatoriè, postea in Antiochia, ac postremò Romæ, in loco quem elegit Dominus; ibi est cathedra Christi, & Ecclesia principalis.

Ad tertiam.

Petrus ad tempus Antiochiæ sedit, vt tabernaculum fœderis in Silo; sed Dei voluntate Romam migrauit, ibique passus sedem fixit. Hoc Dominum disertè iussisse scribit Beatus Marcellus Martyr, & Papa in epist. decretali, & post eum Innocentius in epist. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum. Petit Caluinus oraculum, *vt Iudæi signa*, Matt. 12. Sed signum non dabitur ei, nisi quòd tota antiquitas, & præsens adhuc Romæ monimentum ostendit: Petro videlicet Romam abeunti, & persecutionem hortatu fratrum declinanti, Christum occurrisse, ac dicente ei Petro, *Domine quo vadis?* respondisse, *Vado Romam iterum crucifigi*: quo audito, Petrus crucifigendus mandato Christi Romam rediit. Vide Egesippum lib. 3. cap. 2. Sic Christiani ex oraculo dato Hierosolymam deseruerunt, & in Pellam migrarunt ciuitatem vltra Iordanem, vt refert Eusebius lib. 3. c. 5. & Epiphanius lib. 3. cap. vlt. Alexandrina autem, non Antiochena, secundum locum obtinuit propter honorem Petri, nempe propter Marcum Petri discipulum, & totius prædicationis interpretem, vt alibi ostendimus.

Ad quartam.

Priuilegium primatus Ecclesiastici in Petro nec personale fuit, quia transijt ad successores, vt ostensum est; nec reale, id est, certo loco determinatum, quia non locus personæ, sed persona loco auctoritatem tribuit; nec mixtum in sensu Caluini, vt vbi illa duo concurrunt, ibi statim fit sedes primaria: sed locus fixus; & sedes destinata cum persona adiuncta; persona autem non Petri tantùm, sed & successorum eius, facit priuilegium. Atque ita nec Antiochia, vbi sedem Petrus non fixit; nec Roma, à qua Petri successores abesse possunt, & multis annis abfuerunt, Auinione in Gallia residentes; habet infallibiliter hoc priuilegium; sed vbicumque, vel Petrus, vel successor eius sedem figit, & constituit, ibi est summus Pontifex, & primatus huius priuilegium.

Ad quintam.

Sequitur in Cathedra Petri fundatoris sui dignitatem loci primatus, non autem in cathedris cæterorum Apostolorum, vel secunda,

da, vel tertia dignitas; quia etsi Petrus fuit Apostolorum omnium Petrus, & Princeps; tamen non fuit similiter in aliis Apostolis certus, & perpetuus ordo, sed modò Ioannes, vt Actor.1. modò Iacobus, vt Marc.3. & Matth. 17. modò Andreas, vt Luc.6. & Matth. 10. secundo loco, & ordine ponuntur. Neque necesse est, vt in republica Monarchica sicut vnum certum debet esse caput, sic singulorum ordinum certa debeant esse membra, quæ semper secundum, aut tertium locum obtineant. Quare ad vnius Petri primatum ostendendum, factum est, vt Roma, vbi Petrus postremò sedem fixit, Caput omnium haberetur; Alexandria, propter discipulum Petri, Marcum, secundo loco; Antiochia, quia Petrus ibi diù docuerat, tertio loco, ac denique Hierosolyma, quia & ibi Petrus prædicare Euangelium cœpit, quarto loco inter Patriarchatus haberetur. Vide Anacletum Epist.3. decret.

Ad sextam.

Et si Petrus anno post Christi passionem 20. Hierosolymis fuit, non tamen repugnat eum Romæ 25. annis sedisse, vt Hieronymus in Catalogo disertè scribit. Nam & Romæ sedit, etsi sæpiùs alibi abfuerit, & Hierosolymis fuit, etsi ibi non semper hæserit, aut sedem Episcopalem fixerit. Petrus dicitur ab Historicis Romæ, non alibi, sedisse, quia ibi, non alibi, sedem Episcopalem fixit, successoremque destinauit, & deinque passus est. Aliud est 20. post Christum annis Hierosolymis Petrum habitasse, quod Caluinus fingit, aliud Petrum anno ferè vigesimo ibi fuisse, quod Paulus ad Galatas scribit.

Deindè, tempus quo Antiochiæ sedit, potuit pars temporis illius fuisse, quo Hierosolymis hæsisse dicitur primis 14. annis post Christum. Certè Eusebius in Chronicis, & Hieronymus in Cathalogo, & Orosius lib.7. Historiarum, & Irenæus lib.3. cap.1. restantur Petrum sub principium imperij Claudij, anno 2. imperij eius, Romam profectum fuisse contra Simonem Magum, qui fuit post Christum annus vndecimus, vel duodecimus. Anno 7. imperij Claudij Petrus exiuit, propter edictum quod omnes Iudæi è Roma discederent. Act. 18. id est, cùm iam 5. annis Romæ egisset. Sic ergo Hierosolymam reuersus (vndè propter persecutionem Herodis fugerat) Concilium tenuit Apostolicum. Vide Baronium Annalium tom.1.

Ad septimam.

Tota hæc caullatio, quia ex negatiuis procedit, prorsùs inualida est. Et quia volunt hodiè hæretici argumentum ab authoritate negatiuè in diuinis debere esse firmum, etsi in humanis non sit, responde semel, & obserua. Illa maxima, seu regula, qua hoc astruunt, non est in Scripturis. Ergo secundùm hanc regulam ipsamet regula est falsa. Talia sunt Protestantium axiomata, quæ seipsa destruunt.

Prætereà, iuxta hoc argumentum qui vellet reijcere Acta Apostolorum, quo fecerunt Manichæi, vti posset hoc argumento; Paulus Hierosolymis bis Petrum conuenit & semel Antiochiæ reprehendit, vt cap.1. & 2. ad Gal. refert. At Lucas in Actis nihil horum refert. Ergo aut Epistola illa ad Gal. aut liber Actorum falsa narrat. Nam æquè benè potuit seu Paulus in Epistolis, seu Lucas in Actis tacere de Petro Romæ existente, quàm potuit Lucas omnem Pauli peregrinationem scribens ex proposito, illa tamen omnia tacere, quæ Paulus tam Hierosolymis, quàm Antiochiæ cum Petro egit.

Ad octauam.

Hæc cauillatio docet instabiles Christianos etiam de Christi passione dubitare, de cuius videlicet anno, & tempore Ecclesiastici Scriptores multum variant. Nam cùm iuxta Lucam cap.3. anno Tyberij 15. & ætatis suæ anno 30. à Ioanne baptizatus cœpit prædicare, & completo prædicationis triennio, ideòque anno Tyberij 18. suæ autem ætatis 33. aut sub initium 34. passus fuerit iuxta communem sententiam, quam post Ignatium in Epist. ad Trallianos egregiè explicat Epiphanius hær.51. tamen iuxta Tertullianum in opere aduersùs Iudæos, iuxta Apollinarem, vt notat Hieronymus in Dan. cap. 11. & iuxta Lactantium lib. 1. diuinarum Institutionum, anno Tyberij 15. & ætatis 30. passus dicitur. Augustinus de Doctrina Christiana lib.2. cap.28. scribit quosdam existimasse Christum anno ætatis 46. passum esse, in quo errore fuit Irenæus, qui annos 40. Christum excessisse sustinet, lib.2. cap 39.

Sed vt non propterea Christi passio neganda est, quia de anno, & tempore eius variant historiæ, sic nec de Petri successore Romæ constituto dubitare quisquam debet, etsi de persona illi proxima varij varia sentiunt. De re ipsa autem lege Nicolaum Sanderum in visib. Eccles. Monarch. lib.7. Quod autem hæretici fabulam vocant de disputatione Petri, cum Simone Mago Romæ habita, propter grauissimos authores, quos suprà retulimus, quæst.1. artic. 3. veræ historiæ fidem habet.

Ad nonam.

Quo sensu Petrus Iudæorum, & Paulus Gentium Apostolus fuerit, suprà explicatum est, quæst.1. artic.3. in resp. ad 5. argum. Nos autem, si volumus esse oues Christi, omninò ad Petri pastoratum respicere debemus, cui Christus suum totum ouile commisit, Ioan.21. Et debuit Caluinus non Apostolatum, qui extraordinarius erat, sed pastoratum seu Episcopatum Petri, qui ordinarius fuit, & perpetuus, considerare.

Ad decimam.

Est iterùm argumentum à negatiuis; Responde igitur, vt suprà ad 7. Prætereà, Iudæi illi non dicebant se ignaros prorsùs fuisse prædicationis Euangelicæ, sed ostendunt se incredulos erga illam fuisse; aiunt enim, *quod illi passim contradiceretur*; scilicet à seipsis, & Gentibus adhuc incredulis. Caluinistæ non sunt prorsùs ignari Catholicæ doctrinæ, quam docet Ecclesia Romana quamuis increduli persistant.

Ad vndecimam.

Responde similiter, vt suprà ad 7. Prætereà, congressum Petri cum Paulo in Vrbe Roma insignem valdè, & indubitatum habes apud Dionysium Areopagitam in Epist. ad Timotheum, & mutuam salutationem paulò ante mortem habitam, & notatur hodiè Romæ locus ipse, quo inuicem valedixerunt.

Ad duodecimam.

Hæc cauillatio apertum mendacium habet. Verba Hieronymi sunt: *Ex scribis in lege doctissimis lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus, & Petrus fuit.* Hæc ille. Sed à Iudæis, vel in Iudæa, vel Paulum occisum, vel Petrum crucifixum, non scribit. Vtrumque Romæ passum esse, tum ipse Hieronymus in Cathalogo virorum illustrium, tum Irenæus lib. 3. cap. 3. Tertull. in Præscript. Chrysost. hom. 33. in Epist. ad Rom. & alij veteres Scriptores constantissimè affirmant, quos vide apud Melchiorem Can. lib. 6. cap. 8. & apud Card. Baronium Annalium tom. 1.

Ad decimamtertiam.


Articulus fidei esse potest aliqua conclusio, quæ ex dubijs propositionibus colligitur, quarum altera reuelata est, altera vel lumine naturali, vel ex alia collectione euidenti colligitur. Sic enim Christum habere duas naturas in vna persona, & duas voluntates, Ecclesia definiuit, partim ex propositione reuelata in Scripturis, quòd Filius Dei factus est homo, partim ex naturali consecutione, quòd homo habet intellectum creatum, & voluntatem similiter, Deus autem increatum, immutabilem, & similia. Sic Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, partim ex fide tenemus, quia Petri locum tenet, cui primatum dedisse Christum ex reuelatione habemus, partim ex cognitione historica; & morali certitudine, quia Romæ illum sedem fixisse omnis antiquitas tradidit. Rursùm, articulus fidei esse potest non solùm quod in Scripturis reuelatur, sed quod traditione Ecclesiastica ad nos deriuatur, vt posteà suo loco ostendetur. Tale autem est istud de quo agimus.

Ad decimamquartam.

Etsi tam Paulus, quàm Petrus Romæ passus est, & ex parte docuit, tamen Paulus, nec diù Romæ docuit, aut sedem fixit, nec vsque successorem propriè habuit. Et ratio est, quia vt Apostolus erat extrà ordinem vocatus, & vas electionis singulariter à Christo institutus, sic nullum suæ vocationis successorem ordinarium reliquit.

Ad decimamquintam.

Omnes Episcopi sunt Apostolorum, & consequenter Petri successores inquantum Episcopi, & pastores, & hoc sensu non est absurdum, omnes à Christo esse missos; sed inquantum Petrus solus erat primus, & Princeps omnium, eatenùs non omnes illi succedunt, quia non omnes possunt esse primi. Quare illud Cusani paradoxum, quod ita auidè rapiunt hæretici, merum sophisma apparet, & ille hoc singulariter dixit, nec assertiuè, sed opinatiuè conceptum peritioribus subijciebat, vt in eodem lib. cap. vltimo disertè protestatur.



QVÆSTIO III.

An Romanus Pontifex destiterit Petro succedere, & factus sit Antichristus.



St hodiè omnium hæreticorum constans, & certa sententia, Papam Romanum Petro ampliùs non succedere, sed esse ipsum Antichristum, de quo toties Scriptura Euangelica, & Apostolica loquitur. Hoc autem fundamento posito, omnes Ecclesias illi adhærentes magis, quàm Ethnicas, vel Mahometanas abominantur, & Turcam Papa tolerabiliorem esse passim affirmant.

Scripserunt de hoc argumento multa. Lutherus semel illud iratus profuderat in assertionibus contra Bullam Leonis X. quia se à Papa condemnari viderat. Henricus Bullingerus non multò post libellum edidit, quòd Papa est Antichristus. Nec ita dudum Antitrinitarij in Polonia, & Transsiluania ediderunt librum hoc titulo, *Præmonitiones Christi, & Apostolorum de abolendo vero Christo per Antichristum.*

Denique in omnibus Confessionibus, & Institutionibus Doctrinæ Christianæ, quas ediderunt, hunc articulum accuratè defendunt: Caluinus lib.4. cap.7. num.25. Beza cap.7. sect.12. Musculus in locis com. tit. de Ecclesia, sect. 12. Illyricus in Cathalogo testium veritatis, Magdeburgenses cent.6. cap.1. Philippus de Montay in lib. de Ecclesia, cap.9. multique alij recentissimè, vt Lambertus Danæus, qui libellum de hoc argumento conscripsit, Tubingenses in suis thesibus, Whitakerus Anglus, & alij. Ad hoc ergo axioma (quod sibi persuasissimum habent, & est error crassissimus) penitùs subuertendum, primùm conclusiones aliquas pro veritatis defensione ponemus.

Prima Conclusio.

Multi sunt Antichristi per impietatis participationem, sed vnus est magnus, & propriè Antichristus. Patet ex verbo Ioan. Epist. 1. cap. 2. *Audistis quòd Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Apertè ostendit aliquem adhuc venturum singulariter Antichristum, sicuti multi iam venerunt ex parte, & per cooperationem impietatis Antichristi. Hoc est etiam quod Paulus 2. ad Thessalon. 2. dixit: *Mysterium iniquitatis iam nunc operatur.* Sed paulò ante dixerat: *Nisi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* Quod de singulari Antichristo Patres intelligunt, vt mox patebit.

Secunda Conclusio.

Multi illi Antichristi, cooperatores magni illius Antichristi, sunt propriè hæretici. Probatur item ex verbo Ioannis, vbi suprà. Statim enim subiunxit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c.* Et in Epist. 2. apertiùs: *Multi seductores exierunt in Mundum. Qui non confitetur Christum in carne venisse seductor est, & Antichristus.* Hanc etiam ob causam hæretici vocantur à Christo in Euangelio *pseudochristi & pseudoprophetæ, daturi signa magna, & prodigia.* Matth. 24.

Tertia Conclusio.

Magnus ille Antichristus, cui cæteri omnes hæretici cooperantur, & viam parant, vnus & singularis homo est.

Probatur hæc conclusio multis modis. Christus Dominus vna est, & singularis persona, etsi per participationem multi sunt Christi: *Nolite tangere Christos meos*; Psal. 104. Ergo & Antichristus vna persona erit. Et confirmatur, quia Antichristus Christo propriè aduersatur, vt Deo aduersabatur desertor ille Angelus, qui ideò *Sathan* seu *aduersarius* propriè dictus est. Erit ergo vna persona, vt Sathan est.

Probatus secundò ex verbis Christi Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Hic enim Christus sibi vni vnum singularem hominem venturum opponit. Hic autem est Antichristus, vt Patres vnanimiter exponunt: Irenæus lib. 5. Chrysostomus homil. 5. in Ioan. Hieron. in Epist. ad Algasiam, quæst. 11. Cyrillus Alexand. in Ioan. lib. 3. cap. 6. Theodoretus in Com. in Danielem.

Probatur tertiò ex descriptione Pauli 2. ad Thessalon. 3. vocatur enim *homo peccati, & filius perditionis, & ille iniquus quem Christus interficiet Spiritu oris sui.* Hæc enim omnia singulariter à Paulo pronunciata, non possunt absque iniuria Scripturæ ad plures, quàm vnum applicari.

Et confirmatur ex vi articuli Græci, quo Paulus hoc loco tam sæpè vtitur: *o anthropos tis umartias, o iios tis apolias, o anomos: ille homo peccati, ille filius perditionis, ille impius.* Sic enim ex vi articuli demonstratiui colligit Epiphanius, Scripturam, quando *ton Theon*, dicit non nisi verum, & vnum Deum significare, hær. 9. colligit Chrysostomus. Esaiam diccn-

dicentem, *Ecce virgo concipiet*, quod vertérunt Græci, *i Parthenos*, non nisi de vna Virgine Maria intelligendum, in cap. 7. Esaia, quod etiam confirmat ex Euangelio Ioan. 1. vbi *Verbum Dei* non vocatur *logos*, sed *o logos*, & Ioannes Baptista non rogatur, vtrùm esset Christus, aut Propheta, sed *o Christos*, & *o Prophitis*, nempè ille Messias, qui expectabatur, vel ille singularis Propheta Elias, qui rediturus putabatur. Eandem huius articuli vim notat Cyrillus in Ioan. lib. 1. cap. 4.

Probatur quartò, ex descriptione Danielis cap. 9. describit enim Antichristum talem fore, *qui ex decem regibus tres oppugnet, & regnabit tribus annis cum dimidio*. Vnus igitur est, cuius rei gestæ, & regnandi spatium eam singulariter describuntur.

Et confirmatur authoritate Sanctorum Patrum, Irenæi lib. 5. Hieronymus in cap. 7. Daniel. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 23. & Theodoreti in Comment. ad hunc locum, qui omnes hanc descriptionem ad vnam Antichristi personam applicant.

Probatur quintò, ex descriptione Antichristi apud Ioan. Apocal. 13. vbi numerum explicat, quo Antichristi nomen constabit. *Numerus*, inquit, *hominis, & numerus eius 666.* Est ergo persona certa, cuius nomen certum, & particulare est. Sic enim Christus nomen certum accepit: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, Isai. 9. *Et vocabis nomen eius Iesum*, Luc. 1.

Probatur sextò, quia magnus iste Antichristus, & filius perditionis, *reuelabitur suo tempore, & destruetur illustratione Aduentus Christi*. Ergo vt Christi aduentus secundus, & vltimus vnicus est, ita vnus est Antichristus, & vnica persona, quæ personaliter à Christo destruetur.

Probatur postremò ex consensu Patrum, qui semper Antichristum specialiter dictum non nisi vnum hominem esse iudicarunt. Sic Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, Hippolytus in oratione de consummatione Mundi, Cyrillus Hierosolymitanus catech. 15. Ambrosius in cap. 21. Luc. Chrysostomus in Comment. ad 2. Thessalon. 2. Hieronymus in cap. 7. Danielis, Augustinus de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 19. Theodoretus in Comment. in Daniel. Gregorius Magnus Moralium in Iob lib. 32. cap. 21.

Quarta Conclusio.

Nulla hominum singularium series, aut successio Antichristum illum magnum, & specialiter dictum constituere potest.

Probatur ex vi nominis. Antichristus est Christo aduersarius, &, vt Ioannes loquitur, *o antieimenos, ille qui aduersatur*: Christo scilicet. Christus autem, vt ab ipsa Ecclesia distinguitur, non ratione tantùm, sed & re (quia etsi Caput est Ecclesiæ, tamen Caput est analogicè, & virtute, non realiter, & propria connexione, quod alibi explicatum est) sic Antichristus, qui Christo propriè non Ecclesiæ aduersatur, à multitudine aliqua impiorum, quæ Ecclesiæ, & corporis fidelium opponitur, distinguendus est. Quare vt Deo Diabolus vnus, & corpori fidelium corpus impiorum, seu ciuitas Diaboli, sic Christo non successio impiorum, sed vnus eminenter impius opponitur.

Probatur secundò, quia Antichristus *extollet se supra omne, quod dicitur Deus*, 2. Thessal. 2. id est, nullum æqualem agnoscet. At personarum sibi in æquali potestate succedentium est euidens æqualitas.

Quinta Conclusio.

Prorsùs impossibile est, stante veritate Scripturarum, quòd Romanorum Pontificum successio Antichristum constituat.

Probatur multis modis. Primùm, quia illi successioni Ecclesia Christianorum hactenùs semper in fidei vnitate, & Sacramentorum communione coniuncta fuit. Antichristo autem in fide coniungi Ecclesia non potuit. Vtrumque in prima controuersia satis probatum est. Est enim hic error cum totius Ecclesiæ condemnatione coniunctus.

Probatur secundò, quia ista successio, eo quòd hactenùs Petri Cathedram obtinuit, indefectibilis fuit in fide, iuxta Christi promissa, Matth. 16. & Luc. 22.

Probatur tertiò, quia ista successio fidem Christi hactenùs propagauit, propagatam conseruauit, & omnes hæreses huc vsque profligauit, vt in 1. Controuers. quæst. vlt. & conclus. 2. copiosè ostensum est. At verò si Antichristus præcursores suos hæreticos profligasset, Diabolus Diabolum expulisset, atque ita regnum eius iam diù desolatum fuisset.

Probatur quartò, quia hæc successio est illa Petra, contra quam portæ inferi non præualebunt, vt suprà ostensum est, & manifestè Augustinus affirmat in Psalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *ab ipsa Petri sede, & in illo Patrum ordine, quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam superbæ non vincunt inferorum portæ*. Vicerunt autem, si Antichristus in ea tot sæculis sedit.

Sexta Conclusio.

Antichristus ille magnus non habebit longam aliquam temporis durationem, ideòque nec successionem, sed iuxta Scripturas post breue tempus extinguetur.

Probatur primò Danielis 12. quia *in tempus, & tempora, & dimidium temporis*; & paulò post, *diebus 1290.* quæ vtraque tres annos cum dimidio conficiunt. Idem autem temporis spatium Apocal. 12. tribuitur Ecclesiæ fugienti Antichristum in deserto. Sed & prætereà *dies tribulationis eius abbreuiandi* promittuntur Matth. 24. *propter electos*.

Probatur secundò ex Apostolo 2. Thessalon. 2. vbi mysterium iniquitatis distinguitur ab ipso iniquo olim reuelando. Ait enim, *Mysterium iniquitatis iam operatur*: quod alijs verbis Ioannes dixit, *Nunc Antichristi multi sunt*, id est, hæretici, præcursores magni Antichristi. Sequitur in Apostolo: *Tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet, &c.* Notandum igitur quòd *mysterio iniquitatis*, id est, secretæ præparatio-

nis,

nis, attribuitur *operatio*, idest continuatio, & diuturnitas; *ipsi verò iniquo*, id est, Antichristo, tribuitur *reuelatio*, idest, subitanea manifestatio, eaque citò extinguenda per aduentum Christi gloriosum.

Probatur tertiò, quia non nisi sub finem sæculi venturum Antichristum Scriptura docet Matth. 24. *Prædicabitur Euangelium in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio. Cùm ergo videritis abominationem desolationis*, &c. in quæ verba Hilarius in Comm. docet, *hanc abominationem desolationis esse indicium secundi aduentus Christi*. Imò hanc abominationem esse ipsum Antichristum, docent disertè Hieronymus in cap. 12. Danielis, Author operis imperfecti in Matth. hom. 49. Tertull. in libro de resurrectione carnis, Theodoretus in Com. ad cap. 12. Daniel. & in 2. ad Thessal. 2. Gregorius Magnus Moralium in Iob lib. 14. cap. 11. Sic *nouissimam horam esse, qua veniet Antichristus*, Ioannes docet. Sic *Antichristum à Christo destruendum in illustratione aduentus sui*, Paulus docet 2. Thess. 2.

Septima conclusio.

Antichristus ille magnus, iuxta varias eius notas in Scripturis reuelatas, non potuit à tot seculis apparuisse, quot & quibus Romani Pontifices ex hæreticorum confessione primatum obtinuerunt, idest, ab annis iam nongentis, & amplius.

Probatur primò, quia non nisi *prædicato Euangelio per vniuersum orbem*, apparebit, vt Christus docet Matth. 24. Constat autem ab illo tempore eius, & nostra ætate multis gentibus prædicatum fuisse Euangelium, quibus antea prædicatum non fuerat.

Probatur secundò, quia non nisi deleto Romano Imperio veniet Antichristus. Sic enim illa Pauli verba, *Qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*, &, *Nisi venerit discessio primùm* exponunt Patres, vt de Romano Imperio tollendo intelligant: Hieronymus in epist. ad Algasiam, quæst. 11. Tertull. in Apologetico, cap. 32. in lib. ad Scapulam cap. 2. Ambrosius, & Chrysostomus, Oecumenius, & Theophylactus in Com. ibidem, August. de ciuit. Dei lib. 20. cap. 19. Lactantius lib. 7. cap. 25. At Romanum Imperium, & adhuc subsistit; & ante aliquot sęcula egregiè floruit.

Probatur tertiò, quia à Iudæico populo recipietur maximè Antichristus. Ioann. 5. *Alius veniet in nomine suo; illum recipietis*. Sic Cyrillus Hierosolymitanus catech. 12. & Hilarius can. 25. in Matth. & B. Ephrem in serm. de Antichristo, Cyrillus Alexandr. in Ioannem lib. 3. cap. 6. Gregorius Magnus in Iob lib. 31. cap. 10. Ambrosius in Lucam lib. 10. cap. 21. vnanimiter docent. Iudæi autem neminem receperunt, sed expectant Messiam, & à Romanæ Ecclesię Pontificibus non secus, quàm hæretici hodiè abhorrent. Atque hæ quidem conclusiones satis euidenter demonstrant paradoxi hæretici falsitatem, & absurditatem, quòd Papa sit Antichristus. Nunc hæreticorum, vel argumenta huius paradoxi constructiua, vel cauillationes harum conclusionum destructiuas expendemus.

Argumenta hæreticorum quòd Papa est Antichristus.

Primum Argumentum.

APocal. 17. describitur sedes Antichristi: [Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem, & in fronte eius nomen scriptum, mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ; & vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum.] Et paulò post: [Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet. Et in fine capitis: *Mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ*. Hæc ibi. At hæc omnia euidenter conueniunt Romæ, quæ habet septem colles, quæ imperium orbis tenuit, quæ persequitur Euangelicos; & maiores eorum, Waldenses, Albigenses, Hussitas &c. semper persecuta est, quæ est mater multarum abominationum, propter peccata, quæ ibi regnant; quæ etiam in Scripturis vocatur Babylon, 1. Petri vlt. Et confirmatur auctoritate Patrum. Tertull. in lib. aduersùs Iudæos, & lib. 3. aduersùs Marcionem: *Babylon*, inquit, *apud Ioannem Romanæ vrbis figura est*. Hieron. in cap. 47. Esa. in fine lib. 2. contra Iouinianum, & in Epist. ad Marcellam vocat Romam *purpuratam meretricem*. August. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 22. Romam vocat *alteram Babylonem*. Orosius lib. 2. cap. 3. *Romam per omnia Babyloni respondere* multis rationibus persuadet. Ergo Roma est sedes Antichristi propria. At illam tenet hisque multis seculis tenuit Papa. Ergo &c.

Secundum Argumentum.

Danielis cap. 11. describitur Antichristus his verbis: *Faciet iuxta suam voluntatem Rex*. At Papa his multis sęculis fecit quod ei libitum fuit, in rebus tam sacris, quàm politicis. In sacris omnia eius dicta, placita, decreta, Spiritus sancti oracula censeri debent. Quicquid ei placet, Catholicum, quicquid displicet, hæreticum iudicandum est. *Si secum animas innumerabiles traxerit ad inferos, tamen nefas est ei dicere, Cur ita facis?* Dist. 40. *Si Papa*. Et Pontificiorum axioma est, Papæ pro ratione esse voluntatem. In politicis verò Imperatores creat, Reges deponit, regna mutat, subditos fidei iuramento (cùm vult) liberat. Ergo &c.

Tertium Argumentum.

Sequitur in Daniele: *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum*: quòd etiam Paulus repetit 2. Thess. 2. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. At Papa talis est.

Probatur, quia auctoritatem diuinam sibi vendicat. Verbi gratia: Leges conscientiæ præscribere, vnius Dei est, qui solus habet in nostras conscientias dominatum. At Pontifex suis legibus conscientias obligat, non secus, quàm diuinis. Vndè decernitur in

in Concilio Trident. sess.6. can. 20. *omnes teneri ad obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ*, id est, Papæ, qui præest Ecclesiæ. Imò & grauiùs puniuntur peccata contra præcepta Ecclesiæ, vt qui in die ieiunij carnes comederet, quàm contra præcepta Decalogi. Rursus, Christus se subiecit Scripturis. At Papa dicit posse dispensare contra Apostolum, & Euangelistam, ait Illyricus in Catalogo testium.

Quartum Argumentum.

Sequitur in Daniele: *Aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica*. Quod & Apostolus notauit, vocans eum *antichimenum*, aduersarium. At Papa maximè Christo aduersatur.

Primùm, quia præter vnum Deum multa colit idola, & statuas mortuorum.

Secundò, quia Christum negat esse verum hominem, dum facit eum infinitum, & pluribus simul locis comprehendi.

Tertiò, Christi vnicum, & perpetuum sacerdotium tollit, dum adhuc sacrificat, & suos sacrificare docet.

Quartò, Christi magisterium vnicum tollit, dum suas traditiones humanas obtrudit. Imò negat Christum in carne venisse, id est, solum Christi sanguinem emundare nos ab omni peccato, & sola fide Christi nos saluari.

Quintum Argumentum.

Sequitur in Daniele: *Dirigetur, donec compleatur iracundia*; idest, prosperabitur, donec consummetur ira Dei. At regnum Pontificium mirabiliter creuit, donec tandem hunc Antichristum populo suo Dominus patefecit.

Sextum Argumentum.

Sequitur adhuc in Daniele: *Deum patrum suorum non reputabit*. At Papa Deum nouum excogitauit, qui non est Deus Christianorum. Verus enim Deus est perfectissimè iustus, & perfectissimè misericors. Atqui, nec perfecta ea iustitia est, quæ humanis satisfactionibus acquiescit; nec perfecta misericordia, quæ tantùm supplet quod hominum meritis deest. Sed vtrumque Papa docet. Ergo, &c. Hæc Beza in Confess. fidei cap.7. Præterea, docet Papa religionem non quam Patres, & Apostoli tenuerunt, sed quam ille inuenire, aut fingere sibi potuit. Ergo Deum Patrum suorum abiecit.

Septimum Argumentum.

Sequitur postremò in Daniele: *Deum quem ignorauerunt Patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis*, &c. At apud Pontificios religio omnis in externo splendore, & magnificis ornamentis templorum, & statuarum, Missarumque pompis consistit. Præterea, magnificentia, potentia, diuitiæ Papæ, & suorum est maxima. Ergo omnes Antichristi notę illi conueniunt.

Octauum Argumentum.

Apostolus 2. ad Thessal. 2. describens Antichristum, hanc primam notam ponit: *Nisi venerit discessio primùm*. At hæc discessio est apostasia à fide, eaque generalis.

Probatur, quia vtitur verbo *Apostasias*, & loquitur indefinitè. Et confirmatur ex alijs Scripturis. Luc. 18. *Filius hominis cùm venerit, putas quòd inueniet fidem super terram?* Matth. 24. *Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*. Apocal. 17. *Cum meretrice illa magna Reges terræ scortantur, & vino eius inebriantur*. Hæc omnia significant defectionem, & orbitatem illam, quam Paulus notat. At in Papatu fides iam dudum penè omnis extincta est. Ergo &c.

Nonum Argumentum.

Sequitur in Apostolo; *Ita vt in templo Dei sedat, ostendens se tanquam sit Deus*. Hoc est, in media Ecclesia sedebit, & clàm Christum, non palàm, oppugnabit. At Papa sic facit; sibi soli, & adhærentibus ipsi, Ecclesię titulum vendicat, alios omnes hæreticos pronunciat. Deindè, *ostendit se tanquam sit Deus*, veniens in nomine Christi, & dicens, *Ego sum Christus*, Matth. 24. quia ille, & nemo præter illum, se Christi Vicarium scribit. A suis verò, vt Deus salutatur, & vocatur *Optimus Maximus*. Et apud Gratianum dist. 21. in glossa, *Dominus Deus Papa*.

Decimum Argumentum.

Sequitur in Apostolo: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur suo tempore*. Hoc de Romano Imperio Tertul. Hieron. Chrysostomus intelligunt. Non enim reuelabitur Antichristus stante illo imperio, quod eius potentiam impedit. At ab vrbe Roma, quæ sedes est Antichristi, vt in 1. arg. probatum est, transtulit Constantinus Magnus imperium, deditque Rom. Pontif. palatium suum, vt ita illic nasceretur Antichristus. Postea & vrbis totius, & magnæ partis Italiæ Domini facti sunt Romani Pontifices: donec Phocas Imperator Papę hoc dedit, *vt Caput esset omnium Ecclesiarum*. Hac igitur ratione sublato eo quod detinebat, id est, sublata auctoritate Romani Imperij, & ipsi Pontifici subiecta; reuelatus est Antichristus in persona Bonifacij 3. & successorum eius, qui ab eo tempore voluerunt esse vniuersales Episcopi, & Capita totius Ecclesiæ.

Vndecimum Argumentum.

Sequitur postremò in Apostolo: *Cuius aduentus est secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus*. At Papa, nisi vim quandam efficacem, & planè Satanicam habuisset, fraude, fallacijs, prestigijs, miraculis falsis nunquam proficere tantum potuisset. Quare, & multa miracula ediderunt Pontifices Romani, alijque sub illis, *virtute diaboli, etsi sub nomine Christi*, aiunt Magdeburgenses centuria 1. lib. 2. cap. 4. pag. 436.

Duo-

Duodecimum Argumentum.

Apocal. cap. 13. *beſtiam, quæ habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco,* eſſe Antichriſtum, nemo dubitat. Hic autem eſt Romanus Pontifex, qui agni quidem Vicarium, agnoque ſimilem ſe profitetur, ſed loquitur blaſphemias vt draco, ſicuti 3. & 4. arg. oſtendunt. Porrò vt *beſtiæ characterem omnes coguntur in fronte geſtare,* ita Rom. Pontif. obedientiam iurant omnes. Denique & numerus nominis beſtię 666. conuenit Rom. Pontifici. Nam iuxtà antiquiſſimum Irenæum lib. 5. numerus ille *Latinos* Græcè eſt. Eſt autem Papa & genere, & fide, & publica liturgia Latinus, & ſuos omnes Latinos eſſe vult. Præterea, vt *hæc beſtia dedit ſpiritum imagini alterius beſtiæ iam demortuæ, vt loqueretur imago beſtiæ, &c.* ſic Papa collapſum Imperij Romani idololatrici ſtatum renouauit atque inſtaurauit, quaſique demortuam animauit, inquantùm principatum ibi tenuit, ſicut olim Ethnici, atque adeò maiorem, iuxta illud Leonis Papæ: *Ciuitas ſacerdotalis, & regia per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſidet religione diuina, quàm dominatione terrena.* Serm. 1. in Natali Petri, & Pauli. Quod & Proſper annotauit. Poſtremò, quòd hæc beſtia ſignificet Romanum Imperium non antiquum, ſed quod poſteà exoriturum erat, Ioan. Apocal. 17. ſatis oſtendit ex interpretatione Angeli, qui exponit *beſtiam, quam viderat, aſcenſuram eſſe ex abyſſo.* Ergo nondum aſcenderat, nec extiterat. At cùm Ioannes ſcriberet, Romanum vetus imperium maximè floruit. Pontificium ergo regnum intelligit, quod nondum emerſerat.

Decimumtertium argumentum.

Gregorius Magnus ſcribit Antichriſti nomen eſſe, *vocari vniuerſalem, vel œcumenicum Epiſcopum,* lib. 4. epiſt. 38. Et hoc nomine Ioannem Conſtantinopolitanum condemnat. At Papa vult eſſe *vniuerſalis Epiſcopus,* & ſcribit ſe *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum* (ſic enim in Concilio Tridentino ſubſcripſit Pius IV. noſtro tempore.) Ergo ille eſt Antichriſtus Gregorij iudicio.

Decimumquartum argumentum.

Bonifacius III. Papa nomen vniuerſalis Epiſcopi à Phoca Imperatore parricida obtinuit anno 666. qui eſt numerus beſtiæ, Apocal. 17. Ergo non eſt dubitandum, quin ille fuerit Antichriſtus tunc primùm reuelatus. Et confirmatur, quia huic apoſtaſiæ omnes Eccleſiæ Græciæ, Daciæ, Illyricæ reſtiterunt, accuſantes Symmachum Papam apud Theodoricum Regem, quòd nemini ſe ſubijcere in iudicio vellet.

Decimumquintum argumentum.

S. Bernardus ſuo tempore Romæ Antichriſtum tyrannidem exercuiſſe multis in locis inſinuat, in lib. de conſideratione ad Eugenium, & ſuper Cantic. ſerm. 33. & 77. & in varijs epiſtolis ad Henricum Epiſcopum Senonenſem. Non eſt ergo nouum, aut paradoxum, quòd Papa eſt Antichriſtus. Hæc ſunt illorum præcipua, & magis apparentia argumenta conſtructiua. Sequuntur nunc concluſionum noſtrarum deſtructiua.

Cauillationes hæreticorum contrà concluſiones præmiſſas.

Prima cauillatio.

Contrà 1. probationem concluſionis tertiæ cauillantur, Chriſtum eſſe caput iuſtorum omnium; ideòque illi aduerſari caput impiorum hominum, qui eſt diabolus, vt docet Auguſtinus in pſal. 139. non autem Antichriſtum, qui eorum tantummodò caput eſt quos ſeducit.

Secunda cauillatio.

Contrà 3. probat. eiuſdem concluſ. cauillantur, articulum illum demonſtratiuum licèt ſæpè non tamen ſemper illam vim habere, vt vnam perſonam notet. Nam Matt. 12. *Bonus vir de bono theſauro cordis ſui, &c.* Luc 4. *Non ex ſolo pane viuet homo,* Marc. 2. *Sabbatum factum eſt propter hominem*; Luc. 11. *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine*; ſemper eſt Græcè adiunctus articulus demonſtratiuus, nec tamen vnum certum hominem illa loca deſignant.

Tertia cauillatio.

Ad auctoritatem reſpondent, Patres circa Antichriſtum erraſſe his de cauſis: vel quia communi hominum de Antichriſto opinioni nimium tribuerunt, vel quia Scripturas minùs attentè perpenderunt, vel quia temporibus illis florentiſſimis talem apoſtaſiam conſecuturam fuiſſe prævidere non potuerunt, vel quia Eccleſiæ Romanæ maieſtas, ac ſplendor hominum oculos ab illo loco auertit, vel denique, quia nondum Antichriſtus patefactus, aut agnitus fuit, ſicuti noſtro tempore. Poſtremò, Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 20. cap. 19. Antichriſtum intelligi vult non vnam perſonam, ſed magnam impiorum multitudinem. Irenæus quoque lib. 5. cap. 25. ideò Antichriſtum Latinum vocari ait, quia veriſſimum regnum hoc habet vocabulum.

Quarta cauillatio.

Contrà 4. probationem reſpondent, ſingulatiter deſcribi, quod tamen multitudinem ſignificat. Sic enim Daniel totas monarchias, & longam ſucceſſionem certarum beſtiarum *leonis, vrſi, pardi* nominibus deſignauit c. 7.

Quinta cauillatio.

Contrà 2. probationem 4. concluſ. cauillantur, omnes quidem Pontifices eſſe æquales, ſed Antichriſti nomen, ac notam non propriè in perſonis ipſis Pontificum reſidere, vt tot fuerint Antichriſti quot Papæ, ſed in ipſa ſede, & munere Pontificio collocari; reſpectu

ſpectu cuius vna eſt omnium Pontificum ratio. Itaque perſonam, vel Papam aliquem poſſe ſaluari, ſed ipſam ſedem eſſe filiam perditionis certiſſimè perituram.

Sexta cauillatio.

Ad quintæ concluſ. probationem 1. cauillando reſpondent, vſque ad Gregorij Magni ætatem Patres omnes Eccleſiæ Romanæ iunctos fuiſſe propter integram adhuc fidem conſeruatam; deinceps verò illi Eccleſias omnes communicaſſe, qui characterem beſtiæ omnes plus minùs acceperunt, eiuſque ambitioni ſeruierunt.

Septima cauillatio.

Ad 2. probationem eiuſdem concluſ. reſpondent Petro, vel ipſius cathedræ iniuriam non fieri, ſi Romæ non Antichriſtus modò, ſed ipſe Diabolus reſideret.

Octaua cauillatio.

Ad 3. probationem reſpondent, propagationem fidei, vel defenſionem contrà veteres hæreſes per Romanam Eccleſiam, non obſtare, quo minùs Eccleſia illa tamen ſeruierit Antichriſto. Antichriſtus enim non palàm, ſed clàm oppugnabit Eccleſiam ſub nomine Chriſti.

Nona cauillatio.

Ad 4. probationem reſpondent, Auguſtinum reuocare Donatiſtas ad fidem Romanæ Eccleſiæ tunc integram, non autem ad ſucceſſionem externam. Similitèr D. Hieronymo, & alijs Patribus Romanæ Sedis vel Cathedram, vel ſucceſſionem vrgentibus reſpondent.

Decima cauillatio.

Ad 1. probationem 6 concluſionis cauillando reſpondent, hoc modo declarari Antichriſti breuem, & non perpetuam tyrannidem fore; non autem ſic præcisè breuem, vt ad litteram Scriptura loquitur. Et confirmatur, quia ſi iſta de tribus annis, & ſex menſibus communi modo accipiamus, tum certi ſumus Chriſtum his annis, & menſibus expletis adfuturum, atque ita poſſumus ad eius temporis cognitionem peruenire, quod Chriſtus & ignorauit, & perpetuò ignotum eſſe voluit.

Decimaprima cauillatio.

Ad 3. probationem 6. concluſionis cauillantur, venturum quidem Antichriſtum in conſummationem ſæculi, ſed hanc conſummationem ab ipſa Chriſti in cœlum aſcenſione ad eius redditum patere. Totum enim hoc tempus in Scripturis vocatur *hora nouiſſima*, 1. Ioan. 2. *omnium rerum finis*, 1. Petr. 4. *dies vltimi*, ad Hebr. 1. *tempus in propinquo*, Apocal. 1. Quare poteſt Antichriſti aduentus eſſe in conſummationem ſæculi, & tamen multis ſæculis ante ipſum ſæculi finem conſtitui.

Decimaſecunda cauillatio.

Ad 1. probationem 7. concl. cauillantur dupliciter. Primùm, Chriſtum dicere vniuerſalem illam Euangelij prædicationem fini certum omnium præcurſarum, non autem Antichriſto; ait enim. *Et tunc veniet finis*: non ait, Et tunc veniet Antichriſtus. Deinde, Euangelium iam Apoſtolorum tempore omnibus gentibus prædicatum fuiſſe, teſte Paulo ad Coloſſ. 1. *quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura ſub cœlo*, licèt non ab omnibus receptum, & creditum fuerit.

Decimatertia cauillatio.

Ad 2. probationem eiuſdem concluſ. cauillantur dupliciter. Primùm, Romanum Imperium à multis ſæculis opera Leonis Papæ III. laceratum fuiſſe, & in duas partes diſceptum, creatis in Occidente Imperatoribus, atque ita quodammodo ex eo tempore interijſſe, quatenùs ad interitum tendebat. Deindè, ad Pauli ſententiam, & ad Antichriſti regnum ſufficere, quòd vrbis Romanæ ius Imperatori ereptum Pontifici delatum fuerit; & Imperatore alio migrante, vacua Pontifici Roma relicta fuerit. Hoc enim eſt *de medio fieri*, vrbe Roma cedere, quod fecit Conſtantinus Magnus; vt ſic Romæ, quæ ſedes futura erat Antichriſti, Pontificius Antichriſtus ſederet.

Decimaquarta cauillatio.

Ad 3. probationem eiuſdem concluſ. cauillantur, ex Scripturis non apparere, quòd Iudæi recepturi ſint Antichriſtum, ideoque quicquid Patres dicant, non eſſe abſque Scripturæ teſtimonio credendum. Deinde, cum Pauli ſententia hanc opinionem non congruere:

Primùm, quia iuxtà Paulum *in templo Dei ſedebit*, idelt, in Eccleſia Chriſtianorum regnabit, & à Chriſtianis maximè recipietur.

Secundò, quia idem Paulus docet futuram Iudæorum conuerſionem ad Rom. 11. Si autem conuertendi ſunt, aut ante Antichriſti aduentum, & tunc Iudæi non erunt, ſed Chriſtiani, aut poſt eius aduentum, deleto Antichriſto. At illud breue admodùm tempus erit iuxtà noſtram ſententiam, vt in 6. concl. dictum eſt.

Tertiò, Scripturam quam aſſerimus ex Ioan. 5. etſi Patres de Antichriſto interpretantur, tamen nec illi ſoli rectè interpretabantur, nec hîc aliquid difficile eſt, vt neceſſe ſit Patres conſulere, niſi planè velimus non modò Spiritum Dei, ſed etiam ſenſum communem nobis ipſis detrahere. Textus enim planus eſt de quouis ſeductore, quem Iudæi reciperent: qualis erat Theudas apud Ioſephum de bello Iud. lib. 2. cap. 12. & Cuzibas apud Petrum Gal. lib. 4. cap. 21. Hæ cauillationes ferè omnes Guil. Whitakeri ſunt, audacis, ſed ſtolidi ſcriptoris, contrà 40. demonſtrationes Nicolai Sanderi.

Ex-

Explicatio articuli.

ANtequam vel argumenta soluamus, vel cauillationes diluamus, notabimus breuitèr tria.

Primùm notabimus, in Scripturis exponendis illam regulam seruandam esse, vt obscura loca non præiudicent apertis, sed è contrà ad apertè dicta accommodari debeant, quę obscuriùs dicuntur; ita sanè vt nullus obscuri loci sensus admittatur, qui alijs apertis Scripturæ verbis contradicat. Hanc regulam, vt summa ratio dictat, ita eam tradit August. de doctrina Christian. lib. 2. cap. 6. *Magnificè*, inquit, *& salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidium detergeret.* Sic enarrat Psal. 140. *Apertis*, inquit, *Scripturarum locis pascimur, obscuris exercemur.* Aperta igitur loca nos docent, obscura exercent. In apertis tenenda veritas, in obscuris quærenda probabilitas.

Hæretici autem, qui fallere volunt, aperta fastidiunt, & negligunt, obscura consectantur, & ambiunt. Quod de Donatistis notauit August. *Vos*, inquit, *libenter opertis immoramini, ne fateri aperta cogamini.* de vnit. Eccles. cap. 9. Et iterum cap. 16. *Scrutamini Scripturas, & eruite aliquid manifestum quo demonstretis Ecclesiam. Aliquid proferte quod non egent interprete.* Hæc ille, quia Donatistæ, relictis apertissimis locis de Ecclesia per omnes gentes diffundenda, obscurum illum locum vrgebant Cant. 1. *Vbi pascis, vbi cubas in meridie?* sicut hodie hæretici, vt mox videbitur.

Secundò notabimus, omnes prophetias, & omnia loca quæ de Romano Antichristo proferunt hodie hæretici, maximam habere obscuritatem. Probatur ex ipso contextu. Daniel. 12. post totum sermonem de Antichristo dicitur: *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones vsque ad præfinitum tempus.* Rursum, Christus ipse Matt. 24. de abominatione desolationis apud Daielem ait: *Qui legit intelligat*; Per hanc tamen maximè quæ Dan. 12. prædicitur, Antichristum significari Patres docent, nec hæretici multum reluctantur. Ioan. quoque in Apocalypsi scribens de bestia cap. 17. quam Antichristum esse volunt multi, ait: *Hic est sensus: qui habent sapientiam*, &c. Imò de toto illo libro rectissimè scripsit Hieronymus. *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba.* in epist. ad Paulinum. August. quoque de ciuitate Dei lib. 20. cap. 9. multum laborat intelligere quæ sit illa bestia, de qua in Apocalypsi Ioannes, tam multa scribit, suamque sententiam magis suspendendo, quàm præcipitando exponit.

Porrò loco 2. ad Thess. 2. omnes Patres vehementer torsit. Illud enim, *Nisi veniat discessio primùm*, quatuor diuersis modis exponunt. Illa quoque verba, *Vt in templo Dei sedeat*, varijs modis interpretantur, vt posteà dicetur. De illis verò verbis, *Nunc quid detineat scitis*, &c. ingenuè ait August. *se ad illorum verborum intelligentiam non potuisse peruenire*; lib. citato cap. 19. Ad illa quoque verba, *Iam mysterium operatur iniquitatis, Ego*, inquit ibidem August. *qui dixerit Apostolus, me prorsus fateor ignorare.* Suae igitur omnia illa loca haud dubiè obscura.

Tertiò notabimus, vtcumque sit omnis de Antichristo obscura prædictio, tamen aduentus ipse Antichristi non erit obscurus, sed ex rebus ipsis manifestus. Probatur, quia Apostolus eius aduentum verbo *reuelandi* ter in eodem contextu exprimit, 2. Thess. 2. *Nisi reuelatus fuerit homo peccati*; *Vt reueletur in suo tempore*; *Et tunc reuelabitur ille iniquus.* Probatur etiam, quia Christi aduentus manifestus etiam fuit *per signa, & opera quæ nemo alius fecit*; Ioan. 3. Hinc autem collige, adueniente semel Antichristo, non esse ampliùs obscura de eo prędicta; sicuti veniente Christo non sunt ampliùs obscuræ prophetiæ de Christo. Vnde iterum collige, quia hactenùs istæ prophetiæ obscuræ sunt; & Patribus olim obscuræ fuerunt, proptereà nec olim aduenisse nec hodie adesse posse Antichristum, sicut volunt hæretici. Obscuræ autem sunt non solùm nobis Catholicis, qui venisse adhuc Antichristum negamus; sed & ipsis hæreticis, qui venisse aiunt: quod satis apparet ex diuersa, & contraria locorum interpretatione, quam adferunt, vt mox videbitur.

Solutio argumentorum.

Ad primum Argumentum.

MVlier *sedens super bestiam*, Apocalypsis 17. Romam designare à quibusdam Patribus in argumento citatis existimatur. Sed qui sic existimarunt, Romam non pro Ecclesia Romana, sed pro Vrbe, & Imperio Romano acceperunt. Roma igitur est iuxta illos *Babylon, meretrix purpurata, & ciuitas illa magna, sanguine sanctorum ebria*; sed Roma Ethnica, non Christiana; Imperium Romanum; non Ecclesia Romana. Sic Tertull. seipsum explicauit. *Babylon*, inquit, *Romanæ vrbis* (non Ecclesiæ) *figura est. proinde magnæ, & regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis.* Vrbs enim Roma Babylonem, seu Chaldaicam, seu Ægyptiam magnitudine, & superbia, & persecutione sanctorum non adæquauit tantùm; sed & superauit. Vt enim Chaldęi Reges, & Ægyptij veterem populum, sic multò magis Romani Imperatores Christianos persecuti sunt. Quorum videlicet opera, & Christus ipse passus est, & Principes Apostolorum Petrus, & Paulus, posteàque multi Romani Pontifices Romæ martyrio affecti sunt, & infinita Christianorum multitudo per reliquas imperij partes martyres facti sunt.

Sic Hieron. in epist. ad Marcellam c. 7. postquam Romam propter peccatorum magnitudinem, quæ in tam magnis vrbibus regnare solent, *Babylonem* vocasset, *& meretricem purpuratam*, &c. addit tamen: *Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum, & martyrum, est Christi vera confe* . *o*, &c. Imò per hanc Christi confessionem *scriptam in fronte blasphemiam ab illa vrbe deletam fuisse* idem Hieronymus alibi scribit. *Ad te*, inquit, *loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, vrbs potens, vrbs Orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata*, &c. lib. 2. con-

K tra

tra Iouinianum. Roma igitur etsi ratione imperij adhuc Ethnici, & persecutoris sanctorum, potuit esse Babylon; tamen ratione Sanctæ fidei, quæ ab initio in illa viguit, neque cum adhuc impij dominarentur Imperatores Babylon erat (nam cùm Nero ibi sederet, sedit & Petrus, & pariter *Ecclesia quæ est in Babylone electa*, vt ipsemet scribit epist. 1. cap. vlt. alijque posteà sanctissimi Pontifices, & martyres sub impijs Imperatoribus sederunt) neque multò minùs conuersis ad Christum Imperatoribus ipsis, Babylon ampliùs Roma fuit, sed *sedes Apostolica*, vt tota antiquitas, omnisque semper Ecclesia loquitur. Quare quòd Augustinus, & Orosius Romam Babyloni comparant, id totum ratione vrbis adhuc Ethnicæ, vel alioqui quoad peccata impiæ, non ratione Ecclesiæ, aut fidei, aut doctrinæ, ab illis factum est. Imò Orosius manifestum discrimen ostendit, quòd Babylon Assyriorum post 116. annos capta, & imperio priuata fuit; Roma verò post simile tempus à Gothis capta in Imperio tamen remansit, *propter Christianæ religionis cultum, & meritum*. Vide locum lib. 2. cap. 3. Atque hæc diximus iuxta illorum sensum qui Babylonem, & bestiam hoc loco pro Roma accipiunt. Sed multò probabilior, & verior sensus illorum est, qui mulierem hanc purpuratam, & bestiam, & Babylonem, & ciuitatem magnam accipiunt non pro Roma, aut pro vna aliqua, vel ciuitate, vel imperio, sed pro toto imperio impiorum hominum, Ecclesiam Dei ab initio persequentium.

Sic enim August. disertè exponit enarrat in Psal. 61. & de ciuitat. Dei lib. 20. c. 9. Aretas quoque in Com. in hunc locum, & Commentarius in Apocalypsin Ambrosij nomine editus, itemque alius inter opera Augustini, eundem sensum sequuntur. Hic quoque sensus ipsis literę maximè est conueniens. Nam *septem capita & septem montes, & septem Reges*, quæ omnia idem hoc loco signant (vndè Protestantium ineptia apparet, qui septem montes pro materialibus collibus Vrbis Romæ accipiunt, in quibus tamen hodie populus Romanus non habitat, sed in campo Martio) sunt septem regna, & status, quæ populum Dei ab initio persecuta sunt: videlicet Ægyptij ante Moysem, Chananæi statim post Iosue, Chaldæi Babylonij per Nabuchodonosor, Persæ per Darium, & Cyrum, Græci per Alexandrum, eiusque successores, maximè Antiochum Epiphanem; qui sunt quinque respectu veteris populi; Romanum Imperium, quod est sextum, & magnus ille Antichristus, qui deleto Romano Imperio vastabit Ecclesiam, maximè hi septem status sunt *septem capita, montes, & Reges. Quorum quinque ceciderunt* (ait Ioannes, quia illa imperia per Romanos subiugata fuerunt) *vnus est*, videlicet Romani Imperij moderator; *& alius nondum venit: & cùm venerit oportet illum breue tempus manere*. Hic est Antichristus ille magnus, qui videlicet non est tota illa bestia, vel Babylon magna, sed pars extrema illius, & *vnus de septem*, seu capitibus, seu montibus, seu regibus, ex quibus tota bestia, & tota ciuitas impiorum constatur.

Quod in verbis sequentibus Ioannes explanat dicens: *Et bestia quæ erat, & non est* (nempe quoad priores partes, & status iam destructos, *& ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit*. Antichristus videl. breui interiturus, est vna bestia de septem, quatenùs bestia pro parte non pro toto accipitur, vt priùs; & est octaua propter magnitudinem, & enormem persecutionem, quam contra Sanctos gesturus est. Ex quibus omnibus patet, quòd hæc bestia, seu meretrix, seu Babylon, nihil minùs significare potest, quàm Romam, quatenùs Roma Ecclesiam Romanam, non vrbem, significat.

Ad secundum.

Papa nec in sacris, nec in politicis facit quicquam iuxta voluntatem suam; sed in sacris & rebus fidei iudicium eius pro oraculo Spiritus sancti habetur: non quia tale iudicium ex voluntaris arbitrio sibi arrogauit, sed quia supremam in talibus iudicandi potestatem à Christo accepit; nec quia hanc potestatem pro libito suo exercet, sed quia iuxta Scripturas sacras, iuxta regulam fidei, & decreta Patrum, cum consilio fratrum semper iudicat, & infallibiliter, iudicandi gratiam à Christo accepit, vt iam ostensum est. Quod allegatur distinct. 40. *Si Papa*, non est alicuius Papæ dictum de se, sed est Bonifacij Martyris dictum; quod non loquitur de errore Papæ circa fidem, sed disertè loquitur de improba vita, & malo exemplo, quo posset alios perdere. Quo casu putauit ille Sanctus illum non esse redarguendum à quoquam, id est, iuridicè accusandum, vel iudicandum, vt sequentia in textu ostendunt; & addit, *Nisi deprehendatur à fide deuius*; satis ostendens illum tali casu redargui posse, ac debere. Vndè etiam sequitur hoc ipso ex loco, non posse Papam in sacris omnia pro sua voluntate facere. Axioma Pontificium, quod in argumento obijcitur, est mendacium Protestantium. In politicis suam voluntatem Papa non facit, quia non sine grauissimis, & iustissimis causis Reges deponit, regna mutat, &c. de quo latiùs infrà quæst. 5.

Ad tertium.

Leges conscientiæ præscribere, sic est auctoritatis diuinæ; vt tamen hominibus communicetur, qui potestatem à Deo acceperunt, non solùm spiritualem, sed etiam temporalem; iuxta illud Apostoli de obedientia principum secularium. *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*; Rom. 13. Ex quibus verbis non solùm Catholici, sed etiam Lutherani hodie contrà Caluinistas colligunt, & sustineant, leges principum secularium ipsas etiam conscientias obstringere. Sed de hac materia vide ad illum Pauli locum citatum Antidota nostra. Quod obijcitur Papam dispensare contra Apostolum, calumnia est. Dispensat quidem Ecclesia, & Papa in rebus per se indifferentibus, non solùm contrà Apostolum, vt *in coniugio dispari* non ampliùs tolerando, 1. Cor. 7. sed etiam contrà Concilium Apostolorum *in suffocatis comedendis*, Act. 15. quia videlicet priùs illud Apostolus vt homo, non vt Apostolus, ordinauit; *Ca-*

teris,

teris, inquit, ego dico, non Dominus, posterius hoc ad tempus, non in perpetuum, Apostoli decreuerunt. Quod totum ex rerum natura colligit Ecclesia. Vide ad Act. cap. 15. Antidota nostra. Hoc non est contra Apostolos dispensare, sed rerum naturas distinguere, & Apostolorũ facta, ac dicta interpretari. Quod absque Antichristi nota Ecclesiam, & Pontifices posse facere, mox in 5. Cõtrouersia ostendetur.

Ad quartum.

Papa non colit idola quia veneratur imagines, cum imaginum cultus nihil habeat cum idololatria commune, de quo vide Antidota nostra ad Act. cap. 17. vers. 29. & c. 28. vers. 11 hęc enim ferè omnia argumenta sunt petitio principij. Cæterùm id obserua hoc loco, si hoc argumentum valeret, necessariò consequi, Papam non esse Antichristum; Antichristus enim (vt describit Daniel eodem in loco) non solùm *aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica,* sed prætereà *aduersùs omnem Deum eleuabitur, & magnificabitur, nec quenquam Deorum curabit, quia aduersùs vniuersa consurget.* Nulla igitur colet idola, nec falsos Deos vllos curabit. Sed Papa, iuxta Protestantes, multa colit idola, & multos veneratur Deos. Ergo non est ille Antichristus.

Secundò, Papa non facit Christum infinitum, sed hæretici increduli non credunt Christo dicenti, *Hoc est corpus meum*: vnde virtute illorum verborum infinitis in locis est, non naturali consistentia, sed Sacramentali existentia, quam hęretici non intelligunt.

Tertiò, Papa non tollit Christi sacerdotium vnicum in cruce, sed hæretici tollunt Christi *sacerdotium æternum secundùm ordinem Melchisedech* in Cęna; & *oblationem mundam*, quam Malachias prædixit; & *iuge sacrificium*, quod per Antichristum tollendum Daniel præmonuit; dum illud non faciunt, nec suos facere permittunt, de quo Christus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quare non est Papa Antichristus, sed sunt hæretici hodie proximi Antichristi præcursores.

Quartò, Papa non tollit Christi magisterium vnicum per traditionem, sed hæretici negant auctoritatem, quam Christus in Ecclesia posuit pęnes pastores, & doctores; nec suas sed Apostolicas traditiones Papa commendat.

Quintò, non negat Papa solum Christi Sanguinem emundare à peccato, qui docet omnia Sacramenta in virtute Sanguinis Christi esse efficacia, omniaque bonorum operum merita Christi Sanguine aspergi, eiusque meritis inniti; sed hæretici hodie verè negant *Christi sanguinem emundare à peccato*, qui disertè docent, propitiationem per Christi Sanguinem factam, in sola remissione peccatorum, eaque imputatiua, consistere, non autem in vera, & interna emundatione conscientiæ à seruitute, & vetustate peccati; vt pote in qua nos semper manere, & opera semper immunda, & inquinata producere, contrà Christi gratiam, sanguinis eius meritò nobis procuratam, blasphemant. Sed de his singulis alius disputandi locus est; & in Antidotis nostris Apostolicis multa diximus, multa dicturi sumus.

Ad quintum.

Antichistus non præualebit vel longo tempore, vel contra vniuersam Ecclesiam, sed *donec iracundia compleatur*: id est, breui admodum tempore, vt in 6. concl. dictum est, & mox ampliùs dicetur, respondendo ad cauillat. 10. At Romanus Pontifex primatum semper obtinuit super vniuersam Ecclesiam, saltem his mille propemodum annis ex hæreticorum confessione.

Ad sextum.

Deus est perfectissimè iustus, quia nihil facit iniustè, & quia *non est iniquitas apud Deum*, Rom. 9. non autem ideo, quia summo rigore iustitiæ vult sibi satisfieri. Iniustitia est quod suum est, alicui negare. Iniustitia non est de proprio iure amicitiæ causa aliquid remittere. Deus autem paruas suorum satisfactiones admittit propter amicitiam, id est, quia filij Dei sunt per Christum. Cæteris autem non amicis dicit: *Non exhibit inde donec soluat nouissimum quadrantem.* Matt. 5. Rursum Deus est perfectissimè misericors, etsi tantummodo suppleat, quod deest meritis nostris, nec sine aliquo merito & labore nostro nos coronet: quia perfecta Dei misericordia non est prorsùs omnia, semper condonare (vt volunt hodie hæretici per imputatiuam iustitiam) sed condonare *ad se toto corde conuersis*, Ioel. 1. *dignos pœnitentiæ fructus facientibus*, Luc. 3. ac denique *seruientibus iustitiæ ad sanctificationem, sicuti antea seruierunt iniquitati ad iniquitatem*, Rom. 6. Alioqui Christus non erat perfectè misericors cùm diceret sanato intus. & foris paralytico *Vade; & noli amplius peccare*, &c. Ioan. 5. sed debuit iuxta Bezam, si perfecta misericordia vti vellet, ei perpetuò peccanti, perpetuò ignoscere, imputando ei suam iustitiam, & mortem, & merita. Hac quoque ratione Deus non est perfectè misericors, quia omnes de facto non saluat, sed *pauci sunt electi*. Perfectio enim misericordiæ non minùs consistit in extensione ad omnes, quàm in intentione circa singulos. Non ergo Papa propter hanc doctrinam excogitauit nouum Deum, aut Deum Patrum suorum reprobauit, sed verè hodie hæretici Deum Patrum suorum reprobauerunt, dum & satisfactiones pro peccatis negant, & bonorum operum, seu nouitatis vitæ necessitatem tollunt: quæ vtraque tota SS. Patrum antiquitas copiosè docet.

Ad septimum.

Religio Catholica, quæ eadem est Pontificia, non in externo splendore tota consistit, sed ad internum cultum externum splendorem, & cultum religiosè adhibendum censet, idque grauissimis de causis; quas in Antidotis nostris Euangelicis in Ioan. cap. 4. vers. 23. & cap. 12. vers. 3. ex parte recensuimus. Sed hæretici hodie, ne in externo cultu excedant nullum prorsùs adhibent, ideòque & nullam religionem habent, vt olim in quodlibeticis ostendimus. Diuitiæ, & potentię non sunt iam solis Pontificijs sacerdotibus,

tibus, sed hæreticis nostris, maximè Anglocaluinistis, vsque ad inuidiam aliarum sectarum communes. Antichristi autem splendor & potentia, quæ Daniel prædicit, non in religionis, sed in imperij splendore, & magnitudine versantur.

Ad Octauum.

Discessio seu *apostasia* de qua Apostolus loquitur 2. Thess. 2. exponitur quidem ab Augustino lib. 20. c. 19. de ciuitat. Dei, à Chrysostomo, Thodoreto, Oecumenio, Theophylacto, Hieronymo Sedulio in Com. ad hunc locum, pro ipsa persona Antichristi, à re ipsa nomine ei imposito, quia discessionis auctor erit: at ab Ambrosio & D. Thoma in Com. ad hunc locum intelligitur defectio ab Imperio Romano, quod etiam Hieronymo, & Lyræ non displicet. Dabimus tamen hæreticis, per discessionem hanc defectionem à vera fide intelligi, iuxta Scripturas citatas, quem etiam sensum sequitur Nicolaus de Lyra. Hæc est enim illa discessio, quæ per mysterium iniquitatis, id est, per hæreses operatur, hoc est perficitur, & completur. Est enim vox illa apud Paulum passiua, *energite*. Dicit ergo Apostolus, non venturum Antichristum, nisi priùs exortis varijs hæresibus, *surgentibus pseudo Prophetis*, Matth. 24. *& in nouissimis diebus discedentibus multis à fide*, 1. Tim. 4. Quare veteres Patres, cùm hæreses abundare cernerent, expectabant Antichristi aduentum. Vide Basil. epist. 70. & 71.

Notandum quoquè, quòd hæc discessio à fide debeat esse completa antequam veniat Antichristus; tum quia Antichristi persecutio erit vltima, & ad fidem duratura; tum quia hæreses sunt præparationes ad Antichristum, vnde hæretici vocantur Antichristi, 1. Ioan. 2. præparatio autem, & dispositio materiæ debet esse completa antequam forma inducatur. Vnde sequitur, nondum venisse Antichristum, quia & nostro tempore nouæ hæreses exortæ sunt, etiam ex aduersariorum confessione, vt Anabaptistæ, & Swenkfeldiani, Antitrinitarij, & alij; sed has certè hæreses verisimiliter proximas, esse Antichristum, vt olim in Quodlibeticis ostendimus. Defectio autem in Romana Ecclesia, quam argumentum supponit in minori propositione, etiamsi vera esset, non probat tamen Papam esse Antichristum; quia talis discessio præcedere debet, vt postea veniat Antichristus, iuxta verbum Apostoli, *Nisi veniat discessio primùm*. At ista defectio, quam illi ponunt, non præcessit Rom. Antichristum, sed per illum ipsum facta, & introducta est. Aiunt enim per Papam, & per eius falsas doctrinas Orbem Christianum esse seductum. Est ergo argumentum sui ipsius destructiuum. Porrò minor propositio quàm sit intolerabiliter falsa, in 1. Contra. ostensum est, vbi de perpetuitate, & visibili semper statu Ecclesiæ disputatum est. Nulla autem perpetua, & visibilis Christianorum Ecclesia ostendi potest nisi Romana.

Ad nonum.

Posito illo sensu pro vero, quòd templi Dei nomine Ecclesia Christianorum intelligatur, quem certè sensum Græci omnes post Chrysost. in Com. vno ore sequuntur, Hieronymus quoque ad Algasiam, & Hilarius in lib. contrà Auxentium, & S. Thomas in Com. etsi antiquissimus Irenæus lib. 5. & post eum glossa ordinaria cum Haymone, & Sedulio aliter inducent; tamen argumentum nihil valet. Non enim magis sequitur Papam esse Antichristum, quia in Ecclesia sedet, & sibi suisque Ecclesiæ nomen vendicat, quàm vel Caluinistas, vel Lutheranos, vel quamuis aliam sectam, imò quàm quamlibet veram Christi Ecclesiam esse Antichristum. Hoc enim omnis Ecclesia, tam vera, quàm falsa sibi vendicat, se & omnes sibi communicantes esse veram Ecclesiam. Sed sola Catholica hoc verè sibi vendicat, in qua Antichristum sedere, & quam ab Antichristo occupari, est intolerabiliter falsum, vt in 1. Contr. satis disputatum est, qu. 3. art. 2. in resp. ad 3. arg. 2. sententiæ. Denique hoc est Antichristum Christo præponere, & fortiorem sustinere; vtpote cuius Ecclesiam visibilem, & Catholicam tot seculis occupauerit. Quod autem adijcitur, *Non enim palam sed clàm Christum oppugnabit*, falsissimum est. Hoc enim proprium Antichristo erit, Ecclesias quidem Christianorum materiales occupare, sed Christum in illis apertè negare, seseque ipsum pro Deo ostendere, vt post Danielem Apostolus apertissimè docet: *In templo Dei sedet, ostendens se tanquam sit Deus* non ostendens se tanquam sit Dei cultor, aut Christianus, sicut cæteri omnes hæretici, & patui Antichristi.

Imò ait Apostolus: *Extolletur supra omne quod dicitur Deus, & quod colitur*. Quod alijs verbis Daniel dixit: *Eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum, & aduersùs Deum deorum loquetur magnifica*, cap. 11. Quare diligenter notandum est, quòd etsi Antichristus *in templo Dei*, id est, in Ecclesia Christianorum sedebit, non tamen vt Ecclesiæ Christianorum vel filius, vel magister, vel socius, sicuti cæteri hæretici: sed vt Ecclesiæ apertus hostis, ac Christi apertus aduersarius. Non enim in Christi sed *in suo nomine* venit, Ioan. 5. nec Christum, sed seipsum prædicabit, Seipsum, inquam, esse Christum, esse Saluatorem mundi affirmabit, vt clarè docet Irenæus lib. 5. Ambrosius in Lucæ cap. 21. & Theodoretus ad 2. Thess. 2.

Quare hoc discrimen inter Antichristum, & alios hæreticos diligenter notat ex Apostolo Theodoretus. [Hæreticos, inquit, appellauit mysterium iniquitatis, vt qui haberent celatum iniquitatis laqueum. Ipse enim Antichristus apertè à Deo abducit homines. Quamobrem etiam reuelationem eius aduentum vocauit Apostolus.] Hæc ille in Comm. ibidem. Hoc etiam nomine vocatur à Paulo *aduersarius*, quia Christo apertè aduersatur, quod nullus vnquam hæreticus fecit; sed sub Christi nomine, & Christi Sacramenti gerens, Christianos seduxit omnis hæreticus. Quare Augustinus exactiùs hæc verba expendens, notat Græcè apud Apostolum esse, *in templum Dei, is tam naon*, non in templo Dei; & sic rectiùs etiam Latinè legendum, quia non in ipso templo seu Ecclesia, tanquam membrum aut Caput sedebit Antichristus (quod etiam

rectè

recte docet Cyrillus Hierosol. catech. 15.) sed in templum, tanquam ipse sit templum Dei, sicut dici solet: Ero tibi in amicum, ceu frater, id est, ero tibi amicus.] Hæc Augustinus de Ciuitat. Dei lib. 19.

Hanc tamen Græci Textu varietatem bonus Beza altissimè dissimulat, vulgatam lectionem retinens, quam maximo studio in cæteris immutat. Ex quibus omnibus patet, magnum illum Antichristum non posse aliquem esse, qui se Christianum profitetur, sicut Papa facit; sed qui Christi nomine conculcato seipsum Deum facit. Sanè Antichristum persequutorem fore infidelem atque Paganum, totius Christianitatis hostem, apud veteres persuasissimum fuisse patet ea Eusebio histor. Eccles. lib. 5. cap. 1. Vndè, & altera pars argumenti, quàm vana sit, facilè apparet.

Nec enim Papa se Vicarium Christi scribit aut facit, sed ex Scriptura ipsa talis conuincitur esse, quia Petri locum tenet, quem Christus Vicarium suum fecit, dicens illi, & successoribus suis, *Pasce oues meas*, nec etiamsi se ipsum faceret, esset propterea Antichristus, sed impius profectò aliquis. Antichristus enim sic erit impius, vt non Christi Vicarium, sed *Christi aduersarium* sese profiteatur, omninòque *Christum in carne venisse* apertè neget, vt Ioan. docuit Epist. 1. cap. 2. Quàm est autem absurda argumentatio Flacci Illyrici in Cathalogo testium: Papa dicit se Christi Vicarium, ergo se dicit esse Christum, & venit in nomine eius. Contrarium enim planè sequitur.

Dicit se Vicarium Christi, ergo alium, & verum agnoscit Christum, cuius vices gerat. Sic Locumtenens omnis præsupponit Gubernatorem, & Vicarius omnis suum Principem. Papa salutatur *Optimus Maximus* non simpliciter, vt Deus, sed Pontifex optimus, propter virtutes egregias, & maximus, propter potestatem supremam. Cùm Paulus Præfecto Ethnico diceret, *Non insanio optime Feste*, Act. 26. vers. 25. an eum pro Deo habuit? Dominum Deum nemo scribit, aut vocat Papam. In extrauaganti, *Cùm inter*, Ioan. 22. propè finem, glossator vocat Papam *Dominum nostrum*, & hodiè Romæ à suis vocatur *Sanctissimus Dominus noster*, quia tenera suorum subditorum Dominus temporalis est, & propter supremum Episcopatum Sanctissimus vocatur, vt alij Episcopi Reuerendissimi, quo iam nomine suos pseudoepiscopos Anglocaluinistæ compellant.

Tales honorum tituli omnium ætatum sunt, & omnibus potestatibus debentur, iuxta illud Apostoli Roman. 13. *Cui honorem, honorem*. Quòd si glossatores in eo genere interdum excedunt, illud legitimæ Romani Pontificis potestati, non magis præiudicat, quàm assentatorum, & parasitorum immodica laus legitimæ Principum sæcularium potestati. Si Camdenus in sua Britannia, pag. 243. Reginam præsentem vocat *Dianam nostram Elizabetham*, an propterea existimandam, ab Anglocaluinistis Elizabetham pro Dea haberi?

Ad decimum.

Nec Roma est propria sedes Antichristi, vt in respon. ad 1. dictum est, nec sede Imperij Constantinopolim translata, sublatum est ab Vrbe Roma Imperium. Nam post Constantinum, & eius filius Constans, & Valentiniani duo, & alij Imperatores vsque ad Honorium, in Italia, & Occidente regnarunt, parsque Imperij Romani Vrbs Roma diutissimè post fuit. Nec denique quando post opera, & beneficio Pipini, & successorum eius, ipsa Roma, magnaque Italia pars, Romano Pontifici ad possidendum data est. Romanum Imperium aut sublatum est, aut cessauit, sed tum Græcorum Imperium vsque ad captam à Turcis Constantinopolim, tum Gallorum posteà, & Germanorum Imperium, Romanum semper Imperium dictum est, atque ita vsque hodiè interrupta successione perdurauit, vt omnes historiæ demonstrant. Quare illud quod Pauli tempore tenebat, adhuc tenet, & *sexta bestia*, quæ est Imperium Romanum, adhuc subsistit, licèt tenui pendens filo, quo semel hæreticorum opera abrupto, veniet Antichristus *vnus de septem* Apocal. 17.

Neque verò Phocas Imperator Romano Pontifici dedit, vt esset Caput omnium Ecclesiarum (est ille crassissimus omnium hodiè hæreticorum error:) sed cùm multis ante annis Constantinopolitani Episcopi voluerint *vniuersales Episcopi* appellari) hoc enim In Concil. gener. 2. Constant. 1. & in Chalcedon. gener. 4. & posteà in Concil. Constant. in Trullo habito, sed frustrà, tentauerunt) propter imperij sedem eò translatam, cui præsumptioni Pelagius, & Gregorius Magnus Romanus Pontifex, sicut ante eos Damasus, Leo, & Gelasius, fortiter restiterunt, tandem Bonifacius III. proximus ferè Gregorij successor, Imperatoriam authoritatem interponendam censuit, & à Phoca Imperatore impetrauit, vt repressa Constantinopolitani Episcopi superbia, Romanus Pontifex *Caput Ecclesiarum* non esset, sed *diceretur*.

Sic enim habet Platina, huius rei Author, in vita Bonifacij III. Alioqui longè ante hunc Phocam, qui anno 600. regnauit, Romanos Pontifices capita Ecclesiarum, & erant, & vocabantur. Patres Concil. Chalcedon. anno 480. sic scribunt ad Leonem Papam Act. 3. [Quibus (scilicet Episcopis in Concilio congregatis) tu quidem sicut membris Caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, id est in Legatis tuis, beneuolentiam præferens.] Hæc ibi. Totius Orbis maximo numero Episcopi vocant Papam caput suum, se autem membra eius. Sic in eodem Concilio Act. 16. vocatus Leo [Caput vniuersalis Ecclesiæ.] Sic ipse Leo Epist. 84. [Ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluit, vt nihil vsquam à suo Capite dissideat.] Idem Serm. 1. in Nat. Petri, & Pauli: [Vrbs Roma per Beati Petri sedem Caput Orbis effecta, latiùs præsidet religione diuina, quàm dominatione terrena.] Sic Prosper de vocat. Gentium lib. 2. cap. 16. [Roma per Apostolici sacerdotij principatum amplior

plior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.] Eugenius Carthaginensis Archiepiscopus apud Victorem de persecut. Vandal. lib.2. vocat Ecclesiam Romanam [Caput omnium Ecclesiarum.] Ambrosius in Comm. ad 1.Timoth.4. vocat Damasum Papam [Rectorem domus Dei, quæ est columna, & firmamentum veritatis.]

Hæc autem est vniuersalis Ecclesia. Iustinianus Imperator in Cod.de Summa Trinitate, & fide Catholica tit.5. [§. Nos reddentes,] vocat Ioannem Papam [Caput omnium sanctarum Ecclesiarum;] & apud Liberatum in Breuiario, cap.22. Siluerius Pontifex vocatur [Papa super Ecclesiam Mundi totius.] Gregorius Magnus lib. 11. Epist. 54. vocat [Sedem Petri, Caput omnium Ecclesiarum.] Athanasius cum alijs Ægypti Episcopis in Epist. ad Marcum Papam, vocat [sedem Romanam Matrem, & Caput omnium Ecclesiarum.]

Non ergo Phocas Imperator hunc titulum primus dedit, sed à Patribus antea vsitatum, & agnitum confirmauit, nec etiam primus confirmauit, sed longè ante eum Iustinianus Imperator in Authenticis de Ecclesiasticis collat.9. his verbis: [Sancimus secundùm Canonum definitiones, Sanctissimum Senioris Romæ Papam esse primum omnium sacerdotum.] Nec etiam ille primus hoc confirmauit, sed vt ius antiquum, & clarum recognoscit. Alibi enim dicit. [Summi Pontificatus apicem apud Romanum Pontificem esse, nemo est qui dubitet.] Constitut. Nouella 131.

Nempè ante eius ætatem Martianus Imperator ad Leonem Papam scribens ait, [illum principatum in Episcopatu fidei obtinere,] & sub eodem Imperatore in Chalcedon. Concil. ab omnibus Patribus acclamatum est Act.16. [omnem primatum, & honorem præcipuum Romanum Episcopo deberi.] Valentinianus quoque Tertius Imperator in Epist. ad Theodosium Iuniorem, [Romanæ, inquit, Ciuitatis Episcopo principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit.] In præambulis Concil. Chalcedon. tomo 2. Concil. Cùm ergo tot Imperatores, & tot Patres ante Phocam Imperatorem, & ante Bonifacium III. agnouerint, scripserint, & attestati fuerint, Romanum Pontificem esse caput omnium Ecclesiarum, & omnium sacerdotum, duo concludimus.

Primùm, quòd mendacissimè fingunt Protestantes Phocam hunc honorem Romano Pontifici dedisse, & Bonifacium III. hanc supremam potestatem primùm sibi arrogasse. Alterum, quòd absurdissimè affirmant in hoc Bonifacio III. reuelatum esse Antichristum. Hoc enim si Antichristianum est, iam diù ante reuelatus erat Antichristus Romanus, & omnes isti Imperatores, & Patres citati diù ante seruierant Antichristo.

Ad vndecimum.

Est argumentum Pharisæorum contra Christum, qui obiecerunt quòd [in potestate Beelzebub principe dæmoniorum eijceret dæmonia,] Matth. 12. Quam enim in Ecclesia authoritatem virtute verborum Christi, & promissionum eius quas Petro fecit, Romanus Pontifex hactenùs inuitis omnibus hæreticis, & schismaticis tam Græcis, quàm etiam quibusdam Latinis Imperatoribus obtinuit, & conseruauit, illam diabolicæ potentiæ attribuunt.

Sed responde, vt Christus Pharisæis respondit: [Omne regnum diuisum contra se desolabitur. Et si Sathanas Sathanam eijcit, quomodò stabit regnum eius?] Romana enim Ecclesia omnes hæreses, etiam in statu Antichristianismi quem ponunt hæretici, eiecit & profligauit, nec solùm illas quas hæretici hudiè pro Euangelica veritate habent, sed etiam alias, quas ipsimet pro hæretica doctrina condemnant, vt Græcorum hæresim contra processionem Spiritus Sancti. Variæ quoque Albigensium, Waldensium, & Hussitarum dogmata, quæ illi ipsi reprobant, vt in 1. Controuers. ostensum est. Si totum hoc diabolica virtute fecit, profectò Sathanas Sathanam eiecit. Quomodo ergo tot sæculis stetisse potuit regnum eius, quot illi sæculis stetisse, & floruisse Antichristum Romanum blasphemè asserunt?

Ad duodecimum.

Bestia illa Apocalyp.13. quæ habet *duo cornua similia agni*, haud dubiè non est Antichristus ipse, sed alius aliquis pseudopropheta illo inferior, qui causam Antichristi mirabiliter iuuabit. Patet ex Textu, nam post descriptionem bestiæ quæ habebat capita 7.& cornua 10.&c. quibus verbis,& Apocalyp.17. vetus Antichristus describitur, sequitur paulò post: [Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat duo cornua similia agni, &c. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat, &c. Deindè, quòd dicitur habere *cornua similia agni* non significat, quòd Christi aliquid simile prætendat, vt hæretici arguunt; sed quòd sanctitatem, & simplicitatem ouinam præseferet, & quòd veniet in vestimento ouis, cùm sit intus lupus rapax.

Et probatur, quia agnus hoc loco non ponitur pro Christo, sed pro ouicula, quod manifestum est ex Græco, vbi deest articulus. Habetur enim Græcè hoc loco *kormata arniu*, At quando agnus in Apocalypsi Christum significat semper habet adiunctum articulum, vt Apocalyp. 17. Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos: *metà tu arniu polemisusi, cæ to arnion nicisa autus*. Porrò si iurare obedientiam Romano Pontifici, est gestare characterem bestiæ, profectò eodem argumento omnes qui iurant legitimo Principi aut Magistratui seu spirituali, seu temporali obedientiam, portabunt characterem bestiæ, ipsique Principes, & Magistratus omnes erunt Antichristi, si propter hoc Papa est Antichristus.

Viderint potiùs hæretici Angloealuinistæ ne illi portent characterem bestiæ, qui iurant obedientiam laico Principi, adeòque fœminæ, in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus. Denique, & Wittembergæ in dogmata Lutherana, & Geneuæ in dogmata Caluiniana iuratur ab vnoquoque,

que, qui vel gradum Scholasticum, vel ministerium Ecclesiasticum adipisci vult. Quod ad numerum nominis bestiæ attinet.

Responde primùm, Ioannem apertè dicere incognitum illum esse donec veniat. *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ.* Apocal. 17. Non ergo aliqua nominis coniectura probare potest hunc aliquem esse Antichristum, sed postquam constat hunc aliquem esse Antichristum, nominis congruentia explorari poterit.

Responde secundùm, Irenæum hoc non affirmare, quòd *Latinus* sit nomen Antichristi, sed conijcere, sicut de alijs nominibus, quæ ibi commemorat.

Responde tertiùm, quòd ideò hoc nomen valdè verisimile existimauit, propter temporale Regnum Imperatorum Romanorum, seu Latinorum, non propter Ecclesiam Romanam. Sic enim ait: *Quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum.*

Responde quartùm, quòd vocabulum *Latinos*, quod habet hunc numerum 666. scribitur cum ei non cum *i*, sicut vera vox *Latinus* scribi debet, ideòque non potest Romanum, aut Regem, aut Pontificem significare.

Responde quintùm, Irenæum ibidem multò magis probabile existimare vocabulum *Teitan*, vt multis ibi verbis ostendit.

Responde sextùm, Irenæum ipsum in fine capitis 30. dicti lib. 5. diligenter docere nomen eius sibi prorsùs incognitum fuisse.

Responde septimùm, varia alia Antichristi nomina per coniecturam à Patribus tradita fuisse, vt apud Aretam, Primasium, & Rupertum in Comment. & apud Hippolytum Mart. in lib. de consummatione Mundi. Quæ omnia videre licet in scholijs Irenæi ad hunc locum postremæ editionis. De qua re in nostris Antidotis (vita comite) plura dicemus.

Vndè conuincitur, nihil prorsùs certum aut firmum habere hanc argumenti partem.

Quod dicitur in Apocal. *datum esse illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, &c.* non de ipso Antichristo, sed de aliquo insigni pseudopropheta eius apertè dicitur, vt modò ostensum est, qui ipsam imaginem Antichristi adorari faciet, & per eam loquentem prodigia exercebit. Hic est apertus literæ sensus, vt allegorijs hoc loco non sit opus.

Deindè, Romani Pontificis authoritas spiritualis non instaurauit Imperium Romanum idololatricum, aut quasi demortuum animauit, sed eo extincto, atque per prædicationem Euangelicam deleto, iugo Christi imperium subdidit, vt vicissim Christo imperium temporale seruiret, id est, fidei propagationem per totum Orbem faciliorem redderet, pariterque supremum Christianorum Patrem, atque Pastorem honoraret, iuxta illud Isaiæ. *Erunt Reges nutritij tui*, quod vtrumque per Constantinum Primum Imperatorem Christianum excellenter factum est.

Alioqui Romani Pontificis primatus etiam ante Constantinum agnitus erat, vt vel ex solis Cypriani Epistolis, & Tertulliani, & Irenæi verbis lib. 3. cap. 3. liquidò constat, vt alibi ostenderur.

Ad postrema verba ex Apocal. 17. resp. bestiam quidem ipsam, quæ Antichristus est, non esse Romanum imperium idololatricum quamuis totius bestiæ pars sexta fuerit, vt priùs ostensum est, ideòque *bestiam ascensuram ex abysso*, non posse illud imperium significare, sed non indè consequi, Ergo significat Romani Pontificis primatum posteà exoriturum.

Nam tota bestia, quæ *septem habet capita, & Reges*, vnicum tantùm caput habuit Romanum. Priora quinque ante enumerauimus. Sextum erat Romanum Imperium Ethnicum. Septimum bestiæ caput est Antichristus, à Romano Imperio toto genere distinctum, sicuti illud à prioribus, ideòque vbiuis potiùs, quàm Romæ sedem suam habiturum. Destruet enim prorsùs Romani Imperij robur, & nomen, & locum vniuersum, sicuti Romanum cætera imperia destruxit, idque multò fortiùs, quàm Romanum, sicuti patet ex multis verbis Danielis cap. 12.

Ad decimumtertium.

Vniuersalis Episcopi nomen dupliciter intelligi potest. Primùm, vt sit vnicus, & solus Episcopus, proprio quodam, ac certo modo, quo nullus alius est, vel esse potest. In hoc sensu nulli mortalium conuenit, sed soli Christo, qui solus est. *Caput super omnem Ecclesiam*, etiam ab initio Mundi existentem, vt docet S. Thom. 3. parte quæst. 9. artic. 8. & quem hoc sensu propter singulare sacerdotium, quo functus est, vocat Tertullianus *Catholicum Patris Sacerdotem*, lib. 4. aduersùs Marcionem.

In hoc sensu est vnus Deus, vnus Sol, vna Ecclesia vniuersalis, & Catholica, quia alia præter illam nulla est.

In hoc sensu, qui vult vniuersalis Episcopus appellari, prophanum, & Antichristianum nomen vsurpat. Et in illo sensu vniuersalis appellari, & esse voluit Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, & propter hunc sensum potissimùm eum Gregorius tam acerbè reprehendit. In Registro lib. 4. Epist. 38. *Despectis fratribus, appetis solus Episcopus vocari.*

Et paulò post, à Romano Pontifice prædecessoribus suis hunc titulum oblatum repudiatum fuisse ait, [ne sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperent, hanc omnibus fratribus denegasse viderentur.] Et lib. eodem Epist. 39. [Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.] Et sanè Anatolius Constantinopolitanus Episcopus longè ante hunc Ioannem sic voluit vniuersalis Patriarcha esse, vt nec Antiochenus, nec Alexandrinus, sed ille solus Patriarcha haberetur, vt patet apud Leonem Epist. 53.

Alius huius vocabuli sensus est, vt *vniuersalis* dicatur, qui primus, & supremus Episcopus est, & qui vniuersæ Ecclesiæ præest;

non simpliciter, ita vt alij Præpositi excludentur, sed quibusdam in rebus, & externa quadam iurisdictione, vt in 2. Controuer. quæst. 3. explicauimus. Hoc sensu Romani Episcopi à Patribus Chalcedonensibus *vniuersales oblato honore vocati sunt*, vt idem refert Gregorius lib. 4. Epist. 32. 36. & 38. & in ipso Concilio manifestum est act. 3. & per varios libellos supplices Papæ, & Concilio porrectos, in quibus *vniuersalis Papa. & Episcopus* inscribitur Leo 1. tunc Papa. Sed propter alium prophanum sensum, qui in verbis latebat, Rom. Pontifices, nec eo tempore, nec hodie vsque illum titulum admittunt. Etsi enim se scribunt *Episcopus Catholicæ*, vel *vniuersalis Ecclesiæ*, differt tamen ille titulus ab *vniuersali Episcopo*. Omnis Archiepiscopus est Caput totius suæ prouinciæ, & tam Episcoporum, quàm Sacerdotum omnium quidam superior Episcopus; sed non est propterea Archiepiscopus prouincialis Episcopus, id est, in illa prouincia solus Episcopus, sicuti vnusquisque Episcopus vocatur Diœcesanus, eius videlicèt Diœcesis quam solus regit.

Ad decimumquartum.

Fabula de titulo à Phoca dato in resp. ad 10. refutata est. Quòd nunc numerum nominis Antichristi ad tempus referunt, ostendit ipsis hodiè hæreticis prophetias illas Apocalypseos adhuc obscuras esse, vt in 3. Notab. diximus. Alij enim hunc numerum non ad tempus, sed ad officij, & sedis Rom. nomen referunt, vt in 12 arg. visum est. Alij quoque adhuc, nec in tempore, nec in officio, sed in persona certa hunc nominis numerum exquirunt. Quod de Symmacho Papa subijcitur, vanissimum est. Egerunt certi Episcopi apud Theodoricum Regem, vt Symmachus Papa, qui ab inimicis diffamatus fuerat, seipsum iureiurando purgaret, quod & fecit, quia Summus Pontifex à nullo iudicari potuit. Vide Rom. Synod. 4. sub Symmacho tom. 2. Concil. Fuit autem hæc ante annos 1200. veterum Episcoporum sententia in Synodo Sinuiſæ habita circa factum Marcellini Papæ, qui thurificauerat idolis metu mortis, sed postea constanter martyrium subijcit. Tales quisquilias conuerrunt hæretici, vt aliquam Antichristi notam Romano Pontifici inurant.

Bernardus propter vitia Romanæ curiæ, & supremæ Ecclesiæ, aduentare Antichristum metuebat, vt multi alij Sancti, propter illa Christi verba, Matth. 24. *Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*. Sed de verba, & legitima Romani Pontificis auctoritate quid ille vir sanctus senserit ex his verbis ad Eugenium Papam patet: *Tu es Sacerdos Magnus, Pontifex summus, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, in primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus*. Hæc Bernardus lib. 2. ad Eugenium; quod & mox ex Scripturis euidenter probat.

Dilutio cauillationum.

Ad primam.

Oppositio inter Christum, & Antichristum est iusta, etsi Christus omnium iustorum, Antichristus non omnium, sed paucorum impiorum sit Caput: tum quia ratione Ecclesiæ Christianorum proprijssimè Antichristo Christus opponitur, quatenus, vt Christus Catholicorum omnium, sic Antichristus hæreticorum omnium Caput est; tum quia in oppositione omnimoda contrarietatis proportio non requiritur, sed similitudo. Sic Apostolus ad Rom. 5. inter peccatum primi Adæ, & iustitiam secundi Adami Christi rectam oppositionem facit, etsi, vt ipse ait, *non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem*.

Ad secundam.

Etsi articulus Græcus non semper demonstratiuè, sed aliquando emphaticè, aliquando etiam otiosè ponitur, vt notarunt Grammatici, tamen in sacris literis quando non otiosè, vel emphaticè, sed prorsus demonstratiuè ponatur, est magistrorum in sacra disciplina discernere, & iudicare, iuxta illam rationis regulam. *Vnicuique in sua arte credendum est*. Alioquin eadem cauillatione omnes illæ disputationes doctissimorum Patrum circa vim huius articuli à nobis citatæ possent à Iudæis, vel Hereticis, contra quos institutæ sunt, similiter eludi.

Ad tertiam.

Hæc huiusmodi cauillatio est, vt doceat, & armet vnumquemque hæreticum, vnumquodque singulare, & nouum paradoxum contra quamlibet aliter interpretantiũ, vel docentium auctoritatem defendere. Rursum talis est, vt perpetuas altercationes, & lites interminatas pariat circa causam religionis. Qua enim audacia tu homo nouus veterum Patrum iudicium reijcis, & aspernaris, eadem, & multo iustiore libertate ego tuum reijcio, & aspernor: atque ita dum inuicem alter alterum reijcimus, & aspernamur, nulla resolutio capi, nihil certum teneri potest. Præterea, si Patres sic docuerunt de Antichristo propter communem opinionem, cui se accommodarunt, quid ni idem dixerit Arianus, Manichæus, aut alius quiuis hæreticus? Haud dubiè enim Patrum orthodoxa doctrina cum regula fidei, & recepta fidelium opinione semper conuenit. Quare hæc cauillatio, vt impia, & absurdissima prorsus reijcienda est. Augustinus, & Irenæus locis citatis non de persona, sed de regno, & corpore Antichristi loquuntur.

Ad quartam.

Aliter Paulus Antichristum, aliter Daniel tres monarchias describit. Paulus determinatè *illum iniquum, & filium perditionis* dicit,

cit, vnum certum hominem deſignans: Daniel, nec articulum apponit, nec ſimplicitee vocat monarchias illas, *pardum*, *leonem*, *vrſum*, ſed *quaſi pardum*, *quaſi leonem*, *& quaſi vrſum*. Atque ita pec generis, aut ſpeciei nomen, cuius eſt multa ſub ſe complecti, multitudiuem enunciauit. Paulus autem non ſpeciei, ſed indiuidui nomine vſus eſt.

Ad quintam.

Si Antichriſti nota non in perſonis, ſed in officio, & ſede Romanorum Pontificum reſidet, ergo Antichriſtus proteſtantium chimęra eſt. Illud enim officium, & illa ſedes abſque perſona occupante reale nihil eſt, ſed imaginarium quid, denique liberamur nunc ab Antichriſti dominio. Non enim non ſedem, non officium, ſed perſonas ſedentes pro Chriſti Vicarijs, & Petri ſucceſſoribus tenemur, eiſque obedimus, & eorum communionem tenemus. Vſurpatur quidem ſæpè ſedes Apoſtolica, & cathedra Petri pro Rom. Pontificibus, ſed per figuram ſermonis, & metonymicè, non propriè, aut quaſi res duæ, ac diſtinctæ eſſent.

Ad ſextam.

Romana Eccleſia poſterioris ætatis, eandem prorſus fidem, ac religionem tenuit quam prior ætas à Patribus laudata; ideòque euaſio nulla eſt.

Probatur antecedens: primùm, quia tempus defectionis à prima fide in Rom. Pontificibus oſtendere hæretici non poſſunt, ve in 1. Controuerſ. oſtenſum eſt.

Secundò, quia Eccleſia Chriſti viſibilis perpetua debet eſſe, nec interire potuit; alia autem viſibilis præter Romanam oſtendi non poteſt.

Tertiò, quia Chriſti promiſſiones de Petri in fide firmitate, tam ad poſteriores, quàm ad priores ætates ſe extendunt, & in finem vſque ſęculi perdurant.

Ad ſeptimam.

Petri Cathedra à Petri ſucceſſore indiuulſa eſt: neceſſariò igitur, ſi hunc diabolus poſſedit, vt Antichriſtus fieret, illam quoque occupauit, & à fide deiecit.

Ad octauam.

Chriſtus dixit: *Qui non colligit mecum, ſpargit*. Luc. 11. Neceſſariò igitur, qui colligit cum Chriſto, qui propagat, & defendie fidem Chriſti, is non ſpargit, non eſt alienus à Chriſto, vel Antichriſtus, iuxta aliud eius verbum, Marc. 9. *Nemo eſt, qui facit virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me*. At quis peiùs loquatur de Chriſto, quàm Antichriſtus? Quomodo ergo Papa fecit eot virtutes in nomine Chriſti, id eſt, tot gentes ad fidem Chriſti conuertit per miſſos à ſe in hoc opus (vt in 1. Contr. oſtendimus) ſi fuit Antichriſtus? Vide ad hanc rem plura in Contr. 1. quæſt. 4. art. 5. in reſp. ad 1. arg. & ſuprà reſp. ad 11. arg.

Ad nonam.

Prorsùs Auguſtinus loco citato, & alij Patres non ad fidem tunc integram, ſed ad ſucceſſionem externam, quam optimè ſciebant vera fide carere non poſſe, vel quia de Petri cathedra loquebantur, vel quia vera ſucceſſio veram doctrinam ſemper habet adiunctam (vt in 1. Controuerſ. latè oſtenſum eſt) hæreticos ſui temporis reuocabant. Et Auguſtinus expreſsè inbet *numerare Epiſcopos* non iubet conſiderare fidei integritatem, quę tunc erat. Sic enim futile fuiſſet argumentum, & petitio principij. Sed Eccleſiæ auctoritate, maximèque ſedis Romanæ, propter *Apoſtolicæ cathedræ principatum, & gratiam ſingularem*, vt alibi Auguſt. loquitur de bapt. contra Donatiſt. lib. 2. cap. 1. hæreticos pręmere tuuc voluit Auguſtinus, non dogmatum veritate, de qua illo loco non diſputat.

Ad decimam.

Etſi detur determinatum à Daniele, & Ioanne tempus Antichriſti poni pro indeterminato, abſurdiſſimum tamen eſt ſic indeterminatum ponere, vt breue ſit, quia non perenne: breue enim non æternitati, ſed prolixitati opponitur. Chriſtus autem dicit *dies illos abbreuiandos eſſe propter electos*, Matt. 24. Ergo indeterminatio potiùs breuiùs, quàm prolixius Antichriſti regnum ſtatuere debet. Deindè notandum, quòd breuem hunc Antichriſti interitum ſæpè inculcat Scriptura Apoc. 12. *Mulier fuit in ſolitudinem, vt ibi paſcatur diebus 1260*. & iterum eodem cap. *Vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Rurſum cap. 13. *Data eſt ei poteſtas facere menſes 42*. Apoc. 17. *Beſtia quam vidiſti, aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit*. Et paulò poſt: *Ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit*. Sic apud Danielem cap. 7. *Tradetur in manus Antichriſti vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Et cap. 12. idem repetitur; & paulò poſt: *A tempore cùm poſita fuerit abominatio, dies 1290*. Hæc tanta, & tam exacta repetitio, certam, & ſingularem breuitatem temporis indubiè docet.

Ad confirmationem reſponde, non propterea cognoſci tempus, & horam aduentus Chriſti, quia quod Scriptura dicit, *Et nunc veniet conſummatio*, & iterum, *Tunc apparebit ſignum Filij hominis in cœlo*, &c. Matth. 24. non ſignificat, quòd, vel ſtatim poſt prædicationem Euangelij veniet conſummatio, vel ſtatim poſtquam ſurrexerint pſeudochriſti, pſeudoprophetæ, appareae ſignum Filij hominis, ſed ſignificat quòd non antè veniet conſummatio, nec antè apparebit ſignum Filij hominis, quàm illa fiant; quantò autem poſt tempore veniet, nobis incertum eſt, vt acutè reſpondet Auguſt. Epiſt. 78.

Ad vndecimam.

Etſi in Scripturis Apoſtolicis hora nouiſſima, tempus nouiſſimum, & dies vltimi pro toto tempore huius noui, & nouiſſimi ſtatus gratię accipitur, tamen conſummatio ſęculi eo ſenſu non accipitur.

Ratio eſt, quia hora etſi nouiſſima, tamen durationem, & tempus ſignificat, quod eſt menſura motus ſecundùm prius, & poſtetius; ideòque produci poteſt; conſummatio autem finem, ideſt, temporis punctum, & terminum motus ſignificat, ideòque produci non poteſt. Alioqui ſi ipſe finis, & conſummatio ſęculi totum hoc tempus gratiæ notaret, non debuit Chriſtus dicere, *Prædicabitur hoc Euangelium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio*; ſed debuit dicere, quia iam venit conſummatio, vt Ioan. dicit, *Iam eſt hora nouiſſima*. Deindè, cùm Matth. vlt. Chriſtus diceret, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, nihil magnum promiſiſſet, ſi conſummatio ſęculi pro tempore currente vſque ad ſecundum aduentum eius acciperetur. Nam ſi vſque ad aliquam eius temporis partem, puta centum annis tantùm, manſiſſet cum Eccleſia, iuxta hunc ſenſum promiſſioni ſatisfeciſſet.

Sed nemo vnquam dubitauit Chriſti promiſſionem illud ſonare, quòd vſque ad ipſum finem ſæculi ſit cum ſua Eccleſia permanſurus. Præterea, Chriſtus illo loco Matth. 24. rogatur ab Apoſtolis, *quod ſignum aduentus ſui, & conſummationis ſæculi*. Ergo per conſummationem ſæculi non totum tempus intermedium, ſed ipſum finem, ac terminum in quo Chriſtus ſecundò adueniet, tum Apoſtoli interrogando, tum Chriſtus reſpondendo intellexit. Poſtremò, Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. ideò diſputat Antichriſtum nondum veniſſe, vt doceret diem Domini nondum inſtare. *Ne*, inquit *terreamini, quaſi inſtet dies Domini*. Ergo conſummationem ſæculi, circa quam venturus eſt Antichriſtus, intellexit Paulus non totam hanc horam nouiſſimam, ſed huius horæ nouiſſimas partes, & terminum.

Ad duodecimam.

Ad 1. partem reſponde, quia aduentus Antichriſti, & finis ſæculi non ſunt valdè diſiuncta, vt iam oſtenſum eſt, propterea perindè eſſe quod Chriſtus dixit, *Et tunc veniet finis*, ac ſi dixiſſet, *Et tunc veniet Antichriſtus*, qui non niſi circa finem venturus eſt.

Ad 2. partem reſponde, Apoſtolorum tempore per omnes gentes prædicatum fuiſſe Euangelium, non præcisè, & exactè loquendo, ſed per diſtributionem accommodam; quia in valdè multis, eiſdemque præcipuis partibus prædicatum erat, vnde facilè ad aures cœterarum peruenire Euangelij fama poterat. Sic enim, & Auguſt. ſuo tempore tract. 1. in Epiſt. Ioann. & Theodoretus ſuo tempore hæret. fab. lib. 3. per omnes gentes prædicatum Euangelium afferunt: non quia præcisè omnes intelligebant; ipſe enim Auguſt. alijs in locis, vt contra Creſcon. lib. 3. cap. 65. de nat. & gratia cap. 2. & de vnitate Eccleſ. cap. 14. agnoſcit nonnullas adhuc gentes ſupereſſe, quibus Euangelium prædicatum non fuerat.

Ad decimamtertiam.

Ad primam partem reſponde, Romanum Imperium per Rom. Pontifices non dilaceratum, ſed reſtauratum, & redintegratum fuiſſe, quando conſpecta Orientalium Imperatorum, vt ſupina negligentia circa Eccleſiæ defendendæ curam, vel ignauia ad Imperij Chriſtiani contra hoſtes fide ius, & honorem tuendum, vel deique varia ſchiſmatum participatione, in Occidentem ſub Carolo Magno, & ſucceſſoribus eius Imperij Romani dignitatem reuocauerunt. Vide Adonem in Chronicis, & Albert. Krantzium in Metropoli ſua, lib. 1. cap. 14. Neque hac ratione Imperium Romanum interijt, aut ad interitum tendebat, ſed planè hac ſola ratione mirabili Dei prouidentia conſeruatum eſt. Niſi enim hoc factum fuiſſet, iam à centum, & ampliùs annis, ex quo Conſtantinopolim occupauit Turca, Imperatorem Orbis Chriſtianus non habuiſſet.

Ad ſecundam partem reſponde, quod Paulus dicit, *Donec de medio fiat*, non hoc ſolùm ſignificare, quòd loco cedat, & Vrbem Romam relinquat Rom. Imperator (hoc enim in perſona Conſtantini Magni iam ante annos ferè 1300. factum eſt) ſed quòd prorſus intereat. Debent hæretici ad noua ſua paradoxa aſtruenda nouam Grammaticam cudere, vt videlicet *tolli de medio*, non interire, ſed loco cedere ſignificet.

Ad decimamquartam.

Ad primam partem reſponde, quòd iſta cauillatio oſtendit cauillatorem Whitakerum veri nominis eſſe hæreticum, vt 3. eiuſdem cauillatio docuit. Quòd Iudæi maximè recepturi ſint Chriſtum, ait non eſſe credendum, etſi omnes Patres id dicant, quia non habetur in Scriptura. Vide hìc duplicem hæretici notam. Primùm, negare conſenſum Patrum, & traditiones non ſcriptas, vbi aliquid Scriptura tacet. Secundò, allatam Scripturam iuxta interpretationem Sanctorum Patrum reijcere, vt ſuam ſingularem ſtatuat. Vbi obſerua quo fine, & ſenſu hæretici hodiè ſolam Scripturam flagitant: nempè eo fine, vt liberè credant quod volent, ad nullam, vel Scripturæ, vel traditionum regulam obſtricti. Si enim traditionem adfers, illam reijciunt, & poſtulant Scripturam: ſi Scripturam adfers, reijciunt Patrum interpretationem, vt ſuam ſubſtituant.


Ad ſecundam partem reſponde, quòd hæc ſententia non repugnat Paulo. Quod enim dicit *in templo Dei ſeſſurum Antichriſtum*, non probat quòd à ſolis chriſtianis ſeductis recipietur, ſed quòd materiales chriſtianorum Eccleſias occupabit, & tam illos, quàm Iudæos, & quoſuis alios ſeducet, vt ſuprà in reſp. ad 9. dictum eſt. Quod autem Paulus dicit Iudæos conuertendos, huic etiam ſententiæ non contradicit. Conuertentur enim deleto Antichriſto: quòd licet breue tempus ſit, ſufficit tamen ad illorum conuerſionem, quam certè quaſi in momento, & paulò ante vltimum iudicium futuram Prophetæ prædixerunt: Eſaias c. 11. & 41. Ieremias. cap. 31. Oſeas cap. 3. Ioel cap. 3. Malachias cap. 4. qui omnium diſertiſſimè ſcribit: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios*, &c. Quæ verba

expo-

exponens Augustinus de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 29. ait: *Per hunc Eliam Iudaos in vltimo tempore esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.* Hæc ille.

Ad tertiam partem, qua iterum reijcitur Sanctorum Patrum concors interpretatio, responde, vt suprà ad 3. cauillationem. Hæreticis nostris videtur textus esse planus, quòd de quouis seductore Christus loquatur. Io. 5. Sanctis Patribus videtur esse planus, quod de Antichristo loquatur. Et profectò satis planum hoc est. Si enim de quouis seductore Christus illa verba intellexisset, non dixisset, *Si alius veniet in nomine suo*, &c. sed dixisset, Si alij venerint in nomine suo. Sed peruersis, & pertinacibus hæreticis nihil planum est, nisi quod volunt ipsi. Quod & hoc in loco manifestè apparet, quia proferunt vnum seductorem Theudam nomine, qui non post Christum, sed circa illud ipsum tempus quo Christus docuit, venerat, vt Act. cap. 5. ex sermone Gamalielis constat. Iosephus autem loco citato non de Theuda scribit, sed de Ægyptio illo pseudopropheta, de quo in actis fit mentio cap. 21. Rursum, planum est de aliquo pseudopropheta, qui hactenùs venerit, intelligi illa Christi verba non posse, quia nullum adhuc seductorem gens Iudæorum recepit, sed dispersa adhuc hodiè per totum Orbem adhuc suum Messiam expectat. Quibus ita positis, stant firmæ conclusiones, & probationes sententiæ Orthodoxæ, & manifestum est, quicquid blasphemi afferant hæretici, Romanum Pontificem adhuc Petro succedere, & Antichristum non esse.





QVÆSTIO IV.

An Romanus Pontifex possit in decreto fidei errare.

Ad huius quęst. sententiam orthodoxam tum intelligendam, tum etiam defendendam, ponemus conclusiones.

Prima Conclusio.



Omanum Pontificem errare in fide, potest dupliciter intelligi. Primùm, quòd vt persona particularis possit malè sentire de fide, & esse hæreticus. Altero modo, quòd erroneam, atque hæreticam doctrinam possit publicè sustinere, & Ecclesiæ decernendo tradere, sicut aliarum Ecclesiarum plurimi Episcopi fecerunt.

Secunda Conclusio.

Circa hunc duplicem sensum duo sunt extrema falsa, & vna veritas media. Vnum extremum est, quòd nullus Papa potest errare, aut fieri hæreticus in propria persona. Hoc extremum sustinet Albertus Pighius libro 4. cap. 8. Ecclesf. Hierarch. Alterum extremum est, quòd non solùm in propria persona errare, sed etiam in decernendo aliquod dubium fidei dogma hæresim tradere possit. Istud extremum hæretici hodie sustinent; nec solùm de posse, sed & de facto. Media & vera sententia est, Rom. Pontificem, vt priuata persona est, tam in fide esse defectibilem, quàm in moribus peccabilem: sed vt publica persona est, idest, quando de fide consultus ex officio respondet, & decernit, hæreticum dogma nec vmquam hactenùs tradidisse, nec tradere posse.

Tertia Conclusio.

Hęc media veritas est nunc apud Catholicos certa, & recepta, etsi non de fide. Et contrarium sustinere, esset assertio erronea, scandalosa, & offensiua, etsi fortasse non hæretica. Est nunc recepta, & communis, quia non solùm veteres Scholastici Doctores, vt S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 10. Thomas Waldensis Doctrin. fidei lib. 2. cap. 47. & 48. Ioannes de Turre-cremata in Summa lib. 2. cap. 107. vsque ad 112. sed & moderni scriptores, vt Pighius lib. 4. cap. 2. & seq. de Ecclesf. hierarch. Roffensis art. 26. contrà Lutherum, Melchior Canus de locis Theologicis lib. 6. & Caiet. Apolog. par. 2. cap. 13. & 14. illam sustinent, & docent. De fide tamen contrarium opinari, saltem quoad possibile, non videtur hæreticum esse, propter multos Catholicos, qui contrarium sustinuerunt, vt olim quidem Gerson in lib. de potestate Ecclesf. Occham, & Almainus Scholastici, & omnes ferè Parisienses, denique & alij omnes, qui Concilium suprà Papam esse asseruerunt: hodie verò Alphonsus de Castro lib. 1. cap. 2. contrà hæreses, & Adrianus 6. in materia de confessione, quæst. vltima. In qua etiam opinione fuisse videtur Durandus in 4. Sent. dist. 7. q. 4. vbi auctoritatem Gregorij Papæ leuissimè reijcit. Hos autem viros, vt hæresis arguere non velim, ita profectò ignorantiæ, & temeritatis excusari non possunt, maximè posteriores isti.

Quarta Conclusio.

Romanum Pontificem in decreto fidei errare non posse, firmissimis argumentis ostenditur.

Arg. 1. Quia Petri successor est, cui fidei indefectibilitas *quoad confirmandos fratres*, id est, quoad publicum iudicium de fide, à Christo promissa est. Patet totum ex præcedentibus.

Arg. 2. Oriuntur sæpè in Ecclesia quæstiones de fide, quæ ad Concil. generale, vel nunquam referuntur, vel referri aut non possunt, aut opus non habent, sed absque eo definiuntur. Tales erant Manichæorum, Marcionitarum, Sabellianorum, Nouatianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Luciferianorum, Iouiniani, Vigilantij, Heluidij, & multæ aliorum hæreses. At ad istas definiendas nulla est vltimata regula, nisi Romani Pontificis auctoritas. Et probatur, quia Concilia prouincialia à tota Ecclesia non recipiuntur, nisi à Romano Pontifice confirmentur, vt posteà suo loco ostendetur. Ergo in tali casu ad Rom. Pont. recurrendum est. Errare igitur in decreto fidei Romanus Pontifex extrà Conc. generale non poterit, nisi pariter errare posse Ecclesiam, nec vllum erroti remedium ponamus.

Arg. 3. In Concilio generali quando Patres inter se æqualiter discordant, debet Concilij Præses ad alteram partem accedere, & acce-

accedendo controuersiam terminare. Ille autem Præses semper fuit Papa, vt posteà ostendetur. Ergo errare in decreto suo non poterit, nisi vt priùs.

Arg. 4. Est primarius Pastor in quantum Petri successor, cui omnes oues obedire debeant in causa fidei, ad vitandum schisma, & seruandam vnitatem, vt patet ex præcedentibus. Ergo si in doctrina fidei errare posset, tota quoque Ecclesia in errorem abduceretur, & nulla esset vnitatis fidei certitudo. Est arg. D. Thomæ loco citato in corp. art.

Argumenta hæreticorum.

Primum Argumentum.

IOannes XXII. sustinuit, animas iustorum non videre Deum vsque in diem iudicij, quod est erroneum: & præcepit Academiæ Parisiensi, vt non daret gradus aliter sentientibus. Ergo ille & errauit, & dogma erroneum obtrusit.

Secundum Argumentum.

Cœlestinus III. vt habetur cap. 4. de diuortijs, tenuit, quòd quando vnus coniugum fit hæreticus, vel infidelis alter potest cum alia contrahere. Addit autem Ostiensis, quòd ille Canon fuit olim in corpore iuris, posteà verò deletus est.

Tertium Argumentum.

Nicolaus IV. in cap. *Dixit qui seminat*, de verbor. signific. dicit Christum nec in vniuersali, nec in particulari habuisse pecunias, sicuti nec Franciscani habent. At Ioan. XXII. damnat hanc eius sententiam in extrauag. *Cùm inter nonnullos*, de rerum significatione. Ergo alter errauit.

Quartum Argumentum.

Nicolaus I. in cap. *A quodam Iudæo*, de consecr. dist. 4. ait Baptismum collatum in nomine Christi valere. At Pelagius Papa ibidem cap. *Multi*, & cap. *Reuera*, damnat hoc, asserens debere fieri in nomine totius Trinitatis. Ergo rursùm alter errauit.

Quintum Argumentum.

Stephanus VII. damnat Formosum Papam, & omnes actus eius, & decreta: & tamen Ioannes IX. in Concilio Rauennæ congregato damnat Stephanum, & probauit actus & decreta Formosi Papæ. Ergo iterùm alter malè decreuerat in causa fidei.

Sextum Argumentum.

D. Hieronymus in Chronicis refert de Liberio Papa, quòd tædio exilij in hæreticam prauitatem est conuersus. Ergo ille fuit Arianus.

Septimum Argumentum.

Honorius Papa in 6. Synodo generali act. 13. inter hæreticos annumeratur, & pro hæretico condemnatur: & præterea in epist Leonis II. quam statim post Concilium Imperatori scripsit, idem damnatur, & dicit Leo quòd *Sedem Apostolicam doctrina non Apostolica contaminauit*. Hanc quoque damnationem testatur Synodus 7. act. vltima, & Adrianus Papa act. 5. Synodi 8. generalis. Damnatur autem propter scripta quædam de dogmate tunc controuerso, in quibus hæreticam sententiam approbauit.

Quartum Argumentum.

Si Papa non posset errare in decreto fidei, frustrà congregarentur Concilia generalia, quia solus ille posset omnia determinare.

Nonum Argumentum.

Papa potest esse hæreticus quoad personam suam, vt nos tenemus iuxtà secundam concl. & patet manifestè, quia in Decretalibus habetur dist. 40. cap. *Si Papa*, quòd Papa non potest redargui, *nisi deuiet à fide*: & Anacletus epist. 3. maiores Episcopos posse iudicari à minoribus ait, *si exorbitent à fide*. Alia etiam decreta idem sonant apud Burchardum lib. 1. cap. 138. & 139. Ergo potest errare in his, quæ determinat.

Decimum Argumentum.

Causa fidei non debet ab vnius hominis iudicio pendere, cùm sint Patrum Concilia, à quibus tutiùs decernetur: *nisi fortè* (vt aiunt Patres Concilij Africani) *quisquam est, qui credat, vni cuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus in Concilium sacerdotibus denegare*, in epist. ad Cœlestinum Papam.

Solutio argumentorum.

Ad primum.

NEc illa Ioannis XXII. sententia adhuc hæretica fuit, vtpotè nondum per Ecclesiam definita; nec ille eam iudicando decreuit, sed decernere volens morte præuentus est, vt refert Benedictus XI. in quadam extrauagante: nec Academiæ Parisiensi huius sententiæ definitionem præscripsit, sed illam iuramenti legem postulantibus Parisiensibus concessit.

Ad secundum.

Cœlestinus III. illud non definiuit, sed, vt refert Innocentius III. cap. *Quanto*, de diuortijs ita sensisse videbatur. Quare nec quòd ita senserit, clarum ponit Pontifex; multò minùs, quòd vmquam hoc definierit, constat.

Ad tertium.

Ioannes XXII. non damnat sententiam Nicolai IX. sed exponit illam non de toto tempore conuersationis Christi, sed de aliquo veram esse: illo nempè tempore, *quo misit disci-*

discipulos suos absque pera, & baculo, Matt. 10. Aliàs tamen, & loculos habuit, Ioann. 12. quod adeò non ignorauit, vel non aduertit Nicolaus Papa, vt apertè, & elegantèr exponat Christum ea in re infirmorum personam suscepisse. Et ceuera Christi vita ex parte communis erat, comedens & bibens communi modo, Matth. 11. ne communem vitam damnasse videretur; partim perfecta erat, quando non habuit vbi reclinaret caput suum, Luc. 9. vt ad perfectum quoque suo exemplo traheret.

Ad quartum.

Nicolaus I. Papa doctissimus in illis verbis de Baptismate Christi in nomine Christo dato, non respondet quæsito, nec iudicat in causa fidei, sed obitec, vt doctor suam mentem exponit, Ambrosius sequutus: qua in re siue rectè, siue non rectè senserit, nihil ad causam præsentem. Quæstio enim erat de baptismo Pagani vel Iudæi, an valeret, non de forma baptismi.

Ad quintum.

Stephanus damnauit decreta Formosi, & illa rursùm confirmauit Ioannes IX. non quia circa fidem, aut mores dubium aliquid continebant, sed quia de auctore dubium erat an esset legitimus Papa, & an auctoritate legitima illa decreuisset.

Ad sextum.

Si Liberius tædio victus subscripsit Arianis, vel quoad personam hæreticus fuit, vel non à fide, sed à confessione fidei excidit, & defecit, vt Petrus ipse, & Marcellinus. Neutrum autem facit contra nos. Tamen Sanctus Athanasius, totius huius rei optimè conscius (nam S. Hieronymus in Syria positus, & post rem gestam scribens, potuit ex fama errorem accepisse) discertissimè scribit, hunc Liberium subscripsisse tandem non Arianæ hæresi, sed exauctorationi ipsius Athanasij; quod tametsi perindè videbatur esse, ac si hæresi subscripsisset, quando non nisi propter fidem Athanasium deponi Ariani satagebant, tamen quia alia multa præter fidei causam aduersùs Athanasium obijciebantur, potuit Liberius absque fidei iniuria Athanasij condemnationi subscribere. Vide Athanasium in epist. ad solitariam vitam agent. & Theodoretum hist. Eccles. lib. 2. cap. 17.

Ad septimum.

De damnato Honorio quæ scribuntur, maximæ auctoritatis, & fidei sunt. Tamen origo ipsa, & fons totius huius sententiæ, propter quam damnatus legitur, posteà processu temporis non satis iustam fuisse damnationem ostendit. Fundamentum enim, & caput damnationis eius erat Epistola quædam ad Sergium scripta, in qua docuit *vnam Christum habuisse voluntatem, non duas*. Sed hoc Honorius scripserat *de vna Christi voluntate in quantum homo erat*, quod videlicet vt homo non habuit duas voluntates contrarias, vnam carnis, alteram spiritus, vt nos habemus, qui in peccato nascimur; non autem dixit de vna voluntate in quantum Deus, & homo erat. Et sic eum locutum esse, atque sic intellexisse, tum ipsius verba satis aperiunt, quibus in eadem Epistola dicit, *ideo Christum habere vnam voluntatem, quia à diuinitate assumpta est nostra natura, non culpa*; tam apertissimè constat ex explicatione Amanuensis eius, qui illam epistolam scripsit, vt refert Maximus in disputatione cum Pyrrho. Nec absurdum est hoc latuisse Patres Synodi 6. Nam in re facti allucinati Concilium posse, absurdum non est, maximè satagentibus hæreticis, & Catholicorum Episcoporum literas sæpiùs falsantibus. Vtcumque est, Honorius Papa potuit in persona esse hæreticus; sed decretum hæreticum emisisse illum, nemo vnquam scripsit, aut dixit. Quare posteriores scriptores prætereunt Honorium, cùm damnatos in illo Concil. 6. recitant, vt Zonaras Græcus histor. lib. 3. Vide plura de hoc Honorio doctissimè disputata apud Iacobum Payuam Andradium, in defensione Synodi Trident. aduersùs Chemnitium lib. 2.

Ad octauum.

Non frustrà congregatur Concilium, etsi solus Papa possit decernere, propter multas causas.

Primùm, quia decernit non prophetice, sed discursiuè, & humano modo, ideòque inquisitione opus habet. Sic in primo Concil. Apostolico, etsi solus Petrus sententiam tulit, & eum sequuti sunt cæteri omnes, tamen priùs *conquisitio magna facta est*, Act. 15. In hac autem inquisitione iuuant plurimorum iudicia, quando rei grauitas ita postulat.

Secundò, propter infirmitatem fidelium, qui libentiùs acquiescunt multorum Patrum iudicio, quàm vnius.

Tertiò, quia etiam quoad mores multa sunt decienda: qua in re praxes variarum Ecclesiarum inspiciendæ sunt, quod sine congregatis Episcopis difficillimè fit.

Quartò, vt audiantur, & conuincantur hæretici ipsi, & eorum vel saluti consulatur, vel impietati occurratur.

Ad nonum.

Quia promissio charismatum, & gratiarum huiusmodi non dantur personis propter ipsas, sed propter bonum Ecclesiæ propterea non sequitur, quòd etsi in personis interdum deficiant, etiam respectu Ecclesiæ deficere possint. Vt Deus pereuntibus indiuiduis conseruat per illa rerum species, sic Christus errantibus Pontificibus conseruat tamen per illos Ecclesiam; & vt persistat Ecclesia, non patitur errare in decreto fidei, quod concernit Ecclesiam.

Ad decimum.

Causa fidei debet ab eo pendere, à quo eam voluit pendere Christus Dominus, qui *auctor fidei nostræ, & consummator est*, Heb. 12. Voluit autem illam à Petro pendere; ideòque vacillantibus omnibus Apostolis pro vno Pe-

tro

tro orauit, *vt fides eius non deficeret, & vt ille confirmaret fratres ſuos*, oſtendens malle ſe per vnum, quàm per plures ſuum populum infallibiliter ab errore conſeruare, & malle monarchicam, quàm ariſtocraticam Politiæ formam in ſua Eccleſia eſſe. Patres Africani non de cauſa fidei, ſed de cauſis morum, & de iudicijs Eccleſiaſticis circa diſciplinam loquuntur in quibus iudicandis exiſtimant plus poſſe Epiſcoporum Synodos in qualibet prouincia, quàm vnum, ſeu Romanum Epiſcopum per totum Orbem, vel Primatem in toto prouincia: ideòque ſe malle oſtendunt huiuſmodi cauſas in qualibet prouincia per Epiſcopos locorum domi terminari, quàm per appellationes ad Primatem, vel ad Summum Pontificem foris iudicari. Qua in re ſuum deſiderium exponunt, ſed legitimæ ſuperiorum auctoritati non derogant. Sed de his Africanorum verbis plura inferiùs dicemus quæſt.7. in reſp. ad 3. argum.



QVÆ

QVÆSTIO V.

An Romanus Pontifex possit punire, & priuare Principes deuios à fide.



Irca potestatem Rom. Pontificis suprà Principes,& terræ Dominos, ac vicissim circa Principum obedientiam Romano Pontifici debitam duo fuerunt extremi errores. Vnus eorum erat, qui ita in immensam Romani Pontificis auctoritatem extollendam putauerunt, vt assererent, ac sustinerent omnem potestatem sæcularem deriuari à Papa, ideòque Imperatorem, ac Reges non esse nisi vicarios,ac legatos Romani Pontificis, & ministros potestatis Papalis. Papam enim habere potestatem, & auctoritatem super omnem principatum ciuilem, & in causa quacumque ciuili, licèt vsum, & exercitium illius non retineret, sed propter bonum pacis, & concordiæ Principibus illud concessisset. Huius sententiæ assertores sunt Armachanus, Panormitanus, Siluester. Alter extremus error eorum erat, qui Romani Pontificis auctoritatem sic ab altera parte deprimebant, vt primùm docerent Papam ab Imperatore auctoritatem Papalem accipere, eiusque subditum, & vasallum esse, & consequenter omnes Ecclesiasticos etiam in quantum tales suis Regibus subijci; quam sententiam sustinuerunt assentatores illi Imperatorij Marsilius Patauinus in defensorio pacis, Dantes Algerius in lib. de Monarchia, Ioan. de Parrhisijs in Tract. de potestate Regia, & Papali, & alij nonnulli; posteà verò etiam, nec in omni causa spirituali potestatem eius agnoscerent, docentes per excommunicationis sententiam alia peccata punire Papam non posse, quàm quæ sunt directè contrà Euangelium, vtpotè de Sacramentis, & de fide, quod docuit Occham in Dialog. lib. 6. cap. 8. & Ioan. Gerson. lect. 4. de vita spirituali; postremò denique omnem spiritualem, & Ecclesiasticam potestatem ipsi temporali subijcerent, vt hodie hæretici; Papam verò suprà principes quodcumque ob crimen nullam habere iurisdictionem fortiter sustinentes. Atque adeò capitale nunc in Anglia est aliter sentire. Contrà primum igitur errorem ponimus priorem articulum. Alterum extremum errorem in 2. Contr. quæst. 4. profligauimus. Pro media, & orthodoxa sententia explicanda ponimus secundum articulum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Rom. Pontifex ad puniendos, aut priuandos Principes deuios à fide potestatem temporalem, seu ciuilem non habet.

Explicatur, & probatur articulus per certas conclusiones.

Prima Conclusio.

Papa non est totius orbis Dominus. Probatur:Christus interdicit Apostolis etiam in officio ministerij Apostolici, vel Ecclesiastici omne dominium, Matth. 20. & Luc. 22. *Principes gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Ergo multò minùs terrenum dominium quatenus talibus concessit. Lege hac de re elegantèr disputantem D. Bernardum lib. 2. ad Eugenium. Prætereà, Papa fatetur se accepisse dominium aliquarum terrarum ab Imperatore, causa 12. q. 1. cap. *Futurum,* & dist. 96. cap. *Cùm ad verum.* Tertiò, non habet dominium in terris infidelium; quia *de ijs, qui foris sunt, iudicare non potest,* 1. Cor. 5. & tamen illi sunt verè domini terrarum suarum, vt patet ad Rom. 13. vbi potestatibus sublimioribus adhuc infidelibus obedire fideles iubentur. Quartò, Papa nunquam agnouit hanc potestatem. Apertè scribit Innocentius III. cap. per venerabilem, tit. qui filij sunt legitimi; se non habere potestatem in temporalibus suprà Regem Franciæ.

Secunda Conclusio.

Potestas ciuilis non dependet à Papa sicut potestates inferiores spirituales; ita vt ad eum spectet constituere Reges, & dare regna, & si non sit orbis Dominus; sicut ad eum spectat creare Episcopos, & dare beneficia, etsi non sit Dominus beneficiorum, vt quidam volunt, sed dispensator tantùm, & collator ex officio, vt doctè probat Dominic. Soto de Iustit. & Iure lib. 3. quæst. 6. art. 2. ad 5. arg. Probatur, quia potestas ciuilis erat antè claues Ecclesiæ, nec naturam suam, aut ius posteà amisit, vt patet ex doctrina Apostoli ad Rom. 13. & 1. Petr. 3. Rursùm probatur, quia priuata dominia non pendent ab eo: ergo nec publica, & magis generalia.

Tertia Conclusio.

Nulla potestas ciuilis est subiecta Papæ ratione alicuius potestatis temporalis in illo, ita vt tanquam Domino temporali ei obsequium debeat Rex aliquis, sicut Regi Francorum aliquod obsequium olim debuit Comes Flandriæ, & adhuc debet Dux Lotharingiæ, licet nec Comitem Flandriæ olim, nec Ducem Lotharingiæ nunc creat, aut constituit Rex Francorum. Probatur, quia potestas ciuilis est perfecta Respub. & integra ex seipsa. Non esset autem si alicui extrà se esset subiecta. Papa autem non est Dominus temporalis in quantum talis, vt dictum est.

Quarta Conclusio.

Papa non potest iudicare de causis Principum, aut iurisdictionum, & regnorum titulis via ordinaria, etsi benè in casu, vt mox explicabitur. Probatur satis ex præcedentibus, quia nec Dominus, nec superior eorum est in huiusmodi causis. Sed & probatur prętereà ex verbis Alexandri Papæ 3. cap. Causam quæ, tit. Qui filij sint legitimi. *Nos*, inquit, *attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare*, &c. Item ex verbis Innocentij 3. cap. Nouit, tit. de Iudicijs. *Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad Regem spectat iudicium.* Ac denique Bernardus ad Eugenium lib. 2. *In criminibus*, inquit, *non in possessionibus potestas vestra. Habent hæc infima terrena Iudices suos, & Principes terræ.*

Quinta Conclusio.

Papa non habet potestatem aliquam temporalem deponendi Principem sęcularem, etiam ex iusta causa, eo modo, quo potest deponere Episcopum ex potestate spirituali. Probatur, quia deponere Principem sæcularem non potest, nisi quatenus est religionis hostis, & detrimentum adfert animarum saluti; idque etiam in casu necessitatis, quando aliter succurri illi malo non potest, vt mox in proximo articulo ostendetur. At Episcopos deponere propter violatas leges Ecclesiæ positiuas, & ab ipso latas, item non expectando extremum necessitatis casum, potest, quia eius iurisdictioni propriè subsunt vt tales. Contrà Principes sic procedere non potest, quia non in quantum tales sunt, illi propriè, & absolutè subditi, sed tantùm secundùm quid; quatenus videlicet tota ciuilis potestas est secundùm quid subordinata potestati spirituali, vt alibi latè ostendimus, Controu. 2. quæst. 4. artic. 1. in resp. ad 5. arg. Atque ex istis conclusionibus patet articuli veritas, & prioris extremi erroris falsitas. Vide autem plura circa illas in Ioan. de Turre-cremata, lib. 2. cap. 114. & apud Franciscum à Victoria in Relect. de potest. Eccles. q. 5.

ARTICVLVS II.

Ad puniendos, atque etiam priuandos regno Principes sæculares à fide deuios potestatem spiritualem Rom. Pontifex habet.

Ad huius articuli confirmationem, quem pro Antichristiano habent hodie hæretici, estque iam in Anglia capitalis, ponemus conclusiones.

Prima Conclusio.

Principes Christiani, quatenus Christiani, prorsùs subijciuntur iurisdictioni Ecclesiæ, sicut cæteri fideles, & consequenter supremo Ecclesiæ Pastori Rom. Pont. Patet hęc conclusio ex antè disputatis Contr. 2. quęst. 4. art. 1. probat. 1.

Secunda Conclusio.

Principes Christiani etiam quatenus principes aliquo modo subijciuntur eidem. Probatur, quia tota potestas ciuilis subordinatur aliquo modo, scilicèt respectu finis, potestati spirituali, vt quæst. ead. in respect. ad 5. arg. latè ostensum est. Hinc enim sequitur, si quid agat, aut decernat ciuilis potestas, quod repugnet fini spirituali, posse illam & debere per spiritualem potestatem coerceri. Et confirmatur, quia alioqui potestas spiritualis, quæ est suprema, & excellentissima, vt ibidem ostensum est. Notab. 2. non esset in se perfecta, & integra, nec ad se conseruandum sufficiens. Hoc autem naturę rei, quia Resp. quædam, & ciuitas Dei est, & ipsius status noui Testam. perfectioni, atque adeò Dei prouidentiæ, & Christi sapientiæ (qui hac ratione suæ Ecclesiæ plenè non consuluerit) prorsùs repugnat.

Tertia Conclusio.

In casu peccati mortalis, & maximè hæresis, potissimùm quando in publicum aliquod, & magnum Ecclesiæ detrimentum vergit, Romanus Pontifex tanquam supremus Ecclesiæ Pastor, ad Ecclesiæ conseruationem, & punire quosuis Principes potest, &, si rei necessitas exigat, regno priuare. Probatur, quia in tali casu Ecclesię Reip. pacem, & salutē tales Principes, vel impediunt, vel perdunt. Possunt igitur ab Ecclesia tolli, & loco moueri. Patet consequentia à simili, vel potiùs à maiori. Regnum Hispaniæ, quod nullo modo subijcitur regno Franciæ, sed prorsùs alienā, & disparata Resp. est, ita vt diuersissimis legibus vti possint; imò si legem ferat ciuilem Hispanorum Rex in suorum ciuium bonum temporale, quæ vtilitati Francorum magnum afferat detrimentum, vel contrà (vt quod vina, aut aliæ merces non exportentur, aut aliquid simile nullam iniuriam vna alteri facit; tamen casu quo Franci Hispanorum Remp. apertè lædant, vrbes ac terras diripiant, vel etiam vi auferant, habent illi iam

in istos iure gentium potestatem, & iurisdictionem, non solùm vt vim vi repellant, & quoad actionem repetundarum, sed etiam (si aliter seruare suam Rempub. non possunt) vt Tyrannorum Regem suo regno eijciant, & nouum Principem constituant. Multò magis in casu proposito, vbi omnes Reges Christiani sunt, aliquo modo spirituali potestati Ecclesiæ subiecti, & subordinati.

Rursum probatur conclusio, quia omnes Principes Christiani iurant obedientiam Rom. Ecclesiæ, & fidei Catholicæ: quod patet in formula coronationis Principum à multis seculis vsurpata, tum etiam in Clementinis, lib. 2. tit. 9. de iureiurando, & dist. 69. cap. *Tibi Domino*. Vide Pontificale Rom. tit. de benedict. & coronatione Regis. Ergo deuiantes à fide, & obedientia Ecclesiæ iustè, vt periori coercentur, & à regno, quod tali conditione, & lege acceperunt, iustè exturbantur.

Tertiò probatur, quia Reges Christiani debent seruire Ecclesiæ, defendendo fidem rectam, & eius conseruationem omnibus modis procurando, vt probatum est suprà, contr. 2. qu. 5. artic. 1. notab. 6. Ergo quando non solùm ab hoc officio desistunt, sed & hostes Ecclesiæ sunt, atque ita Christiani Reges esse desinunt, possunt à regimine Christianorum repelli. Ergo, quando aliter fieri non potest, eius auctoritate, qui præest Ecclesiæ, deponi possunt.

Quartò probatur, quia si populus Christianus vellet infidelem, aut Paganum aliquem in Regem eligere, de quo verisimile esset quòd à fide Christiana populum auerteret, cogi posset ille populus, vel à tali electione desistere, vel etiam electum reijcere. Ergo multò magis Princeps hæreticus, qui de facto auerrit à fide, & de facto subijcitur Ecclesiæ, deponi potest. Patet autem antecedens, quia cogi potest vnusquisque ad æquum, & bonum seruandum. Æquum autem, & iustum est, finem medijs præponere, ideòque media, quæ finem impediunt, ad finis conseruationem tollere. Tale autem impedimentum est ratione supremi finis, qui est animarum salus, in casu proposito.

Quarta Conclusio.

Rom. Pontifex in casu hæresis Principem aliquem dominio priuare immediata auctoritate potest in casu necessitatis, alioqui non nisi immediata auctoritate. Explico sic: Quia hæresis est manifestum detrimentum salutis animarum, vel certa potiùs pernicies, ideòque ex parte causæ nihil est dubium quin possit suam potestatem tali casu in Principes terrenos exercere, tamen non per se, sed per ipsam eiusdem potestatem (cuius est possessionibus ciuilibus ordinaria iurisdictio, vt in 4. Concl. præcedent. art. dictum est) nempe per populum ipsum, cuius est eligere suum Principem, aut ordines regni, vel senatum ciuitatis, aut denique alium, vel alios, qui hac parte potestatem ordinariam habent, debet hoc primò tentare: & hoc est mediata auctoritate procedere. At verò si istud non succedat, quia populus ipse, vel talis ordinaria potestas hoc facere, aut non potest, aut non vult (qui est casus necessitatis) potest per se immediatè procedere, dando illud regnum alteri orthodoxo principi, vel primo victori orthodoxo illud assignando. Patet conclusio, quia debet omnibus modis finem suæ potestatis tueri, & conseruare; eo tamen modo, vt (quoad fieri potest) ciuilis quoque potestatis iura seruentur, & suum vnicuique tribuatur.

Quinta Conclusio.

Rom. Pontifices de facto, vbi vel Reip. vel Ecclesiæ bonum id postulauit, aliquos Christianos Principes deposuerunt, alijsque ius regni contulerunt, idque extra casum hæresis; multò magis in tali casu possunt. Zacharias Papa, exauctorato Rege Francorum, Pipinum Caroli Magni parrem, virum industrium, & tam Reip. quàm Ecclesiæ strenuam operam nauantem, illo regno præfecit, quod & hæredes eius longissimo post tempore tenuerunt; vt testatur Gelasius in Decr. caus. 15. quæst. 6. cap. *Alius*. Stephanus Papa, vel (vt Græci scribunt) Gregorius Papa III. transtulit imperium à Græcis ad Germanos in personam Caroli Magni, vt testatur Innocentius in cap. *Venerabilem*, tit. *de electione, & electi potestate*. Innocentius IV. Regi Portugalliæ interdixit regni administrationem, cap. *Grandi*, tit. *de supplenda negligentia*, lib. 6. fratrem eius substituens. Clemens V. damnatum ab Imperatore Henricum, Robertum Siciliæ Regem absoluit, de Clementinis lib. 2. tit. 11. *Pastoralis*. Quare non solùm Bonifacius VIII. in Extrauag. cap. *Vnam sanctam*, tit. *de maioritate & obedientia*, hanc potestatem Rom. Pontificibus vendicat, sed & Diuus Bernardus lib. 2. ad Eugenium eandem accuratè docet, & post eum multis argumentis defendit Ioan. de Turrecremata in summa de Ecclesia, lib. 2. cap. penultimo. Vide etiam Ioan. Driedonem de libert. Christiana lib. 1. cap. 9. consider. 3. item cap. 14. & seqen. & Franc. à Victoria vbi suprà in altero articulo.

Sexta Conclusio.

Rom. Pontifex habet aliquam potestatem temporalem in ordine ad finem spiritualem, nempè ad illum conseruandum, defendendum, vel etiam propagandum: & propter hunc finem consequendum potest nouos Principes facere, & alios rollere. Ratio est, quia ad suum finem consequendum est sibi sufficiens. Aliquando autem sine tali potestate eum finem consequi non potest, sed periclitetur Ecclesia necesse est, vt maximè accidit in translatione Orientalis Imperij ad Occidentem.

Argumenta in contrarium.

Primum Argumentum.

PEtro commissæ sunt tantummodo *claues regni cælorum*, vt verba Christi sonant Matth. 16. Ergo super terrena regna nullas claues, id est, nullam potestatem accepit. Probatur consequentia, quia sunt duo regna distincta, & contrà opposita, iuxtà Christi verbum:

bum: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Matth.21.

Secundum Argumentum.

Vicarius Chriſti non habet maiorem plenitudinem poteſtatis, quàm habuit homo Chriſtus. At Chriſtus in temporalibus, vel conferendis, vel adimendis nullam voluit habere poteſtatem. Ergo nec Papa habere talem poteſt. Maior eſt notiſſima. Minor probatur Luc.12. *Rogatus vt diuideret inter fratres hæreditatem, reſpondit: Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos?* Rurſum apertè dixit Ioan.18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Tertium Argumentum.

Iuriſdictio ſpiritualis, & temporalis actiones ſunt diuerſorum officiorum. Ergo non debent in vna perſona Papæ concurrere. Probatur conſequentia ex apertis verbis Nicolai I. doctiſs.Pont. in epiſt. ad Michaelem Imperat. & citantur diſt. 96. cap. *cùm ad verum. Chriſtus,* inquit, *actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque (Pontificis, & Imperatoris) diſcreuit; propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in infernum demergi.* Hæc ille.

Quartum Argumentum.

Chriſtus voluit ciuili poteſtati etiam impiæ erga Deum ſubeſſe, & magiſtratibus obedire. Quare à Pilato damnari, ab Herode ſe illud paſſus eſt. Ergo, & Rom. Pontifex, ſi vicarius eius eſt, ſimilem obedientiam præſtare debet; non autem ipſis Regibus Eccleſiam vexantibus manus inijcere, eoſque in ordinem cogere. Et confirmatur, quia hoc planè contrarium eſt actionibus Chriſti: vnde magis ſe Antichriſtum, quàm Chriſti Vicarium Papa oſtendit.

Quintum Argumentum.

Hæretici tenuioris fortunæ, & priuati homines non ita propter hęreſim ab Eccleſia puniuntur, vt bonis hæreditarijs excidant, aut teſtamentum condere nequeant, & de bonis ſuis diſponere, veriſque hæredibus ea relinquere. Ergo Principes in hæreſim incidentes non debent propterea regno ſuo priuari, aut iure hæreditario, quo regnum poſſident, excidere. Patet conſequentia, quia mitiùs, & moderatiùs cum principibus agendum eſt, habita dignitatis ratione, quàm cum tenuioris fortunæ hominibus; iuxta illud Pſalmiſtæ, *Honor Regis iudicium diligit*, Pſalm.98.

Solutio eorundem.

Ad primum Argumentum.

Directè & ſimpliciter ſola ſpiritualis poteſtas Petro comiſſa eſt; ſed indirectè, & ſecundùm quid, nempè in ordine ad finem ſpiritualem conſeruandum, ipſa quoque terrena poteſtas ei ſubiecta fuit, vt in concl. 4. & 6. dictum eſt. Quare nec antecedens eſt ſimpliciter verum, quia ſub clauibus regni cœlorum, & plenitudine poteſtatis ſpiritualis, includuntur claues regni terreni ex parte, id eſt, inquantum fini ſpirituali ſubſeruiunt, ſicut in collatione principalis intelligitur acceſſorium: nec conſequentia bene probatur, quia poteſtas ſpiritualis, & ciuilis non ſunt omninò diſtincta & diſparata; ſed vna alteri eſt ſecundùm quid ſubordinata, & ſubiecta, etſi ſimpliciter, & ex maiori parte ſint diſtincta, iuxta Chriſti verbum. Hoc autem totum optimè intelligens Nicolaus I. Papa doctiſſimus ait, *B. Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura Chriſtum commiſiſſe* diſt. 22. cap. *Omnes.*

Ad Secundum Argumentum.

Chriſtus non voluit temporalem poteſtatem aliquam exercere, quia nondum erat caſus ille in quo à ſpirituali paſtore talis poteſtas exerceri poſſet, id eſt, nondum hoc pacis Eccleſiaſticæ conſeruatio poſtulabat, quia nondum Eccleſia propagari cœpta fuerat; quæ poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem demum cœpit. Neganda igitur conſequentia. Chriſtus tamen *flagellis eijciens vendentes è templo,* Ioan.2. ſatis oſtendit fore vt Vicarius eius, ad eijciendos ab Eccleſia perturbatores Eccleſiæ, ſeculari brachio, & flagello corporali ſuo tempore, & loco vteretur. Neque verò Scripturæ citatæ contrarium aliquid probant. Chriſtus noluit diuidere hæreditatem inter fratres, non quia poteſtate caruit, ſed quia petentis auaritiæ ſubſeruire noluit, & ad Euangelicum rerum mundanarum contemptum inducere voluit. Vnde ſtatim ſubijcit dicens ad illos: *Videte, & cauete ab omni auaritia,* &c. Negat quoque regnum ſuum eſſe de hoc mundo, quia non habuit originem ex cauſis mundanis, vt ab hominum electione, & ſimilibus; ſed à voluntate Patris, Pſalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; & titulo redemptionis, ad Philip. 3. *Propter quod, & Deus exaltauit illum*, &c. Quanquam nos Romano Pontifici regnum aliquod temporale nullo modo tribuimus, vt patet per concluſiones præmiſſas, articulo 1.

Ad tertium Argumentum.


Vtriuſque poteſtatis officia ſunt verè diſtincta, non tamen ſunt oppoſita aut contraria, niſi ſimpliciter accepta, quo ſenſu Apoſtolus dixit: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus.* 1. Cor. 7. Quare Papa ſimpliciter non poteſt eſſe totius Eccleſiæ Magiſter, & totius Orbis Dominus temporalis; & hoc eſt quod Nicolaus Papa dixit in verbis citatis: ſed ſecundùm quid, & quatenùs vna poteſtas alteri ex parte ſubordinatur, ſic etiam officia vtriuſque in caſu, & aliquando (vt in 4. concl. dictum eſt) vni & eidem Romani Pontificis perſonæ conuenire poſſunt. Quare in hoc ſenſu neganda eſt conſequentia.

Ad quartum Argumentum.

Respondendum vt ad 2. Nondum erat tempus Ecclesiæ propagandæ,& defendendæ, sed in Christi Sanguinem plantandæ, & fundandæ, ad quod omnimoda humilitas, & passio necessaria erat; actioni autem locus nondum erat. Quare non est Papa Christo contrarius, sed hæretici tempora,& Scripturas distinguere nesciunt.

Ad quintum Argumentum.

Nec consequentia est prorsus bona,quia *potentes potenter tormenta patientur*, Sap. 6. & quantò magis Princeps hæreticus Ecclesiæ nocet, eo violentius, & fortius remedium adhibendum est habita non dignitatis eius, sed salutis Ecclesiæ ratione: nec omnino verum est, Reges hæreticos iure hæreditario priuari, etsi regno priuentur. Si enim hæres Catholicus est, ad eum transferetur regnum: sicuti Regi Portugalliæ ab administratione regni deiecto frater germanus ab Innoc. IV. substitutus est, vt in 5.concl. dictum est. Nec primo victori datur à Pontifice regnum hæreticum, nisi vbi hæres Catholicus volens, & potens succedere non existit;iuxta ea quę diximus in quarta conclusion.de mediataRom. Pontif.auctoritate extra casum necessitatis.



QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An ad Rom. Pontif. pertineat Concilia confirmare.



HÆC, & subsequentes quæstiones ad supremam Romani Pontificis authoritatem hactenus ex Scripturis demonstratam, & contra hæreticos defensam, nunc de facto ostendendam iuxta perpetuam, & veteris Ecclesiæ praxin, subseruiunt. Ac primum de confirmatione Conciliorum, tam Prouincialium extra Italiæ fines, quàm etiam generalium, vnde primatus huius Pontificis euidenter consequitur.

Confirmare enim acta, roborare ac rata facere gesta communitatis alicuius, solius Principis, & superioris authoritatis est. Negant autem hæretici hodiè hanc olim Romanis Pontificibus authoritatem concessam fuisse; sed conuincentur ab euidenti Ecclesiæ praxi, quam nunc per certas conclusiones deducemus.

Prima Conclusio.

Vetustissima Ecclesiæ regula, & constitutio fuit, vt nihil de fide publica in Ecclesia decerneretur absque Romani Pontificis authoritate & consensu.

Probatur testimonio Ecclesiasticæ Historiæ authore Socrate, qui scribit, *Canonem Ecclesiasticum iubere, non oportere absque sententia Romani Pontificis decreta Ecclesiis sanciri*, vel, vt Epiphanius Scholasticus in Tripart. Historia lib. 4. cap. 9. interpretatur, Concilia celebrari, *tas Ecclesias Canonizin*, apud Socrat. lib. 2. cap. 5. & 13.

Et confirmatur, quia hunc veterem canonem Iulius Papa obiecit Græcis Episcopis, absque eius consensu Concilium Antiochiæ de fide celebrantibus. Refert enim Socrates libro citato cap. 13. scripsisse Iulium, contra leges Ecclesiæ illos egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent. Nam legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.

Rursùm confirmatur, quia hic Canon in Concilio Niceno primo latus est. Sic enim scribit idem Iulius Papa in Epist. 1. ad Orientales: *Canonibus*, inquit, *in Nicæna Synodo iubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari*. Est autem Canon 20. vt nunc illi Canones recensentur ab Alphonso Pisano in libello de actis, & canonibus Nicæni Concilij.

Sed & Marcellus Papa, hoc idem ab Apostolis constitutum fuisse in Epistola decretali affirmat, & recitat Iuo 4. parte, cap. 240. Porrò in altera eiusdem Iulij Epistola ad Orientales, quam totam in Apolog. 2. Athanasius complexus est, idem affirmatur. In Epistola quoque Athanasij, & aliorum Ægyptiorum Episcoporum ad Felicem Papam, idem ad verbum reperitur, posteàque à Damaso Papa in Epist. ad tria Concilia Africana, ac demùm à Iustiniano Imperatore Constitut. Nouella 131. *Nulla*, inquit, *vnquam Synodus rata legitur, quæ ab Apostolica Beati Petri sede non fuerit fulta*; sed & ante eum in Concil. Chalcedon. Act. 1. Dioscorus Alexandriæ Patriarcha accusatur, *quòd Synodum ausus est facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam ritè factum est, nec ritè facere licuit*. Et in eodem Concilio Act. 16. apertè dicitur, *quòd Legati Apostolici semper in Synodo priùs loqui, & confirmare soliti sunt*. Postremò, hæc regula Ecclesiæ ab ipsis Apostolis dimanauit, iuxta Can. 34. Apostolorum, in quo iubetur, *vt Episcopi singularum gentium scirent, quis inter eos primus esset*, vt tum Anacletus disertè Epist. 3. tum Marcellus Epist. 1. illum canonem explicarunt.

Secunda Conclusio.

Iuxta hanc regulam Ecclesiæ veteres Episcopi ad Synodos suas prouinciales (maximè quæ de fide tractabant) roborandas, à Romano Pontifice confirmationem diligenter expetebant.

Probatur exemplo Patrum Carthaginensium, quorum è numero S. Augustinus fuit, in causa fidei contra Pelagianos. Isti Concilij sui Acta ad Papam Innocentium referunt: [Vt statuis, inquiunt, nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas;] apud Augustinus Epist. 92. Quibus illorum literis respondens Innocentius, ait inter cætera: [Patres olim non humana, sed diuina decreuisse sententia, vt quicquid de disiunctis, remotisque prouincijs ageretur, non priùs ducerent definiendum, quàm ad illius sedis notitiam perueniret, vbi tota eius

authu-

authoritate iusta, quæ fuerit pronunciatio firmaretur;] apud Augustinum Epist.93. Quam Papæ responsionem laudans alibi Augustinus ait, [ad omnia Papam rescripsisse eodem modo, quo fas erat atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem;] Epist. 106. Imò alibi ait, [per Papæ rescriptum causam Pelagianorum finitam fuisse,] Serm. 2. de verbis Apostoli.

Rursùm scribit Pelagianos à Concilio Carthaginen. & à Concilio Numidiæ damnatos, [nondum tamen euidenter ab Ecclesia separatos fuisse,] Epist. 94. posteà verò [manifestissimo sedis Apostolicæ iudicio damnatos repentè conticuisse,] ait Epist. 104. postremò [literis Innocentij Papæ totam de hac re dubitationem sublatam fuisse] scribit lib. 1. cap. 3. contra 2. Epist. Pelagian. Sed & omnia Africana Concilia à Cælestiuo Papa confirmata sunt, vt patet Epist. 1. eiusdem, cap. 3.

Tertia Conclusio.

Concilia Prouincialia, sed Generalia maximè, quæ à Roman. Pontif. confirmata non fuerunt, omni posteà authoritate, & fide caruerunt.

Probatur exemplis multorum Conciliorum. Antiochenum Concilium 90. Episcoporum, & cui Imperator ipse interfuerat, tamen [ideò reiectum est, ait Socrates, quia neque Iulius Romanus Episcopus adeerat, neque quenquam, qui eius locum suppleret, eo misit;] Histor. Ecclesiast. lib. 2. cap. 5.

Quare acta illius Concilij hac ipsa de causa Iulius Romanus Pontifex abrogauit, vt latè narrat Athanasius in Apolog. 2. & abdicatos illic Episcopos in integrum restituit, vt narrat Sozomenus lib. 3. cap. 7. Eadem de causa Ariminense Concilium longè maximum nullius authoritatis habitum est. Sic enim in Epist. Synodica Romana Concilij habetur: [Numerus Episcoporum qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet, cùm formula fidei ibi composita sit non consentiente Romano Episcopo, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat.] Hæc ibi apud Theodoret. histor. Ecclesi. lib. 2. cap. 22. & apud Sozom. lib. 6. cap. 23.

Hanc ob causam scripsit S. Basilius ad Athanasium, [vt peteret à Romano Pontifice mitti legatos suos in Orientem, cum actis Concilij Ariminensis, vt ea rescinderet, sua hac in re authoritate vsus.] Sic enim loquitur Epist. 52. Eandem ob causam pseudosynodus Iconomachorum sub Constantino Copronymo habita, pro Oecumenico Concilio haberi non potuit, [quia Romanus Pontifex (ait Sanctus Stephanus iunior Martyr) illud gratum non habuit, sine cuius authoritate nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiasticæ ad normam dirigantur.] Hæc ille. Vide vitam dicti Sancti apud Damascenum.

Postremò, illustre huius rei argumentum est, quòd cùm primùm in Concilio Constantinopolitano, primo generali, secundò posteà in Concilio Chalcedonensi generali quarto proximo post Romanum Pontificem loco, Constantinopolitanus Patriarcha poneretur, idque priuilegium patrocinio Imperatorio plurimum sustentaretur, tamen quia Leo Magnus illam Concilij Chalcedon. partem nunquam approbare voluit, vt apparet Epist. 62. eiusdem, nec post eum cæteri Pontifices, vt apparet apud Gelasium in tomo de Anathematis vinculo, debuit ducentis post annis in Concilio Constantinopolitano in Trullo idem priuilegium denuò peti, & nouo decreto approbari, vt apparet can. 36. dicti Concilij, & apud Grat. distinct. 22. cap. *Renouantes.*

Quarta Conclusio.

Generalia Concilia hactenùs omnia, & singula à Romanis Pontificibus confirmata sunt. Patet per inductionem.

In prima Nicæna Synodo scribunt Episcopi ad Syluestrum in hæc verba: [Quicquid constituimus in Nicæno Concilio, precamur vestri oris consortio confirmetur,] tomo 1. Concil. Patres Synodi Constantinopolitani generalis 2. ad Damasum Papam in hæc verba scribunt: [His rebus omnibus tanquam legitimè secundùm Ecclesiæ canones constitutis, obsecramus vestram sanctitatem, vt consentiat,] apud Theodoretum Hist. Ecclesi. lib. 5. cap. 9. De Synodo Ephesina gener. 3. scribit Cyrillus Alexandrinus, quòd [Cælestinus Papa scripserit consona S. Synodo, & omnia illius gesta confirmauerit,] Epist. 29. tom. 4. operum Cyrilli. Patres Concilij Chalcedonensis gener. 4. Act. 3. in Epist. ad Leonem Papam missa, sic scribunt: [Rogamus, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & firmitas tua filijs, quod decet adimpleat.]

Sed & Imperator Martianus idem à Papa petierat, quod his verbis, idem Leo commemorat: [Quòd Imperator ad omnes Episcopos Chalcedonensem Concilium me scripta dirigere voluit, quibus quæ illic sunt de fidei regula definita firmatem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio meam sententiam habere veller incertam.] Hæc ille Epist. 69. Hæc de quatuor primis generalibus, quæ vt quatuor Euangelia sese reuereri scripsit B. Gregorius in Registro, lib. 1. Epist. 10.

Quinta Conclusio.

Circa fidei definitionem, & dubij dogmatis determinationem, tanta semper fuit Romani Pontificis authoritas, vt vnumquodque dogma Romanus Pontifex priùs definierit, & vnamquamque hæresim priùs damnauerit. vel Synodo Romana priùs ea de re habita, vel per literas suas ad Concilium missas, antequam in Concilium Patres conuenissent; vtque eius doctrinam, ac determinationem reliqui Episcopi, & Concilij Patres semper adamussim sequuti fuerint. Est conclusio notabilis, sed patebit euidenter per inductionem.

Ante Concil. generale 2. (nam primi Concilij generalis acta plena non habemus) Damasus Papa, collecta Romæ Synodo, Macedonium, Apollinarem, Photinum, Sabellium,

lium, & Eunomium condemnauit, vt patet ex Epiſtola eius ad Paulinum Theſſalon. Epiſcopum.

Ante Concilium generale tertium, cœptum Neſtorium damnauit Cœleſtinus Papa, [decem diebus illi ad deliberandum datis, infra quos niſi ſententiam mutaret, excommunicationi, & degradationi ſubiaceret,] vt patet ex eius Epiſtola ad Cyrillum inter Epiſtolas Cyrilli Epiſt. 12.

Quam ſententiam ſequutus Cyrillus, [neceſſariò ſe compulſum illa Roman. Pontif. Epiſtola ſcribit,] Epiſt. 10. ad Flauianum. Quin totum Concilium Epheſinum in Epiſt. ad Neſtorium, quæ extat Concil. Chalcedon. Act. 1. iuxta hanc Romani Pontificis ſententiam præfinitam ad eius damnationem ſeſe proceſſiſſe profitetur.

Ante Concilium gener. quartum, Leo Papa Eutychetem damnauerat, ſcripta ad illud Concilium Epiſtola longè eruditiſſima, quam ad vnguem Patres ſequuti ſunt, acclamantes [Petrum in Leone loquutum fuiſſe.] Vide Concil. Chalced. act. 3. & 10.

Antequam Concilium generale quintum congregaretur, Simplicius Papa Petrum Antiochenum, & Felix Papa Acacium damnauerat, & hanc ſententiam vniuerſum Concilium ſequutum eſt, vt apparet Act. 1. Sic in eodem Concilio Seuerum, Petrum, & Cyrum damnatos hæreticos, iam antè damnauerat Hormiſda Papa, vt ex Epiſtola eius patet ad presbyteros, & Monachos ſecundæ Syriæ.

Anthimum quoque in eodem Concilio damnatum priùs damnauerat Agapetus Papa, eiuſque ſententiam Iuſtinianus Imperator disertè ſe ſequi profitetur in conſtitutione contra Anthimum, Act. 1. dicti Concilij Monothelitas hæreticos in ſexta Synodo damnatos, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, ante celebratam, aut celebrari cœptam dictam Synodum Theodorus, & Martinus Romani Pontifices, collecta Synodo Prouinciali, damnauerunt, vt apparet apud Platinam in vita dictorum Pontificum.

Ad ipſam quoque Synodum generalem literas ſcripſit Agatho Papa contra illam hæreſim, quæ extat Act. 4. & hanc Epiſcopi (vno ſolo excepto) omnes tanquam diuini Petri vocem ſecuti ſunt, eiuſdem Concil. act. 1.

Ante Nicænam ſecundam generalem 7. contra Iconomachos collectam, literas præmiſit Adrianus Papa ad Taraſium Conſtantinopolitanum Patriarcham, quibus illam hæreſim damnauit, vt patet ex dicti Concilij act. 2. Photium Nicolaus primus priùs damnauerat, quàm in Concil. gener. 8. damnaretur, vt patet ex Epiſtola inſigni eiuſdem Nicolai ad Michaelem Imper. tomo 3. Concil. In iſtis ergo Concilijs omnibus præiudicata Roman. Pontif. ſententia pro norma, & regula fidei habita eſt.

Argumenta hæreticorum.

Primum argumentum.

Imperatores quoque confirmabant Concilia. Ergo nihil hoc facere poteſt ad ſingularem aliquam Romani Pontificis authoritatem.

Probatur antecedens. In Concil. Chalcedon. act. 1. ita legimus: [Diuæ memoriæ Theodoſius Imperator confirmauit, omnia quæ iudicata ſunt à ſancta Synodo generali lege.] Martianus Imperator ſic loquitur act. 3. Chalcedon. Concilij: [Sacro noſtræ ſerenitatis edicto venerandam Synodum confirmamus.] Patres Concilij generalis 2. ſcribunt ad Theodoſium Imperatorem his verbis: [Rogamus tuam clementiam, vt per literas tuæ pietatis ratum eſſe iubeas confirmeſque Concilij decretum,] inter acta dicti Concilij.

Secundum argumentum.

Reliqui etiam omnes Epiſcopi, qui aliqua ex cauſa ad Concilia generalia venire non poterant, Conciliorum decreta poſtmodum confirmarunt. Ergo nihil ſupra reliquos Epiſcopos fecit hac in re Romanus Pontifex.

Probatur antecedens ex Theodor. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 8. Hiſtor. Eccleſiaſt. vbi narrat, decreta Concilij Nicæni ad omnes Epiſcopos qui aberant, tranſmiſſa fuiſſe. Sic Victorinus lib. 2. à plus quàm mille Epiſcopis Concilij Nicæni decreta approbata fuiſſe ſcribit.

Tertium argumentum.

In omnibus Concilijs maximè deſiderabatur quatuor Patriarcharum conſenſus, quorum quia Romanus Pontifex vnus erat, eius conſenſus, & confirmatio meritò petebatur. Ergo non magis huius primatus, quàm reliquorum Patriarcharum ex tali confirmatione probari poteſt.

Probatur antecedens, quia Concilium Antiochenum prædictum reprobatum fuit non ſolùm propter abſentiam Iulij Romani Pontificis, ſed etiam [quia Maximus Hieroſolymitanorum Patriarcha non interfuerat,] vt ſcribit Socrates lib. 2. cap. 5.

Sic etiam Ariminenſe Concilium reiectum fuit, non ſolùm propter Damaſi Papæ abſentiam, ſed etiam quia Vincentius, multorum annorum Epiſcopus, alijque multi non interfuerant, vt disertè habetur in Epiſtola Synodica Romana apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. & apud Sozomenum lib. 6. cap. 23.

Sic Iuſtinianus Origenem damnauit, quia non ſolùm à Romano Epiſcopo, ſed etiam ab omnibus Patriarchis damnatus fuit, apud Liberatum in Breuiario cap. 23. Denique in omnibus ferè Concilijs obſeruare licet, Patriarcharum conſenſum ſemper diligentiſſimè requiſitum fuiſſe: ideòque regula illa, [de non celebrandis Concilijs abſque Roman. Pontif. ſententia,] intelligenda

eſt,

est, quia & inquantum vnus ex Patriarchis erat.

Quartum argumentum.

Tota hæc confirmatio Romani Pontificis, nihil aliud erat, quàm consensus dans Conciliorum decretis, qualis ab omnibus Episcopis requiritur; imò & ab omnibus fidelibus, vt sit [credentium cor vnum, & anima vna,] Act. 4. vel iuxta illam rationis regulam: [Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari:] idque non ad authoritatem eius ostendendam, sed ad maiorem fidei commendationem, accedente etiam eius consensu.

Et confirmatur, quia Leo Papa, non aliud quàm consensum talem à se datum significare videtur. [Fraternitas vestra nouit me definitionem sanctæ Synodi toto corde complexum esse.] Leo Epist. 61. [Constitutionibus Synodalibus libens adieci sententiam meam.] Epist. 59. Et paulò post ibidem: [Clementia vestra arbitratur malum faciliùs delendum, si per vniuersas Ecclesias definitiones sanctæ Synodi Apostolica sedi placuisse doceantur.] Nihil ergo aliud quàm consensum, & placitum talis confirmatio importabat.

Solutio argumentorum.

Ad primum.

Imperatores confirmant decreta Conciliorum potestate facti, non iuris, id est, per modum executionis, non per modum iurisdictionis, vt suprà satis ostensum est, controuers. 2. quæst. 4. artic. 1. Notab. 7. & in respons. ad 13. argumentum.

Denique confirmant quoad conseruationem, non quoad constitutionem, vt ibidem dictum est Notab. 5. quia illorum edicta faciunt seruari decreta talia, sed non faciunt vim legis habere, aut fideles obligare, sicuti Pontificis confirmatio facit. Et probatur, qui quædam Concilia confirmauerunt Imperatores, quæ tamen nullam vim habuerunt contradicente Romano Pontifice.

Tale erat Ephesinum illud Concilium *prædatorium* dictum, paulò ante Chalcedon. per Dioscorum Patriarcham Alexandrinum plurimosque Episcopos celebratum, vbi S. Flauianus Constantinopolitanus Patriarcha etiam per tumultum lethaliter læsus est, quod Concilium Theodosius II. Imperator omnibus modis confirmauit, & acerrimè defendit.

Talia quoque permulta erant Iconomachorum Concilia à Leone Isauro, Constantino Copronymo, & alijs egregiè confirmata, sed ab Ecclesia Dei semper reiecta. Non est ergo simile, quòd Imperatores Concilia confirmant.

Ad secundum.

Ad Episcopos absentes, imò & ad omnes fideles, mittuntur decreta Conciliorum, vt consentiant, non vt confirment rebus semel in Concil. generali definitis, consentiant (inquam) ex obedientia debita, non ex authoritate necessaria, Romani autem Pontificis confirmatio, non consensus tantùm expectebatur, & quidem vt necessaria, sicuti conclus. 1. & 3. docuerunt.

Ad tertium.

Omnium quidem Patriarcharum erat semper magna authoritas in Concilijs celebrandis; sed nunquam par Romano Episcopo.

Notatur quidem in Concilij Antiocheni reiectione absentia Hierosolymitani Episcopi, sicut absentia Romani; sed non explicatur necessaria præsentia illius, sicuti huius. Non allegatur Ecclesiæ regula pro authoritate Hierosolymitani, sicuti pro authoritate Romani, vt in 1. conclus. ex Socrate produximus.

Rursùm, in Ariminensi Concilio notatur quoque absentia Vincentij, & aliorum Episcoporum, sicuti & Damasi Papæ; sed non additur, *Cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat*, sicuti de Damaso Papa dicitur, vt in 3. conclus. allegauimus.

Imò valuerunt Concilia, & vim habuerunt alijs Patriarchis absentibus, vbi Roman. Pontif. aderat, Concilium Ephesinum genet. 3. conclusum erat, & Nestorius in eo condemnatus, authoritate Cælestini Roman. Pontif. & Cyrilli Alexandrini Patriarchæ, antequam Ioannes Antiochenus Patriarcha cum suis Episcopis aduenisset, & tamen præualuit nihilominùs illud Concilium, illo Ioanne cum suis diù, sed frustra reluctante. Vide Nicephor. lib. 14. cap. 35. Quare canon ille *de non celebrando Concil. absque Romani Pontif. sententia*, quòd illi soli sit proprios, & non cum cæteris Patriarchis communis, vel hoc exemplum satis declarauit; sed præterea, ea quæ in 1. & 3. conclus. diximus, manifestè probant.

Ad quartum.

Roman. Pontif. confirmationem plus fuisse, quàm simplicem consensum, ex dictis manifestum est. Consensus autem, & approbatio omnium, quam argumentum vrget, est consensus obedientiæ, non autem authoritatis necessariæ. Alioqui regimen Ecclesiæ esset regnum ranarum. Ad confirmationem responde, Leonem Papam non tantùm libenter consensisse, sed etiam cum authoritate confirmasse, vt patet ex his eius verbis Epistol. 69. [Quòd Imperator ad omnes Episcopos Concil. Chalcedon. me scripta dirigere voluit, vt quæ sunt de fidei regula definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio meam sententiam habere vellet incertam.] Hæc ille: vbi notabis tria. Primùm, quòd ad totum Concil. Roman. Pontif. rogatu Imperatoris suam sententiam scribit. Secundò, quòd sic scribit, vt decreta Concilij confirmet. Tertiò, quòd sic confirmet, vt nemo posteà dubitare de re debeat. Idem patet ex eo, quòd quædam huius Concilij acta approbare nolens, vt irrita redderentur effecit, sicuti in tertia conclusione ostensum est.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

An ad Romanum Pontificem liceat ex toto orbe appellare.

Huius quæstionis pars affirmatiua per certas conclusiones confirmabitur.

Prima Conclusio.



Vetustissimus Ecclesiæ canon est, vt causæ omnes grauiores, & quæstiones deficiliores, ad Sedem Romanam tanquam primam sedem referantur. Probatur ex Epistola Anacl. 1. qui hoc Apostolos statuisse affirmat. Et confirmatur ex canonibus Apostolicis. Canon enim 34. Apostolorum iubet Episcopos *nihil singulare, aut excellens agere sine Primatis sententia.* Talem autem esse Romanum Pontificem, iam probatum est.

Secunda Conclusio.

Vetustissimus Ecclesiæ canon est, vt Episcopi totius orbis, quacumque sententia vexati, aut damnati, possint ad Romanum Pontificem liberè appellare, debeantque partes eius iudicio stare. Probatur testimonio eiusdem Anacleti dicta Epistola, & Zepherini Papæ Epist. 1. Et confirmatur, quia in multis postea Concilijs idem statutum est. In Concilio Nicœno 1. can. 19. statuitur, *vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, &c.* Citatur à Iulio Rom. Pontif. Epistola 2. ad Orientales.

Hæc autem Iulij Epistola à multis testibus confirmatur. Citatur à Socrate libro 2. cap. 13. à Sozomeno lib. 3. cap. 9. à Theodoreto lib. 2. cap. 4. vbi scribit, *Iulium Rom. Pont. Ecclesiæ canonem sequutum* (hunc intelligit) *Episcopos illos, qui Athanasium in Concilio damnauerant, Romam vocasse, ipsumque Athanasium similiter.* Similis etiam canon in alia Iulij Epistola legitur, quam Athanasius in Apolog. 2. complexus est. Sed & Marcellus Papa Epist. 1. & Episcopi Ægyptij in Epist. ad Felicem 2. Papam eiusdem canonis mentionem faciunt. Rursum in Concilio Sardicensi can. 7. idem ad verbum decernitur, idque multis, & disertissimis verbis. Sed & repetitur postea, in Concil. Chalced. can. 9. vt illum canonem exponit Nicolaus I. in Epist. ad Mich. Imper. & Franç. Turrianus lib. 3. cap. 4. pro Epist. Pontificijs. Horum ergo Conciliorum canones respexit Felix II. in Epist. ad Concilium Ægyptiorum, Damasus in Epist. ad tria Africana Concilia, Innocentius I. Epist. 26. ad Concilium Mileuitanum, quæ & exstat inter Epistolas Augustini, alijque Pontifices, quando *ex antiquis Patrum decretis ad sedem Rom. in omnibus grauioribus causis appellandum esse* scripserunt.

Tertia Conclusio.

Iuxta hos Ecclesiæ canones multi Episcopi, non solùm improbi, vt fit, sed etiam alij, & loci dignitate, & excellenti eruditione, & pietate, ac sanctitate præstantes iniustè afflicti, atque ab alijs Episcopis damnati, ad Rom. Pont. à multis retrò sęculis appellauerunt.

Probatur per inductionem. Tempore Cypriani, Basilides, & Martialis Hispaniæ Episcopi, ab Episcopis Africanis damnati, ad Stephanum Papam confugiebant iure appellationis, vt eius auctoritate in integrum restituerentur, vt apparet apud Cyprianum lib. 1. Epist. 4. vbi, quòd appellauerint, non damnat, sed quòd Romano Pontif. surreptum fuerit conqueritur. Ibidem Epist. 3. ostendit Nouatianos quosdam pseudoepiscopos, à Concilio Episcoporum in Africa damnatos, ad Cornelium Papam appellasse. S. Bricius Turonensis Episcopus, D. Martini successor, anno Domini 400. à ciuibus suis pulsus, & alio in locum eius suffecto, Papam adijt, & ab eo in sedem repositus est, vt memorat Gregor. Turonensis de rebus Francorum lib. 10. cap. 30. Eodem ferè tempore Athanasius cum Paulo, Marcello, & alijs Episcopis ab Arianis suis sedibus pulsi, ad Iulium Romanum Pontificem appellarunt, & partes vtrasque Iulius ad se euocauit. Patet apud Theodoretum lib. 2. cap. 4. & in Epist. Conc. Sardicensis ibidem cap. 5. & apud Socratem lib. 2. cap. 11. idque *propter prærogatiuam ius, quod præter cæteras Rom. Ecclesia obtinebat*, & apud Sozomenum lib. 3. cap. 7. vbi etiam narratur, quòd Iulius Romanus Pontifex, *tùm propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit.* Hæc ibi. S. Chrysostomus à Concilio Episcoporum iniustè damnatus, & in exilium missus, ad Innocentium I. Rom. Pont. scriptis literis duabus, quæ extant tom. 5. operum eius missa etiam primùm 4. postea 40. Episcoporum legatione, appellauit. Vide Palladium in vita

vita Ioan. Chrysostomi; Sozomenum lib. 8. cap. 26. & seq. Nicephorum lib. 13. cap. 32. & 33. Propter hanc enim appellationem Innocentius Papa non solùm Episcopos illos omnes, qui Chrisostomum deposuerant, sed & Imperatorem Arcadium, qui in exilium eum miserat, excommunicauit, apud Nicephorum ibidem cap. 34. S. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus in Synodo quadam Ephesina iniustè damnatus, ad Leonem Papam per legatos eius præsentes disertè appellauit.

Patet ex Epistola Valentiniani Imperatoris ad Theodos. 2. tom. 1. Conc. *Hac*, inquit, *gratia*, id est, propter Principatum Sacerdotij, *secundùm solemnitatem Conciliorum Constantinopolitanus Episcopus Flauianus Leonem Papam scriptis literis disertissimè appellauit, propter contentionem, quæ orta est de fide.* Hæc ille. Idem constat ex Epist. 4. Leonis Papæ. Theodoretus Episcopus ille doctissimus, à Maximo Antiocheno Patriarcha Episcopatu deiectus, ad Leonem Papam scriptis literis disertissimè appellat. [Ego, inquit, Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam: & supplico, & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustum vestrum, & rectum appellanti iudicium, &c.] Et paulò post: [Vestram expecto sententiam. Si iudicatis me stare iussetitis, stabo.] Hæc ille in Epist. ad Leonem Commenr. eius in Paulum præfixa, & tom. 2. Conc. inserta. Ioannes Talaida Patriarcha Alexandrinus, Episcopus doctissimus, & catholicus, à Zenone Imperatore pulsus, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, ait Liberatus in Breuiario cap. 18. Orientales Episcopi contra iniurias Acacij Patriarchæ Alexandrini ad Symmachum Romanum Pontificem scripserunt, & appellarunt: extat Epist. tom. 2. Concl. Eusebius Emissenus legationem ad Iulium Romanum Pontificem misit, obsecrans, vt in causa Athanasij iudex esse vellet, & ad se litem illam aduocaret; apud Socratem lib. 2. cap. 9. Hæc sunt, & antiquissima, & clarissima, & satis multa appellationum exempla, quibus ad Romanum Pontificem in causis grauissimis ab aliorum Episcoporum iudicijs Episcopi præstantissimi appellarunt.

Argumenta hæreticorum contra appellationes.

Primum Argumentum.

Canon ille Nicœnus, qui pro appellatione ad Romanam Sedem producitur, fuit à Zosymo Papa confictus, posteaque à successoribus eius impudenter obtrusus. Ergo hoc ius appellandi falsitate nititur, non veritate. Probatur antecedens, quia in Conc. Carth. 6. seu Africano, allegante hunc canonem Faustino Episcopo, Zosymi Papæ legato, Africani Episcopi illum supposititium esse arguebant in Epist. ad Bonifacium Papam, allegantes in suis exemplaribus Nicœni Concilij, quæ Cæcilianus (qui Concilio interfuerat) secum attulerat, alijsque multis, quæ Latina habebant, hunc canonem non inueniri. Et confirmatur, quia idem canon, nec in Græcis exemplaribus, quæ iidem Patres à Cyrillo Alexandrino Patriarcha, & ab Attico Constantinopolitano tunc temporis acceperant, inuentus est. Quare hic euidenter Papa Zosymus falsitatis conuictus est.

Secundum Argumentum.

Patres Africani in epist. ad Cœlestinum Papam, visis iam exemplaribus Græcis Nicœni Concilij, quæ illi *verissima* vocant, prorsus reijciunt omnes appellationes ex Africa ad Rom. Pont. Secundò, allegant in ipso Nicœno Concilio cautum esse, *vt excommunicati à suis, ab alijs in communionem non admittantur*; & est canon 5. Concil. Nicæni: non esse igitur appellationi locum. Tertiò, aiunt: *Vt aliqui tanquam à tua Sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum.* Quartò dicunt: *Executores clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi inducere videamur.* Omnem ergo, & appellationem, & cognitionem, & causæ delegationem Romani Pontificis hi Patres tollunt, & negant.

Tertium Argumentum.

Æquum est, quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finiri. Ergo appellatio ista tyrannica est, vel saltem iniqua. Probatur antecedens, quia gratiam sancti Spiritus, quæ vnicuique prouinciæ non deest, vndè, quod æquum est, Episcopi in suis locis pronuncient, ista appellatio planè tollere, & negare videtur. Hoc autem absurdum, & iniquum est, nisi fortè quisquam est, qui credat vni cuilibet posse Deum examinis inspirare iustitiam, & plurimis in Concilio congregatis sacerdotibus illam velle denegare. Est argumentum Africanorum in Epist. ad Celestin. desumptum, vt videtur, ex Cypriano lib. 1. epist. 3. qui idem ex eadem causa affirmat.

Quartum Argumentum.

Istud appellationis genus, præsertim ex locis longè disiunctis, est iniustitiæ fomes, & ipsi iustitiæ aduersum. Probatur, quia transmarinum, aut alioqui longè disiunctum Romæ iudicium, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non possunt, mancum necessariò, & imperfectum, ideoque, aut sæpè, aut semper iniustum erit. Est eorundem Patrum argumentum, ex Cypriano quoque, vbi suprà desumptum, vbi dicit: *Oportet eos quibus præsumus, non circumcursare, &c. sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint.* Hæc ille.

Quintum argumentum.

Huiusmodi appellationes extra proprias prouincias, in antiquissimis Concilijs disertè prohibentur. Ergo hoc vsurpat Rom. Pontifex contra canones. Probatur antecedens: Concil.

Concil. Mileuit. cap. 22. *Si ab Episcopis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum. Ad transmarinam autem, qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur.* Huic autem Concilio interfuit Augustinus. Et hæc verba repetuntur in Concilio Africano can. 92. Rursum in eodem Africano Concilio can. 62. *Si fuerit prouocatum, eligat, qui prouocauerit; Iudices, & cum eo, & ille contra quem prouocauerit, vt ab ipsis deinceps nulli liceat prouocare.* Sed & ante hæc tempora Antiocheni Concilij Patres cap. 15. decernunt, vt Episcopus, qui de certis criminibus accusatus, concorditer ab omnibus Episcopis eiusdem prouinciæ condemnatur, nullo modo ab alijs iudicari possit. Ergo in his omnibus excluditur prorsus appellatio ad Romanum Pontificem.

Sextum Argumentum.

Iustinianus Imperator omnem appellationem ad Rom. Pontif. interdixit. Nec tamen propterea hæreticus est habitus, &c. Habetur in Cod. in Authen. de Sanctis Episcopis, collat. 9. *Si quis*, inquit, *sanctissimorum Episcoporum eiusdem Synodi dubitationem aliquam habeat, siuè pro Ecclesiastico iure, siuè pro alijs rebus, priùs Metropolita eorum cum alijs de sua Synodo Episcopis causam examinet, & iudicet. Quòd si vtraque pars rata ea non habuerit, quæ iudicata sunt, tunc beatissimus Patriarcha diœcesis illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ conueniunt, nulla parte eius sententiæ contradicere valente.* Hæc ibi. Et paulò post: *Patriarcha secundùm canones, & leges præbeat finem.* Et confirmatur, quia postea Leo Imperator hanc legem ad verbum renouans, his verbis concludit: *Si lædi se existimauerit, prouocet ad illius prouinciæ Patriarcham, atque ijs, quæ ipse iudicauerit, omnino pareat, perinde, ac si cum ab initio iudicem elegisset. Nam contra horum Antistitum sententias non esse locum appellationi, à maioribus nostris constitutum est.* Hæc ibi. Non agnouerunt igitur isti Imperatores (Catholici tamen) vllam ad Rom. Pontif. appellationem, imò eam ex proposito rescindere videntur.

Septimum Argumentum.

Hoc appellandi genus Sanctis Patribus vehementer displicuit. Probatur ex D. Bernardo, qui sic scribit ad Eugenium Papam: *Quousque non euigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem? Ambitio in Ecclesia per te regnare molitur præter ius & fas, præter morem & ordinem fiunt.* Hæc ille lib. 3. de consider. ad Eugen. Ergo defendi à nobis non debent.

Octauum Argumentum.

Quòd Sancti Episcopi interdum appellauerunt ad Romanum Pontificem, vt Athanasius, Chrysostomus, & Theodoretus, sicut suprà in 3. conc. allegatum est, id factum est non propter supremam aliquam Rom. Pontificis auctoritatem, sed propter ipsam temporum calamitatem, & ex necessitate quadam propria, quæ videlicet eos vndecunque remedium expetere coegit. Illam calamitatem satis explicat respectu Athanasij Historia Eccles. apud Socratem lib. 2. cap. 11. & apud Sozomenum lib. 3. c. 6. respectu Chrysostomi ipsemet in Epist. ad Innocentium; respectu Theodoreti eadem illius epistola, in qua ad Leonem appellauit. Ad Romanum igitur Episcopum appellarunt, quia eius Ecclesia adhuc integra, & tranquilla erat, & ciuitas opulenta, & gratia valebat apud Imperatores Occidentales magna; non autem propter aliquam singularem in eo, aut supremam in hoc genere auctoritatem.

Nonum Argumentum.

Episcopi etiam ad Imperatores sæpè appellarunt, ipsique Imperatores in causis appellantiū cognouerunt, nec tamen propterea superiorem aliquam Ecclesiasticam potestatem habuisse iudicandi sunt. Ergo nec Rom. Pontif. propter aliquas ad eum appellationes factas supremus Pastor iudicari debet. Probatur antecedens multis exemplis. Athanasius ipse in Synodo Episcoporum Tyri habita condemnatus, ad Constantinum appellauit, vt ipsemet de se scribit Apolog. 2. Imperator verò appellatione suscepta, sic ad Episcopos rescribit: *Quotquot Synodum Tyri habitam compleuistis, sine mora ad pietatis nostræ castra properetis: ac re ipsa, quàm sincerè, ac rectè iudicaueritis, ostendatis: idque coram me, quem sincerum esse Dei ministrum ne vos quidem ipsi negaueritis.* Hęc ille apud Socratem lib. 1. c. 33. Sic Flauianus à Dioscoro Patriarcha condemnatus, ad Imperatores Theodosium, & Valentinianum appellauit, vt pater Histor. tripart. lib. 4. cap. 20. Donatus à Casis nigris ad Constantinum Imperatorem à iudicio Episcoporum, imò ipsius Papæ Melchiadis, appellauit, vt narrat post Optatum libro 1. August. epist. 162.

Decimum Argumentum.

Appellatio non probat primatum eius ad quem appellatur. Ergo malè ex hoc capite Roman. Pontif. primatus concluditur. Probatur antecedens per Ostiensem in glossa extrà de appellatione in sexto, cap. *Romana Ecclesia*, vbi ait: *Non nocebit error, si appelletur ad maiorem, quàm debuerit, vel ad parem.* Vbi etiam annotatur in margine: *Appellari potest ad parem, si de hoc sit consuetudo.*

Explicatio articuli.

Ad horum solutionem pauca notabimus.

PRimùm, quòd ius appellationis patitur multas exceptiones, & casus in quibus appellare non licet, saluo tamen ipso iure communi appellandi. Sic etiam hodiè in certis criminibus, vt in causa hæresis, damnato clerico non patet appellatio ad Rom. Pontif. Alij quoque multi casus in iure excipiuntur, vel etiam in concordatis Principum exprimuntur, vt nuper inter Leonem X. &

Franciscum I. Galliæ Regem inter cætera concordata, vnum est de appellationibus friuolis. Sic denique in Tridentino Concilio, Seff. 22. cap.10. Seff.23. cap.1. alijsque multis in locis, omnis ad Rom. Curiam appellatio rescinditur, & vltima sententia Episcopo loci, tanquam Rom. Sedis delegato, committitur.

Notabimus 2. quòd multis etiam personis ius appellationis negari potest, saluo tamen ipso iure appellandi in alijs personis, & simpliciter. Sic & olim in Anglia dum adhuc Catholica esset, & nunc in Francia per pragmaticam sanctionem Laicis personis, & clero inferiori ius appellandi Romam sublatum est, suisque ordinarijs iudicibus, nisi in causis quibusdam, tales committuntur.

Notabimus 3. inferioris cleri causas in veteri Ecclesia ab Ecclesiasticis illius prouinciæ Iudicibus terminari solitas, absque appellatione Romam facta, saluo nihilominus euocationis iure quoad ipsum Rom. Pontif. Probatur, quia veteres quidem canones quos in 2. conclus. protulimus, de Episcoporum appellatione, non clericorum inferiorum, apertè loquuntur. De clero autem inferiori apertus est canon 5. Niceni Concilij, vt per Episcopos prouinciæ, & per Concilia prouincialia, eorum causæ terminentur. Idem in Sardicensi Concilio, can. 17. definitur. Sed & Iulius Papa hoc inferiori clero concessum esse meminit, epist. 2. ad Orientales, cap. 17. Quin & Zozymus Papa de Episcoporum appellatione disertè cum Africanis egit, vt habet primum caput Commonitorij.

Tertium autem Commonitorij caput est, *Inferiorum clericorum causas, si à suis excommunicati perperam fuerint, apud finitimos Episcopos tractari*; in epist. Africani Conc. ad Bonifacium. Cæterum hoc tantùm factum est *ad peregrina iudicia vitanda*, non ad Rom. Sedis auctoritatem excludendam. Apertè hoc habet Iulius dicta epist. &c. Sed & ante eum Fabianus Papa epist.3. cap. 2. *Peregrina iudicia (salua in omnibus Apostolica auctoritate generali sanctione prohibemus: quia indignum est ab externis vt iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum.* Quod etiam decretum ab Higino Papa de peregrinis iudicijs factum fuit epist. 1. decretali; sed adiecit Fabianus, quasi exponens exceptionem in casu appellationis, *Salua auctoritate Apostolica.* Hoc etiam repetit Innocentius I. epist. 1. cap. 3.

Notabimus 4. quòd etiamsi nec clericis, nec Episcopis ad Rom. Pont. appellandi ius daretur, sed per cuiusque prouinciæ Primates, aut Episcoporum Concilia, terminari omnes causæ, etiam grauissimæ, deberent; salutum tamen nihilominùs Romanæ Sedis primatum esse posse. Probatur, quia vt in multis ita in omnibus, si velit, casibus hanc suam supremam cognoscendi auctoritatem alijs, vel Episcopis, vel Primatibus in certis prouincijs, & ad tempus, remittere potest, quando probabiliter videt nullam fore huiusmodi Iudicum, vel iniquitatem, vel imperitiam, quæ sunt intrinsecæ appellationum causæ. Sic enim Imperatores olim à Præfectis prætorio, & Reges multi hodie ab illis Parlamentis, seu supremis Tribunalibus, quæ iudicant per arrestum, vt loquuntur, vt decem parlamenta Franciæ, & Mechliniense, atque priuatum Concilium Regium in Belgio, nullas penitùs appellationes admittunt; salua tamen nihilominùs suprema auctoritate, & Imperatorum olim, & Regum hodie.

Solutio Argumentorum.

Ad primum Argumentum.

Antecedens est improba calumnia. Ad probationem responde, Patres Concilii Carthag. 6. non arguere falsi Zozymum, sed dubitare de Canonis ab eo allati veritate propter causas in argumento citatas. Ille autem canon etsi verus non esset, non tamen probatur falsarius Papa Zozymus, nisi probetur, quòd illum ipse confixerit, idque etiam dolo malo. Sed quod ad rem ipsam attinet, causæ Africanorum sufficientes non erant. Etsi enim nec in exemplaribus, quæ ipsi habebant, vt habet probatio, nec in exemplaribus è Græcia missis, vt habet confirmatio, ille canon habebatur, tamen in Concilio Nicæno talem canonem non fuisse conscriptum Africani Patres temerè iudicarunt.

Primùm, quia constat multos alios esse Nicænos canones, qui in illis exemplaribus non habentur, & quia Patribus illorum temporum adeòque ab ipsis Africanis allegantur. Augustinus ipse epist. 110. canonem Nicænum citat, *ne Episcopus sibi successorem faciat.* Concil. Carthag. 3. can. 48. alium canonem Nicænum citat, *ne quis nisi ieiunus sacrificet.* Ambrosius epist. 82. Hieron in præfat. in Iudith, Conc. gener. 2. apud Theodor. lib. 5. cap. 9. alios Nicænos canones citant, qui in istis exemplaribus Africanorum non habentur. Denique in istis eorum exemplaribus nullus canon est, vel contrà Arianam hæresim, vel pro obseruatione Paschæ, propter quas duas causas hoc Concilium potissimùm congregatum est. Non debuerunt igitur Patres Africani hæc exemplaria *pro verissimis* vendirare, aut ideo canonem à Zozymo allegatum reijcere, quia in his exemplaribus non haberetur. Vbi etiam notandum, quòd solus Cæcilianus ex tota Africa Concilio Nicæno interfuerat, vt habetur in 5. Synodo, collatione 5. cuius exemplar, si quod habuit, in tam varia, quam à Donatistis passus est, persecutione interire facilè potuit.

Secundò, quia Græca exemplaria magis debebant esse suspecta, vtpotè quæ ab illis Ecclesijs missa erant, in quibus Ariani heretici multis annis dominati fuerant, ideòque Ecclesiarum illarum archiua, & scrinia (maximè quoad Nicænum Concilium, in quo damnati ipsi fuerant) corrupisse meritò iudicandi sunt.

Tertiò, quia Cyrilli exemplar remittit illos ad historiam ecclesiasticam, in qua tamen canones Niceni omninò non habentur, nisi apud Ruffinum, qui & Latinè scripsit, & alio ordine, ac numero Nicænos canones recitat, quàm à Cyrillo recitantur, rebusque ipsis & materia ab illis diffident. Adinngam recens antique Grecorum fidei testimonium.

Siud Sulaka, Patriarcha Nestorianorum, in Confessione suę fidei Romę facta anno 1553. affirmat in Nicæno Concilio scriptum esse de Ecclesia Romana, quòd sit *Caput omnium Ecclesiarum* propter verba Christi ad Petrum Matth. 16. addens hanc ipsam definitionem Nicæni Concilij apud ipsos haberi, atque erуari.

Ad secundum Argumentum.

Quòd Patres Africani ex causa allegata reijciunt appellationes ad Romanum Pontificem, temerè illud eos fecisse manifestum est, quia causa allegata non erat satis iusta, vt iam ostensum est. Deinde, à maiorum suorum obedientia, & exemplis hac in re recesserunt. Nam paucis antè annis Stephanus Archiepiscopus Numidiæ, & alij Africani Episcopi in tribus Concilijs congregati, apertè scribunt in literis suis ad Damasum Papam, *neminem Episcopum. quantumuis disiunctum, nisi consulto Rom. Episcopo damnari debere; omnes grauiores causas ad illius sedem referendas*. Extant hæ literæ inter Decretales Damasi Papæ, tomo 1. Conc.

Quod secundo loco allegant Africani ex canone 5. Nicæni Conc. nihil eos iuuat. Loquitur enim de inferiori clero, non de Episcopis; idque ad peregrina iudicia vitanda, idest, ne ad alienæ diœcesis Iudices transirent; non ad Romani Pont. auctoritatem rescindendam, vt in 3. Notab. ostensum est.

Quod tertio allegant, manifestè falsum erat. Nam in Conc. Sardicensi, can. 7. ad verbum illud habetur, quod hic negant Africani, & illi Concilio Sardicensi paucis antè annis quadraginta ferè Africani Episcopi intererant. Quare hic à crassa ignorantia excusari vix possunt. Ille, inquam, canon qui in 3. Conc. Carthag. in epistola ad Bonifacium à Patribus Africanis in Commonitorio Zozimi Papæ citatus est, vbi de appellatione ad Rom. Episcopum verbis apertissimis decernitur, in Conc. Sardicensi ad verbum habetur, cui ipsi Africani intererant. Patres autem Sardicenses illum canonem ex Conc. Nicæno, vt omnia ferè alia ibi definita, acceperunt. Non enim alia de causa illi Patres conuenerunt, quàm vt Nicenos canones refricarent, & Nicæni Conc. decreta ab Arianis conuulsa restaurarent.

Quod quarto loco allegant, quia prioribus falsis fundamentis nititur, temerè etiam prolatum fuisse manifestum est. His certè de causis paucis pòst annis Africani Episcopi sub Eulalio Carthagin. Archiepiscopo cum Rom. Ecclesia reconciliati sunt, nam schisma peperit ista contentio, & Bonifacius tunc Rom. Pontifex meritò scripsit *Africanos Episcopos, instigante Diabolo, contra Rom. Ecclesiam sub Aurelio, qui huic Conc. Carthag. 6. præfuit, superbire cœpisse*, in epistola ad Eulalium, tomo 2. Conc. Notandum autem, quòd huic Conc. Cathag. 6. Augustinus non interfuit, etsi Conc. Carthag. 3. interfuerat, vbi multò mitiùs, & moderatiùs in epistola sua ad Bonifacium Papam Africani egerant, quàm postea in Conc. 6. in epist. ad Cęlestinum; vbi in schisma res erupit: quod quidem Deus per Vandalos, & vastationem Ecclesiæ Africanæ longè maximam statim subsecutam, vltus est.

Ad tertium Argumentum.

Antecedens communiter verum est, & nisi in casu, idest, nisi vel Iudicis, aut iniquitas, aut imperitia, vel causæ ipsius grauitas, & rei in iudicium vocati dignitas aliud postulet: propter hæc enim fit appellatio, vt dictum est. Rursum, antecedens est verum quatenùs peregrina iudicia excludit, salua tamen semper Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ nulli Ecclesiæ peregrina est, cùm sit omnium Caput, vt in 3. Notab. ex Fabiani decreto ostendimus. Alioqui vni Petro plus Christus promisit, quàm alijs omnibus Sacerdotibus congregatis; quando videl. omnibus laborantibus Apostolis, & à Sathana tentatis, vni Petro dedit, *vt ille confirmaret fratres*. Et hanc ob causam non est absurdum, quòd illi Africani absurdum esse existimauerunt. Cyprianus autem hoc argumentum facit non simpliciter, vt Africani isti; sed veteri decreto nixus. Ait enim: *Cùm statutum sit omnibus nobis, pariterque æquum sit*, &c. lib. 1. epist. 3. Statutum autem intelligere videtur Fabiani decretum de vitandis peregrinis iudicijs, quod in 3. Notab. citauimus. Huic enim Fabiano Cornel. Rom. Pontifex successit, cui hæc verba scribit Cyprianus. Quo decreto non omnis appellatio interdicta est; sed ne temerè fieret, cautum est. Nec Aliud Cyprianus illo loco agit. Eos enim, qui Romam appellauerant, non alicuius impietatis, aut seditionis (quasi tales proprijs Episcopis non obedientes schisma facerent,) sed temeritatis arguit, & appellationem prosequendam esse manifestè agnoscit, dicens: *Quasi veritas post eos nauigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione conuinceret*. Hæc ille. At verò si talis appellatio omninò iniusta, & impia fuisset, si nulla hac in re Rom. Pontificis superior auctoritas extitisset, profectò non opus fuisset post appellantes nauigare veritatem, quæ eos Romæ mendacij conuinceret, sed domi illa manere potuisset; vt frustra profectos, & tandem inanes reuersos, domi illos conuinceret.

Ad quartum Argumentum.

Infirma est allegatio. In tali enim difficultate per Iudicem à Rom. Pontifice delegatum in partibus, vel testes audiuntur, vel etiam tota causa definitur; vt hodie in omnibus ferè appellationibus fit. Sed ista praxis adhuc fortasse non obtinuerat.

Ad quintum Argumentum.

Canones isti Mileuitani, & Africani Concilij de inferiori clero apertè loquuntur, non de Episcopis. Et quia Concilium illud Mileuitanum ab Innocentio Papa approbatum fuit, profectò aut ille canon per singulare priuilegium quoad inferiorem clerum Africanis simpliciter concessus est, (quod etiam Africani Patres insinuasse videntur in epist. ad Cęlestinum, cum aiunt, *nulla Patrum definitione Ecclesiæ Africanæ hoc derogatum*

tum

tum fuisse, vt de presbyteris, & clericis suis ipsemet iudicarent) aut intelligendus est, salua Sedis Apostolicæ auctoritate, sicuti Fabianus Papa peregrina iudicia sustulit cum tali exceptione. Et hoc erat Africanorum in hoc Concilio peccatum, quòd hanc exceptionem, quam Zozymus vrgebat, partim ex consuetudine, partim iuxta Nicænos canones, agnoscere noluerunt. Canon Antiochenus non simpliciter; sed in *certis criminibus*, sic enim loquitur, *& in certo casu*, videlicet in condemnatione vnanimiter ab omnibus Episcopis facta, (qui profectò grauissimus casus est) appellationes rescindit. Tales autem restrictiones commune ius appellandi, aut supremam Roman. Pont. auctoritatem non infirmant, vt in 1. & 4. Notabili dictum est.

Ad sextum Argumentum.

Iustiniani edictum quia in fine se refert ad canones (ait enim: *Patriarcha secundùm canones præbeat finem*) intelligendum est iuxta canones, idest, vt in propria prouincia ampliùs non appellatur: Romam tamen appellari posse, vt canones præscripserunt. Deinde, quia appellationes illæ supremæ non fiunt nisi in casu, videlicet aut necessitatis, aut grauitatis rei, vt dictum est, propterea tali occurrente casu lex ista particularis iuri communi debet cedere, iuxta regulam iuris, quæ sic habet: *Casus omissus relinquitur in dispositione iuris communis*. Denique S. Gregorius, hanc ipsam Iustiniani constitutionem tractans, ostendit casu quo, vel Patriarcha, aut Metropolita tunc nullus fuerit, vel pars læsa hoc ipsum petierit, à Sede Apostolica causam audiendam, & dirimendam esse; in Regist. l. 2. epist. 54. Idem est sensus edicti Leonis Imperatoris. Refert enim se ad maiorum suorum constitutiones, inter quos Iustinianus erat.

Ad septimum Argumentum.

D. Bernardus abusum appellationum taxat, rectum vsum non reprehendit: ideò subiungit *Repertum ad remedium, reperitur ad mortem*. Denique in epist. 190. ad Innocentium hoc appellandi ius disertissimè affirmat.

Ad octauum Argumentum.

Inanis est euasio. Cùm enim Athanasius, & alij Episcopi ad Iulium appellarent, illos omnes Iulius suis sedibus restituit, non per humanam aliquam potentiam, sed, vt suprà in 3. concl. ex Histor. Eccles. ostendimus, *propter propriæ Sedis dignitatum, & ius prærogatiuum*. Chrysost. ad Innocentium appellauit, non quia eius Ecclesia multo tunc meliore loco esset, eodem enim tempore propter Gotthorum incursiones non Romæ, sed Rauennæ Innocentius egit, ipsaque Roma ab Alarico direpta est, vt videre est apud Orosium lib. 7. cap. 37. & 39. sed *vt ab illo corrigerentur ea quæ perperam fiebant*: si enim scribit epist. 1. ad Innocentium: & epist. 2. rebus iam desperatis, intercedit apud Innocentium pro Episcopis illis, à quibus iniuriam passus fuerat, *vt, si medicinam adhuc recipiant, à cœtu fidelium non abijciantur*. Similiter Theodoreti verba ad Leonem in 3. concl. citata appellationem iudicialem apertè sonant, opem aut auxilium humanum non requirunt. *Vestram*, inquit, *expecto sententiam. Si iudicatis me stare iusseritis, stabo*.

Ad nonum Argumentum.

Ad Imperatores appellarunt interdum Episcopi, sed in causis ciuilibus, non Ecclesiasticis, & contrà externas iniurias; qualis erat Athanasij ad Constantinum appellatio, vt etiam alib. ostendimus, Contr. 2. qu. 4. artic. 1. in resp. ad 12. argument. vbi etiam de appellatione Donati ad eundem Constantinum responsum est. Flauianus à violentijs Dioscori militaribus ad Imperatorem appellauit, sicuti eodem tempore ab eiusdem sententia Synodali ad Leonem Papam appellauit. vt suprà in 3. conclusione ostensum est.

Ad decimum Argumentum.

Verbum Ostiensis intelligitur de pari eius ad quem appellatur, non eius qui appellat. Sic enim habet lex ipsa quam ibi exponit: *Si quis vel parem, vel maiorem Iudicem appellauerit, alium tamen pro alio; in ea causa est, vt error ei non noceat: sed si minorem, nocebit*: vt, verbi gratia, si quis à Capituli sententia appellaret ad Archidiaconum, non ad Episcopum. Alioqui iuxta omnes leges appellatio numquam fit, nisi ad maiorem Iudicem ipso appellante. Vnde sic definitur: *Appellatio est ius quo iterum prima sententia extinguitur, & iterum causa cognitio ad Iudicem superiorem deuoluitur*. Et iterum in Authenticis: *Non opportet ad compares Iudices appellationes referri, sed à minore iudicio in maius tribunal ascendere*. Et in iure Canonico causa 29. qu. 6. cap. *Placuit*: *Placuit vt si à quibuscumque Ecclesiasticis Iudicibus ad alios Iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, prouocatum fuerit, audientia non negetur.*

QVÆSTIO VIII.

An sit Romani Pontificis, Episcopos confirmare.



Via supremæ in Ecclesia potestatis, & illud magnum argumentum est, electos vbique terrarum Episcopos, vel antequam consecrentur (quod visitatius erat) vel saltem iam consecratos confirmare, idest, electionem, vel consecrationem factam ratam habere; hanc quoque penès Romani Pontificis potestatem fuisse per certas conclusiones deducemus.

Prima conclusio.

Episcopi Occidentales à Romano Episcopo tanquam à proprio Patriarcha, antequam ordinarentur, confirmari soliti sunt. Patet ex querela S.Gregorij, cùm aliter semel factum fuisset. *Salonitanæ*, inquit, *ciuitatis Episcopus, me, ac responsali meo nesciente ordinatus est: & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit.* Hæc ille in Regist. lib. 4. epist. 34. Hæc autem consuetudo vetustissimis canonibus, nitebatur quibus cautum est, vt electus Episcopus absque consensu Metropolitani non ordinaretur. Conc. Nicęn. 1. can. 6. Conc. 2. Arelat. can. 5. & 6. Conc. Antiochen. can. 9. Conc. 3. Carth. can. 12. & Innocentius I. epist. 2. cap. 1.

Secunda conclusio.

Episcopi Orientales à proprijs Patriarchis, ipsi verò Patriarchæ à Rom. Pontifice tanquam supremo omnium Capite, confirmari soliti sunt. Patet pars prior ex Conc. Nicæno can. 72. in Arabico exemplari, sed 39. vt ab Alphonso Pisano collocantur. Patet pars posterior multis exemplis. Pro confirmatione Anatholij Patriarchæ Constantinopolitani, & ipse electus Episcopus, & Imperator Theodosius II. & qui eum consecrauerant Episcopi, ad Leonem Papam scribunt: patet ex epist. 33. & 34. Leonis. Idem Leo Papa Proterium Alexandrinum Patriarcham confirmauit, vt videre est epist. 68. Iuuenalem Patriarcham Hierosolymitanum à Cyrillo accusatum, idem Leo Papa in prima electione confirmare recusauit; patet epist. 62. apud eundem. Patres Conc. Constant. 1. gener. 2. tres ibi Patriarchas electos Nectarium Constantinopolitanum, Flauianum Antiochenum, & Cyrillum Hierosolymitanum, in epistola Synodica ad Damasum Papam diligenter petunt ab eo confirmari, & approbari, apud Theodor. lib. 5. cap. 9. Nestoriani Christiani, qui per vniuersum ferè Orientem suas hodie Ecclesias habent (nam in vna Seleucia Parthorum, hodie Mozal dicta, 15. templa numerant) mortuo Patriarcha, nouum designatum initiare non possunt sine tribus Metropolitanis suæ professionis: qui numerus si desit, à solo Romano Pontifice, tanquam Principis Apostolorum successore, consecrari illum debere statuunt. Sic anno 1552. Siud electus Patriarcha Romam venit. Andreas Masius in præfat. in Mosem Barcepha de paradiso.

Tertia conclusio.

Hæc confirmatio Romani Pontif. non erat solùm consensus aliquis de congruo, sed erat approbatio necessaria, sine qua verus, & pacificus Episcopus esse non poterat, qui ea careret. Probatur ex confirmatione Anatolij Patriarchæ Constantinopolitani, quem Leo Papa, etsi petente Imperatore, & instantibus alijs Episcopis, & alijs qui illum ordinauerant, confirmare tamen noluit, donec orthodoxæ fidei confessionem manu propria subscriptam Romam misisset, sicuti videre est apud Leonem Epist. 33. & 34. Differens enim confirmationem, hanc causam reddit: *Non*, inquit Leo, *dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans.* Sed & posteà, quia in ipsa electione aliquid peccatum fuerat, non sine speciali Rom. Pont. gratia eum confirmatum fuisse scribit idem Leo: *Cùm secundùm suæ consecrationis auctores initia eius turbarent, benigniores circa ipsum, quàm iustiores esse voluimus.* Et paulò post ad Imperatorem scribens: *Vestræ*, inquit, *pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit.* Hæc ille epist. 54. Idem repetit epist. 55. in epist. ad Imperatricem. Eodem modo Proterius Alexandr. Patriarcha non priùs confirmari potuit, quàm satisfactionis plenas de fide sua literas ad Leonem Papam direxisset, vt loquitur idem Leo epistola 68. Sic denique Iuuenalis Hierosolymitanus Patriarcha, vt accusante Cyrillo à Papa Leone dilatus est, epist. 62. sic intercedente posteà Imperatore receptus in gratiam, & confirmatus est, vt patet apud eundem ep. 68.

QVÆ-

QVÆSTIO IX. ET X.

An sit Romani Pontificis quosuis delinquentes excommunicare, & excommunicatos reconciliare.

DVas has quæstiones in vnam contrahimus, quia mutuò dependent, & ex vna origine profluunt: nempè ex clauibus regni cœlorum, quas solus Petrus accepit; & ex potestate ligandi, & soluendi, quam item solus nominatim, & singulariter à Christo accepit; Matth. 16. quia ille solus super omnes fideles hanc potestatem habiturus esset, cæteri Apostoli, & Episcopi non nisi respectiuè super suos subditos; quibus idcircò communiter illa potestas data est, Ioan. 20.

Prima conclusio.

A Rom. Pontif. qui excommunicatus fuerat ab omnibus fidelibus pro excommunicato habitus est, nec reconciliari ab alio poterat; non sic ab alijs Episcopis excommunicati. Patet ex antedictis in quæst. 7. ex iure enim appellandi hoc sequitur. Et confirmatur ex illis Patrum dictis qui communionem Romanæ Ecclesiæ, & Catholicæ, seu totius Ecclesiæ pro eodem habebant, quæ suprà produximus: Contr. 1. quæst. 5. artic. 2. concl. 2. probat. 9. Hinc enim sequitur, quòd à Romana Ecclesia excommunicatus eadem opera à Catholica, seu vniuersa Ecclesia excommunicari censetur. Confirmatur iterùm, quia Romanę Ecclesiæ communio omnibus est ad salutem necessaria; quod probatur ex Patrum dictis. Hieronymus in epist. ad Damasum: *Qui extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Qui tecum non colligit, spargit.* Hæc ille de Sede Romana loquens, & Roman. Pontif. alloquens. Arnobius in Comm. in Psal. 106. *Qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat necesse est.* Vide plura suprà, q. 1. art. 3. huius Controuersiæ.

Secunda conclusio.

Romani Pontifices propter hanc summam potestatem non solùm suæ diœcesis, aut sui etiam Patriarchatus subditos (si tamen Patriarcharum proprium habuerunt) sed cuiuscumque diœcesis, & cuiuscumque Patriarchatus subditos, tam in Græca, quàm in Latina Ecclesia, adeòque per totum Orbem, data legitima causa excommunicabant. Patet per sufficientem inductionem. Victor Romanus Pontifex vniuersas Asiaticas Ecclesias, nisi Pascha Dominico die celebrarent, excommunicationi subiecit; Eusebius lib. 5. cap. 24. Quod factum Irenæo, & alijs quibusdam Episcopis displicuit, non quia ius excommunicandi Romano Pontifici deerat, sed quia nimio rigore hoc suo iure vsus fuisse illis videbatur. Pontianus Papa Montanistas in Asia excommunicauit; teste Tertulliano in lib. aduersùs Praxeam. Innocent. I. excommunicat Arcadium Imperatorem, cum Theophilo Alexandrino, alijsque Ægyptijs Episcopis, propter iniustam S. Chrysostomi depositionem, apud Niceph. lib. 13. cap. 34. Idem Arsatium mortuum exauthorizat, Epist. 31. Cœlestinus Papa Nestorium Constant. antè coactum contrà eum Concilium excommunicauit, apud Niceph. lib. 14. cap 33. Fęlix Papa Acacium Constant. Episcopum, propter communionem cum hæreticis habitam, post multas admonitiones excommunicauit, apud Liberatum cap. 18. & in epist. Fęlicis Papæ ad eundem. Gregorius Magnus in quàm multos Orientalis Ecclesiæ Episcopos excommunicationis sententiam tulerit, vide in Registro lib. 2. epist. 6. & 15. lib. 4. epist. 50. & epist. 32. Denique hunc in finem habuerunt Rom. Pontifices in præcipuis Orientalis Ecclesiæ ciuitatibus suos Legatos, vel *responsales* specialiter missos, vt Constantinopoli longo tempore (patet apud Gregorium in Registro lib. 4. epist. 36. & 38.) Item Thessalonicæ, quæ erat Macedoniæ metropolis, vt patet apud Leonem epistola 84. Talis enim erat Coensis Episcopus, vt patet apud eundem epist. 67. & 68. qui etiam idcircò in Conc. Chalcedonensi, act. 3. vocatur Legatus Rom. Ecclesiæ.

Tertia conclusio.

Romani Pontifices à quibuscumque excommunicatos cognita causa reconciliabant, vt supremi Iudices omnium Ecclesiarum. Patet per sufficientem inductionem. Alexander Antiochenus Patriarcha, cùm ex factione

eorum

eorum, qui Chrysostomum deposuerat aliquamdiù esser, tandem missa legatione, & facta satisfactione, per Innocentium I. Ecclesiæ reconciliatus est. Vide Innocentij epist. 14. 15. & 16. Eadem ex causa diù suspensus Atticus Constant. Patriarcha eodem modo reconciliatus est, vt patet apud eundem Innocentium epist. 17. Sed & cùm Alexandrina Ecclesia aliquot annis propter iniustam Chrysostomi depositionem excommunicata iaceret, decreuerunt Patres Africani, vt pro eius reconciliatione ad Papam Innocentium scriberetur. In Conc. Africano, canone 68. Leo Magnus varios Orientalis Ecclesiæ Episcopos, qui in Ephesina 2. Synodo, prædatoria dicta, circa depositionem S Flauiani grauiter peccauerunt, partim *sua sponte reconciliationem reposcentes, & Catholicam communionem desiderantes* (sic enim loquitur) benignè recipit, epist. 39. & epist. 40. cap. 1. partim *sua mala defendentes districtius coercet*, epistola 45. Denique conditiones, sine quibus reconciliari nequeant, præscribit dicta epist. 40. cap. 1. Ioannes Constantinopolit. Patriarcha misso insigni confessionis libello, qui extat tomo 2. Conc. inter decreta Hormisdæ Papæ, eidem reconciliatur, & reconciliationis necessitatem his verbis profitetur: *Quorum*, inquit, *quis communionem amplectitur, eorum similem adiudicationem in condemnatione consequitur*. Vide etiam hac de re Conc. Constant. 2. act. 2. Vrsatius, & Valens Episcopi Ariani libellum pœnitentiæ Iulio Rom. Pont. mittentes, ab eodem reconciliati fuot; apud Socratem lib. 2. cap. 19. Denique ex hac auctoritate multos Orienels Episcopos ab Arianis hæreticis iniustè depositos, & excommunicatos, vt Athanasium Alexandrinum Patriarcham, Paulum Constant. Marcellum Ancyræ, Asclepam Gazæ, Lucium Adrianopolis Episcopos, Iulius Papa sedibus suis restituit, & communioni Ecclesiasticæ reddidit, vt suprà q. 7. concl. 3. ex multis testibus ostendimus. Eadem auctoritate de Basilide, & Martiale Hispaniæ Episcopis domi excommunicatis cognouit Stephanus Papa, & de Africanis quibusdam Cornelius Papa, vt ibidem ex Cypriano ostendimus. Tota enim hæc reconciliandi quosuis potestas ab appellationis potestate vndecumque patente (quam suprà confirmauimus) dependet.

Cauillationum hæreticarum absterſio.

CAuillantur hìc hæretici duo. Primùm, quòd alij quoque Episcopi æquè, ac Romanus excommunicatos reconciliabant, sicuti de Maximo Hierosolymitano Patriarcha, quòd Athanasium in communionem suam receperit, narrat Historia Tripartita lib. 4. cap. 34. Secundò, quòd etiam Imperatores eiectos, & excommunicatos Episcopos sedibus suis restituebant, sicuti de Martiano Imperatore patet apud Leonem epist. 39.

Ad primum responde, id Maximum Athanasio præstitisse postquam à Iulio Rom. Pontif. iam reconciliatus fuisset, vt patet apud Socratem lib. 2. c. 18. & 19. Nec enim à quoquam Episcopo reconciliari aliquis poterat, qui priùs Rom. Pontifici reconciliatus non esset. Cuius rei illustre exemplum est Acacius Constantinopolitanus, qui Petrum Alexandrinum, & alios in communionem recipiens, nondum à sede Romana receptos, propterea ipsemet vsque ad mortem excommunicatus perstitit. Vide Liberatum cap. 18. & libellum Ioan. Constant. ad Hormisdam suprà allegatum. Hanc etiam ob causam Patres Africani ad Innocentium Papam scribunt, non ad Ægypti Episcopos, vt Ecclesia Alexandrina Metropolis eorum, reconciliaretur; in Concilio Africano can. 68. Ad 2. responde, Imperatores, & Reges solere eiectos Episcopos suis sedibus restituere quoad temporalium possessionem; sed non nisi priùs per Ecclesiæ auctoritatem ritè reconciliatos, si Catholici Principes sunt.



QVÆSTIO XI.

An Romanus Pontifex potestatem habeat canonizandi Sanctos.



Anc postremam quæstionem circa Rom. Pontif. primatum ideò adiecimus, quia hæreticis hodie nullo fundamento niti videtur, adeòque singularis quædam Antichristianæ superbiæ pars, aut potiùs Gentilitiæ superstitionis præpostera affectatio, quòd Sanctos toto Christiano Orbe colendos Romani Pontifices canonizant. Paucis ergo conclusionibus rem totam explicabimus.

Prima Conclusio.

Canonizatio nihil aliud est, quàm certa, & authentica alicuius Sancti per Ecclesiam declaratio, qua eius sanctitas vniuersis fidelibus auctoritate Ecclesiæ fit quasi canonica, idest, regulariter obseruanda ipseque in numerum Sanctorum cum Christo regnantium referendus, ideòque eo cultu, & honore, qui Sanctis debetur, ab omnibus prosequendus.

Secunda Conclusio.

Non est simpliciter necessarium, vt semper talis canonizatio fiat. Probatur, quia aliquando talis sanctitas per se patet, vt in martyrio pro ipsa fide suscepto. Habet enim actus ille omnes conditiones perfectæ sanctitatis, & gloriæ. Ac primùm fidei, quia *ore confitetur ad salutem*; Rom. 10. charitatis, quia *maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; Ioan. 10. certæ salutis, quia *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, Matth. 10. gloriæ apud Christum, quia *qui confitetur me coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo*; ibidem: certitudinis, quia pro fide moritur. Aliud enim est si pro quauis iustitia moreretur. Actus enim iustitiæ habet multas facti circumstantias, quas opus esset Ecclesiæ iudicio, aut diuinis miraculis discerni. Hac ex causa in veteri Ecclesia absque solemni canonizatione, aut expectatione miraculorum, statim pro Sanctis habiti, & culti sunt Martyres omnes, vt patet de S. Polycarpo apud Eusebium lib. 4. cap. 14. apud Cyprianum de sui temporis Martyrib. lib. 2. epist. 6. Iubet enim *annotari dies, quibus passi sunt, vt commemorationes eorum fiant*. Item apud Cyrillum Alexandrinum lib. 6. contrà Iulianum, ac denique ex celebri illa vrbe Roma Notariorum institutione, quorum erat, Martyrum natalitios dies notare, vt habes apud Damasum in vita Anteri, & Fabiani Romanorum Pontificum. Postremò, tam celebre, ac solemne hoc fuit in veteri Ecclesia, vt scripserit August. ser. 17. de verb. Dom. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Tertia Conclusio.

Vtile penèque necessarium fuit progressu temporis ad Sanctorum celebrationem Ecclesiæ auctoritatem interponi, & fieri canonizationem. Causa fuit populi præpostera deuotio, seu superstitio, qui vel statim, quos viuos venerabantur, mortuos colebant, vel etiam ad quæuis monimenta mortuorum, memorias Sanctorum peragebant: quod magno errore suo tempore factum fuisse, & latronem pro Sancto solemni cultu habitum fuisse, narrat Sulpitius in vita S. Martini.

Quarta Conclusio.

Summa ratione introductum fuit, vt talis canonizatio per solum Summum Pontificem fiat. Patet quia eius est in Ecclesia suprema auctoritas. Rursùm, propter rei magnitudinem, ne quid temerè in cultu publico innouetur. Tertiò, ad vitandas priuatas, & promiscuas superstitiones, si vel vnicuique populo, vel etiam cuilibet, vel pastori, vel Episcopo hoc permitteretur, vt publicum cultum, & à tota Ecclesia recipiendum, introducat. Hoc enim sonat canonizatio, vt habet prima concl. Aliud est de Sanctis, quos certæ prouinciæ, aut etiam certæ tantùm Ecclesiæ quasi proprios colunt.



EIVSDEM AVCTORIS.

CONTROVERSIA VI.

CAPITALIS.

QVÆSTIO TERTIA.

De Concilijs.



DEindè considerandum est, an Concilij, maximè generalis, sententia & decretum sit medium determinandi fidem, circa quod quæruntur quinque.

Primum, cuius est congregare generalia Concilia.

Secundum, cuius est præsidere in eisdem.

Tertium, qui demùm sententiam illic ferunt.

Quartum, quanti ponderis, & roboris sit illa sententia.

Quintum, an Concilium sit supra Papam.

ARTICVLVS I.

Primum argumentum.

AD primum sic proceditur. Videtur quòd ad Imperatores, & Principes Christianos pertinet congregare Concilia generalia. Sic enim in omnibus primis generalibus Concilijs factum legimus. Concilium Nicænum primum, Constantinus Magnus, missis per totum Orbem literis, Episcopos conuocauit; Constantinopolitanum Theodosius Magnus, Ephesinum Theodosius iunior, Calcedonense Martianus, Imperatores conuocarunt, vt ex Historia Ecclesiastica patet.

Secundum argumentum.

Præterea, Socrates scribit in procemio lib. 5. Histor. Ecclesiast. *ex quo tempore Imperatores cœperunt esse Christiani, quòd maxima Concilia de illorum sententia, & facta sunt, & fiunt.*

Tertium argumentum.

Præterea, Episcopi ipsemet in Concilio Constantinopolitano disertè fatentur in literis suis ad Damasum Papam, quòd authoritate literarum Imperatoris ad Romanum Concilium vocati fuerant.

Quartum argumentum.

Præterea, ipse Pontifex Romanus supplex fuit Imperatoribus pro congregandis Concilijs. Leo Papa enim scribit ad Theodosium iuniorem: *Pietas vestra suggestioni, & supplicationi nostræ digaetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Episcopale Concilium.* Epist. 11. Sed hoc impetrare non potuit.

Ephesi enim celebratum fuit, idque breuiori tempore, quàm postulauerat Papa, vt patet Epist. 13. eiusdem Leonis ad Imperatricem data.

Similiter cùm à Martiano Imperatore idem Papa petijsset, vt Synodum differret, vt patet Epist. 44. ad eundem, hoc impetrare non potuit, vt apparet in Epist. 49. ad eundem, & debuit Papa Imperatoris voluntati acquiescere. Imò scribit Liberatus in Breuiario, cap. 12. quòd Roman. Pontifex cum multis Episcoporum genibus prouolutis Valentinianum Imperatorem Romæ agentem deprecatus est, vt Theodosium Imperatorem hortaretur aliam fieri Synodum, &c. Ergo congregare Concilia Imperatorum propriè erat, non Romanorum Pontificum.

Sententia Orthodoxa.

SEd contrà est vetustissimus Ecclesiæ canon, qui iubet, *non oportere absque Romana Pontificis sententia Concilia celebrare*, vt suprà latè dictum est, Controuers. 3. quæst. 6. conclus. 1. Sed eiusdem authoritatis est Concilia congregare, cuius est congregata celebrare, & prosequi. Alioqui aut frustrà congregaret Imperator, quod posteà prosequi, & continuare non posset, aut frustrà celebrandi, & tenendi Synodos potestatem Pontifex haberet, si easdem conuocare non posset.

Explicatio Articuli.

Respondeo dicendum, quòd conuocantur Episcopi ad Concilia generalia tribus modis. Vno modo, præceptiuè & iusta authoritate, ita videlicet, vt vocanti obedire, & comparere teneantur cæteri Episcopi, legitima excusatione cessante.

Hoc non conuenit Imperatoribus, aut Regibus, qui nullam habent in Episcopos circa causam religionis potestatem, aut iurisdictionem, vt suprà ostensum est; sed hoc conuenit Romano Pontifici, tanquam omnium Ecclesiarum Capiti, & supremo Pastori.

Sic in Concilio Nicæno primo, etsi Constantinus Imperator conuocauit Episcopos, tamen id fecit *ex sententia sacerdotum*, ait Ruffinus lib. 1. cap. 1. Histor. Ecclesiast.

Sic Episcopi in Concil. Constantinopolit. 1. general. 2. scribentes ad Damasum Papam, aiunt se Constantinopolim connocatos fuisse per Papæ literas ad Imperatorem datas, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. Ibidem quoque diligenter se excusant, quòd ad Romanam Synodum à Papa vocati venire non potuerant.

Sic pro congregando Concilio Chalcedonensi gener. 4. Valentinus, & Martianus Imperatores, ad Leonem Papam scribunt his verbis. *Tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu fidei possidentem inuitamus, atque rogamus ad celebrandam Synodum te authore*, inter Epist. præambulares Synodi Chalcedonens. Tom. 2. Concil.

Denique propter hanc præceptiuam authoritatem in solo Romano Pontifice, etsi ipse non omnia solemniter conuocauerit, sed hoc Regibus, & Principibus interdum reliquerit, qui & sumptus necessarios ferre, & hæc quæ facti sunt melius procurare poterant, tamen in hoc eius propria potestas manifesta fit, quòd tum nulla Concilia absque eius consensu congregata, vim ac robur habere potuerunt, etsi Imperatoris authoritas accessisset, vt suprà ostensum est loco notato, tum etiam quædam Concilia à solo Romano Pontifice congregata absque Imperatoris consensu robur, tamen ac vim habuerunt.

Exempla primi generis sunt Ephesinum secundum Concilium, à Theodosio iuniore, Antiochenum, & Ariminense, à Constantio, Constantinopolitanum quoddam, à Leone Imperatore inter Ephesinum, & Chalcedonense; Synodus in Trullo à Iustiniano Imperatore, falsò Synodus sexta dicta, & alia Constantinopoli, à Constantino Copronymo conuocata. Exemplum posterioris generis illustre est Concilium Sardicense, quod reluctante Imperatore Constantio Iulius Papa congregauit, teste Athanasio in Apolog. 2. Alio modo conuocantur Episcopi ad Concilia celebranda, per viam exhortationis, & admonitionis. Hoc Imperatores Christiani, & pij propter bonum pacis Ecclesiasticæ, & pium zelum semper fecerunt. Sed quòd absque vlla coactiua, aut præceptiua authoritate id fecerint, eorum verba manifestant.

Sic enim Valentinianum, & Martianum Imperatores ad Leonem Papam scripsisse, modò dictum est. Sic etiam ad cæteros Episcopos iidem Imperatores scripserunt, vt in alijs literis ante Concilium Chalcedonense præambularibus apparet. [Quisquis (inquiunt) ad generalem Synodum venire refutauerit, peccetequidem & circa Diuinitatem, & pietatem nostram offendat.] Et in alia Epistola: [In Chalcedonensem Ciuitatem venire dignemini.] Sic ad sextam Synodum generalem vocat Constantinus VI. Imperator. [Inuitare, inquit, & rogare possumus ad omnem commendationem, & vnitatem omnium Christianorum, necessitatem verò inferre nullatenùs volumus.] Hæc ille in Epistola ad Agathonem Papam, in principio sextæ Synodi, Tom. 2. Concil.

Tertio modo conuocantur Episcopi ab Imperatoribus, & Regibus, ad Concilia seu generalia, seu etiam Prouincialia, per modum authoritatis, & præceptiuè, sed per viam executionis, & ius facti (quod Principi sæculari competit, vt aliàs dictum est) non aliter, id est, voluntatem, & desiderium Romani Pontificis, cuius est ista propriè curare & disponere, tardantibus, aut etiam reluctantibus fortè Episcopis, piè exsequi.

Sic Martianus Imperator ad Leonem Papam scribit, vt, cognita eius voluntate, cæteros Episcopos per edictum connocet. [Si, inquit, onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis proprijs literis tua Sanctitas manifestet, quatenùs in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, vt ad aliquem definitum locum, qui nobis placuerit, omnes Episcopi conueniant,] inter Epistolas præambulares Concilij Chalcedonensis.

Sic Constantinus, & Irene profitentur se [Roman. Pontif. hortatu, & veluti iussu Episcopos congregasse] ad Nicen. 2. gener. 7. Act. 1. dicti Concilij.

Sic Gregorius Papa Theodoricum Francorum Regem adhortatur, vt contra Simoniacos Synodum congregari iubeat, in Registro lib. 9. Epist. 54. Sic nuper ad Concilium Tridentinum Galliæ Episcopos Carolus IX. edicto publico proficisci iussit, rogante hoc per literas Pio IV. Romanorum Pontifice.

Solutio argumentorum.

Ad primum argumentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Imperatores illi Concilia prædicta conuocarunt per modum adhortationis, & pij zeli quo boni Principes flagrare debent, non autem per modum authoritatis, aut præceptiuè, vt dictum est.

Ad secundum argumentum.

Ad secundum dicendum eodem modo.

Ad

Ad tertium argumentum.

Ad tertiom dicendnm, quòd Romani Pontifices rogant sæculares Principes conuocari Concilia propter executiooem, vt dictum est.

Quòd autem Theodosius iunior Imperator, nec circa locum, nec circa tempus, Papæ desiderio acquieuit, io eo (vt multis alijs) ille Prioceps grauiter peccauit. Erat enim illa Syoodus *prædatoria* dicta, quia contra ordinem, & leges Ecclesiæ ibi facta sunt omnia. Vndè *non iudicium, sed latrocinium*, ibi exercitum fuisse scribit Leo Epist. 51. Nam & hæreticum Dioscorum, & S. Flauiani impiam damoationem idem Imperator impiè defendebat, vt legere est apud Liberatum cap. 12. & apud Leooem Epist. 43. & 46.

Quòd autem Martianus pius Imperator Papæ etiam desiderio, hac io re oon acquieuit, hoc totum factum est, *Beatissimi Petri Apostoli sedis iure, atque honore seruato*, vt disertis verbis scribit Leo Papa Epist. 4. ad Synodum Chalcedonensem scripta, ipsoque etiam Pontifice consentiente, vt in Epist. 43. ad eundem Imperatorem his verbis Leo profitetur: *Poposceram quidem, vt Synodum aliquantisper differri iuberetis, &c. Sed quia pio studio humanis negotijs diuina præponitis, &c. ego etiam vestris dispositionibus non renitor, optans, &c.*

Ex quibus patet, pios Imperatores in conuocandis Concilijs nulla sua propria authoritate vsos fuisse, sed hoc iuris Ecclesiastici, ac maximè Roman. Pootif. semper fuisse. Lege hac de re Nicolaum Cusanum Cardinalem de concordia Catholica libro 3. cap. 9. & 13.

ARTICVLVS II.

Primum argumentum.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd ooo sit Romani Pootificis Concilijs generalibus præsidere. Imperatores enim, vel per se, & in persona, vel per deputatos suos, Concilijs geoeralibus præsidebant.

Constaotinus Magnus Coocilio Nicæno primo præfuit, tum oratiooe ad Episcopos habita, qua eis modum, & formam procedendi præscribit, tum etiam acceptis Episcoporum libellis supplicibus, apud Sozomen. lib. 1. cap. 16. & apud Theodoretum lib. 1. cap. 7. Concilio Constantinopolit. 1. gener. 2. Theodosius Magnus interfuit, & omnem actiooem moderatus est, Sozomen. lib. 7. cap. 8. Concilio Ephesino primo gener. 3.

Theodosius iunior per Candidianum Comitem præfuit, qui in Cyrillum, & Memnonem ioinstè depositos, tamen contra Concilij voluntatem pro depositis haberi prooonciauit, & Ioaones Antiochenus, cum suis Episcopis à Concilio, & Romani Pontificis Legatis euocati comparere noluerunt, oisi maodato priùs ab Imperatore accepto, apud Liberatum in Breuiario, capit. 6.

In Chalcedonensi generali 4. Martianus Imperator præsens interfuit, & per suos nobiles, quia *Iudices* in Concilio vocaotur, omnes Concilij actiones moderatos est, vt Acta Coocilij declarant, Tomo 2. Conciliorum.

Secundum argumentum.

Præterea, Legati Roman. Pontificis in Concilijs accusatorum partes gerebaot, ergo noo præsidebant, vt Iudices.

Patet antecedens ex Concilio Chalcedonensi Act. 1. vbi instante Paschasino, vno ex Legatis, vt Dioscorus inter reos, noo inter Episcopos, sederet, respooderunt illi commissarij Imperatoris: *Si Iudicis obtines personam, non vt accusator debes prosequi*. Sic in Concilio geoerali 6. Legatus Romani Pontificis accusat Græcos quosdam clericos de corruptis Actis Synodi quintæ, & de illa accusatione Iudices laici in Concilio per examen cognoscunt, Act. 3. dicti Coocilij.

Tertium argumentum.

Præterea, multi Episcopi Coocilijs generalibus præfuerunt præter Romanum Pontificem, aut eius Legatos. Nam in Concilio Nicæno primo, Eustathius Antiochenus Patriarcha præsedit, & Legati Roman. Pontif. qoarto loco consederunt. In Concil. geoer. 6. Menna Patriarcha Coostaotinopolitaous præsedit, & in Ephesino generali tertio, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus præsidebat, vt apparet ex Actis singulorum.

Præterea, si Romanus Pontifex, vniuersali Concilio præsidet, aut id ita facit, vt cum authoritate definiendi, & determinandi cæteris omnibus Episcopis præsideat, aut vt solius loci præemioentiam teneat, videlicet primo loco loquatur, & agenda dirigat. Si priùs, oon erit ampliùs vera forma Concilij, id est, Episcopi non haberent sua suffragia, nec essent Iudices in causa fidei, sed vel ministri Papæ, vel certè Consiliarij tantùm, solus autem Papa Iudex esset, solus omnia faceret, & sic nulla esset Syuodus, aut Synodi authoritas.

Si posteriùs tantùm, noo videtur satisfacere authoritati Romani Pootificis, & consuetudini Ecclesiæ, quia sic præsidet, vt oec sine eo conuocante, aut saltem conuocanti consentiente, nec sine eius confirmatione, vllas vires Concilium geoerale habeat, vt io superioribus dictum est.

Sententia Orthodoxa.

PRimò, Sed contrà est, quòd sicut Christus in omnibus Concilijs spiritualiter præsidet iuxta illud promissum suum, *Ibi ego sum in medio eorum*, Matth. 18. & cùm io carne esset, omoibus Apostolis semper præsidebat, iuxta illud verbum eius, Luc. 22. *Ego in medio*

vestrum sum sicut ministrans; quo etiam sensu dicitur *sedisse in medio Doctorum*, Luc. 2. Sic etiam Petrus in omni conuentu Apostolis præsidebat: primùm in electione noui Apostoli, *stans Petrus in medio fratrum*, Act. 1. Deinde in Concilio Apostolico act. 15. *surgens Petrus dixit ad eos*. Romanus autem Pontifex Petri successor est, vt suprà ostensum est. Eius ergo est in omni Concilio fratrum præsidere.

Secundò. Præterea, perpetua Ecclesiæ praxis talis hactenùs fuit, vt in omnibus Concilijs generalibus Romanus Pontifex per suos Legatos præsideret. Vndè in Concilio Chalcedonensi legimus act. 10. *Missi Apostolici semper in Synodis priùs loqui, & confirmare soliti sunt*. Hoc est autem præsidere.

Tertiò. Præterea, de facto in Concilio Nicœno 1. Osius, Vitus, & Vincentius loco Siluestri Papæ præsidebant, & primi subscribunt, vt in actis Concilij patet, tom. 1. In Concilio Ephesino Cyrillus Alexandrinus locum Cœlestini Papæ tenens præsedit, vt manifestè constat ex Prospero in Chronicis, ex Euagrio lib. 1. cap. 4. & ex Conc. Chalcedon. act. 3. & 4. & ex actis Synodi Ephesinæ. In Chalcedonensi Concilio Paschasinus, & Iulianus Episcopi cum Bonifacio presbytero loco Leonis Papæ præsidebant, & ante omnes Patriarchas, & Episcopos simplex presbyter tanquam Papæ Legatus sedebat, sententiam dicebat, & subscribebat, vt patet ex actis Concilij Chalced. Item ex Epist. Leonis ad Martianum 49. & 50. & ad Anatolium Epi. 53. & ad ipsum Concil. Epist. 47. In Conc. Const. 2. gener. 5. Menna Patriarcha cum quatuor Episcopis, & duobus diaconis illi assistentibus, & coaudientibus præsidebant, vt patet ibidem act. 1. Idem in alijs omnibus Concilijs obseruatum fuisse, singulorum Acta demonstrant.

Quartò. Præterea, Patres ipsi, & Episcopi in Concilijs congregati disertè profitentur Romanum Pontificem ipsis præsidere. Sic Patres Concilij Chalcedonensis in Epist. sua ad Leonem Papam de se ipsis scribunt: *Quibus tu quasi caput membris præeras, in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens*. dicti Concilij act. 3.

Explicatio articuli.

Respondeo dicendum, quòd in omni multitudine bene ordinata necesse est aliquem præsidentem esse, iuxta illud Prouerb. 11 *Vbi non est gubernator, corruet populus*, & in Ecclesiæ politia est vnus gubernator supremus, Petri successor, ve suprà visum est. Præsidere autem in aliqua multitudine congregata contingit tripliciter. Vno modo, ad externam tantùm collectæ multitudinis pacem, vt omnia ordine tractentur.

Hoc autem fieri potest etiam per eum, qui in illam multitudinem auctoritatem propriam non habet: vt si Senatus aliquis ciuilis virum aliquem nobilitate, & prudentia præstantem interesse conuentui curaret, qui externam pacem componeret, aut conseruaret. Sic Imperatores Concilijs generalibus interfuisse, & præsedisse interdum dicuntur. Et hoc sensu Patres Concilij Chalcedon. disertis verbis distingunt. Cùm enim in relatione ad Leonem Papam dixissent, *illum tanquam caput membris per legatos suos illis præfuisse*, vt suprà citatum est; subiungunt: *Imperatores verò adornandum decentissimè præsidebant, sicut Zorobabel, & Iesus Ecclesiæ Hierusalem ædificationem renouare circa dogmata annitentes*. Hæc ille act. 3. In hunc finem deputabant Imperatores patricios, & primarios viros laicos, qui in Concilijs ea, quæ ad externam actionem pertinent, moderarentur; & vocantur *Iudices*, sed neutrales quidem, & quasi promotores erant. Horum enim officium erat proponere tractanda; lectionem eorum, quæ legenda erant, ordine disponere; lectionis factæ summam Concilio repetere; partes litigantes à tumultu compescere; sententiam Concilij inquirere; eam pronunciatam ad Imperatorem referre, vt executioni mandaretur; vt manifestum est ex actis Concilij Chalcedonensis, & aliorum. Alio modo in multitudine congregata præsidere contingit, vt qui præsidet, primùm locum obtineat, primo loco loquatur, in definiendo tamen cæteris omnibus par sit, vt primus Scabinus in Senatu ciuium, vel Rector in Senatu Academico. Atque hoc modo aliqui putarunt Romanum Pontificem, vel Legatos eius in Concilijs præsidere, non aliter; quasi præsidentiam illic habeter honorariam tantùm, & non cum auctoritate aliqua coniunctam. Sed hæc opinio non subsistit, vt mox videbitur.

Tertio modo contingit præsidere cum auctoritate definiendi, vel confirmandi definita: & sic in omnibus Concilijs generalibus Romanus Pontifex, tanquam Caput vniuersalis Ecclesiæ præsedit per Legatos suos: quod quoad confirmationem Conciliorum patet per ea, quæ in 2. Controuers. disputata sunt, quæst. 6. maximè concl. 5.

Quo ad ipsam definitionem, & sententiam ferendam, Rom. Pontif. Legati non solùm primi sententiam dicere, sed & dicendo cæteris præscribere solebant, itaut in eorum sententiam cæteri omnes Episcopi necessario descendere deberent. Patet manifestè ex Concil. general. 3. vbi Cælestini Papę sententiam circa damnationem Nestorij Cyrillus loco Cælestini præsidens necessariò se sequi profitetur Epistola 12. inter Epistolas Cyrilli.

Sic Anthimus Patriarcha hæreticus à Synodo gen. 5. damnatus est iuxta formam, & tenorem sententiæ priùs ab Agapeto Papa latæ, vt videre est act. 4. eiusdem Synodi. Dioscorus damnatus est in Conc. Chalcedon. quia Epistolæ Leonis Papæ contra Eutychem in Concilio Ephesino 2. prædatorio dicto non obtemperabat, vt patet in Concilio Chalcedonensi act. 3. vbi inter capita damnationis hoc secundo loco ponitur. In ipsa quoque sententia contra Dioscorum ferenda, Legati Roman. Pontif. postquam ter quaterue ad declinandam inuidiam totius Concilij sententiam expetijssent; ipsi primùm contra eum sententiam ferunt, atque pronunciant, idque rogantibus alijs Episcopis, quorum vnus sic eos alloquitur: *Nunc vestra Sanctitas primatum tenet Sanctiss. Leonis*, &c. Et paulò post: *Petimus vestram Sanctitatem, qui habes*, magis

magis autem, qui habetis, (tres enim Legati erant) *locum Sanctiss. Papa Leonis, promulgare in eam sententiam*. Quod vbi Legati Papæ definitiuè fecissent, cæteri omnes Episcopi in illorum sententiam disertè consentiendo, & hoc ipsum profitendo; idem iudicium pronunciant, act. eadem. In eodem Concil. act. eadem quidam Ægyptiacæ prouinciæ libellos accusatorios contra Dioscorum exhibentes, eosdem *Leoni Papa, & toti Concilio* inscribunt, tanquam toti corpori Prælatorum, & eorundem Capiti. In eodem Conc. act. 4. omnes Episcopi Leonis Papæ epistolæ contra Eutychem subscribunt: & cùm quidam subscribere recusarent, nihilominùs anathema Eutychi pronunciarent, acclamatum est ab omnibus Episcopis: *Subscribant Epistola Leonis. Qui non ei subscribit, hæreticus est.* In eodem Concilio act. 5. cùm multò maior pars Episcoporum definitionem fidei concepisset, in qua doctrina Leonis Papæ contra nouam Eutychetis hæresim expressa non esset, propter interlocutionem Legatorum Papæ comminantium fore, vt Romam reuerterentur, ibique Synodum celebrarent, coacti sunt omnes Episcopi verba Leonis Papæ definitioni addere, clamantibus tandem Episcopis Orientalibus, & Illyricis: *Qui contradicunt, Romam ambulent.* In eodem Concilio act. 6. relecta definitione fidei coram Imperatore præsente, Paschasius primus Papæ Legatus in hanc formam subscribit: *Paschasius Episcopus vice Domini mei Beatissimi, atque Apostolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis Synodo præsidens, statui, consensi, & subscripsi.* Sic etiam in 3. act. eiusdem Conc. idem Paschasius præfatur: *Apostolicus, & catholicus Papa Leo nostram prauitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit: ideòque necessarium est, hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.* Eadem præsidentiæ auctoritas ex alijs omnibus Concilijs, maximè subsecutis, demonstrari facilè posset.

Solutio Argumentorum.

Ad primum Argumentum.

AD primum ergo dicendum, quòd dicti Imperatores præsidebant in dictis Concilijs quoad externas actiones, vt dictum est; sed non quoad fidei definitionem, aut conformationem sicut Romanus Pontifex. De Constantino testatur Ambrosius epist. 32. *quòd nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus.* Et quoad libellos supplices, quòd de illis iudicare recusauit, id eum fecisse ait Gregorius Magnus *ex reuerentia impensa*, in Regist. lib. 4. Epist. 3. Idem in eodem Concilio, & in humili quadam sede concedit, vt narrat Theodoretus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 7. & non priùs in ea sedit, quàm annuissent Episcopi, vt refert Eusebius, qui interfuit, lib. 3. cap. 10. de vita Constantini.

Martianus Imperator profitetur se huius exemplum sequi. *Nos*, inquit, *non ad ostendendam potentiam, sed ad confirmandam fidem, exemplo Constantini religiosi Principis, Concilio interesse volumus*, in orat. ad Synod. Chalced. habita act. 6. De Theodosio I. in Concilio Aquileiensi scribit Ambrosius: *Noluit iniuriam facere Sacerdotibus. Ipsos interpretes constituit sacerdotes.* Hæc ille in actis dicti Concilij, tom. 1. Conc. Quod ad Theodosium II. in Concilio Ephesino attinet, mittit ad Concilium Candidianum Comitem, vt eius loco intersit, sed cum hac commissione: *In nullo quidem, quæ facienda sunt de pijs dogmatibus quæstiones communicare*, &c. inter epistolas Cyrilli, epist. 17. & in actis dicti Concilij.

Quæ autem in fauorem Ioannis Antiocheni contra Cyrillum, & Concilium postea fecit, deceptus fecit, grauique schismati causam dedit, cuius & postea eum grauiter pænituit. In Concil. Chalcedonen. deputati Iudices ab Imperatore Martino idem in singulis actis profitentur: nempè executioni tantùm mandant, quæ Concilium decreuerat. Sic in fine act. 2. loquuntur: *Quæ interlocuta sunt, effectui mancipentur.* Sic act. 4. *Interlocutio, quæ præcessit, tradatur effectui.* Et paulò post: *Quod placuit Reuerendo Concilio de sancta fide, ipsum nos doceat.* Ibidem paulò post agnoscunt, *Dioscorum à Concilio damnatum fuisse ignorante Imperatore*: quare & de reliquis Ægyptijs Episcopis illi adhærentibus, *Rogamus*, inquiunt, *vestram reuerentiam docere quid de eis placuerit.* Moxque dicente sententiam Paschasio Romani Pontificis Legato, concludunt Iudices: *Sanctissimi Paschasij sit firmum iudicium.* Sic act. 8. cùm Theodoretus absolutus esset, concludunt Iudices: *Secundùm decretum Sancti Concilij Theodoretus Cyri Episcopus Ecclesiam suam recipiet.* Sic denique act. 10. in causa Ibæ Episcopi, concludunt Iudices: *Quæ iudicata sunt à S. Concilio de Iba Episc. propriam fortitudinem retinebunt.* Hoc est totum quod per suos deputatos Comites, & Iudices Imperatores in Conc. seu præsentes, seu præsidentes faciebant.

Ad secundum argumentum.

Ad 2. dicendum, quòd Legati Pontificij in locis citatis non propriè accusabant, sed accusationes aliorum prosequebantur, quod etiam Iudices interdum faciunt.

Ad tertium argumentum.

Ad 3. dicendum, quòd in Concilio Niceno 1. Eustathius quidem Antiochenus primus orationem habuit encomiasticam in laudem Constantini, vt est apud Nicephorum lib. 18. cap. 16. & apud Eusebium in vita Constantini, lib. 2. cap. 70. Osius tamen Episcopus, Vitus, & Vincentius presbyteri, Siluestri Papæ legati, primi subscripserunt, vt videre est in Actis Concilij huius. In gener. 5. Menna, & in Ephesino 3. Cyrillus, Patriarchæ Græci, Legati fuerunt Agapiti, & Cœlestini Romanorum Pontificum, & hoc nomine primi subscripserunt, vt de posteriori patet suprà in arg. 3. de priori patet ex Conc. gen. 5. act. 1. vbi pariter cum Menna 4. Episcopi, & duo Diaconi, Romani Pontificis Legati, illi assistentes, & coaudientes præsidebant.

Ad

Ad quartum argumentum.

Ad 4. dicendum, quòd Romanus Pontifex præsidet cum auctoritate definiendi, vt dictum est; nec tamen propterea cæteri Episcopi non definiunt, aut consiliarij tantum sunt, non etiam Iudices in Concilijs; sed cùm omnes, vt Episcopi Ecclesiarum, & pastores animarum iudicent, Petri tamen successor primus iudicat, & primus definit, cæterique Episcopi eius sententiam sequuntur; sicuti in Concilio Apostolico Actorum 15. Petrus primus sententiam dixit, *& in eius sententiam cæteri Apostoli transierunt*, vt alibi ex Hieronymo ostendimus. Nec propterea solus Papa omnia facit, sed omnibus Episcopis pariter iudicantibus, Petri successor, & ordine antecedit, & firmitate fidei cæteros omnes præcellit, vt suprà dictum est. Denique Episcopi in Concilijs sic iudicant, vt tamen singuli errare possint, imò & aliquando maior pars errauerit; vt manifestum est in Conc. Chalced. act. 5. & act. vlt. sed & Ariminense totum, & maximum Concilium in definitione fidei errauit ab Arianis deceptum. Solus autem Petrus, & eius successor, ne erraret, accepit à Christo fidei indefectibilitatem, idque in eum finem, vt fluctuantes *fratres*, & Coepiscopos *confirmaret in fide*; Luc. 22. Eius ergo est sic iudicare cum cæteris, vt tamen aliorum iudicia corrigere valeat; quod est circa definitionem fidei verè præsidere.

ARTICVLVS III.

Primum Argumentum.

AD 3. sic proceditur. Videtur, quòd non soli Episcopi in Concilijs sententiam ferant. Ferre enim sententiam, est definitioni fidei suffragium dare, & subscribere. Hoc autem in quibusdam Concilijs Imperatores, & Principes laici fecerunt, vt in Concilijs generalibus 6. & 8. vbi Imperatores Constantinus, & Basilius cum toto Senatu subscripserunt.

Secundum Argumentum.

Præterea, in eisdem Concilijs presbyteri, & monachi subscripserunt. Ergo & illorum est ferre sententiam in Synodis.

Tertium Argumentum.

Præterea, causa fidei est causa communis, & bonum totius Reipublicæ Christianæ. Ergo omnes sunt audiendi fideles; nec obstat vndecunque veniat hoc bonum, modò inueniatur.

Quartum Argumentum.

Præterea, presbyteri, maximè Curati, reddent rationem pro animabus subditorum, & sunt pastores, quos Christus Ecclesiæ suæ dedit. Ergo debent sententiam dicere in quæstione fidei.

Quintum Argumentum.

Præterea, Episcopi sunt partiales, vel quia Romano Pontifici addicti, & obnoxij sunt, vel quia præiudicatam secum adferunt sententiam contrà nouas de fide quæstiones; volunt enim manere in antiquis. Ergo non debent soli iudicare, sed liberum debet esse Concilium, quibuscumque loqui, & definire volentibus.

Sextum Argumentum.

Præterea, in omnibus Concilijs regula, & norma totius iudicij circa quæstiones de fide erat ipsa Sacra Scriptura. Hanc enim ob causam confidentibus in Concilio Episcopis, sacra Biblia proponebantur in mensa; & monebant Episcopos Imperatores, vt illis inspectis de dogmatibus iudicarent. Hoc autem, idest, iuxtà Scripturas rem dubiam examinare, & determinare, non solum Episcopi, sed & alij docti sacerdotes adeòque interdum laici possunt, idque meliùs, quàm Episcopi, quorum plerisque studium Scripturarum sordet. Ergo etiam ad illos pertinet in Concilijs sententiam dicere, & non ad solos Episcopos.

Septimum Argumentum.

Præterea, habemus exemplum primi Concilij Apostolici, in quo soli *Apostoli, & seniores conuenerunt videre de verbo hoc.* Act. 15. Seniorum autem nomine presbyteri intelliguntur, vt suprà visum est in Controu. 2.

Octauum Argumentum.

Præterea, Concil. generale repræsentat vniuersam Ecclesiam. Ergo omnes fideles, vel saltem de quolibet statu fidelium aliqui, debent eò vocari, saltem admitti si se offerant.

Sententia orthodoxa.

SEd contrà est perpetua omnium Conciliorum praxis, ex qua paret solos Episcopos in Concilijs consedisse, definiuisse, & subscripsisse, vt singulorum Acta demonstrant. Quare Augustinus vocat Synodos *Concilia Episcoporum*, de baptis. contrà Donatist. lib. 2. cap. 7. Epist. 119. cap. 19. & alibi semper.

Præterea, in Concil. Chalced. gener. 4. acclamatum est: *Synodus Episcoporum est, non clericorum: superfluos mitte foras*, act. 1. & in Ephesina illa prædatoria Synodo, cùm Dioscorus hæreticus Patriarcha presbyterum quendam vocaret, vt subscriberet, respondit presbyter, *Non est meum subscribere, Episcoporum tantùm est*; vt refert in Concil. Chalced. act. 3. & inter Epist. præambulares Concilij Chalced. in epistola Pulcheriæ Imperatricis dicitur, *quòd clericos, vel monachos, & laicos nulla ratio ad Concilium vocat.*

Ex-

Explicatio articuli.

Respondeo dicendum, quòd Concilia, & Synodus in triplici genere habentur. Vnum genus est, quod Episcopale, seu Diœcesanum vocatur, in quo solus Episcopus suæ Diœcesis pastores, Archidiaconos, & Presbyteros, Abbates etiam, & Priores conuocat, circa morum reformationem; aut etiam interdum circa quæstionem de fide, vt Complutensis Synodus in Hispania contrà hæresim cuiusdam Oxomensis vocata est, quale fortassè aliud exemplum dari non posset. Sed de hoc genere non hic agitur. Nec enim huius generis iudicia in declaratione alicuius hæretici, aut in causa hæresis planè certa sunt, ne quidem in hæresi manifesta, aut tali, quæ iudicio Doctorum Theologorum videretur manifesta; probabilia tamen sunt, & licita maximè, si ex commissione Papæ fiant, vt illud Complutense ex commissione Sixti IV. Aliud genus Conciliorum est Prouinciale, seu locale, in quo Metropolitanus omnes suæ prouinciæ Episcopos conuocat. Sed nec de hoc genere nunc agitur; quia neque istorum iudicia in causa hæresis prorsus firma sunt, nisi à Romano Pontifice confirmata; idque vel expressè, vt quædam à Leone IV. distinct. 20. cap. de libellis; vel saltem implicitè, vt multa alia.

Tertium genus Conciliorum est generale, & vniuersale, qualia hactenùs duodecim enumerant latini, octo Græci: & de hoc genere disputatur propriè, cùm de Conciliorum auctoritate agitur.

In istis porrò Concilijs tria tractari solent: primùm, quæstiones de fide: deindè, regulæ morum, & canones reformationis generales: tertiò, priuatæ Episcoporum causæ, & querelæ. Ad primi generis tractationem tribus modis interesse fideles possunt.

Primo modo, ad ipsam quæstionis decisionem; secundo modo, ad deliberationem, & consultationem: tertio modo, vt testes, & adiutores honorarij.

Iuxtà primum modum soli Episcopi intersunt Concilijs. Eorum enim tantùm est iudicare de fide, & grauiora decidere, vt in 2. Controuersia visum est. Patet quoque quia illi soli sunt Patres Ecclesiæ, quia ordinando sibi similes, idest, sacerdotes gignunt, vt alibi dictum est. Illi soli sunt propriè Apostolorum successores, vt etiam loco citato dictum est. Illi soli habent in Ecclesia iurisdictionem spiritualem, cæteri autem presbyteri ab illis, vt ibidem dictum est. Denique illis solis ex officio incumbit docere verbum, & Euangelium prædicare, presbyteris verò non nisi auctoritate ab Episcopis accepta, vt patet ex vtriusque ordinatione, & ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 3. Hanc ob causam Dionysius Areopagita sacerdotes vocat *illuminantes*, quia Sacramenta administrant; Episcopos *perficientes*, quia docent; Eccles. hier. cap. 5. part. 1.

Iuxtà secundum modum Presbyteri, Doctores, Abbates, Monachi Concilijs interesse possunt, & interfuerunt sæpè, vt in Concilio Florentino, Constantiensi, Lateranensi sub Innocentio III. & nuper in Concilio Tridentino. In causa enim fidei vel defendenda, vel explicanda plurimum iuuant Doctores Theologi, & eorum opera semper ferè in Concilijs vsa est Ecclesia.

Iuxtà tertium modum etiam laici fideles intersunt, iuxtà verba illa Nicolai I. in epist. ad Michaelem Imperatorem, & refertur distinctione 96. capite *Vbi*: *Vbi nam legistis Imperatores, antecessores vestros, Synodalibus interfuisse conuentibus, nisi forsan vbi de fide tractatum est, quæ omnibus communis est, & non solùm ad clericos, verùm etiam ad laicos, & omnes pertinet Christianos?*

Tandem quoque laici Principes subscripserunt, vt in Concilio generali 8. sed consentiendo definitis, non definiendo, vt videre est in fine dicti Concilij tomo 3. Concil. In alijs autem verò Concilijs nunquam leguntur laici subscripsisse.

Circa secundi generis tractationem soli etiam Episcopi definiunt, quia ad illos solos pertinet iurisdictio, & potestas leges ferendi, vt alibi ostensum est. Quare Martianus Imperator in Concilio Chalcedonensi actor. 7. volens quosdam canones reformatorios ferri, quos ipse cum senatu suo conceperat, noluit tamen, vt sua, sed vt Synodi auctoritate ferrentur. *Quædam*, inquit, *capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reipublicæ vobis seruauimus: decorum esse iudicantes, à vobis hæc regulariter potiùs formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri.*

Circa tertij generis tractationem solis etiam Episcopis interesse licuit, & non laicis vllis. Sic in Concilio Chalced. act. 3. postulante Dioscoro laicorum præsentiam, quando de eius criminibus cognoscendum erat, respondetur illi: *Quando quædam regularia examinantur, neque Iudices, neque aliquos laicos interesse oportet.* Sic in Concilio Aquileiensi Palladium hæreticum, laicorum præsentiam postulantem, statim damnauit Ambrosius. Et in Concilio generali 8. Imperator Basilius suos nobiles alloquens, *Vobis*, inquit, *nullo modo licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere*, in oratione ad Synodum habita. Tamen vt testes rerum gestarum idem Imperator cum suis subscripsit.

Solutio argumentorum.

Ad primum Argumentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Conc. quidem gener. 8. Imperator cum suo Senatu subscripsit, non definiendo, sed attestando, vt dictum est; in alijs autem Concilijs nullus Imperator, aut Laicus subscribere legitur.

Ad secundum Argumentum.

Ad 2. dicendum, quòd in Conc. gen. 6. leguntur subscriptiones Monachorum, & Presbyterorum, sed quæ in Concilijs quibusdam Episcopalibus, quæ ibi referuntur, factæ fuerant, non in ipso Conc. generali, vbi soli Episcopi subscribunt: legunt tamen ibi docti monachi disputasse contrà Macarium hæreticum act. 8. quod, vt diximus, in Concilijs licet.

Ad tertium Argumentum.

Ad 3. dicendum, quòd omnes audiuntur fideles, quando eorum pastores, & magistri audiuntur;sicut in ciuilibus tota communitas auditur, & consentit, quando capita consentiunt. Refert autem multum vnde hoc fidei bonum veniat; quia *ordo religionis peruertendus non est*, (vt docet Augustinus de vtilit. credendi cap.17.)iuxta quem ordinem non est omnium iudicare de fide, etsi omnium sit tenere rectam fidem, vt aliàs dictum est.

Ad quartum Argumentum.

Ad 4. dicendum, quòd inferiores pastores sunt particulares pastores, & subordinati suis Episcopis. In Concilijs autem generalibus tractantur generalia, & quæ vniuersam concernunt Ecclesiam, vt dictum est: quare & à maioribus Prælatis, & Præpositis Ecclesiæ illa tractanda sunt, vt dictum est.

Ad quintum Argumentum.

Ad 5. dicendum, quòd soli Sectarij, & hæretici sunt propriè partiales; quia illi partes tenent à Catholica Ecclesia, & fide separati. Quanquam etiam ponendo Orthodoxam veritatem pro parte controuersa contra hæresim, in tali sensu omnes sunt partiales, tam Catholici Episcopi, quàm noui magistri, & Sectarij. Vnusquisque enim ad id, quod sibi verum videtur, fortiter afficitur, & præiudicatam sententiam affert; CatholicusOrthodoxam sententiam mordicus tuendo, & sectarius suum nouum dogma pertinaciter asserendo. Alioqui si soli non partiales in Concilijs iudicare debent, Pagani, vel Iudæi Iudices erunt controuersiarum de fide. Denique in omnibus Concilijs contrà hæreticos hactenùs celebratis, Orthodoxi Episcopi præiudicatam semper sententiam contrà hæreticos secum ad Concilium attulerunt. Nihil enim vnquam in religione nouum statuerunt, sed veterem fidem contrà nouos hæreticos explicauerunt, & confirmarunt. Quare liberum Concilium, quod postulant hodie hæretici, est vel Atheismus nouus, & nihil in fide certum tenere, vel talis libertas, quæ omnes veteres damnatos hæreticos iustificat, omniaque vetera Concilia penitùs damnat.

Ad sextum Argumentum.

Ad 6. dicendum, quòd in Concilii generalibus non solùm Euangelia proponebantur, sed prætereà præcedentium Conciliorum confessiones de fide, & canones de moribus, itemque scripta Sanctorum probabilium Patrum, vt manifestè videre est in Actis Concilij Ephes. gener. 3. prout repetitur in Conc. Chalced. act. 1. item in Conc. Chalced. act. 2. & 3. in Conc. gen. 5. act. seu collatione 3. in Conc. gen. 6. act. 8. & seq. & similiter in omnibus Concilijs. Porrò etsi secundùm solas Scripturas iudicandum esset, non tamen nisi Episcoporum hoc esset iudicium, quia solius Ecclesiæ est authenticam Scripturarum expositionem dare, vt suprà dictum est.

Ad septimum Argumentum.

Ad 7. dicendum, quòd Apostolorum tempore Presbyteri vocabantur, qui nunc Episcopi vocantur, vt in 2. Controu. dictum est. Tales erant Paulus, Barnaba, Iudas, Silas, Marcus, qui illi Concilio interfuerunt.

Ad octauum Argumentum.

Ad 8. dicendum, quòd Concilium generale repræsentat vniuersalem Ecclesiam, non exemplariter, sed potestatiuè, vt alibi dictum est, Controu. 2. quæst. 1. quia capita totius Ecclesiæ ibi congregantur. Atque ideò ex omnibus Orbis Christiani prouincijs aliqui Episcopi necessariò adesse, vel saltem conuocari, & inuitari debent, vt Concilium verè generale fit: & sic hactenùs semper factum fuit.

ARTICVLVS IV.

Primum Argumentum.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd Conciliorum, etiam generalium sententia, & definitio fideles non obliget. Talia enim errare possunt, *priora posterioribus sæpè emendari solent*, vt ait August. de bapt. contrà Donatistas lib. 2. cap. 3.

Secundum Argumentum.

Prætereà, sola est vniuersalis Ecclesia, quæ non erat in fide. Concilium autem est tantum pars illius. Ergo non est certum quòd illa non errat, & consequenter obliget.

Tertium Argumentum.

Prætereà, Conciliorum certitudo fundatur in illo Christi verbo: *Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Matth. 18. Sed hoc æquè competit prouincialibus Concilijs, imò, & quilibet fidelium congregationi, atque Concilijs generalibus.

Quartum Argumentum.

Prætereà, Concilium prouinciale sufficit ad conuincendam hæresim. Ait enim Augustinus de Synodo Palæstina contrà Pelagianos collecta, quòd *per competens iudicium communium Episcoporum causa eorum finita erat*; lib. 3. cap. 1. contrà Iulianum. Imò non solùm competens, sed & *sufficiens iudicium* illud vocat, lib. 4. cap. 12. contrà 2. epist. Pelag. & *tale iudicium quale Ecclesia Catholica dare debuit*. Ergo non sola Concilia generalia, sed etiam prouincialia, fideles obligant in causa fidei.

Quintum Argumentum.

Præterea, singuli Episcopi seorsim deliberantes errare possunt, ergo etiam, & pariter collecti non secus. Conuersus enim ad eundem locum non facit eos indefectibiles à fide, nec auget gratiam.

Sextum Argumentum.

Præterea, Apostoli suam definitionem contrà necessitatem legalium in Concilio factum Act.15. non obtruserunt Ecclesijs nulla auctoritate quasi prætoria, sine explicatione fundamentorum,& sine confirmatione ex verbo Dei; sed ideò Iudam, & Silam, cum decreto suo ad Ecclesiam Antiochenam miserunt, vt dogmatis illius rationes redderent, & verbo Dei confirmarent. Ergo non aliter obligant Concilia, nisi inquantum ab alijs Ecclesijs ipsa decreta approbentur, & per idoneas rationes confirmentur: sed tantùm præiudicij loco esse debent, quod tamen examen aliorum non impediat.

Septimum Argumentum.

Præterea, in antiquis, & generalibus Concilijs est, quod iure desideres; vel quòd eruditi viri multa non perspiciebant; vel quòd grauioribus occupatus nonnulla subterfugiebant; vel quòd simpliciter, vt homines imperitia falli poterant, vel denique quòd nimio affectu nonnumquam præcipites ferebantur. Nulla ergo est, quòd simpliciter eorum sententia obliget.

Octauum Argumentum.

Præterea, aliqua Concilia, etiam generalia, errauerunt in fide, vt Ariminense 600. Episcoporum, quòd Arianam hæresim dolosè confirmauit; item Constantinopolitanum Concilium 330. Episcoporum sub Leone, in quo vsus imaginum damnatus est. Item Ephesinum 2. Concilium, cui etiam Legati Papæ Leonis interfuerunt, in quo hæresis Eutychetis approbata est; denique multa fuerunt, & Arianorum, & Donatistarum plenaria Concilia.

Nonum Argumentum.

Præterea, nobilis est illa Gregorij Nazianzeni sententia, qua dicit: *Quodcumque Episcoporum, Concilium fugio, quia hactenùs nullius vnquam Concilij bonum finem vidi*, in epist.102. ad Procopium.

Sententia Orthodoxa.

1. Sed contrà est quod in primo Concilio Apostolico dicitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Act.15. Ergo Conciliorum decreta sunt Spiritus sancti oracula.

2. Præterea, Concilij generalis sententia, est totius Ecclesię sententia, & iudicium; vt multis in locis docet August. de Bap. contrà Donatist. lib.1. cap. 18. lib.2. cap.1. & 9. At tota Ecclesia errare non potest, vt in superioribus ostensum est.

3. Præterea, contrà omnes præcipuas hæreses per Concilia generalia hactenùs definiuit Ecclesia, vt patet de singulis in Actis Conciliorum. Ergo aut firma fuit illa definitio, aut nulla talis hæresis hactenùs rectè, & sufficienter condemnata fuit.

4. Præterea, Petri successor non errat in iudicio fidei, vt antea dictum est: sed in omnibus Concilijs generalibus illius iudicium, sententia, & confirmatio concurrit.

5. Præterea, à plenario Concilio, quod Papa confirmauit, nulla stat appellatio, si forte iniquè iudicaret. Non est enim dare superius tribunal, ad quod appellari posset. In illo enim est tota, & suprema potestas Ecclesiæ congregata, vt dictum est. Ergo aut infallibiliter iudicat, aut nullum est in Ecclesia certum de rebus fidei iudicium.

6. Præterea, omnes SS. Patres Conciliorum generalium auctoritatem pro infallibili planeque diuina Indubitanter semper habuerunt. D. Gregorius *prima quatuor Concilia non secùs quàm quatuor Euangelia suscipere se, & venerari* profitetur: *similiter quintum Concilium se amplecti* dicit in Registro lib.1. ep.24. D. Augustinus profitetur *horum esse in Ecclesia saluberrimum auctoritatem*, epist. 118. cap. 1. Et contrà Cyprianum, aliosque Africanos Episcopos *se audacter sentire, propter plenarij Concilij auctoritate quod aliter desiuierut*; de Baptismo contrà Donatistas lib. 2. cap. 4. & illius Concilii auctoritatem Donatistis perpetuò opponit. Deuique generale hoc axioma pronunciat obseruatione dignum. [Nobis, inquit, tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententia, quę nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.] Hæc ille de baptis. contra Donat. lib.7. cap. 53. Sic Ambrosius decreta Nicœni Concilij *hæredituria singula* vocat, *nullius vnquam temeritate violanda*, lib. 3. cap. 7. de fide ad Gratianum. *In illa fide à Patribus Nicæa scripta fundamentum se manere* scribit Hilarius in lib. contra Constantium. Denique in omnibus generalibus Concilijs iuxta tenorem, & formam præcedentium Conciliorum suam fidem Episcopi omnes profitentur, hoc modo: *Secundum expositionem Patrum qui in Nicæa, & Ephesi, & Chalcedone, & Constantinopoli conuenerunt, credidimus, & credimus*. Horum ergo Conciliorum sententiam, vt infallibilem fidei regulam semper Patres sequuti sunt.

7. Præterea, tentantibus Arianis post Nicœnum I. generale Concilium alia Concilia, vt illius decreta conuellerent, aut formulam mutarent, numquam hoc obtinere potuerunt, clamantibus semper Episcopis Orthodoxis, *Patres qui Nicæa conuenerunt, omnia præoccupauerunt*; vt Arimini fecerunt, teste Athanasio in epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ; item *sufficere Nicæni Concilij dogmata*; vt idem refert Athanas. in epist. ad Africanos. Sic in Concilio Seleuciæ habito restiterunt Acacio, nouam formulam introducere volenti, Orthodoxi Episcopi; nec quicquam de Nicæni Concilii decretis remittere voluerunt, videre est apud Sozome-

num Hist. Eccles. lib. 4. cap. 21. & apud Socratem lib. 2. cap. 32. Sic post Chalcedonense Concil. tumultuantibus hæreticis sub nouo Imperatore Leone, & Concilii decretum abolere conantibus, scripsit Leo *circulatorias literas* ad omnes totius Orbis Episcopos, quid de illa noua quæstione iudicarent. Responderunt vnanimiter omnes Episcopi numero quingenti, quorum plerique Metropolitani cum suis Synodis prouincialibus, *de Concilij sententia nihil mutandum esse*, vnico Amphilochio excepto, vt videre est tomo 2. Conc. vbi & singulę epistolę insentuntur. Tam fuit semper apud Orthodoxos Conciliorum generalium auctoritas irrefragabilis.

Explicatio articuli.

RESpondeo dicendum, Concilia generalia dupliciter considerari posse. Primùm, inquantum consistunt ex numero Episcoporum, etiam Othodoxorum, qui tamen legitima auctoritate, vel non conuocantur omninò, vel ita conuocati, eadem auctoritate ad finem non perducuntur. Exemplum primi est Concilium Ariminense,& Seleuciæ, sola Imperatoris Constantij auctoritate; item Constantinopolitanum, sola Leonis Isauri auctoritate (supremo Pontifice Petri successore non requisito) conuocatum. Exemplum secundi fuit Ephesinum 2. cui ab initio Legati Rom. Pontificis interfuerunt; atque item Basileense, quod ab initio Eugenij Papæ auctoritate celebratum fuit. sed postea eiusdem auctoritate caruit. Talia Concilia firmitatem iudicij in fide non habent; quia vetustissimus canon est, *absque Romani Pontificis sententia nulla Concilia*, scilicet generalia, *celebrari*, vt alibi ostensum est. Alio modo considerantur, vt legitimè congregata, & similiter continuata, ea videlicet, quæ Sedis Apostolicæ auctoritate,& facta,& confirmata fuerunt. Huiusmodi in iudicio fidei nullo modo errare possunt propter rationes inductas. Illæ enim omnes non nisi de talibus loquuntur. Plenarium enim Concilium censeri non potest, cui caput Ecclesiasticæ potestatis, nec per se, nec per alios, nec de facto, nec voluntate, & consensu interfuit.

Solutio Argumentorum.

Ad primum Argumentum.

AD primum ergo dicendum, quòd Augustinus loquitur de regulis morum, ac disciplinæ, quæ ad factum pertinent, vt alibi respondimus, idque propter verba subsequentia: *Quando aliquod rerum experimento, quod conclusum est, aperitur*. Sed si etiam de causa fidei loquatur, propter id quod sequitur, *Et cognoscitur, quod latebat*; sensus est quod posteriora Concilia emendant, id est, perfectiùs explicant fidem in semine antiquæ doctrinæ latentem, quàm priora, vt Concil. Ephes. 3. circa Christi Diuinitatem emendauit Concil. Nicænum 1. quia explicatiùs docuit Christum sic esse verum Deum, vt esset vna persona cum Filio Dei, & non solùm homo Deificatus, vt Nestorius dogmatizauit. Sic Concil. Chalcedonense emendauit vtrumque, quia explicatiùs docuit Christum sic esse Deum, & vnam personam cum filio Dei, vt tamen manerent duæ distinctæ naturæ in Christo essetque post incarnationem non secus verus homo, quàm verus Deus. Sic Concil. gener. 6. emendauit adhuc Chalcedon. Concilium, quia explicatius definiuit Christum sic habere post adunationem duas distinctas naturas, vt etiam duas distinctas haberet voluntates, & operationes vtrique naturæ conuenientes. Sic adhuc priora Symbola Græcarum Synodorum Latini emendarunt, id est, explicatiùs fecerunt, dicens, *Spiritum sanctum procedere à Patre, Filioque*, cui & Græci subscripserunt in Concilio Florentino. Hæc quippe omnia posteriùs definita, per posteriora Concilia clariùs cognoscebantur, quod in prioribus tamen virtute latebat. Qua in re nihil erroneum vllum Concilium docuit, sed posteriora perfectius quàm priora, propter nouas hæreses insurgentes; quibus quasi nouis morbis noua definitionum remedia aptanda fuerant.

Ad secundum Argumentum.

Ad secundum dicendum, quod vniuersalis Ecclesia non errat, propter capitum firmitatem, non propter inferiora membra, vt alibi dictum est, ideòque Concilium generale, etsi sit pars Ecclesiæ vniuersalis, quoad numerum membrorum, tamen quoad firmitatem effectiuè non est pars, sed totum.

Præterea quod vniuersalis Ecclesia non errat, id est, non inducitur in errorem, verum est de toto corpore; sed quod non errat, id est, quod seruat ab errore non est verum de toto corpore, sed de præcipuis eius partibus, & in hoc secundo sensu Concilium vniuersale non errat.

Ad tertium argumentum.

Ad tertium dicendum, quòd firmitas Conciliorum illis Christi verbis propriè non innititur; quia nec Christus ibi de Concilijs Episcoporum loquitur, sed de quauis fidelium vnanimi congregatione, nec etsi Christus adsit in medio talium, tamen ad omnem effectum adest, aut ad hunc, qui est iudicare de fide; sed potiùs exemplo primi Concilij Apostolici eorum firmitas nititur, vel alijs Christi in Euangelio promissionibus Apostolis suis propriè factis.

Hæc tamen Christi verba ad Conciliorum firmitatem meritò applicarunt Patres in Synodo sexto Act. 17. & in Synodo Chalcedonen. in Epist. ad Leonem per argumentum à minore ad maius, quia si in duorum aut trium conuentu Christus adest, ea fortè petentium, quæ priuatam vtilitatem eorum concernunt (nam & de orantibus simul ibi Christus loquitur) multò magis in Concilio tot pastorum, in causa fidei laborantium adesse velle censendus est.

Ad quartum argumentum.

Ad quartum dicendum, quòd interdum & contra quasdam minùs adhuc grassantes, & dif-

& diffamatas hæreſes Prouinciale Concilium noo ſolùm competens, ſed & ſufficiens iudicium eſſe poteſt. Sic enim & contra Manichæos Ancyræ, & contra Euſtathium Gangræ, & contra Archonticos Neocæſareæ, & contra Samoſatenum Antinchiæ tantùm facta Coucilia, illarum hæreſum vaniratem ſatis manifeſtarunt. Aliæ hæreſes in varijs prouincialibus Concilijs, quia latiùs ſerpſerant, vt Montaniſtarum, & Nonatianorum, extinctæ ſunt. Pauciores fuere hæreſes, quæ hoc tam amplo, & generali remedio opus habuerunt.

Notat Auguſtinus Pelagianns *banc gloriam captaſſe, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregaretur*; contra duas Epiſt. Pelag. lib.4. cap.12. Sed reſpondet illis, vt habet argumentum. Sic de Arianis ſui temporis Auxentio, & Palladio dixit Ambroſius, *graue admodum fore, ſi propter duos in fide curioſos, toto in Orbe eſſent Eccleſiæ ſacerdotibus deſtitutæ*, in Concilio Aquileienſi, io quo propterea, cùm prouinciale ſolùm eſſet, renaſcens illa hæreſis extincta ſuit. Huiuſmodi tamen prouincialia Concilia non ita certum de fide iudicium ferunt, vt vniuerſos fideles obligent, niſi poſteà in generali aliquo Concilio, vel à Sede Apoſtolica tacitè, vel expreſsè confirmentur, vt ſuprà dictum eſt.

Ad quintum argumentum.

Ad quintum dicendum, quòd locus quidem non auget gratiam, ſed tum ipſa collectio auget ſapientiam, quia plus vident oculi, quàm oculus, & *multitudo ſapientium, ſanitas eſt Orbis terrarum*, Sapien.6. tum vnanimis ille in nomine Chriſti conuentus, maiorem haud dubiè Chriſti gratiam coniunctam habet, iuxta promiſſum Chriſti Matth.18. vt ſuprà citatum eſt.

Verùm ideò Epiſcopi collecti magis obligant iudicando de fide, quàm ſeorſim ſinguli, quia in illa collectione habetur omnium Epiſcoporum vnanimis conſenſus, in quo error eſſe non poteſt, vt in prima Controuerſia dictum eſt. Alioqui Chriſtus, & prouidentiæ ſuæ, & promiſſionibus in Euangelio deeſſet, ſi omnes ſimul Eccleſiæ præſentis Paſtores, & conſequenter ouile totum, in fide errare permitteret.

Ad ſextum argumentum.

Ad ſextum dicendum, quòd Chemnitius, cuius hoc argumentum eſt, de hoc decreto Apoſtolico multa mendaciter fabulatur. Apoſtoli enim illam ſuam definitionem iuſta, & certa authoritate cæteris Eccleſijs firmiter, & obedienter ſeruandam tradiderunt. Aiunt enim: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria*. Act.15. Imponunt ergo authoritate Spiritus Sancti, & ſua, hoc decretum, vt onus quidem ratione præcepti, ſed vt onus leue reſpectu charitatis. Deindè, taxant Apoſtoli eos, qui legalium obſeruationem ante Concilium illud ſine illorum authoritate docuerunt. *Quidam* (aiunt) *ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, quibus non mandauimus.* Act.15. Quod ergo tunc in Concilio decreuerunt, mandauerunt.

Tertiò, patet idem ex eo quòd poſteà *Paulus, & Sylas perambulant Syriam, & Ciliciam, præcipientes cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*, ibidem, & Act.16. Porrò Iudam, & Sylam Antiochiam, cum decreto illo Apoſtoli miſerunt, non vt dogmatis Apoſtolici rationes redderent, & ex Scriptura confirmarent, quaſi de nouo illud, aut ipſi examinare deberent, aut alijs examinandum dare, (quod totum fingit Chemnitius, vt ſuo ſuperbo Examini Concilij Tridentini honeſtum aliquem fucum prætexeret) ſed vt Apoſtolicum decretum populis traderent, nihil prorsùs illi, vel addendo, vel detrahendo. Aiunt enim in litteris ſuis Apoſtoli: *Miſimus Iudam, & Sylam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem*. Act.15. Hi erant fines mandati.

Quod autem poſtea Lucas ſubiungit; *Iudas, & Sylas cùm eſſent Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmauerunt*, apertè pertinet ad fratrum confirmationem in fide, non ad confirmationem decreti Apoſtolici, vt comminiſcitur Chemnitius.

Poſtremò, ſi Concilij decretum præiudicij tantùm loco eſſet, ſed poſteà examinandum, (quod Caluini figmentum eſt) nec aliter obligaret, niſi inquantum per idoneas rationes ex Scripturis confirmaretur, numquam de aliquo fidei dogmate certa eſſet Eccleſia. Quæ enim ratio certiores nos reddere poſſet hos nouos examinatores rectiùs iudicaſſe, quàm Epiſcopi in Concilio iudicauerant? Aut quomodo potuit Eccleſia Antiochena certius acquieſcere in examine, & confirmatione Iudæ, & Sylæ, quàm in ſimplici decreto Apoſtolico? Imò ſumma ratio eſt, & obedientia fidei cogit, vt omnium aliorum ſciolorum iudicia, Sanctorum Epiſcoporum iudicijs, maximè in Concilio collectis, poſtponamus, quia ad illos ſolos pertinet de fide iudicare. Cauenda igitur diligenter eſt fraudulenta hæc Caluini, & Chemnitij argumentatio.

Ad ſeptimum argumentum.

Ad ſeptimum dicendum, quòd Caluinus, cuius illud argumentum eſt, impiè traducit omnium veterum Conciliorum Patres. *Multa* dicit *eos non proſpexiſſe, grauioribus occupatos*, quaſi ipſa cauſa fidei, quàm in Concilijs tractabant, magis ſerium aliquid occurrere illis potuerit. In alijs dicit, *eos vt homines imperitia falli potuiſſe*, quaſi poſteà Caluinus, & Chemnitius examinando eorum decreta, nec homines eſſent, nec falli potuerint.

Poſtremò dicit, eos *nimio affectu præcipites interdum ferri*. Hoc iam conuitium, & maledictum eſt.

Sed ad hæc, & ſimilia hæreticorum nugamenta reſpondendum, Spiritum Sanctum Eccleſiæ datum ducere Patres in omnem veritatem in cauſa fidei controuerſa, & hæc ratio facit, vt obligent Conciliorum decreta.

Ad

Ad octauum argumentum.

Ad octauum dicendum, quòd illa omnia citata Concilia, vel non erant legitimè congregata, vt primum, & postremum, vel non legitimè continuata, vt medium, ideòque non habent authoritatem, vt dictum est.

Ad nonum argumentum.

Ad nonum dicendum, quòd Nazianzenus loquitur de frequentibus Arianorum conuenticulis, & Synodis, non autem de Concilijs generalibus legitimè congregatis, qualia adhuc ille expertus non erat, vnicum enim Nicænum ante illud tempus, quo hæc scripsit, celebratum fuerat, cuius etiam fructum, & vtilitatem non adeò magnam viderat propter tumultuantes Arianos, sicut hodiè fructum Concilij Tridentini non percipimus adeò magnum, grassantibus semper hæreticis, suo tamen tempore indubiè videbitur, non secùs quàm illius Nicæni, & aliorum fructus tandem amplissimus subsecutus est.

ARTICVLVS V.

Primum argumentum.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd Concilium generale sit suprà Romanum Pontificem Petri successorem, id est, magis obliget decretum Concilij, quàm Papæ, itemque persona Papæ generali Concilio subdita sit, vt inferior superiori. Papæ enim suprema dignitas, etsi in Scripturis fundetur à Christo data, tamen est quoque ab hominibus collata, videlicet primùm ex consensu Apostolorum, vt patet ex Epist. 2. Anacleti distinct. 22. cap. *Sacrosancta*. Deindè per Conciliorum canones, & Patrum decreta, vt patet ex can. 6. Nicæni Concilij, vbi fit diuisio 4. Patriarchatuum, & Innocentij I. ad Africanos, inter Epistolas Augustini Epist. 91. & ex Epistola Synodica Leonis IX. ad Petrum Antiochenum. Inquantum ergo ab Ecclesiæ consensu, & authoritate promanat manifestum est maiorem esse ipsius Ecclesiæ authoritatem, & consequenter Concilij generalis, quod totam Ecclesiam repræsentat.

Secundum Argumentum.

Præterea, Chalcedonense Concilium cognouit, & iudicauit de primatu Romani Pontificis, posuitque proximo post eum loco Constantinopolitanum, non obstantibus Nicænis decretis, quæ Alexandrinum 2. & Antiochenum 3. loco posuerant, Act. vltima. Ergo ipso Papa superiùs hac in re fuit Concilium illud.

Tertium Argumentum.

Præterea, gesta & iudicata per Roman. Pontificem inueniuntur fuisse Synodicè repetita, & examinata in Concilijs generalibus, vt iudicium Leonis Papæ contra Dioscorum in Concil. Chalcedonen. Act. 1. & 3. item eiusdem iudicium pro Theodoreto in eodem Concil. Act. 8. iudicium Synodicum Martini Papæ contra Pyrrhum, & Sergium Concil. gener. 6. Act. 4. & iudicium Nicolai, & Adriani Romanorum Pontificum contra Photium in Concil. general. 8. Ergo ista Concilia generalia, apertè ostenderunt superiùs illorum iudicium fuisse, quàm Romanorum Pontificum Superioris enim Iudicis acta non retractantur, nec examinantur ab inferiori Iudice.

Quartum Argumentum.

Præterea, Augustinus de causa Donatistarum sic scribit: [Putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt, si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.] Hæc ille Epist. 162. post medium. Ergo sensit Augustinus iudicium Romani Pontificis posse reformari, & mutari per iudicium Concilij generalis, & consequenter inferius fuisse.

Quintum Argumentum.

Præterea, idem Augustinus in Scripturæ libris indagandis, iubet primùm consuli Ecclesias particulares, maximè quas Apostoli fundauerunt, sed tamen à quacumque particulari Ecclesia receptam Scripturam postponit illis Scripturis quas omnes Ecclesiæ recipiunt, de Doctrina Christiana li. 2. cap. 8. In quem sensum scripsit Hieronymus in Epist. ad Euagrium: *Maior est authoritas Orbis, quàm vrbis*. Ergo Concilium, quod omnes Ecclesias repræsentat, authoritate superat Romanum Pontificem, vel Sedem Apostolicam.

Sextum argumentum.

Præterea, Christus ipsi Petro dixit Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Ergo non obediens Ecclesiæ, aut Concilio eam repræsentanti, debet esse Petro, & eius successoribus sicut Ethnicus, & Publicanus, id est, damnatum à Concilio pro damnato debet Papa habere, quod est Concilij sententiæ obedire; & subiacere. Et confirmatur hoc exemplo Gregorij Papæ, qui de Ioannis Patriarchæ contumacia scribens: *Quicquid*, inquit, *humiliter facere debui, feci; sed quia in ea correptione despicior, restat, vt Ecclesiam debeam adire*. Regist. lib. 4. Epist. 38. Fatetur ergo Pontifex Ecclesiæ iudicium esse suo superius.

Septimum argumentum.

Præterea, decretis Conciliorum Papa ligatur, & subijcitur, nec ab illis recedere potest. Ergo Concilia sunt suprà illum. Patet antecedens causa 25. quæst. 1. cap. *Contra statuta*; vbi Zosimus Papa dicit. *Contra*

stra statuta Patrum aliquid condere, vel mutare, nec huius sedis potest authoritas. Hanc ob causam Papa solemniter profitetur se octo vniuersalia Concilia modis omnibus sequi, & prædicare, &c. distinct.16. cap. Sancta.

Octauum argumentum.

Præterea, in Concilio Constantiensi generali sub Ioanne XXIII. sess.5. declarat Sancta Synodus, quòd illi Synodo à Christo potestatem immediatè habenti quilibet obedire tenetur cuiuscumque conditionis, status, aut dignitatis, etiamsi Papalis existat, in his quæ pertinent ad fidem, &c. Eadem sententia repetitur per Consilium Basileense, sessione 2. & 18.

Nonum argumentum.

Præterea, Christus dedit potestatem corripiendi Ecclesiæ, Matth.18. *Dic Ecclesiæ*, Ergo in casu peccati est index Papæ. Quòd si in casu; etiam absolutè. Quemadmodum enim ad candem legis authoritatem spectant actus puniendi, imperandi, vetandi, permittendi, sic etiam ad Iudicis authoritatem. Iudex enim est lex animata. Et confirmatur hoc quia Petrus non accepit claues Ecclesiæ *nisi in persona Ecclesiæ*, vt docet Augustinus de agone Christiano, cap.4. Quare multò magis ipsa Ecclesia illas possidet, & consequenter Concilium generale, quod vniuersam repræsentat Ecclesiam.

Sententia Orthodoxa.

1. SEd contrà est, quòd ve Petrus omnium Apostolorum, & omnium fidelium, sic Petri successor omnium Episcoporum, & totius Ecclesiæ caput est, vt in 3. Controuersia visum est, ideòque & generalis Concilij.

2. Præterea, sine Romani Pontificis authoritate, & consensu nullum generale Concilium robur habet, vt ibidem visum est. Ergo eius authoritas est maior Concilio.

3. Præterea, Romanorum Pontifices generalia Concilia confirmant, vt ibidem visum est, ergo sunt supra Concilia, maximè cum illa confirmatio fit per modum authoritatis, non solùm ex congruo, vt ibidem ostensum est.

4. Præterea, Petri successor est Pastor totius ouilis, vt ibidem ostensum est ex Christi verbis, *Pasce oues meas*. Tota autem Ecclesia est *vnum ouile*, Ioan.10. quòd quia de futuro Christus dixit, non de se tantùm, sed & de Vicario eius Beato Petro, eiusque futuro ouili, indubiè loquitur. Concilium autem generale non potest esse maius toto ouili.

5. Præterea, vt Episcopus suæ Diœcesis, & Metropolita suæ Prouinciæ, & denique Patriarcha quilibet sui Patriarchatus caput est, pariterque omnium Conciliorum, seu Episcopalium, seu Prouincialium, seu etiam Patriarchalium, sic Romanus Pontifex totius Ecclesiæ supremus Pastor, & Caput est, vt ibidem ostensum est. Ergo erit supra generalia, eodem modo quo cæteri supra sua. Et confirmatur hoc argumentum ex Nicæno Concil. can. 6. vbi facta Patriarchatuum diuisione ratio subiungitur, *Quia & Romano Episcopo alia consuetudo est*; id est, quis sic olim Romano Pontifici placuerat, vt talis diuisio fieret, cùm ipse non esset certus, & distinctus Patriarcha, sed omnium Patriarcharum Pater, & summus Pontifex, de quo lege Franciscum Turrianum pro Epistolis Pontificijs lib.3. cap.3.

Sic enim in Concilio gener.5. Act.4. in sententia Synodi contra Anthimum hæreticum vocant Patres Agapetum *summum Pontificem magnæ sedis Apostolicæ*; & Imperatori Iustiniano, qui Siluerium Papam expulerat Episcopus Pataræ profitetur; *non esse multos Papas in Mundo, sicut multi sunt Reges, sed vnum illum esse Papam super Ecclesiam Mundi totius*, apud Liberatum in Breuiario, cap.22. Conciliorum.

6. Præterea, iuxta omnes Catholicos Papa est supremus Pastor super omnes particulares Ecclesias. Non possunt autem esse duo suprema eiusdem corporis capita. Ergo Concilium non est supremum, sed suo Capiti subditum.

7. Præterea ante congregationem singuli Episcopi erant subditi Romano Pontifici. Ergo & collecti eodem modo se habent.

Probatur consequentia, quia collectio nullum nouum ius adfere in Ecclesiastica communitate, sicut in ciuili, co quòd non à communitate, sed à Deo immediatè, Prælati Ecclesiæ authoritatem suam accipiunt, vt suprà visum est in Contr.2.

8. Præterea, definitum est in Concilio Florentino his verbis: [Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, & regendi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem datam esse.] Hæc ibi in literis vnionis, quibus omnes tam Græci, quàm Latini Patres subscripserunt. Erroneum est igitur asserere Concilium esse supra Papam, quod non est vniuersalis Ecclesia, nisi (vt plurimùm ei demus) repræsentatiuè.

Explicatio Articuli.

REspondeo dicendum, quòd comparatio ista inter Papam, & Concilium, iuxta varias hominum opiniones variè instituitur.

Vno modo comparando personam Papæ, cum Concilio, incluso Papa vel præsente, vel certè approbante, & ratificante Concilium. Sed hæc comparatio non est ad propositum, sit enim sui ipsius ad seipsum comparatio, quia Papa adiuncto Concilio nullam potestatem, vel authoritatem, vel etiam certitudinem in iudicando nouam acquirit, non magis quàm caput adiunctis cæterorum membrorum officijs magis sapit, quàm absque illis.

Alio

Alio modo, comparando Concilium cum Papa secluso Papa, non quidem quoad legitimam congregationem, sed tamen quoad plenam procedendi, & definiendi quiduis authoritatem, vt videlicet Concilium legitimè congregatum plus in eo genere valeat, quàm Papa, possitque eo etiam contradicente definire de fide, canones constituere, iurisdictionem circa disciplinam exercere, &c. Et hæc fuit opinio multorum tempore Concilij Basileensis, quam per argumenta inducta confirmauit Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 2. cap. 17. & seq. de concordia Catholica.

Tertio modo, comparando Papam cum aliquo Concilio generali tam legitimè congregato, quàm etiam approbato, & confirmato, & dicendo quòd tale Concilium est supra Papam, id est, obliget illum omni modo, in quo sensu septimum argumentum Cusani procedit, & Concilium Constantiense in verbis citatis, argumentum octauum. Sed nec hæc comparatio est ad propositum, vt mox in responsione ad septimum videbitur.

Quarto modo, comparando aliquod Concilium generale, idest, aliquam communitatem numerosam Episcoporum pariter collectam secluso Papa; idest, vel non expectata eius vocatione, vel non expetito consensu, vel denique recusatione neglecta; & dicendo, quòd talis communitas sit generale Concilium vniuersam Ecclesiam repræsentans, & suprà Papam: sed hæc opinio planè erronea est, qualem hæretici sustinerent. Tollit enim prorsus primatum Papæ, & gubernationem Ecclesiæ monarchicam, quam Christus instituit, quam tamen auctores dictæ sententiæ confiteri se aiunt. Subsistere autem non potest hæc opinio, propter argumenta pro sententia orthodoxa inducta.

Quinto modo opinando imaginantur singulis quidem & personis, & Ecclesijs Papam præesse, non tamen omnibus collectis simul. Sed refutatur, quia simili ratione nec Episcopus toti suæ diœcesi, sed tantùm singulis personis præesse diceretur. Ar fatentur illi, & verum est, Episcopum esse totius suæ diœcesis Episcopum, & Episcopali Concilio omni modo præesse. Præterea, Papa in multis canonibus, vocatur *vniuersalis Ecclesiæ Episcopus*, non solùm singulorum Pater. Et postremò, Ecclesia est nomen collectiuum; ideòque qui illi præest, seu in parte, seu in toto, collectis æquè præest, ac singulis.

Sexto modo opinando imaginantur potestatem Papalem esse vnam tantùm potestatem ab inferioribus distinctam; at in Concilio generali omnes potestates contineri, quia vniuersam Ecclesiam repræsentant, quę omnes habet; ideòque esse Concilium suprà Papam, sicut totum integrale est maius qualibet parte: & est hæc speculatio Ioan. Gersonis in tractatu de potestate Ecclesiastica, & in tractatu de *Auferibilitate* sponsi. Sed vana est; primùm, quia in Concilio generali secluso Papa non continetur Papatus, cum in solo Papa sit formaliter, & subiectiuè; ideòque eo absente à Concilio repræsentari non possit. Repræsentatur enim in Concilio omnis potestas eorum, qui adsunt, & quæcumque illis inferior potestas est. In superiori enim continetur inferius, vt in Episcopo Presbyter, Diaconus, &c. non autem in inferiori continetur superius; non in Presbytero Episcopus, nec in Episcopo Metropolita, aut Patriarcha, aut Papa. Deindè; etsi sint plures potestates in Concilio, quàm potestas Papæ, sicut totum parte, & sicut senarius vnitate; tamen nihil hoc ad propositum. Potestas enim Papę est quidem pars numeralis potestatis Ecclesiasticæ, sed inter omnes prima est: ideòque alijs omnibus, etsi numero pluribus, potestate tamen præeminet; vt Rex innumeris subditis varia, & diuersa potestate sub illo prædit is; vt anima pars rationalis vna cum sit, alijs tamen partibus, etsi numero pluribus, sensitiuæ, vegetatiuæ, motiuæ ad locum, quas omnes eminenter continet, superior est; denique vt circulus supremus alios inclusos magnitudine superat, etsi numero sit vnicus; & postremò vt sensus communis alios quinque sensus iudicat, & potestate superat etsi vnus ille sit, & cæteri plures potestates sensitiuæ. Tertiò, dato quòd in Concilio vniuersam Ecclesiam repræsentante esset etiam Papalis potestas repræsentata, tamen non esset Concilium maius Papa. Potestas enim, & infallibilitas Papalis est potestas, & gratia personalis personæ Petri; & successorum eius à Christo data. Gratiæ autem personales repræsentanti non transeunt in repræsentatum. Verbi causa; Legati Papæ in Concilio non habent indefectibilitatem in fide Petro promissam; ideòque si limites mandati excedunt, errant; vt fecerunt Legati Nicolai I. in causa Photij. Sic Vicarius Episcopi non potest conferre ordines, nisi ipse sit quoque Episcopus suffraganeus.

Septimò adhuc opinando imaginantur, quòd quia Papa est peccabilis, & potestate sua potest abuti, propterea manet in Ecclesia vniuersali (& consequenter in Concilio illam repræsentante) potestas regulatiua Papatus ipsius, quoad vsum, & executionem talis potestatis, itemque potestas suppletiua omnium defectuum Papæ, ne fortè Christus Ecclesiæ suæ deesse videretur. Sed totum hoc imaginarium, & falsum esse patet. Primùm, quia si de peccatis morum agitur, æquè peccabile est Concilium, atque Papa, & æquè potest sua potestate abuti. Deinde, hæreticum est tollere potestatem propter peccatum habentis illam, aut fundare potestatem in charitate, vt aliàs visum est. Si autem de iudicio fidei agitur, falsum & hæreticum est dicere, Papam in eo posse errare, vt in alia Controuersia ostensum est. Nulla autem communitas accepit à Christo promissiones in certo supposito, sicut Petrus in sua persona. Quare impium, & temerarium erit, potestatem illam regulatiuam, & suppletiuam quærere in alicuius communitatis certis personis, quibus certo supposito Christus nihil tale promisit; & interim personam illam certam Petri deserere, cui Christus disertissimis verbis, & infallibilitatem promisit, & generalem pascendi curam dedit, & confirmandi cæteros potestatem reliquit, vt videlicet nihil amplius desiderari posset ad illam personam regulandam, quoad executionem, vel ad supplendos

defe-

defectus eius, quàm Christi Domini gratia illi infallibiliter promissa.

Octauò opinantur auctoritatem Papæ partìm à Cbristo esse quasi superuaturaliter, partim verò ex iure naturę,& positiuo:ex iure naturæ, quia naturale ius vult, vt Capiti Reipublicæ multa priuilegia concedautur; ex iure positiuo, quia Ecclesia per canones multa de facto Papæ concessit: & primo quidem modo illum toti Ecclesiæ simplicitèr præesse; duobus autem posttemis modis Ecclesiæ subesse, & ab ea reformari, vel diminui potestatem eius posse. Vanum est hoc totum: quia quicquid his duobus posterioribus modis dignitati Sedis Apostolicæ accessit; fundatur in primo modo; nec vnquam absque illo firmum fuisset. Nisi enim Christus Petrum primum posuisset, nec naturæ ius, nec positiuum primatum hunc successori eius sufficientèr date, aut necessariò appropriare, in aliorum omnium Patriarcharum, & Metropolitarum præiudicium potuisset. Sed posito primo Christi instituto, cætera necessariò, quæ ad primatum pertinent, consequuntur, nec ab Ecclesia tolli, aut diminui possunt. Deindè, qui iure diuino præest omnibus; nullo potest iure humano eisdem subesse. Sic enim restriugere, ac limitare homines possent, quod Deus simpliciter instituit.

Nec valet hoc loco singularis opinio, seu speculatio Cusani lib. 2. cap. 19. Concord. Cathol. qua dicit Sacerdotium esse quidem animam Ecclesiæ totius, vt status laicalis est corpus; sed hanc, quoad potentiam, quam habet super animas, per Sacramenta à Deo ordinati, quasique infundi, vt anima rationalis infunditur corpori; quoad externam autem præsidentiam, & iurisdictionem, illam exire de potentia subditorum per voluntariam subiectionem, sicut sensitiua, & motiua pars animæ educitur de potentia materię corporalis. Vana prorsùs est speculatio, quia æquè ex speciali Christi ordinatione habent Prælati iurisdictionem externam, atque alteram illam, quæ est super animas in foro interno. A Christo enim acceperunt, *vt qui Ecclesiam non audiret, esset sicut Ethuicus, & Publicanus*; Matth. 18. & sicuti ab eodem habuerunt *potestatem remittendi, & retinendi peccata*, Ioan. 20. Nec ex populi voluntaria subiectione, sed ex Christi mandato, & commissione, præsidentia Ecclesiastica nascitur, vt in Controuersia 2. & præced. quæst. 7. latè deduximus. Est quidem subiectio fidelium voluntaria propter affectum charitatis, non coacta, aut tyrannica, aut seruilis, vt in ciuili, & olim in Iudaici status regimine: vera tamen & necessaria est eius subiectio ex Christi speciali mandato, loco iam citato, & alijs alibi citatis. Alij adhuc opinantur quoad maioritatem iurisdictionis Papam esse suprà Concilium, sed maioritate discretionis Concilium esse supra Papam. Hanc autem discretionem exponunt in Scripturarum scientia, & interpretatione solidiore.

Sic determinat Boetius Epo in tract. de prouocat. à Pontifice ad Concilium. Sed firma determinatio non est, quia maioritas discretionis, & maturioris iudicij (si de scientia rerum sacrarum intelligatur) non solùm Concilium, sed & Theologorum collegium, imò vnus aliquis Theologus Pontificem facilè superabit. Si autem de iudicio fidei, & determinatione sensus Scripturæ, quem credere oporteat, intelligatur; non est Concilium suprà Papam, sed vnus Papa Petri successor, cui vni Christus indefectibilitatem fidei impetrauit, suprà omnes est, vt in præcedentibus ostensum est. Sic etiam maioritate discretionis simplex sacerdos Episcopo sæpè maior est,& in iudicio discretiuo Episcopum excellit; sed auctoritatis tamen in iudicio fidei, nulla ibi subsistit comparatio.

Solutio Argumentorum.

Ad primum Argumentum.

AD primum ergo dicendum, quòd primatus Petri, & successorum eius ab Ecclesiæ auctoritate,& consensu non promanat, sed tantùm ex institutione Christi, vt aliàs ostensum est:quod & his verbis antè mille ferè annos Pelagius Papa professus est distinct. 21. cap. *Quamuis*, vbi dicit: *Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris primatum obtinuit*. Hæc ille. Idem latè deducit Nicolaus I. in epist. doctissima ad Michaelem Imperatorem, tomo 3. Conc. & D. Bernardus in lib. 2. de consideratione ad Eugenium. Quòd autem dicitur etiam ex Apostolorum, & Ecclesiæ consensu eundem primatum concessum fuisse, id factum est, non quia Apostoli, Patres, & Canones hanc supremam auctoritatem dederunt, sed quia à Christo datam agnouerunt, & institutioni Christi acquieuerunt. Nam & sic de auctoritate Episcoporum suprà suos subditos multi Canones extant: illam tamen auctoritatem iuris diuini, non Ecclesiastici, esse manifestè constat.

Ad secundum Argumentum.

Ad 2. dicendum, quòd euidens est error Cardinalis Cusani, qui hoc argumentum facit. Non enim in loco citato de primatu Romani Pontificis, sed tantùm de proximo post eum loco, Conc. Chalced. cognouit, & iudicauit. Nec vlla quæstio ibi de primatu Romani Pontificis, sed tantùm de Constantinopolitani secundo loco mota est. Quomodo autem contrà Nicæna decreta, adeòque contradicentibus Papæ Legatis, secundum locum Constantinopolitano Episcopo Patres illius Concilij concesserint, aliàs dictum est, Controu. 6. quæst. 6. concl. 3. Sed & hìc addimus, Patres Chalcedon. in literis suis ad Leonem Papam eius consensum humilibus verbis experijsse, *quia*, inquiunt, *absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos*. Hæc illi in epist. Synodica, quæ act. 3. dicti Concilij inseritur. Prætereà, malo fundamento Episcopi isti nitebantur. Aiunt enim sedi senioris Romæ propter imperium ciuitatis illius Patres consequenter priuilegia tradidisse, ideòque debere nunc Constantinopolim quasi nouam Romam eisdem priuilegijs gaudere. & secundam post illam existere: dicti Conc. act. 16. Etsi enim quoad prouinciales primatus facta

fuit

fuit talis diuisio, vt iuxtà nobilitatem locorum essent Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitæ, & Patriarchæ, vt alibi dictum est; tamen vt vnus esset supremus Pastor, vt vnus Petrus cæteris omnibus præficeretur, non propter imperium Romæ, sed propter verba Christi Petro dicta, omnis antiquitas factum fuisse agnouit. Tertiò, Sedes Apostolica ita huic decreto contradixit, vt *non nisi Imperatoris patrocinio quodammodo prævaleret*, vt scribit Liberatus cap. 13. & postea in Concilio generali 5. repetere necesse fuerit, can. 36. Tandem in Concilio Florentino, in literis vnionis, quod tot annis ambiuerant Græci, Papa concessit.

Ad tertium Argumentum.

Ad 3. dicendum, quòd illa Romani Pontificis gesta, & iudicata in propria Patriarchali Synodo, fuerunt postmodùm in Concilijs generalibus lecta, & repetita ex ipsa Romani Pontificis ordinatione. Sic enim Dioscorus Patriarcha Alexandrinus depositus fuit, eo quòd epistolam Leonis Papæ decretalem in Concilio Ephesino 2. legi non permiserit. Deinde, non fuerunt sic relecta per modum examinis, vt arguit Cusanus; sed prorsùs per modum sententiæ iudicialis, cui cæteri Episcopi parere, suasque sententias accommodare debebant. Sic enim Epistolæ Leonis decretali oportuit totum Concilium Chalcedonense subscribere, vt patet actor. 4. adeòque eius sententiam definitioni fidei inserere, vt patet act. 5. Nec vnquam hactenus in vllo Concilio generali à Romanis Pontificibus gesta, & iudicata fuerunt retractata, sed potiùs ad vnguem obseruata. Relecta tamen semper, & expensa diligenter fuerunt, ad maiorem omnium satisfactionem, & ad ipsius veritatis euidentiam.

Ad quartum Argumentum.

Ad 4. dicendum, quòd Augustinus illud dixit, non quia illud simpliciter necesse putabat, sed quia ad compescendos illos importunos hæreticos illud medium generalis Concilij euidentiùs, & illustriùs (vt re vera est) existimabat. Concilij enim generalis definitio, euidentior est hæresis condemnatio, & quæ vulgò hominum magis satisfacit, quàm vnius supremi Pastoris decretum. Tamen non dubitauit Augustinus, quin solius Papæ decretum sufficeret, & sufficere illis hæreticis debuerit; ait enim: *Dedit Imperator post Meltiadis Romani Episcopi iudicium, aliud aliorum Episcoporum iudicium: non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Hęc ille epist. 162. Sic Optatus de hac eadem re dixit: *Miltiadis sententia clausum iudicium est.* lib. 1. contrà Parmenianum.

Ad quintum Argumentum.

Ad 5. dicendum, Augustinum, & Hieronymum loqui non de fidei determinatione aliqua, aut decreto, sed de consuetudine, & obseruantia: quæ haud dubiè tantò maioris auctoritatis est, quantò generalior. Sic Gregorius in respons. ad interrogata August. Anglorum Apostoli, cap. 3. non vult eum Romanę vrbis consuetudinem in omnibus sequi, sed ex qualibet regione, quod vtile est liberè ad imitandum assumere. Deinde, sicut auctoritas Sedis Apostolicæ vnum est argumentum ad veritatem cognoscendam; sic etiam aliud argumentum est Ecclesiarum, aut plurium, aut omnium consuetudo: de quo genere argumenti ibi Augustinus loquitur, non comparando illud ad sedem Apostolicam, sed ipsas inter se Ecclesias, quatenus plures, aut pauciores sunt, comparando.

Ad sextum Argumentum.

Ad 6. dicendum, quòd Christus illa verba non Petro singularitèr, sed illi cum alijs omnibus dixit. Illud autem intelligendum est extrà casum iustæ appellationis, non solùm ad ipsum Petrum, sed ad quemuis alium legitimum superiorem faciendæ. Excommunicatus enim ab Ecclesia, idest, à suo Ordinario, pro tali habendus est ab omnibus, nisi fortè appellatione interposita. Quare vt illa verba non subijciunt superiorem iudicem inferiori, puta Episcopum Capitulo, aut Archidiacono; sic neque subijciunt Papam Concilio. Et apertè in Concilio Sardicensi can. 7. decretum est, *licere à quouis Concilio Episcoporum ad sedem Romanam appellare.* Ad confirmationem responde, quòd Gregorius in illis verbis per Ecclesiam intelligit tribunal suum proprium Pontificale; quod non sine forma Synodi in causa tam graui, vbi Patriarcha iudicandus erat, exerceri solebat.

Ad septimum Argumentum.

Ad 7. dicendum, quòd Papa Conciliorum decretis ligatur in causa quidem fidei, vel in his, quæ ad ius naturale spectant simpliciter, sicut Philosophus tenetur suis principijs conformiter docere; sed hæc subiectio oritur ex parte rerum ipsarum, non ex parte Conciliorum. In illis autem, quæ purè iuris positiui sunt, & in iudicijs legitimè decernuntur, tenetur quoque Papa obedire: sed iudicio diuino non humano, idest, coram Deo, non ita vt ab hominibus cogi posset; vel (vt aptiùs loquamur) vinculo morali, non legali, idest, vi directiua legis, non coactiua. Et hoc sensu Pontifices ipsi agnoscunt se astringi decretis Patrum; tamen, iuxtà vocem illam 300. Episcoporum in Synodo Sinuessana in causa Marcellini Papæ, *Prima sedes non iudicatur à quoquam*, tomo 1. Conciliorum.

Ad octauum Argumentum.

Ad 8. dicendum, quòd decretum illud Concilij Constantiensis non fuit à legitimo adhuc Concilio promulgatum. Factum enim est in tempore schismatis, & ab vna sola obedientia, idest, ab illis solis Episcopis, qui Ioanni XXIII. obediebant, alijs Episcopis, qui sub Gregorij, & Benedicti obedientijs agebant, nondum coniunctis. Nec obstat, quod postea Martinus V. approbauit omnia huius Concilij decreta in materijs fidei: hoc enim intelligit de quæstionibus fidei contrà Wiclephum,

phum, & Hussum ibidem formalitèr definitis, & decisis, non autem de omnibus obiter tractatis, quæ ad fidem pertinent. Ad Concilium Basileense quod attinet, etsi fuerat ab Eugenio IV. approbatum, quoad inchoationem, & persecutionem aliqualem; nunquam tamen eius decreta ab illo Pontifice approbata fuerant: imò statim post in Concilio Florentino sub eodem Eugenio IV. contraria sententia definita fuit, vt suprà dictum est.

Ad nonum Argumentum.

Ad 9. dicendum, quòd præceptum hoc cùm sit de actu iustitiæ iudicialis, debet intelligi tam in factis, quàm in personis tali iudicio subiectis. Papa autem non est simpliciter frater subiectus tali correptioni iudiciali. Quare illa verba, *Dic Ecclesiæ*, intelliguntur de subdito Ecclesiæ; & quidem illius, cui frater peccans subijcitur; non autem de Capite Ecclesiæ, siue particularis (vt coram suis subditis accusetur) vel vniuersalis, qualis est Papa. Ad confirmationem responde, quòd Petrus accepit à Christo claues in persona Ecclesiæ, sed propter primatum, quem gerebat Ecclesiæ, ideòque etsi finaliter Ecclesia illas accepit, tamen formaliter Petrus accepit, vt alibi in Controuer. 2. latiùs dictum est.





EIVSDEM AVCTORIS.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Primatu Pontificis Romani.

SECTIO PRIMA.

D. Hardingus.



PRimatus Pontificis Romani, idest suprema potestas, & auctoritas super omnes Episcopos, & suprema administratio gregis Christi in rebus ad fidem, & Christianam religionem pertinentibus primis sexcentis annis fuit agnita, & confessione declarata.

Iuellus.

Nulla talis potestas fuit agnita.

D. Stapletonus.

Hæc potestas à S. Gregorio Pontifice Romano intrà primos sexcentos annos fuit agnita: Non vereor illum proferre, licèt Pontifex Romanus esset: quia tu Iuelle, tam frequentèr, & tam fortitèr eum contrà Dominum Hardingum allegasti, quasi ipse talem potestatem condemnasset. Insistam in testimonio, quod D. Hardingus allegat, & ad ea quæ tu contrà affers, respondebo, vt Christianus lector intelligat, qua impudentia tu Sanctum Gregorium contrà se ipsum allegas, & tamen contrà D. Hardingum quasi ipse hoc idem fecisset, pleno ore intonas. Verba Gregorij in epist. 2. lib. 4. sunt. *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolu totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippè dicitur. Petre amas me, pasce oues meas, ipsi dicitur: ecce Sathanas expetiuit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: ipsi dicitur, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersùs eam: Et tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ligandi, & soluendi ei tribuitur: Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur.* Huc vsque S. Gregorius, in cuius verbis tria præcipuè consideranda sunt.

Primò cura totius Ecclesiæ, & principatus Petro committitur.

Secundò hæc cura commissa à Domino Petro nominatim, idque ter distinctis temporibus apud S.Matthæum in sua Christi confessione. Anre Christi passionem quando Apostoli in periculo erant ne deficerent, & post passionem Christi in maiorem eorum, quæ præcesserant confirmationem.

Denique quantaeumque hæc præeminentia Petri sit, cui cura totius Ecclesiæ, & principatus à Domino commissus fuit: tamen vniuersalis Apostoli nomine non fuit appellandus. Quod ad primum attinet sciendum est, huius articuli robur, & medullam pro confesso esse, scilicèt principatum, & summam gregis Christi administrationem penès Rom. Pontif. esse, nam vt Petrus fuit Episcopus Romanus, vt Ecclesia illi commissa semper manet, vt auctoritas non solùm in Petri gratiam data fuit, ita illa commissio in externum durat, & illa auctoritas valet, viget, & præualet in bonum Ecclesiæ ab illa hora, vsque in finem sæculi. Itaque Chrysost. lib. 20. de Sacerdotio expressè dicit *Christum sanguinem effudisse, vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat.* De qua cura in alio loco hom. 1. de pœnit. tom. 5. sic loquitur. *Ecclesiæ primatum gubernationem Petro per vniuersum Mundum tradidit.* quid expressius dici potest pro Petri primatu? Quod ad secundum attinet: hæc suprema gubernatio tam euidentèr confessione declarata scripturis, & auctoritate nostri Saluatoris nititur. Nam postquam Gregorius Petro primatum detulisset, statim subiunxit, & dixit. *Ipsi quippe dicitur pasce oues meas.* In hac commissione Christi in sacra Scriptura soli Petro data Gregorius auctoritatem Petri fundat, quod idem facit Chrysostomus in loco suprà dicto.

Quod ad postremum attinet, attende Lector, quod licèt hæc suprema auctoritas super totam Ecclesiam in Petro concessa sit, tamen non nomen habet vniuersalis Apostoli Potestas agnoscitur, nomen, siue titulus negatur, neque verò à Petri tempore successores illius hoc nomen, & titulum sibi arrogarunt, & tamen auctoritas semper agnita fuit, & vsu confirmatæ, nullus vmquam Pontifex hanc vniuersalem auctoritatem magis, quàm ipse

Gregorius exercuit, illius scripta, decreta, Epist. etiamnum extant, quæ rem euidenter declarant. Nemo tamen magis ab hoc nomine abhorruit. Iuellus in toto hoc articulo non potuit monstrare, quod quisquam è Pontificibus fuit, qui hoc nomen vsurpauit. Quid igitur otiosius, vel quid contentiosius, quàm in nomen vniuersalis Episcopi irruere, cùm res ipsa in confesso sit, præsertim cùm ipse Papa nunquam hoc nomen ambiuerit, nec vsurpauerit? Bene August. epist. 174. *Quid est contentiosius, quàm vbi de re constat, certare de nomine?* Sed quid ad hunc locum S. Gregorij à D. Hardingo citatum respondeas, videamus dicis.

Iuellus.

Si Gregorius iam viueret, litem D. Hardingo ob manifestam iniuriam moueret, non solùm, quia totum sensum mutauit, sed quod verba sua mutilauit, & detruncauit.

D. Stapletonus.

Hic duo sunt non parua crimina, primò sensum S. Gregorij mutare, tum postea mutilare, & detruncare; sed vndè constat eum reum esse horum criminum?

Iuellus.

Dominus Hardingus, vt probet Pontificem Romanum nomen habuisse vniuersalis Episcopi, hæc verba S. Gregorij affert.

D. Stapletonus.

Dominus Hardingus non allegat in eum finem. Nonne te pudet hoc mendacium illi affingere. Dicit in principio articuli, *quocunque nomine Pontifex appellabatur*, &c. *hoc manifestum est quod primatus, & supra potestas extra controuersiam est. Quod cum ita sit, vtrum illis nominibus appelletur* necne (intelligit vniuersalis Episcopi, aut Ecclesiæ capitis) *non multum refert. Et tamen pro primo* (intelligit nomen vniuersalis Episcopi) *aliquid proferri potest, & pro altero infinita auctoritates, quæ fidem merentur produci possunt. Sed de his deinceps.* Audi Iuelle: D. Hardingus dicit se de ijs postea dicturum: quid igitur iam probabit? pergit. *Iam de principali puncto huius articuli. Id est de primatu Papæ Petri successoris videamus, primò à Deo erectus fuit, & ordinatus.* Hoc est quod D. Hardingus primùm probauit: hunc in finem Anacletum ante, & iam Gregorium allegat: ad probandum igitur quod Papæ primatus à Deo ordinatus fuit, Gregorius allegatur. Audiuimus Gregorium in Petro probasse, cuius successor Papa est, & tribus distinctis Scripturæ locis corroborasse. Iuello in angustias redacto, non aliud effugium, quàm vt miserè sustineat hæc verba tantùm allegata fuisse ad nomen, & titulum probandum. Deludit te (benigne lector) & tua patientia abutitur: mentem tuam à re diuertit ad nomen solum contemplandum: videbis enim eum contra hoc nomen omnia sua argumenta fulminasse, adeòque nihil ad Rhombum locutum fuisse. Iam profert verba S. Gregorij. [illegible]

Iuellus.

Ecce Petrus claues Regni Cœlorum accepit, & potestas eiligandi, soluendique tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur.

D. Stapletonus.

Ecce autem Iuellum iterum fraude egregia vtentem; in Anglicana versione suppressit hanc vocem (*totius*) & tantùm dicit Anglicè Cura ei Ecclesiæ committitur. Cur non igitur tua verba in tuum ingulum retorqueam, *si Gregorius iam viueret, litem Iuello moueret, ob iniuriam sibi factam, non solùm, quia sensum mutauit, sed quia verba mutilauit, & detruncauit.* Nam dempta hac voce (*totius*) tu egregiè verba mutilasti, *& sensum mutasti, qui ita se habet, quod Petro* cura, & totius *Ecclesiæ principatus à Christo commendatus fuit.*

Iuellus.

Huc vsque Gregorius, inquit D. Hardingus.) Et cur non procedit, laborauitne pertussi, quod fabulam suam tam cito abrumpere cogitur. Sed attende quæso (benigne lector) & videbis S. Gregorium quasi sub ferula D. Hardingi ne verbum quidem effari audentem, nisi prius venia à D. Hardingo impetrata.

D. Stapletonus.

—mutato nomine de te
Fabula narratur—

Nam tu verba S. Gregorij vertens Anglicè dixisti curam Ecclesię pro *cura totius Ecclesiæ*: neque potuisti illam vocem, *totius*, extussire, ita pertussi laborasti. Præterea an non S. Gregorius sub ferula Iuelli fuit, cum ne vocem quidem amplius, quàm Iuellus permitteret, effari posset? Sanctus Gregorius volebat idem dicere Anglicè, quod latinè, idest, *totius Ecclesiæ.* Sed Iuellus noluit licentiam illi dare. Vides iam quod in te hæc cuditur faba. Sequitur in textu.

Iuellus.

Verba quæ mox sequuntur in eadem sententia hæc sunt, *tamen Petrus vniuersalis Apostolus non vocatur.*

D. Stapletonus.

Sequuntur in textu, & omittuntur à Diuo Hardingo, quid tum postea? An non sententia antè habuit suam periodum? An non suprema Petri auctoritas ante declaratur? Derogantne hæc verba quicquam ab illa suprema auctoritate? si nihil derogant, quomodo dici potest Sanctum Gregorium mutatum, aut detruncatum fuisse, quando sensus, & verba plenè enunciantur, & nihil supprimitur quod aliquatenus eum mutare, infirmare, aut imminuere posset? Si quid sit, ostende si potes. Audiamus quid dicas.

Iuel-

Iuellus.

Dominus Hardingus dicit. *Pontifex Romanus dictus fuit Episcopus vniuersalis.*

D. Stapletonus.

Dominus Hardingus nihil tale affirmat: semper à scopo aberras.

Iuellus.

Sed Sanctus Gregorius in eadem sententia, quam tam temerè abrupit Dominus Hardingus, dicit: Petrus ipse licet Apostolus Christi, tamen nomen vniuersalis Apostoli non habuit.

D. Stapletonus.

Hoc nihil derogat prædictæ potestati, sed nomini tantùm, de quo in præsenti non agitur.

Iuellus.

Persuadebitne alijs D. Hardingus Papæ potestatem maiorem esse, & vniuersaliorem quàm Sancti Petri?

D. Stapletonus.

Tu à nomine ad rem transis, à vocatione ad potestarem, Sanctus Gregorius potestatem agnoscit, sed illud nomen negat, tu vis, quia nomen negat, quod negat potestatem. Sed hanc è sacra scriptura probat S. Gregorius. Sic Iuellus, non D. Hardingus mutilat Sanctum Gregorium, & detruncat. Nulli persuadere nitimur Papæ potestatem Petri potestate esse maiorem, sed Papam Petri successorem eandem potestatem habere, quam Christus dedit Petro, & non soli Petro, sed successoribus eius; vt Chrysostomus supra exposuit.

Iuellus.

Hæc verba D. Hardingus in medio delumbauit; sic agit plerumque in veterum Patrum allegatione, si mihi illius verbis vti liceret, hanc artem præstigiatoriam, vel verè imposturam dicere possem. Nam Sancti Patres in Concilio Constantinopolitano dicunt. *Non conuenit viris catholicis, sic mutare, & eradere dicta sanctorum Patrum*: hoc magis proprium est hæreticorum.

D. Stapletonus.

Semper nos doces quomodo te ob tuos mores redarguere oporteat: hanc vocem (*totius*, in qua præcipuè sensus verborum Sancti Gregorij constat, in medio detruncauit Iuellus. Ita agit Iuellus in allegatione veterum Sanctorum Patrum, sic antea mala fide Clementem Alexandrinum, Sanctum Ambrosium, Seuerum Sulpitium, Sanctum Hieronymum, & alios corrupit, & vitiauit. Sic liberet mihi Iuelli verbis vti, possem dicere eum pertussi laborasse &c. *Sic sancti Patres hoc proprium hæreticorum esse statuunt: ex ore tuo te iudico serue nequam.*

Quod ad sententiam attinet quam Iuellus dicit D. Hardingum in medio abscidisse, falsum est: nam sententia subsequens fuit, neque verò illius omissio sensum Sancti Gregorij, vel tantillum immutabat. Fingit Dominum Hardingum obijcere, quod Sanctus Gregorius, quamuis nomen vniuersalis Episcopi in Ioanne Constantinopolitano damnaret, illud sibi tanquam Sedi Romanæ proprium vendicasse.

Hinc multas sententias Sancti Gregorij contra hunc titulum conglobat, tàm in se ipso, quàm in alijs. Sed quorsum hæc? Cùm nihil tale à D. Hardingo affirmetur: neque in hoc loco disputatur, neque vspiam in eo sensu defenditur, quo damnat Sanctus Gregorius. Hinc insuper titulus à nullo Pontifice vsurpatur, itaque tuus labor Iuelle *est vanitas vanitatum*. Quid enim magis friuolum, quàm in re damnanda vehementem esse, quam nemo asserit. Et tamen Iuellus tam fortiter rem premit, quasi cardo causæ in hoc verteretur. Absurdum est genus logicæ illud refellere, quòd nemo defendit, & illud intactum relinquere ad quod oporteret respondere. Idcircò nihil concludis contra D. Hardingum quando dicis.

Iuellus.

Ex his liquet Sanctum Gregorium Romanum Pontificem permittere noluisse hoc nomen vniuersalis Episcopi cuius alteri Episcopo, neque sibi tribui.

D. Stapletonus.

Fatemur hoc nomen vniuersalis Episcopi, quasi vnus esset pro omnibus, nullus Papa vnquam postulauit, sumpsit, vel vsurpauit. Sed quid ad auctoritatem Papæ Sancti Petri successoris respondes? dicis tandem

Iuellus.

Et vbi Sanctus Gregorius dicit. *Cura, & principatus totius Ecclesiæ Petro committitur*, in eo sensu quo dicitur non negamus. Sanctus Paulus similiter de seipso dicit, *Incumbit mihi quotidiana cura omnium Ecclesiarum*, & præterea dicit. *Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis.*

D. Stapletonus.

so. Verba Sancti Pauli perperam à te renuntiantur. Latinam vulgaram translationem reiecisti, & ex tuo ipsius sensu nouam formasti: Latina, & Græca exemplaria ita habent 2. Cor. 11. *choris ton parectos i episystasis i cath' imeran i merimna pasion ton Ecclesian. Præterea quæ extrinsecus fuit instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum*, sequitur. *Quis infirmatur, & non infirmor? Quis scandalizatur, & non scandalizor?* In hoc sensu, Iuelle, singuli boni præsules, immò Sacerdotes, & Christiani solicitudinem habent omnium Eccles. in Mundo. Greg. lib. 1. epist. 24.

epist. 24. Sed hęc vox *maxima solicitudo est, non cura, & principatus* qualis agnoscitur fuisse in Sancto Petro. Porrò si Paulus electum vas præter omnes Apostolos eandem curam, & principatum, quem Sanctus Petrus supra alios haberet, tamen nullum successorem habuit nisi Romæ, vbi diuina prouidentia ei cum Sancto Petro coronam martyrij communicauit.

Quamobrem illa auctoritas, vel Sancto Paulo abrogata fuit, vel si ad successores translata fuit, Romanæ Sedi peculiarem esse constabit. Sed quod Sanctus Gregorius de longè alia cura, & principatu super omnem Ecclesiam loquitur, quam vnquam in Paulo, aut quouis alio Apostolo fuit, quanquam alij Patres, vt Sanctus Hieronymus, & Sanctus Cyprianus Apostolos pares videntur facere, ex alia illius Epistola colligi potest, quam tu ipse hic citas. Lib. 1. epist. 38. *Certè Petrus primum membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, & Ioannes, quid aliud, quam singularum plebium sunt capita, & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.* Cura igitur, & præeminentia, quam Gregorius Petro tribui fatetur, maior est, & amplior, quàm cura Pauli, aut cuiusquam alterius Apostoli. Iudicent ergo alij vtrùm Iuellus melius Sancti Gregorij sensum nouerit, quàm ipse: hoc itaque miserum est effugium: habet ne alia per quæ elabi possit?

Iuellus.

Sicccine igitur D. Hardingus, Petrus habuit curam totius Ecclesiæ, ergo Papa est Episcopus vniuersalis?

D. Stapletonus.

Non ita ratiocinatur D. Hardingus, sed potiùs hoc modo: *Fatetur S. Gregorius Petrum habuisse curam totius Ecclesiæ sibi commissam. Ergo Primatus Petri iuxta Sancti Gregorij testimonium à Deo ordinatus fuit. Ergo Papa Petri successor primatum habet iure diuino, non lege humana. Ergo auctoritas super omnem Christi gregem in Pontifice Romano esse agnoscitur.* Hoc non solùm Sanctus Gregorius, sed S. Chrysostomus affirmat: Ergo falsitas, quam tu notas nulla est, sed tu illius reus es. Ergo vtrum nomen vniuersalis Episcopi illi attributum fuerit, nec ne, non multum refert. Cùm de ipsissima auctoritate, tam euidenter constet.

Iuellus.

Certè Sanctus Gregorius dicit: *vtcumque Petrus totam curam suscepit, tamen non vocatur vniuersalis Apostolus.* Et fieri ne potest, vt Papa maior esse possit, quàm S. Petrus? S. Gregorius sic rationem format. *Si hic vniuersalitatis titulus ad quenquam pertineret, ad S. Petrum præcipuè pertineret, sed ad eum non pertinet. Ergo nemo hunc titulum potest sibi assumere.* Vndè perspici potest Pontificem Romanum sibi titulum arrogare, quem S. Petrus nunquam habuit, neque quisquam Sanctus, aut pius vnquam sibi arrogare voluit: à quo denique S. Gregorius adeo abhorruit, vt genus blasphemiæ esse existimaret.

D. Stapletonus.

Iuellus semper extra oleas currit, & longè à scopo iaculatur: de eo disputas, quod nemo affirmat, Pontifici calumniam imponis, abuteris candore lectoris tui. Non vocamus Papam vniuersalem Episcopum. Papa non sibi hunc titulum arrogat: *Sed se seruum seruorum Dei scribit.* D. Hardingus nihil tale probare conatur: Quid est hæc tua disputatio, nisi ridicula *sciamachia*.

Iuellus.

Et tamen statum suum auctoritate huius veteris Patris defendet.

D. Stapletonus.

Status Primatus Pontificis ita non solùm scriptis huius Sanctissimi Patris, sed etiam factis confirmatur, quod Iuellus eius auctoritatem (modo illa stare velit) nunquam eludere possit. Sed neque Papa, neque nos titulum vniuersalis Episcopi huius Patris, vel cuiusquam alterius auctoritate defendimus?

Et quoniam Iuellus tot allegationes contra hunc titulum vniuersalis Episcopi coaceruauit, quas tam ambitiosè in margine citat, vt vnam tantùm allegationem ter proferat, & in eadem sententia duas alias allegationes lib. 4. Epistola 32. libro 4. Epist. 38. vnam, & alteram ter citat, cum pro his nouem allegationibus in margine factis libri, & Epistolæ vnica tantùm libri, & tres allegationes epistolarum sufficissent. Et quoniam tanta ambitione ille allegationes suas contra huuc titulum confertim posuit, qui reuera, vt dictum fuit, à nullo Pontifice vsurpatur, aut defenditur in eo sensu, quo S. Gregorius lib. 6. epist. 2. & 24. redarguit (id est solum, & vnicum esse Episcopum exclusis alijs) iam (Deo fauente) declarabo, vtcunque ab illo nomine abhorruit, *illud arrogantiæ signum, nouum nomen, stultum, superbum, pompossum, peruersum, superstitiosum, & impium titulum, nomen erroris, nomen singularitatis, nomen vanitatis, nomen hypocrisis, & blasphemiæ, appellans:* & vtcunque dicit. Item lib. 4. epist. 32. 38. & 39. *Quicunque se nominauerit vniuersalem Episcopum, aut hoc nomen assumpserit, in sua superbia præcursor est Antichristi:* nihilominus vniuersalem auctoritatem super totam Ecclesiam, & singula illius membra per totum Orbem Christianum exercuisse, vt rerum occasiones se offerebant. Sed Iuellus dicit.

Iuellus.

Ratio quam vrget S. Gregorius contra Episcopum Constantinopolitanum, contra Pontificem Romanum perinde valet. Nam dicit: *quid respondebis Christo, qui caput est vniuersalis Ecclesiæ, in tremendo die iudicij, qui sub nomine vniuersalis Episcopi omnia illius membra tibi subijcere conaris:* hæc est definitio vni-

vniuersalis Episcopi. Hanc rationem Pontifex Romanus totam Ecclesiam, & omnia membra Christi sibi subdere conatur. Ergo ex sententia S. Gregorij est præcursor Antichristi.

D. Stapletonus.

Ratio quam vrget S.Gregorius contra Ioannem Constantinopolitanum, non pertinè valet contra Pontificem Romanum: neque verò premitur illa ratio, vt Iuellus sibi fingit. Quoad primum de subiectione totius Ecclesiæ Pontifici Romano, tanquam membrorum suo capiti, & omnium pastori, sanctus Gregorius erit testis, quod hæc subiectio semper erat, & esse debet. Quanquam igitur Ioannes Constantinopolitanus, qui non fuit caput vniuersalis Ecclesiæ iure à sancto Gregorio redargui poterat, quippe totam Ecclesiam sibi prætextu illius ambitiosi, & superbi tituli subdere voluit: tamen Pontifex Romanus (cuius principatus non potest magis exerceri super totam Ecclesiam, quam S. Gregorius exercuit) non potest iure accusari, si illam vniuersalem auctoritatem sibi postulat. Sed sanctus Gregorius illi potissimum vitio vertit non tam quod se caput vniuersalis Ecclesiæ facere voluit, quam quod se solum Episcopum Ecclesiæ (spretis alijs quasi non Episcopi essent, constituere in animo habuit: hoc in sensu sanctus Gregor. non solùm id nomen in Ioanne Constantinopolitano, sed in seipso, aut quouis alio tam asperè configit, & damnat: Ideò ad Mauritium Imperatorem scribens his verbis vtitur: [Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta nouum sibi nomen vsurpare præsumit? vtinam, vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetit vniuersalis? Et certè multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem nouimus incidisse sacerdotes, & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum duas esse personas existimat, quia Deum hominem fieri potuisse non credidit, vsquè ad Iudaicam perfidiam erupit: Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri, & Filio Spiritum sanctum Deum esse denegauit. Si igitur illud nomen (vniuersalis Episcopi) in ea Ecclesia, Constantinopolitana, sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit? Vniuersa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is qui appellatur vniuersalis cadit: Sed absit à cordibus Christianorum istud nomen blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro Beati Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est: sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec vti consueuit (Rationem mox addit) ne dum priuatum aliquid darerut vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuersi.]

In hoc sensu sanctus Gregorius ab illo nomine abhorruit, *vt nomen fuit singularitatis, vel singularis titulus*, alios iure suo defraudans, *vt nomen in quo suo honore alij sacerdotes priuarentur*: sic enim affectabat nomen vniuersalis Episcopi Ioannes Constantinop. quemadmodum nomen vnius tantùm Episcopi pro omnibus significabat. Itaque sanctus Gregorius in epist. 34. lib. 4. eodem tempore ad Constantiam Imperat. missa hoc dicit *Triste valde est vt patienter feratur, despectis omnibus, prædictus frater & Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus*. Et rursùm in alia epistola 38. lib. eodem ad *Ioannem Constantinopolitanum scribit, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus Episcopus appetas solus vocari*? Et in eadem epist. 69. lib. 7. pergit dicere, *generalis Pater in Mundo vocari appetis*, & ad Episcopum Thessalonicensem de Cyriaco scribit huius Ioannis successore pari ratione hunc titulum expetente. *Si vnus, vt putat, vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis*. In hoc igitur sensu tantopere detestatus est hoc nomen sanctus Gregorius, & ob illam causam, quia sensum importabat, qui iniuriosus alijs Episcopis, & Ecclesiæ rectoribus esse posset, numqnam ab illo, neque à suis prædecessoribus, neque à quouis alio Pontifice ex illo tempore, quem Iuellus possit nominare vsurpatum. In alia epist. 46. lib. 4. ad Eulogium Alexandriæ Patriarcham hoc modo scribit. [Veneranda mihi vestra sanctitas nouit vnì per sanctam Chalcedonensem Syodum Pontifici Sedis Apostolicę, cui Deo disponente deseruio hoc vniuersalitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam prędecessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit, quia videlicet, si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur:] Quam rationem in eadem epistola iterum repetit, tanquam præcipuam causam cur ille, & sui prędecessores ab hoc titulo abhorrerent. Hinc patet Sanctum Gregorium hanc rationem non contrà Ioannem Constantinopolitanum protulisse, quia hunc titulum assumendo, vt somniat Iuellus, caput Ecclesiæ fieri voluit, neque verò eo nomine se, & prædecessores suos recusasse, sed quia per hunc titulum talem potestatem affectauit, vt ipse solus Episcopus, ipse solus Patriarcha, ipse solus Sacerdos esset.

Postremò Sanctus Gregorius duabus insistit rationibus contrà Episcopum Constantinopolitanum, cur non debeat vniuersalis appellari Episcopus, vnam rationem reddit cur ipse, & sui prędecessores hoc nomen recusarint. Duæ rationes contrà Episcopum Constantinopolitanum sunt hæ.

Prima, *quia appetit solus Episcopus vocari*, quia sub illo nomine *Patriarcharum nomen cæteris derogatur*: hunc igitur conatum nouum, blasphemum, & Antichristianum existimat.

Secunda ratio, pendet à consequentia, hoc enim modo sequeretur, quod totam Ecclesiam sibi subderet, cuius Ecclesia sæpè se fundatricem, & magistram impiatum hæresium præstiterat: hoc concesso sequitur vniuersalem Ecclesiam periisse vniuersali Episcopo pereunte: illa vna, & altera ratio, cur S. Gregorius ep. 38. lib. 4. & sui prædecessores hoc nomen (quanquam vniuerso Concilio Chalcedonense astipulante, *vniuersales oblato honore vocati sunt*) Respuerunt: non fuit, (quia

(quia ille, & sui prædecessores hoc titulo fierent capita Ecclesiæ, & hanc auctoritatem minimè sibi licitam iudicarent,) sed ne (vt in quatuor distinctis epistolis 32. 36. & 38. lib.4. & lib.7. ep.30. testatur) *si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet hanc omnibus fratribus denegasse videtur*; & per consequens Papa solus, & singularis Episcopus super omnes Christianos esse videretur, quod idem Ioannes Constantinop. iam affectauerat: hoc inconueniens eo nomine significatum, tam prudenter præuiderunt, Pontifices Romani, vt nullus vnquam esset, qui hoc nomen, vel vsurpauit, vel expetiuit, quamuis ab alijs ante S. Gregorij tempora (vt in 18. falsò patebit.) hoc titulo quandoque insignirentur.

Alteram rationem de principatu vniuersalis Ecclesiæ S. Gregorius neque contra seipsum, nec contra suos prædecessores vrget, tùm quod Sedes Apostolica numquam in hæresim inciderat, sed speciali oratione Christi pro Petro primo Episcopo ab hac labe integra conseruatur, *vt numquam deficiat fides eius*, vt in 108. Falsò explicando fusius declarabimus (vnde absurda consequentia in Episcopos Constantinopolitanos translata nihil hic valet) tum quod S. Gregorius ipse (vt prædecessores etiam sui) fuit vniuersalis Ecclesiæ Christi Princeps, & hunc principatum, & primatum per totum Orbem Christianum, vt rerum occasio se offerebat, exercuit, quod ex epistolis ipsius S. Gregorij, Deo fauente, probare volo.

Vt omittam particularem iurisdictionem ipsius Pontificis Romani per totam Italiam, vbi Metropolitanus est, ad quam regionem Iuellus, & socij auctoritatem illius restringere conantur, si saltem iurisdictionem Metropolitanam (Nam vt cumque nonnulli eorum sunt qui suam Diœcesim illi administrandam permittunt, alij sunt qui ab hac excludunt, nullam vt potè iurisdictionem Episcopis deferentes) non illi inuident. Sed vt illam potestatem S. Gregorij intra Italiam, ad quam Roma pertinet, prætereamus: Videamus si placet, quomodo illa vltra Alpes in Septentrionalibus, & Occidentalibus partibus, & trans mare in vniuersum Orbem, tàm Meridiem versus, quàm Occidentem se protendebat.

Iurisdictio, & suprema auctoritas Sancti Gregorij suprà Galliam ex vna epistola 52. lib. 4. [Vniuersis Episcopis Galliarum] directa colligi potest: vbi verbatim hæc scribit. [Quia igitur tunc vnumquodque salubriter completur officium, cùm fuerit vnus, ad quem possit recurri, præpositus; idcircò opportunum esse perspeximus in Ecclesiis, quæ sub Regno præcellentissimis filij nostri Childeberti Regis sunt secundùm antiquam consuetudinem Fratri nostro Virgilio Arelatensis Ciuitatis Episcopo vices nostras tribuere, quatenùs, & Catholicæ fidei integritas, idest sanctarum quatuor Synodorum Deo protegente, solicita deuotione seruetur, etti inter fratres, sacerdotesque nostros aliqua forte euenerit contentio, auctoritatis suæ vigore vicibus nempè Apostolicæ Sedis functus discreta moderatione compescat. Cui etiam iniunximus, vt si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus, & Coepiscopis nostris, salubriter hoc seruata æquitate discuriat, & canonica integritate definiat: Si quam verò contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligenter veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenùs à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari: Et quoniam necesse est, vt ad eum cui vices nostras iniunximus, quoties oportere perspexerit pro facienda collatione aptis debeant Episcopi temporibus conuenire: Hortamur vt nullus mandatis eius inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam vetuerit, aut cuiusdam eum causæ iusta excusatio minimè venire permiserit: Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in Synodum conuenire loco suo Presbyterum, aut Diaconum dirigant: Quatenùs à nostro Vicario, Deo auxiliante, fuerint definita ad eum qui absens est per ipsum quem miserit fida relatione perueniant, vt inconcussa firmitate seruentur, & nullius ea, quæ constituent, audeat excusationis occasio violare.]

Quid ad hæc respondes Iuelle, desine iam mirari, quod Dominus Hardingus *Papæ principatum auctoritate huius sancti Patris defendet*. Hic S. Gregorius Papa Legatum suum habet in Gallia, 2. Et secundùm veterem consuetudinem, 3. Ad fidem conseruandam, 4. Ad emergentes controuersias per se componendas, 5. Aut si grauiores sint, aliorum Episcoporum Synodo terminet, 6. Aut si fidem attingat, res ad ipsum Pontificem deferant, 7. Postremò omnes Episcopi suo Legato parere iubentur. Talis, & tanta fuit auctoritas S. Gregorij lib. 11. ep. 8. & 10. lib. 7. ep. 112. & 115. eam vniuersalis, & eminens super omnes Episcopos Galliæ, & eorum Ecclesias. Quamuis hoc nomine vniuersalis Episcopi appellari, salutari, vel insigniri recusaret. Sunt alia exempla suæ supremæ auctoritatis in Gallia: quippe constat eum monasterijs, & hospitijs priuilegia indulsisse, Episcopos promouisse, &c.

Quod parem auctoritatem, & iurisdictionem in Hispania obtinuit, colligitur ex epistolis, lib. 7. ep. 127. lib. 11. epist. 54. & 50. vbi legimus pallium (Episcopalis est præeminentia tantùm à Papa concessa) ad Leandrum Epis. Hispalensem per commissarium suum Ioannem transmissum cum quibusdam admonitionibus de casibus, & controuersijs à Clero determinandis. Et inter alia scribit de restitutione Ianuarij ad suum Episc. qui à multis Epis. contrà ius depositus quodam Stephano in locum eius suffecto ad Papam appellans ad Episcop. suum à S. Gregorio lib. 11. ep. 53. (Ioanne commissario illius huc in finem in Hispan. misso) restitutus, pœnitentia sex mensium ijs Episcopis iniuncta, qui in illius locum Stephanum consecrare præsumpserant. Stephanum interim deponi, & apud

& apud Ianuarium tanquam captiuum commorari, vel Romam transmitti iussit: Quam sententiam executioni mandat Ioannes commissarius: Et tenor, & forma executionis etiamnum apparet in epist. S.Gregorij.Hanc auctoritatem exercuit S.Gregorius super Ecclesiæ membra, & tamen præcursor Antichristi esse non reformidauit: vt ab Hispania ad Africam veniam, auctoritas quam ibi exercuit ex epist. desumitur: quando in Numidia quidam, qui Donatistæ fuerant, ad Episcop. promoti Metropolitanorum Sedes affectabant, hunc abusum redarguit, & expressè vetat, lib.1. ep. 75. Scribit hoc modo ad Epis. Numidiæ. [Petistis per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriç prędecessore nostro, vt omnes vobis retro temporum consuetudines seruarentur, quas à Beati Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenùs vetustas longa seruauit, & nos quidem iuxta seriem relationis vestræ consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, inuiolatam permanere concedimus. Siue de primatibus constituendis, cæterisque capitulis exceptis his qui ex Donatistis ad Episcopatum prouenirunt, quos prouehi ad primatus dignitatem, etiam cùm ordo eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissę plebis tantummodo curam gerere: non autem illos Antistites, quos Cathalica fides in Ecclesiæ sinu edocuit, & genuit ad obtinendum culmen primatus anteire.]

Ex his verbis perspici potest, quam auctoritatem in Numidia exercuerit, & quas constitutiones sui prædecessores Sedis Apostolicæ ab initio in illa regione ordinauerint. Et quando Paulinus Episcopus Rhegiensis in finibus Africę huius auctoritatis virtute Simoniacè se gesserat in sacris Ordinibus dandis, & aliis enormibus factis perpetrandis, vt Ecclesiastici contrà illum querelas ad Papam deferrent; Sanctus Gregorius lib.10.ep. 33. & 34. Victorem, & Columbum Episcopos Numidiæ cum Chartulario suo Hilario, huic Episcopo præfecit, vt iure cum illo pro meritis suis ageretur.

Rursùs lib.3.epist.35.lib.2. epist.33. Indict. 10. vbi illius regionis Metropolitanus pueros,& infantes ad sacros ordines admisit, mandauit Columbo Episcopo Numidiæ suo Legato, & Commissario, vt illum abusum seueriùs castigarent. Fertur idem fecisse in Donatistarum hæresi extipanda,tunc temporis in Africa repullulante, mandans Columbo, vt Paulinum Episcopum Rhegiensem ad se Romam mitteret, qui huius rei procurator, & auctor fuerat, secundùm canones epaminandum, & corrigendum: Eique pariter præcepit, vt Maximianum ob labem simoniæ deponeret. Accersiuit prætereà Romam Bonifacium,libro eodem, & 4. nobilem Africanum, qui hæreticis fauerat, vt ibi instrueretur, vel saltem caueret, ne extra fidem Ecclęsiæ moreretur. Matth.16.*Hortor vt dum vitæ spatium superest, ab eiusdem Beati Petri Ecclesia cui claues Regni Cœlestis commissæ sunt, & ligandi, ac soluendi potestas attributa, vestra anima non inueniatur diuisa, nè si hìc beneficium eius despicitur, illic vitæ aditum claudat.* Adeò necessarium est (modò fides habenda sit S. Gregorio) Romanæ Ecclesiæ vniri, & sociari.

Proinde in alio loco Dominicum Metropolitanum Chartaginensem laudat ob officium, & obsequium Sedi Apostolicæ præstitum, hoc modo scribens. *Sciens prætereà vnde in Africanis partibus sumpserit ordinatio Sacerdotalis exordium, laudabiliter egistis,quod Sedem Apostolicam diligendo ad officij vestri originem prudenter recurritis, & probabili in eius affectum constantia permanetis. Certum quippe est, quia vestro honori additis quicquid reuerentiæ,ac deuotionis ordini Sacerdotali exhibetis, qui per hoc, vt Vicaria erga vos dilectione astringi debeat inuitatis.*

Sic Ecclesia Africana,non secùs ac Gallia, & Hispania filia fuit Ecclesiæ Romanæ, & illi sanctissimæ Sedi morigera fuit, & subiecta sub Gregorio Papa eo tempore Sedem occupante. Neque ob hanc subiectionem sibi factam veritus est S. Gregorius præcursor Antichristi haberi, vt Iuellus S. Gregorium in hac causa testem profert.

Antequam ad alteram partem Italiæ, & Orientalis Mundi plagas transeamus, non abs re fuerit, si auctoritatem, & iurisdictionem Sancti Gregorii in insulis sitis propè Galliam, Hispaniam, & Africam breuiter attingamus.

Suprema auctoritas quam in illam partem Britanniæ, quæ nunc Anglia vocatur, obtinuit, ex his colligitur quæ ad S.Augustinum cap. 9. & Beda lib. 1. cap. 27. nostrum Beatum Apostolum, primum Archiepiscopum Cantuariensem scripsit in interrogationibus his verbis. *Britannorum omnes Episcopos tuæ fraternitati committimus,vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi auctoritate corrigantur.* Hic Archiepiscopus Cantuariensis à sancto Gregorio Legatus suus in Anglia constituitur, adeoque iure Sedis Apostolicę in omnibus Anglię prouincijs vicem occupat. Et quis non sanctum Gregorium deridendum existimaret, si ipse nulla auctoritate pollens, sed merè externus Episcopus existens, vt successores post tot sæculorum præscriptionem ab illis, qui non solùm obedientiam,sed fidem in qua primum nos Angli Christo nomina dedimus excusserunt, existimantur alium Pontificem sub cuius auctoritate alij corrigi possent, designaret.

In Corsica,& Sardania in hac Occidentali Mundi plaga inter Italiam, & Africam sitis auctoritatem sancti Gregorij epistolæ testantur. Vi huius auctoritatis postquam Ecclesia Sagonensis in Insula Corsicę diù vacasset,mandat sanctus Gregorius,lib.1.ep.76. Episcopo illius loci, vt Ecclesiæ curam suscipiat. *Quoniam,* inquit, *Ecclesiam Sagonensem ante annos plurimos obeunte eius Pontifice omninò destitutam agnouimus, fraternitati tuæ visitationis eius operam duximus iniungendam;* & in sequente epistola 77. lib. eodem transfert Martinum Episcopum alterius Dœceseos in illa Insula ad Episcopatum Sagonensem. *In Ecclesia Sagonensi, quæ iam diù Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundùm petitionis tuæ modum hac auctoritate constituimus sine dubio Sacerdotem,* Eadem auctorita-

ritate eùm quidam Episeopus præ iufirmitate corporis suo munere fungi non posset, scribit ad prædictum Episcopum Leonem præcipiens, vt noua fiat electio, *& tum*, inquit sanctus Gregorius, *ad nos veniat ordinandus*. Idem scribit lib. 7. ep. 50. ad eundem Episeopum Corsieæ Leonem de alio Episcopo simili occasione proprer infirmitatem incumbentis denuò eligendo, lib. eod. 51. *dum fuerit postulatus cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, vestrarum quoque testimonio literarum hùc sacrandus occurrat.*

In Sardinia Sanctus Gregorius lib. 4. epist. 10. ad Fœlieem Episeopum Papæ Legato, in illis partibus Archiepiscopo Iustinianeæ refractarium se præbentem scribit. [Peruenit ad nos, quod fraternitas tua Ioanni Fratri nostro primæ Iustinianeæ Episeopo, secundùm morem parere despiciat, & nec decreto eius, nec relationis, quam ad nos direxit, iuxta consuetudinem valuisse subscribere, quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifestum præbes indicium. Quod quam sit in Sacerdote præcipuè culpabile, diuinæ clamant admonitionis eloquia. Propterea hortamur, vt timore mentis deposito. ordinatori tuo antedicto fratri, & Coepiscopo nostro humilem te exhibeas, ac parere non desinas. Quatenus & Deus gaudeat in vestra fraternitatis concordia, & alij de te sumant bonitatis exemplum. Nam, si, quod non credimus te in superbia manere contigerit, districtam canonicamque disciplinę correctionem contumaciæ tuæ non segniter vlciscenter imponere.] Quidni igitur dicamus S. Gregorium in Sardinia hunc principatum Ecclesiæ sibi vendicasse, eadem authoritate cum Ianuarius Episeopus Neiciæ, illius Insulæ nobilissimæ fœminæ iniuriam intulisset, postquam ad Sanctum Gregorium lib. 7. epist. 56. rem detulisset, ille his verbis vtitur: [Hortamur, vt aut pacifica (si fieri potest) ordinatione definias, aut certè ad deputatum à nobis iudicium personam instructam dirigere non omittas. Ad hoc redemptum nostrum præsentium portitorem illic direximus, vt & partes in iudicio obseruare compellat, & executionis suæ instantiæ ad effectum, quæ fuerint iudicata, perducat.

Obeamus vlterius Dalmatiam, & oras Illyrici. Sanctus Gregorius ad Dalmatiæ Episcopos scribit de inobedientia cuiusdam Natalij Episeopi in illis partibus, qui Honoratum Archidiaconum ad ordinem Sacerdotalem contra mandatum suum promouerat. Ob quam inobedientiam Sanctus Gregorius Lib. eodem epist. 14. hanc sententiam contra Natalium his verbis pronuntiat. [Nos itaque tot iam scriptis admonitum, & hactenùs pertinaciter obstinatum, scriptis iterùm directis per præsentium latorem curauimus admonendum, quatenùs Honoratum Archidiaconum, coniungente statim præsentium latore in priore loco susciperet. Qui iam obdurato adhuc corde contumaciter ad eundem reuocare gradum, si fortè postponeret, vsu eum Pallij (qui ab hac Sede concessus est) pro contumacia tot vicibus admissa priuari præcipimus. Si verò amisso pallio, adhuc in eadem pertinacia perseuerauerit, à Dominici quoque Corporis, & Sanguinis eum participatione submoueri.] Quam sententiam pluribus verbis scribit ad Natalem ipsum eum Episcopatu suo depriuare comminans, nisi sibi parere. Hoc vnicum exemplum sufficit ad declarandum, quanta authoritas fuerit Sancti Gregorij in hac Insula Dalmatiæ.

Ad omnes Episcopos Illyrici varias literas scribit, in quibus constat de sua in illos potestate, eum enim circa illas partes, quidam Episcopi hostium incursionibus, & rapinis suis Ecclesijs exuti, & bonis spoliati fuissent, ille ad Episcopos Illyrici scribit, hoc sibi mandatum habens ab Imperatore, vt istos è suis terris, & bonis eiectos hospitio exciperent, de victu ijs, & de necessarijs prouiderent, & tamen nullam authoritatem in eorum Diœcesibus obtinerent, vndè dicit: [Nullam eis nos in vestris Ecclesijs authoritatem tribuimus, sed eos vestris solatijs contineri summoperè hortamur.]

Hoc certè ridiculè factum fuisset à Sancto Gregorio, si nullam super illos authoritatem obtinuisset. Sed quænam illius authoritas super Episcopos Illyricenses esset intelligi potest, si causam Maximi Episcopi Salonensis in medium proferamus, quem ob inobedientiam Sanctus Gregorius suspensione, & excommunicatione plectebat, cum quo excommunicato quosdam communicantes S. Gregorius lib. 4. epist. 34. lib. 5. epist. 25. & 26. redarguit, & dicit. [Debuistis filij charissimi pensare ordines, quem Sedes Apostolica repellebat, repulsum iri, cognoscere.]

Sed vt clariùs constet de potestate, quam super omnes Prouincias Illyrici, Sclauoniæ, Dalmatiæ, Pannoniæ, Mysiæ, & reliquas exercuit, operæ pretium erit considerare, quousque Archiepiscopus Iustinianeæ primæ Primas, & Metropolitanus earum Regionum ex ordinatione Papæ Vigilij, sub Regno Iustiniani Imperatoris S. Gregòrio se submiserit.

Nam primùm vbi omnes Episcopi Illyrici Ioannem in suum Archiepiscopum, & Metropolitanum Iustinianeæ primæ elegerant, eos his verbis alloquitur. [Iuxta postulationis vestræ desiderium, prædictum fratrem, & Episcopum nostrum in eo in quo est Sacerdotij Ordine constituens, nostri assensus authoritate firmamus, tatamque non eius consecrationem habere, dirigentes pallium, iudicamus. Ad eundem Ioannem scribit, libro eodem epist. 35. pallium illi transmittens, & Legatum illum constituens in ijs Regionibus, vt prædecessores ante fuerunt ab alijs Pontificibus [pallium ex more transmisimus, & vices vos Apostolicæ Sedis agere iterata innouatione decernimus.]

Legimus etiam cùm idem Ioannes Adrianum Episeopum illius regionis deposuisset, Papam Gregorium, lib. 2. epist. 7. eum in dignitatem restituisse, quod testatur his verbis. [Quia ab antefato Ioanne primæ Iustinianeæ Episcopo contra ius, canonesque depositus, honoris sui gradu carere non potuit, in sua eum reformari Ecclesia, atque in

propriæ dignitatis ordine decreuimus reuocari.] In eadem epistola requirit, vt si quicquam aliud contra Adrianum Episcopum accusatum obijci posset, vel à suis decernerettur, vel ad se transmittereiur, [vel per eos qui nostri suut, vel fueruni in Vrbe Regia responsales, si medioctis est quæstio cognoscatur, vel hùc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur, quatenùs nostræ audientiæ sententia decidatur.]

Sic dici potest omnimoda ratione Sanctum Gregorium supremam potestatem (quæ filijs inobedientibus Ecclesiæ tam odiosa est) exercuisse, siue illa sit in Episcopis iniustè de priuatis restituendis, siue in rerum controuersarum decisione, & nihilominùs Iuellus, & socij hunc Papæ Primatum subuertere conantur.

Hactenùs de Occidentali Ecclesia, & de illius Prouincijs, & Regionibus, v. g. Francia, Hispania, Illyrico, Insulis Britanniæ, Corsicæ, & Sardiniæ ex epistolis S. Gregorij tractauimus, & primatum illius, & principatum in rebus Ecclesiasticis satis euidenter declarauimus. Idem propono facere de Orientali Ecclesia, ac de nonnullis illius partibus dicere, quatenùs eædem epistolæ S. Gregorij mihi exempla ministrauerunt. S. Gregorius ad Episcopos Corinthi scribens de Adriano Episcopo, ob quædam crimina in iudicium vocato, & concordantia eum actore facta subito dimisso, se indè offensum esse declarauit, iussitque rem ampliùs discuti, lib. 2. indict, 11. epist. 36. [Quoniam, inquit, ea quæ dicta sunt indiscussa remanere non patimur, Sedis nostræ Diaconum ad ea inuestiganda dirigimus.] Et quam ob causam? sequitur. [Et quoniam qualitas criminis nobis significata vehementer nos mouet non dissimulare, id quod audiuimus.]

Et quid opus fuit S. Gregorio Diaconum à sede sua Corinthum in Græciam mittere ad res iterùm discutiendas, quæ priùs ibi concordatæ fuerant. [Certè dicit cùm accusatores, & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis, hoc nobis necessè est subtilius perscrutari, ne fortè eorum sit compartita concordia.] Et quia rum posteà. Quid hæc ad te S. Gregorij, qui Romæ tantùm Episcopus es? Pergit, & dicit: [Quæ si (quod absit) non ex charitate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est.] Sed quis quæso plectet? Gregorius nihil de sua authoritate dubitans dicit. [Nos qui canonicè, reuelante Deo, mala siquidem vera sunt resecare præcedentia festinamus, commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.] Vidimos igitur hunc sanctum Pontificem plus authoritatis super hos Episcopos obtinuisse, quàm Iuellus, & socij illius, qui præseferunt esse Episcopi, super se exerceri volunt.

Eadem authoritate Gregor. lib. 4. ep. 55. scribens ad Ioannem Episcopum Corinthi, de remedio Simoniæ adhibendo, quam ille, & alij commiserant. [Si quid tale aliquid deinceps fieri senserimus, iam non verbis, sed canonica hoc vltione corrigemus, & de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere iudicium.] In sequente epistola 56. lib. eodem. [Vniuersis Episcopis per Helledam prouinciam constitutis.] Directa eadem serè verba habet, quibus ante ad Ioannem vsus est, [si aliter factum denuò senserimus districta, ac canonica illud noueritis vltione compesci.]

Simili ratione in materia Simoniæ, & corruptelę in Ecclesiasticis dignitatibus comparandis ad Episcopos Epiri scribens, post exhortationem concludit. [Si (quod non credimus) fieri tale aliquid senserimus, canonica illud (vt dignum est) seueritate corrigimus.] Sic S. Gregorius in Græcia non solùm generaliter, sed particulariùs, non solùm per modum exhortationis se eorum rebus immiscuit, sed iure super eos authoritatem habens, eos gubernauit, castigauit, & correctione debita reformauit.

Ad Corcyram veniamus, quæ ad iurisdictionem Metropolitani Nicopoleos in Thessalia pertinebat. Ibi controuersiæ diù pendentis inter Episcopum Corcyræ, & Episcopum Isauriæ decisio, de Cassiope castro illius partis Græciæ pro exemplo satis, superque sufficit. Nam non obstante Metropolitani determinatione authoritas Pontificis Romani, ad hoc negotium confirmandum requirebatur. Itaque S. Gregorius lib. 12. Indict. 7. epist. 2. scribens ad Aleysonum Episcopum Corcyræ, cui Metropolitanus Nicopolitanus iurisdictionem Cassiopes adiudicauerat sententiam, Metropolitani hoc modo confirmat, ibid. epist. 3. [Quoniam Andreas venerabilis memoriæ frater noster, Nicopolitanus Metropolita, innitente quoque sibi principali iussione, in qua ei causæ huius fuerat iniuncta cognitio, prolata (sicut nobis paruit) noscitur statuisse sententia, antefatum Cassiope castrum sub iurisdictione Ecclesiæ tuæ, (quemadmodùm semper fuit) debere persistere formam eiusdem sententiæ comprobantes Apostolicæ Sedis authoritate eam fauente, iustitia comprobamus, confirmamus, atque per omnia robustum manere decernimus.]

Et quia Mauritius Imperator se huic negotio immiscuerat magis, quàm canones permittunt, & in principio ex falsa informatione contra Episcopum Corcyræ sententiam pronuntiauit. *Neque tamen iussio eius* (quia contra leges, & canones data fuerat) *habuisset effectum*, & Episcopo Isauriæ possessionem prædicti castri tradidisset non obstante Metropolitani (quem Imperator ipse huic negotio præfecerat) sententia.

Quia tamen Imperator Mauritius se contra ius, & leges Ecclesiæ huic rei interposuerat iste doctissimus, & Sanctissimus Pater S. Gregorius discreta, & pia moderatione vtens, quo neque principem suum irritaret, neque ius causæ negligeret, noluit suam sententiam pro Episcopo Corcyræ contra iussionem Imperatoris præcipitare, ne (vt ille dicit) [contra iussionem clementissimi Domini Imperatoris, vel (quod absit) in despectum eius aliquid facere videamur.] lib. & epist. prænot. scribens ad Bonifacium Diaconum hoc illi mandat.

[Dilectio tua pietati eius cuncta diligenter insinuet, atque constanter astruat, hoc omninò illicitum, omninò prauum, omni-

nò

nō iniustum, & sacris esse valdè Canonibus inimicum, & ideò hoc peccatum temporibus suis introduci in Ecclesiæ præiudicium non permittat. Sed quid de hoc iudicio iudicatum antefati quondam Metropolitæ iudicium contineat, vel à nobis qualiter, ea, quæ ab illo decreta sunt, confirmata fuerint suggerat, atque id agere studeat, vt cum eius iussione nostra illic sententia transmittatur, quatenùs & serenitati ipsius (sicut dignum est) reseruasse, & rationabiliter correxisse, quæ malè præsumpta sunt, videamur. Qua in re omninò danda opera est, vt si fieri potest, etiam iussionem suam ipse tribuat, in qua ea quæ à nobis definita sunt, seruari præcipiat.]

Vidimus quomodò doctissimus iste Romanus Episcopus sese gesserit, & ex factis illius facilè colligimus, qua authoritate in Orientali Ecclesia etiam in ipsa Græcia vsus sit, tam ad corrigenda, & confirmanda, quàm ad moderanda ea quæ ab Imperatore Mauritio inconsideratè, & iniustè gesta erant. Erat enim iste Mauritius præceps, & inconsideratus, & longè aliter, quàm multi illius prædecessores ad quidlibet contra Ecclesiam moliendam paratissimus, ob quod (quanta conijcere possumus) à iusto Iudice acriter ad extremum punitus erat. Nam vxore, & liberis à quodam sibi subdito eo etiam spectante occisis, ipse postremò eiusdem occisoris furorem expertus est, & miserè trucidatus.

Pari authoritate Athanasium quendam Sacerdotem è quodam Monasterio Lycaoniæ (quæ in Asia minori sita est) ad Sedem Romanam prouocantem, absoluit. Athanasius iste de hæresi accusatus erat, & quia apud eundem liber quidam hæreticus reperiebatur, Ioannes Episcopus Constantinopolitanus Patriarcha illius, contra eundem indignatione accensus erat. Athanasius interim iter Romam arripiens, & de crimine obiecto seipsum coram Summo Pontifice purgans, (librum enim quem repertum dixi idem Ioannes Constantinopolitanus ad S. Gregorium lib.5. epist.64. misit, & quid in illa causa contra eundem Athanasium egisset pariter significauit) discussis tandem rebus omnibus, & plena deliberatione perpensis, Summus Ponti tex eundem his verbis absoluit.

[Ab omni te hæreticæ peruersitatis macula, iuxta professionem tuam liberum esse decernimus, atque Catholicum, & syncerę fidei in omnibus professorem, atque sequacem (Christi Iesu Saluatoris gratia) claruisse pronunciamus. Liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum Monasterium in tuo te loco, vel ordine nihilominùs remeare.]

Quare S. Gregorius in partibus Orientis correxit, confirmauit, & absoluit, prout sese obtulit occasio, idque optimo iure, & authoritate sua propria, nec veritus est ob eam causam Antichristus haberi, aut iurisdictionem aliorum Patriarcharum iniuriosè derogare.

Qualis fuerit Episcopi Romani authoritas in Thessalonica, & alijs Ciuitatibus Græciæ, & quomodo S. Gregorius lib.7. Indict.2. epist. 69. eadem vsus sit, in multis eiusdem epistolis satis apparet, Vno in loco Episcopum eius Vrbis vnà cum alijs eiusdem Prouinciæ Episcopis instruens, quomodo seipsos in Synodo quadam, quæ circa superbum Cyriaci Patriarchæ conatum Constantinopoli celebranda erat, sese gererent, & quid in ea agere deberent particulatim exponens, tandem concludit, in hæc verba: (Vndè iterùm coram Deo, & Sanctis ipsius admonemus, vt hæc omnia summo studio, & tota mentis intentione seruetis. Nam si quis (quod non credimus) scripta præsentia aliqua in parte neglexerit à Beati Petri Apostolorum Principis pace se nouerit segregatum.

Quasi dicat se nouerit excommunicatum, considerate quæso, quàm ineptus, imò quàm impudens fuisset S. Gregorius, sub hac interminatione præcepisse Episcopis, vt scripta illius, & monita obedienter, & diligenter obseruarent, si authoritas, & potestas in eos non fuisset maior, quam aut tunc fuisse, aut hodiè esse debere, Iuellus nobis persuadere conatur.

Idem alio in loco eidem Eusebio Episcopo Thessalonicensi præcipiens, quatenùs Clericos quosdam de delictis conuictos corrigere debeat, & castigare, hunc in modum ad eum scribit lib.9. Indict.4. epist.69. (Hæc igitur frater charissime diligenter attende, & ita stude, vt filios vestros vultos, ac deuotos (sicut decet) habere positis, & hac de causa denuò ad nos querela non redeat.] Certè nisi Episcopus Romanus, ius & potestatem in Episcopos alios haberet, nisi haberet authoritatem indubitatam adhibendi remedium in eiusmodi rebus, stultum esset, & friuolum relinquentes proprios Metropolitanos controuersias in Græcia subortas, Romam deferre, & contra proprios Patriarchas ab Episcopo Romano remedium petere.

Suspicari fortè quispiam poterit, potestatem hanc quam ipse S. Gregorius (qui causam Iuelli contra Romani Pontificis primatum maximè iuuare videtur) in plurimis ijsque remotissimis tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ Prouincijs exercuit, ad inferioris ordinis Episcopos, aut Metropolitanos aliquos fortè, se extendere, quos Episcopus Romanus, vt Patriarcha authoritate sua corrigere, absoluere, confirmare, excommunicare, &c. iure posset, sed in alios Patriarchas eiusmodi authoritatem in causis Ecclesiasticis nullibi exercuisse, ac propterea hanc auctoritatem non fuisse vniuersalem, nec Episcopum Romanum caput, & Principem fuisse omnium, sed reliquos Patriarchas eidem fuisse æquales.

Hæc, inquam, aliquis cui Romani Pontificis authoritas minimè placet, facilè posset obijcere. Sed ad hæc respondeo, illo non exercuisse S. Gregorium eiusmodi potestatem in vllum Patriarcharum, cùm tamen authoritas illius ad Episcopus, illis Patriarchis subiectos sese extenderet, cùmque ex quatuor antiquis Patriarchis nullus superfit, præter Episcopum Romanum, & alios quos ipse constituit, cùm hæc ita se habeant, necessariò sequitur, & S. Gregorius vniuersalem quandam potestatem in omnes illas Prouincias exercuisse, & obiectionem hanc Iuellum, & socios eius, hoc tempore nihil quicquam iuuare, cùm omnis authoritas suprema ad

Patriar-

Patriarcham Romanum deuoluta, in eo solo hodie resideat.

Sed vt clariùs adhuc elucescat, S. Gregorium vniuersalem in omnes sine exceptione, & supremam potestatem exercuisse, duo sunt, quæ breuiter attingere statui, & tum demùm ad Iuellum, & illius replicam regrediar. Primò ostendam, idque ex ipsius S.Gregorij scriptis (vt antea feci) Patriarcham Constantinopolitanum (qui tamen plus quàm cæteri Sedi Romanæ semper recalcitrauit) Episcopo Romano subiectum fuisse. Tum ex testimonijs generalibus euincam, Sedem Romanam in omnes Ecclesias primatum, præeminentiam, & authoritatem principalem obtinere.

Nemo vel mediocriter versatus in historia, nescire potest, qua elatione animi, & ambitione Ioannes Constantinopolitanus titulum vniuersalis Episcopi ambierit, & eo sensu ita nominari voluerit, quasi solus Episcopus, in omnes, & pro omnibus Episcopalem potestatem exercens, vt superiùs ex S.Gregorio ostendimus, qui certè facilè præsumi potest, nec ignorasse quo sensu Ioannes nomen illud affectans, idipsum acceperit, & vsurpauerit, & ea prudentia, & charitate præditum fuisse, vt alium quam ipse Patriarcha prætendebat sensum eidem imponere, aut imputare, vllo modo voluerit.

Nam si aliquid eiusmodi tentasset, apud omnes alias Ecclesias, quibus causa illa discutienda commissa erat, nimis euidentem imprudentiæ notam incurrisset, & Mauritij Imperatoris (qui conatui Ioannis hac in re imprimis fauebat, & qui S Gregorio in omni occasione parum propitius extitit) indignationem vehementer auxisset, & accendisset. In hoc ergo insolentissimo, & iniustissimo Patriarchæ Constantinopolitani conatu, quid egit Episcopus Romanus, quomodo se gessit? Attendite.

Primò Pelagius S. Gregorij prædecessor (sub quo Ioannes iste titulum hunc sibi arrogare primùm præsumpsit, & vt eundem stabiliret Synodum coegit:) Greg. lib.4. epist.36. *Directis literis ex authoritate Sancti Petri, eiusdem Synodi acta cassauit*, & Diaconum suum, qui tunc temporis legatione pro eo Constantinopoli fungebatur, nec familiaritate, aut consuetudine illius vteretur planè prohibuit.

Hæc fecit Pelagius, sub quo insolens ille conatus primùm erupit. Sed quid præstitit S. Gregorius, qui eidem Pelagio in Pontificatu successit? Quid, inquam, S.Gregorius vir tantæ humilitatis, vt, verbo imperandi (afferente Iuello) vix adduci posset, vt vteretur? An ab exercitio eiusdem authoritatis, qua prædecessores illius vsi dignoscebantur, abstinuit? An quia Sanctus erat, & doctus, ab illa superioritate, & primatu, quo prædecessor illius vsus est, abhorruisse eundem arbitrabimur?

Imò de insolenti contumacia Maximi Episcopi Salonæ in Illyrico, qui literas Pontificis Romani, spectantibus multis palam in Ciuitate dilacerasset, expressis verbis ait, Gregor. lib.7. Indict.1. epist.1. *Ante paratus sum mori, quàm Beati Petri Ecclesiam meis diebus degenerare*. Et de authoritate, & obedientia eidem Ecclesiæ debita loqui se, apertè exprimit. Quare in hac ipsa causa Ioannis Constantinopolitani, cui etiam Mauritius Imperator, (S. Gregorio lib.6. epist.30. vbique plus æquo infensus, vt priùs insinuaui) apprimè fauebat, & Pontifici mandabat, *vt pro appellatione friuoli nominis inter eos scandalum generari non debeat*, Pontificem Romanum intelligens, & Patriarcham Ioannem, primò modis omnibus blandè, & benignè cum eo egit, sed cum hac via nihil proficere se intelligeret, tandem Prædecessoris sui Pelagij vestigia sequi statuit.

Primò ad eundem Ioannem literas eruditione, & amore perfusas scripsit, omnibus quibus potuit argumentis suadens, vt inani, & inuidioso titulo, quem arripere nefario conatu lib. 4. epist. 38. lib. eodem epist.34. [contra Euangelicam sententiam, humilitatis regulam violans; contra Beatum quoque Petrum Apostolum illicitam superioritatem affectans, & contra omnes Ecclesias, cupiens esse Episcopus solus, contráque Canonum statuta tentauerat:] quam primum velit abrenunciare.

Et de hoc suo procedendi modo sic loquitur. [Ergo per responsales meos semel, & his verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corrigere studui. Nunc per me scribo; Quicquid facere humiliter debui non omisi.] Et quia Imperator, vt dixi, Patriarchæ in hoc conatu palam patrocinatus est, nec audire voluit Summum Pontificem, quicquid in contrarium afferret. S. Gregorius (non personam propriam, sed Sedem quam occupabat respiciens) ad Constantiam Imperatricem in hunc modum scribit, lib.eodem epist.34. [Hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat, quia etsi peccata Gregorij tanta sint, vt pati talia debeat, Petri Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereatur.]

Hoc modo Sanctus, & mitis Pontifex, cum ipso Ioanne Patriarcha, hoc modo cum Imperatrice egit, de quo procedendi modo ad ipsum etiam Mauritium Imperatorem scribit in hæc verba, lib.4.epist.32. [Ego Dominorum iussionibus obedientiam præbens, prædicto consacerdoti meo, & dulciter scripsi, & humiliter, vt ab hac inanis gloriæ appetitione sese emendet, admonui. Si igitur me audire voluerit, habet deuotum fratrem, si verò in superbia persistit, iam quid assequatur aspicio.]

Hæc Sanctus Gregorius, cum Patriarcha illo benignè, & humiliter procedens. Sed ad extremum, quid tandem egit? Nempè quod prædecessor illius Pelagius, idipsum planè præstitit. Quid tandem? Cùm post mortem huius Ioannis successor eiusdem Cyriacus, alio prætextu Synodum conuocasset, nomine illius Synodi inanem hunc titulum vniuersalis Episcopi, vtpotè vnici, solius, & pro omnibus obtinere, & stabilire instituens, Sanctus Gregorius de ea re ad Eusebium Episcopum Thessalonicensem, cum multis alijs Episcopis literas suas dirigens, & certiores eos faciens, quatenùs prædecessor illius Pelagius priorem Synodum, de eadem re habitam Apostolica sententia condemnasset, prohibens pariter Legatum suum ne quid

commer-

commercij, aut familiaritatis cum eodem Ioanne deinceps haberet, hæc scribit Gregor. lib. 7. epist. 69. Indict. 2. [Cuius recti-tudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione, Deo protegente, seruamus.]

Quibus verbis profitetur, se prædecessoris sui vestigijs velle inhærere, & quod ipse priùs fecerat similiter facturum. Quare ad Anianum Diaconum Constantinopolitanum scribens, eumque admonens, vt ab omni consuetudine cum Ioanne illius loci Patriarcha penitus abstineret, secundùm sententiam Prædecessoris sui, ait, lib. 4. epist. 39. [Sicut tibi iam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas.]

Et quia Mauritius Imperator instigante Ioanne Patriarcha per literas suas S. Gregorium iusserat, vt cum Ioanne Patriarcha pacem susciperet, vnde idem Anianus Diaconus, indignationem Imperatoris subueritus, qui sibi agendum esset dubius hæreret, ad eundem S. Gregorius in hunc modum scribit, ibidem: [Tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc sæculo alta esse videt, contra veritatem, pro veritate despiciat. In Omnipotentis Dei gratia, atque B. Petri adiutorio confidat, vocem veritatis recolat, dicentis. Maior est, qui in Cœlis est, quàm qui in Mundo, & in hac causa, quicquid agendum sit, cum summa authoritate agat.

Enimuerò planè dilyrus fuisset S. Gregorius, si hunc in modum Diacono Constantinopolitano præcepisset, ne vnquam cum Patriarcha suo *procedere* aut *commercium habere præsumat*, sed vt quicquid agendum sit *summa cum authoritate agat*, præsertim in causa vbi Principis indignatio indubitate imminebat, nisi authoritatem, & potestatem Patriarcham exploratissimam, nisi optimum fundamentum, cui inniteretur, & securum contra Principis indignationem refugium, in promptu haberet.

Certè fundamentum hoc, securum hoc refugium non fuit aliud, quàm suprema potestas in vniuersam Ecclesiam, S. Petro, cuius ipse successor erat, concessa, cuius intuitu Ecclesiam Constantinopolitanam Sedi Romanæ subiectam esse iste pius pariter, & doctus Pontifex indubitanter sibi persuasit.

Quod Sanctus iste Pater alio in loco expressè affirmat, dicens, Gregor. lib. 7. epist. 63. [De Constantinopolitana Ecclesia (quod dicunt) quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & Dominus pijssimus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem Ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.] Vsque adeò indubitata erat hæc causa illis, præsertim temporibus. Et vt verbis paucissimis euidentissimum huius rei exemplum Lectori exhibeam, quid idem S. Gregorius proximè insequenti epistola scribat, attendite: [In quodam crimine Bizancenus. Primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator, eum iuxta statuta Canonica per nos voluit iudicari, sed acceptis decem auri libris tunc Theodorus magister obstitit, vt minimè fieret, tamen pijssimus Imperator, admonuit vt transmitteremus, & quicquid esset Canonicum faceremus.]

Hæc Sanctus Gregorius, lib eodem ep. 64. quibus innuit, tam Imperatorem ipsum, quàm eiusdem vrbis Episcopum agnouisse, Ecclesiam Constantinopolitanam Episcopo Romano subiectam esse. Et ratione huius iurisdictionis, & authoritatis Episcopus Romanus Legatum suum Constantinopoli commorantem, qui illas iustitiæ partes, quæ ad eiusmodi officium pertinebant, exequeretur, plerumque retinuit. Imò ipse Sanctus Gregorius dum prædecessor illius Sedem occupabat, officio Legati ibidem fungebatur, quo tempore Commentarium suum in librum Iob ipse conscripsit, vt tam ipse Sanctus Gregorius ad Leandrum sanctum Episcopum in Hispanijs scribens, quàm Venerabilis Beda in historia Angliæ testatur.

Et cùm Phocas per violentiam, & apertam proditionem imperium occupans, Legatum Sedis Apostolicæ nequaquam reperiret, & ob eam causam succensere videretur, Sanctus Gregorius lib. 11. epist. 43. ad eum in hunc modum scribit: [Quod permanere in palatio iuxta antiquam consuetudinem Apostolicæ Sedis Diaconum vestra serenitas non inuenit, non hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit.]

Hic mos erat, hæc Episcopi Romani authoritas tempore Sancti Gregorij, hæc, inquam, à maioribus accepta, ab eodem retenta, & in vsu posita fuit, authoritas certè non solùm in Occidente per totam Ecclesiam Latinam, sed in Oriente etiam per Ecclesiam Græcam propagata.

Pauca hæc exempla Ecclesiasticæ iurisdictionis, quàm Sanctus Gregorius tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia exercuit, subieci, iam tandem, vt huic rei colophonem adijciam, pro indubitato, & irrefragabili argumento, quo suprema hæc authoritas in vniuersa Ecclesia astruitur, nonnulla Sancti huius Patris (vt Iuellus eum nuncupat) aperta testimonia in medium proferamus, & consideremus.

Primò quod attinet ad prouocationes à Patriarchis, & Metropolitanis, in casu quod ij alicubi desiderentur, hæc habet Gregor. lib. 11. epist. 54. [Si dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia à Sede Apostolica, quæ omnium Ecclesiarum Caput est, causa audienda, ac dirimenda fuerat.] Ecce Iuelle, (hoc obiter noto) sententiam euidentissimam, vnius Patris, qui à te Sanctus agnoscitur, & appellatur, & intra annorum numerum à te assignatum, vixit, qui Sedem Apostolicam *Ecclesiarum omnium Caput* nuncupat, quod periude est, ac si Caput Vniuersalis Ecclesiæ eandem nominaret.

Quare Iuelle, si promissis stare volueris promissis bis è suggesto, è prælo bis, & ampliùs magna ostentatione emissis, iam tandem debes subscribere, quod si facere recuses, id quod res est, necessariò fatendum est, nugacissimum impostorem esse te, nec veritatem ipsam, vt præ te ferre videris, quærere, sed per verborum ambiguitates, populum Dei perniciosissimo exemplo eludere.

In alia epistola à Ioanne quodam Episcopo ad eundem Sanctum Gregorium lib. 10. epist. 59. missa, hæc legimus. [Quibus ausibus ego sanctissimæ illæ Sedi, quæ vniuersali

Ecclesiæ iuta sua transmittit præsumpserim obuiare?] Quasi diceret, à qua Vniuersa Christi Ecclesia dirigitur instruitur, & gubernatur. Sed ipsum Sanctum Gregorium lib. 7. epist. 115. iterùm audiamus. Sic loquitur: [Ea quæ semel Apostolicæ Sedis authoritate sancita sunt, nihil egent firmitatis.] Similiter de Synodo quadam loquens, quam Patriarcha Constantinopolitanus cum alijs quibusdam Episcopis, congregare voluerat, & ad alios scribens Episcopos, & admonens ne vllo modo eidem congregationi consentirent, sic scribit, lib. 7. epist. 69. [Sine Apostolicæ Sedis authoritate, atque consensu nullas quæcunque acta fuerint vires habent.]

Et omnes sine vlla exceptione Episcopos, Episcopo Romano subiectos esse, quando aliquid contra Canones admissum erat, (alioquin enim fratres erant, & quodammodò æquales) hic vnicus Sancti Gregorij locus sufficienter, & expresse indicat.

Episcopus Constantinopolitanus, de crimine quodam accusatus, largitionibus effecit, ne ad Sedem Apostolicam negotium deferretur, posteà tamen humilem simulans submissionem iudicis sui sententiæ stare, paratum se esse præ se ferebat.

De hac re tractans S. Gregorius lib. eod. ep. 64. hunc in modum scribit: [Valdè dubium est vtrum purè, an certè, quia à Coepiscopis suis impetitur, nobis modò talia loquatur. Nam quod se dicit Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.] In his verbis Sanctus Gregorius tria docet, omnia certè, in hoc præsertim schismatis, & rebellionis tempore, notatu dignissima.

Primò, Patriarcham Constantinopolitanum vnum è præcipuis, subijci se Sedi Romanæ palam confessum esse.

Secundò, omnes quoscunque, & qualescunque Episcopos, modò in aliquo crimine deprehensi fuerint, Sedi Romanæ, vt præcipuæ, & principali subiectos esse.

Tertiò, hanc subiectionem, non esse seruitutem, vt Iuellus alibi illam appellat, aut meram subiectionem, vtpotè ea est, qua populus principi suo, aut seruus Domino subijcitur: nam nisi culpa separet, omnes æquales sunt secundùm rationem humilitatis, sed semel admissa culpa æqualitas in rigorem iustitiæ, & auctoritatem commutatur.

De hac auctoritate, & potestate, quæ non solùm ad correctionem illius, quod obliquum est, sed ad alias etiam res sese extendit, S. Gregor. lib. 2. ep. 30. alio in loco sic scribit: [Quanto Apostolica Sedes Deo auctore cunctis prælata constat Ecclesijs, tanto inter multiplices curas, & illa nos valdè solicitat, vbi ad consecrandum Antistitem nostrum expectatur arbitrium.] Ergo hac etiam in causa, de confirmatione Episcoporum, qui consecrandi, & ordinandi sunt, auctoritas Episcopi Romani necessariò requiritur: quia Sedes Apostolica *cunctis, Deo auctore, prælata constat Ecclesijs.* Hoc etiam in tribus eiusdem Sancti Gregorij locis priùs accepimus, ita nimirum à Christo ordinatum esse, dum S. Petrum reliquorum Apostolorum caput constitueret.

Hæc tria sacræ Scripturæ loca ab eodem S. Gregorio lib. 6. in alia epistola eodem modo applicantur, vbi sic scribit: [Quis nescit sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam? Qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à Petra vocaretur. Cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum. Cui rursus dicitur. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannes amas me? Pasce oues meas. Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis Sedes in auctoritate conualuit. Quæ etiam in tribus locis vnius est, ipse enim sublimauit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam agere dignatus est. Ipse decorauit Sedem in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit Sedem in qua septem annis quamuis discessurus sedit.]

Denique ex S. Gregorio satis constat, Sedem Apostolicam eam esse, de qua ipse dicit: [Cui præsidemus pro ipso principatu sola in auctoritate conualuit.] Huic eidem Sedi, ait: [Episcopos omnes subijci, si qua culpa in Episcopis inueniatur.] Hanc Sedem appellat [Caput omnium Ecclesiarum, & cunctis prælatam Ecclesijs.] Quicquid hæc Sedes determinauerit, [nihil eget firmitatis;] & sine auctoritate huius Sedis, [vllas, quæcunque acta fuerint, vires habent.] De qua etiam Sancto Gregorio consentiens S. Augustinus ait: [Cui primas dare nolle, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.] Sic tandem huius sanctissimi Patris auctoritate status Sedis Apostolicæ stabilitur, & confirmatur; & huius Sancti Patris testimonia quantum iuuerint D. Hardingi causam, ex his, vti spero, satis constat.

Et vt omnes verè Angli, qui rectæ fidei beneficium, vt par est, æstimant, quibus Christiani nominis professio cordi est, qui quod maiores nostri ad fidem catholicam, & futuræ gloriæ spem perducti sint, Deo sese deuinctos recognoscant: vt omnes inquam fideles Angli Primatum Episcopi Romani vsu, & praxi sub hoc pio, & Sancto Pontifice Gregorio cognitum, & confirmatum libentius considerent, promptius agnoscant, & auidius amplectantur: eos omnes rogatos volo, vt legant, considerent, & in memoria teneant, quàm honorificum de hoc S. Gregorio lumen Angliæ nostræ venerabilis Beda testimonium perhibeat, & quantum eidem præ omnibus alijs meritò debeamus.

De eo Beda lib. 2. cap. 1. sic scribit: [De quo, scilicet Gregorio, quia nostram, idest, Anglorum gentem de potestate Sathanæ ad fidem Christi sua industria conuertit, latiorem in nostra Historia Ecclesiastica facere mentionem, quem rectè nostrum appellare debemus, & possumus Apostolum. Quia cùm primùm in toto Orbe gereret Pontificatum, & conuersis iam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesijs; nostram gentem, eatenus mancipatam idolis, Christi fecit Ecclesiam, itaut Apostolicum illum de eo liceat proferre sermonem:] Quia etsi alijs non est Apostolus, sed tamen nobis est: 1. Cor. 9.

Nam

Nam signaculum Apostolatus eius nos sumus in Domino. Hæc Venerab. Beda. Hic is est Pontifex, Apostolus noster, qui vniuersalem in omnes, qui tunc erant Orbis Christiani prouincias potestatem exercuit. Absit, absit à cordibus Anglorum, vt quisquam eorum credat, Antichristum quendam (qualem eundem ratione vniuersalis auctoritatis appellant) nos Anglos ad Christi fidem perduxisse. Nihil dubitet quisquam, quin fidei semina, quæ posuit, & auctoritas, quam vsu, & praxi stabiliuit, cum per tot sæcula fæliciter creuerint, dextra Dei plantata fuerint.

Iuellus.

Si iam viueret S. Gregorius, vt olim ad Imperatorem Mauritium, ita hodiè exclamaret; *O tempora! O mores!*

D. Stapletonus.

Enimuerò si hodiè viueret S. Gregorius vt olim, ita in præsenti exclamaret, vt in lib. 5. ep. 54. 49. sed non clamaret contra nos, qui fidem à S. Aug. quem ipse miserat, plantatam firmiter retinemus. sic S. Greg. l. 7. ep. 5. 30. 113. fidem adhuc retinemus plantatam à S. Aug. quem idem S. Gregorius Episcopum Cantuariensem creauit, vt in lib. 9. ep. 52. 58. quem etiam in Epist. suis tantopere laudat lib. 12. epist. 31. Non clamabit contra nos, qui in obedientia Sedis Apostolicæ, quam ipse aliquando rexit, & in ea per Orbem vniuersum, vt declaratum est, auctoritatem exercuit, adhuc magno honoris, & fortunarum nostrarum dispendio constanter persistimus; qui sacrificium Missæ quotidiè celebramus: qui pro defunctis oramus, qui Sanctos inuocamus, qui Christum in Eucharistia adoramus, qui septem Ecclesiæ Sacramenta fideliter colimus: quæ omnia ipse S. Gregorius, & fide tenebat, vt in vsu habuit: sed contra te tuosque Iuelle nequissime exclamaret, qui facta Apostoli nostri, quem ipse ad nos direxit, *occisionem piorum* nuncupatis: qui maximum quod Deus vnquam genti nostræ impertiuit beneficium, conuersionem nempè ad fidem, impudenter abnegatis, nempè vt vosmetipsos Apostolos, si Dijs placet, statuatis; qui ipsum S. Gregorium Antichristum nuncupatis, & omnes successores illius eodem ornatis titulo. Et quamobrem? Nempè quia vsurpant (non nomen illud insolens, quod ipse Sanctus maximè abhorruit, nec vllus Pontifex vnquam suscepit) sed supremam illam in Ecclesia Dei potestatem, quam S. Gregorium exercuisse Sole meridiano clarius est. Contra te, inquam, Iuelle, qui cùm nomen, & locum Episcopi vsurpatione occupes, omnes, qui in eadem Sede præcesserunt, dijudicas, & damnas. Contra te, inquam, qui S. Gregorij sententias corrumpis, qui scripta illius fabulas appellas, qui alibi eundem Doctorem *neotericum, & obscurum* indigitas: contra te, inquam, meritissimè inclamaret, *O tempora! O mores!*

Iuellus.

Vsque adeò testimonia S. Gregorij causam D. Hardingi promouent.

D. Stapletonus.

Et quid Iuellus lucratus sit ex his S. Gregorij testimonijs, nemo non intelligit. Profectò testimonia S. Gregorij causæ D. Hardingi tantopere fauent, vt, si iudicio eius stare voluerit Iuellus, supremam in Ecclesia Dei potestatem S. Petro à Saluatore commissam, & à S. Gregorio, & successoribus suis in vsu positam fuisse, necessarijs argumentis fateri cogatur. Vsque adeò te, Iuelle, testimonia S. Gregorij adiuuant.

D. Hardingus diuis. 5.

Sanctus Cyprianus ostendens contemptum summi Sacerdotis (qui est Christi Vicarius in terris) causam esse schismatum, & hæresum, ad Cornelium Pontificem, & Martyrem scribit in hunc modum: *Neque aliundè hæreses ortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex Christi vice cogitatur.*

Iuellus.

Falsum 94. Nam Cyprianus ibi loquitur de quolibet Episcopo seorsim, non de Episcopo Romano solo.

D. Stapletonus.

Si Cyprianus ibi loquatur, non de Episcopo Romano solo, vt tu Iuelle affirmas: tum certè de eo loquitur, (licèt non de eo solo) nec aliud verba D. Hardingi præseferunt. Ergo falsum non est quod ipse asseruit. Imò certum est non sensisse D. Hardingum locum hunc ad Episcopum Romanum restringendum esse, sed de quolibet particulari Episcopo in propria Diœcesi certè intelligi posse. Ergo in hoc conueniunt D. Hardingus, & Iuellus: quare in vno falsum dici, nec debet, nec potest, nisi in altero etiam falsum sit. Imò in vtroque.

D. Hardingus.

Cui fraternitas vniuersa (idest, vniuersus populus Christianus: & ad inuicem fratres appellati erant Christiani omnes in Ecclesia primitiua) *obtemperaret &c.*

Iuellus.

Falsum 95. Quod in manifesta corruptione, & falsificatione Cypriani consistit.

D. Stapletonus.

Vbi ratio suadet contrarium, ibi non est corruptor, aut falsarius in translatione. Manifesta corruptio, animum decipiendi, & fraudem importat. Fraudem nullam hoc in loco

loco admissam esse ausim asserere, etsi cum Episcopo Sarisburiensi non cum Ioanne Iuello agerem, eum iudicem in hac causa constituere nequaquam formidarem.

Nam primò, si locus iste non solùm de quolibet Episcopo particulari, sed de Episcopo Romano etiam intelligatur (vt ipse Iuellus fatetur) tum quandoquidem apud nos Catholicos certum, & indubitatum sit, *vniuersam fraternitatem* Episcopo Romano subiectam, esse vniuersum populum Christianum: id est, certè *vniuersam fraternitatem*, vniuersum populum Christianum interpretari, tantùm abest à manifesta, & affectata falsificatione, vt nihil quicquam falsi in se habeat. Si quod pro indubitato Catholici supponimus, nempe vniuersam fraternitatem, idest, vniuersum populum Christianum Episcopo Romano subiectum esse, id falsum esse Iuellus contendat, intelligat oportet nos nihil aliud ex hac parte asserere, quàm quod ab ipsis Sanctis Patribus didicimus. S. Chrisostomus lib. 2. de Sacerd. ait: *Christus sanguinem suum fudit, vt redimeret oues, quarum curam, tum Petro, tum successoribus suis commisit*. Ab his ouibus quas Christus sanguine suo redemit nullam populi Christiani partem Iuellus vt spero excludet. Ergo ex sententia Sancti Chrysostomi Christianorum vniuersitas est grex ouium, non solùm Sancto Petro, sed & successoribus eius, idest, Episcopis Romania commissus. S. Ambrosius in Com. in 1. Tim. 3. de illa Ecclesia loquens quam S. Paulus *Columnam, & firmamentum veritatis* appellat, hæc verba addit: *Cuius hodiè rector est Damasus*. Hæc Ecclesia, quæ Columna, & firmamentum veritatis à S. Paulo appellatur, non est aliqua Ecclesia particularis, aut pars gregis Christi, sed vniuersalis, vniuersum populum Christianum complectens. Venerabilis Beda hist. 2. cap. 1. In 14. cap. Marci summum Pontificem. S. Greg. appellat, *Prælatum Ecclesijs iamdudum ad fidem conuersis*. S. Hieronymus ait: *Christum S. Petrum super familiam suam constituisse, vt sub vno Pastore vna fides sit*. In familia Christi, & sub vno pastore, vna est fraternitas, vniuersus populi Christiani cætus. Ergo hoc modo, vt D. Hardingus fecit, vniuersam fraternitatem Episcopo Romano subiectam, vniuersum populi Christiani cætum interpretari, non est falsum committere, aut S. Cyprianum falsò interpretari, quandoquidem, vt ipse Iuellus fatetur, S. Cyprianus tam de Episcopo Romano quàm de alijs Episcopis loquatur.

D. Hardingus.

Inter Canones à 318. Episcopis in Concilio Niceno editis, qui numerum septuagesimum attigerunt, & exceptis 20. omnes ab hæreticis in Oriente combusti erant.

Iuellus.

Falsum 96. stultitia admixtum, vt constabit.

D. Stapletonus.

Si hoc falsum sit stultitia admixtum, tum certè tu ipse Iuelle falsum, idque stultitia admixtum protulisti. Hæc enim sunt verba tua Iuelle in contextu tuo proximè subsequente. *Verus, & genuinus Athanasius, de quo nulla nobis dubitatio est, asserit Arianos in Alexandria Catholicorum libros, & Canones etiam Concilij Niceni sub Imperatore Constantio, & Iulio Pontifice Romano combussisse*. Et huius rei testem *Athanasium in epistola ad Orthodoxos* in margine citas. Iam verò, etsi quod de epistola Athanasij referas manifestè falsum sit, nam perlegat illam epistolam quisquis voluerit, de canonibus Niceni Concilij per totam illam epistolam ne verbum quidem inueniet, tamen magna est dementia Iuelle, id pro falso notare, quod ipse continu[o] pro vero, & indubitato affirmas. Atque ita breuiter, & compendiosè hoc falsum in te retorquere possem.

Sed quia falsum vnum non rectè defenditur, aliud falsum ab aduersario prolatum allegando, etsi quoad aduersarium hoc genus respondendi sufficiens videri possit, iterum assero, & affirmo, eiusmodi canones, & eo quo asseruntur numero ab Arianis in Vrbe Alexandrina combustos esse.

Huius rei testes petis? Afferimus epistolam S. Athanasij, & aliorum Episcoporum, qui ad Marcum Episcopum Romanum scribunt, & in literis suis de ea re conquerunt. Afferimus etiam epistolam Iulij Pontificis, qui eo ipso vixit tempore, & ad Episcopos quosdam in Oriente scribens, qui eidem interfuissent, 24. canones refert, præter eos 20. qui in Concilio communiter reperiuntur.

Præter hæc omnia, multi Canones Niceni Concilij à Patribus citantur, qui inter Canones Niceni Concilij, vt nunc extat, haud reperiuntur. Quorum canonum fit mentio specialis, aliquorum saltem, & contra Nouellum colliguntur, & collecti nuper eduntur, quos hoc in loco referre esset superuacaneum, ad illum locum Lectorem remitto.

An non hæc satis ostendunt, eiusmodi canones deperditos esse? Iulius Pontifex, & Athanasius, an non satis locupletes testes sunt, qui D. Hardingum à crimine falsi liberent? Nequaquam. Siquidem qua vtriusque eludat testimonium Iuellus technam adinuenit. Nam primo quod ad Athanasium attinet, epistolam illius ad Marcum fictam esse affirmat. Sed quomodo illud probat? Nempè postquam dixerat (vt in superioribus illius verbis accepistis) verum, & indubitatum Athanasium de combustione eorum canonum ad Iulium Pontificem scribere, hæc addit.

Iuellus.

Sed D. Hardingi Athanasius, aut adeò immemor est mendaciorum suorum, aut adeò impudenter negligens, vt quid dicat parùm curet. Nam de hac combustione ad Marcum Pontificem conqueritur, qui ante Iulium, Ecclesiam Romanam rexit, & ante canones combustos ad spatium 9. annorum è viuis ereptus erat. Per hos scilicet testes, & huiusmodi Doctores D. Hardingus Romanæ Ecclesiæ auctoritatem suffulcit.

D. Sta-

D. Stapletonus.

Supponamus ita esse, vt Iuellus ait : Athanasium ad Iulium Pontificem de combustione canonum Niceni Concilij etiam post mortem Marci Pontificis scripsisse. An tibi, Iuelle, impossibile videtur eosdem canones in diuersis exemplaribus, & diuersis temporibus combustos fuisse? Quidni primò vi-nente Marco Pontif. comburi potuerint, tum deinde accepto ab eodem alio exemplari (quod Athanasius per literas suas ab eo petebat) sub Iulio Pontifice iterum comburi? Ecqua hæc in re contradictio? Aut quomodo vnquam probare poterit Iuellus eiusmodi Canones ante tempora Iulij Pontificis non fuisse combustos?

Hoc certum est hæresim Arianam Ecclesiam Alexandrinam, vbi hi Canones comburi dicuntur longè ante tempus Iulij Pontificis egregiè diuexasse. Soc. lib. 1. c. 35. 30. & seq. Et Athanasius regnante Constantino Magno missus erat in exilium, illud procurantibus Eusebio, Theogni, Mario, & alijs Arianis, qui multas, & graues accusationes contra eum excitabant.

An non facilè erat ijs, qui Episcopum ipsum exilio mulctarunt in Bibliothecam illius irruere, libros illius comburere, & illos imprimis Canones in quibus pestilentissimæ illorum hęreses eor tantisque testimonijs condemnatæ erant? Quod certè probabilius videbitur, si consideremus, quomodo in canonibus illius Concilij Niceni, qui nunc extant, de hæresi Ariana (contra quam nihilominus illud Concilium principaliter conuocatum cognoscitur) ne vocula aliqua, aut sillaba reperiatur.

Quare licèt verum esset Canones sedente Iulio in Pontificatu fuisse comhustos, & (quod Iuellus falsò affirmat) Athanasium de ea re ad Iulium scripsisse; Nihilominus Athanasius, nec mendax, nec sui immemor, nec falsarius impudens, (vt Iuellus illum appellat) habendus est, quandoquidem vtraque hæc dicta, si turbulentum Ecclesiæ Alexandrinæ statum, tam sub Marco summo Pontifice, Imperâte Constantino Magno, quàm sub Iulio regnante Constantio eius filio, consideremus, satis commodè intelligi, & consistere possunt.

Sed si Athanasius nihil tale habeat de his Canonibus, in literis suis ad Iulium Pontificem, saltem in loco à Iuello allegato: quid de Iuello dicemus? Quàm *immemor est mendariorum suorum*, quàm impudens, quàm parum, aut *nihil sollicitus quid dicat, aut quid scribat?* Aut quis posthac in rebus dubijs Iuello fidem adhibebit, qui in re adeò aperta, & manifesta imposturam exercet? Qualis hæc tandem quam effrons impudentia? Nam, vt prius insinuam, Iuelle, Athanasius in epistola sua ad Orthodoxos scripta tempore Iulij, qui Marco in Pontificatu successit, de Canonibus illius Concilij Niceni ne verbum quidem habet.

Mendaciter ergo eundem allegas, Lectorem decipis, aut ab alio, cuius oculis libenter fortè vsus es, ipse deceptus es. Integram quisquis voluerit epistolam perlegat, nullum mihi crede verbum de Concilio Niceno in eadem inueniet. In illa epistola ait: *Ecclesijs, & baptisterijs flamma iniecta*. Et rursus. *Sacros Scripturarum libros quos in Ecclesijs inueniebant comburere*: De vlla alia combustione, aut de Niceni Concilij Canonibus, ne vocula quidem: atque huiusmodi impudentissimis mendacijs antiquorum Patrum scripta Iuellus infirmare satagit.

Quod vlterius adijcis, hunc Marcum, qui in Sede Romana Iulium Pontificem præiuit, *Ante Canones combustos ad spatium nouem annorum è viuis ereptum esse*. Si verum vtique esset sub Iulij Pontificatu hos Canones combustos esse: Non tamen indè sequetur hoc nonem annos post mortem Marci contigisse. Nam secundùm exactissimam, & optimam Chronologorum computationem: ipsius nempè Henrici Pantaleonis Basiliensis, hic Marcus annos duos, & octo menses non amplius in Pontificatu sedit.

Hæc eadem computatio, primò in Damaso, deindè in Platina, & alijs multis reperitur. Si Arriani ergo incendia illa flagitiosa perpetrantes ad initia Papatus Iulij sub Constantio Imperatore, eodem etiam tempore Canones Niceni Concilij combussissent, quod tamen Athanasius non asseruit, nihilominus combustio Canonum plus media parte nouem annorum à morte Pontificis Marci, distare comperitur. Addis tamen, vt probes Canones combustos esse sedente Iulio in Pontificatu, hæc verba.

Quæ temporum obseruatio, ex Socratis historia perindè apparet.

Et in margine ad locum hunc citas. Soc. lib. 2. c. 14. Iam quid ex hoc loco obseruari, aut colligi possit, quod ad combustionem Canonum quicquam faciat Lector ipse aspiciet, & iudicabit, & quia caput ipsum breuiusculum est, integrum, vt se habet afferam. Verba ita se habent. [Interea temporis Ariani Gregorium, suum Episcopum, vtpotè populo magnopere inuisum Alexandrina transfuderunt: idque non ea de causa solùm, sed etiam tum propter Templi incendium, tum propterea quod non satis videbatur ipsorum opinioni patrocinari. Georgium igitur accersunt, qui & ex Cappadocia oriundus, & opinione de religione quam illi tuebantur imbutus fuit.] Hoc est, integrum caput in quo, vt videtis habetur incendium Templi, de Niceni Concilij canonibus ne verbum quidem. Fortè Iuellus imaginatur Canones ibi etiam combustos fuisse.

Certè huiusmodi somnolentis coniecturis Iuellus falsam suam fidem sustentare; & defendere solet: sed neque Socrates hic, aut vllo alio in loco, neque Ruffinus lib. 1. c. 19. neque Theodoretus lib. 2. c. 4. neque Sozomenus. (Cùm tamen ij omnes de hoc Episcopo Ariano Gregorio, & de illius depositione scribant) de canonibus ab eo, aut dum ille Sedem occupabat, combustis vllam mentionem habent. Solus Sozom. rem aperit aliquantulum, & quænam fuerit illa Ecclesia, & quodnam incendium propter quod Gregorius à socijs suis depositionis pœna afficiebatur, reliquis apertiùs enarrat.

Nam de Ecclesia, quæ incensa erat, sic scribit. *Gregorius Sedem Alexandrinam innasit. Quod populus molestè ferens Ecclesiam, quam Dionysii vocant, qui Episcopus illic fuerat, accedunt.* Hæc Ecclesia illa est quæ intruso Gregorio incensa erat, propter quam etiam præcipuè idem Gregorius non ita multo post eiectus erat: De qua eiectione, seu de priuatione idem Sozomen. lib. 4. cap. 6. in eod. lib. cap. 7. sic scribit. *Interea Ariani dogmatis fautores Gregorium Episcopum suum amouebant, qui non satis videbatur ipsorum opinionem stabilire, & præterea ciuibus Alexandrinis infensus erat, propter ea quæ in ciuitate eo intrante acciderunt: & propter incendium Ecclesiæ:* Præter hæc nihil tradunt historiæ Ecclesiasticæ de incendio aliquo, dum Gregorius Episcopus Arianus Sedem illam occupabat. Ecquid hic ex obseruatione temporum egregius iste calculator elicere potest, quo probet canones hos de quibus loquimur tempore Iulij Pontificis, non autem dum sederet Marcus, vt Athanasius in epistola sua ad eundem Marcum refert, combustos esse? Verba S. Atanasij ad Marcum Pontif. aperta sunt, Iuellus contrarium coniectando eliciet.

D. Hardingus.

Et tamen integer numerus, 70. Canonum, in ipso autographo ab ipso Concilio, cum 318. Patrum subscriptionibus transmisso ad Pontificem Max. Siluestrum in Ecclesia Romana diligenter asseruantur.

Iuellus.

Falsum 97. Nam autographon aliquod eiusmodi Romæ asseruatum non erat.

D. Stapletonus.

Hic Iuellus vt causam suam probabilem efficiat longam enarrat fabulam, quo Pontificem criminis falsi coarguat, & rem totam literis maiusculis depingit, multis mendaciorum pigmentis eandem exornat. Quod ad rem ipsam attinet, euidentissimum est: Canones 70. in Concilio Niceno compositos, transcriptos, & à Concilio ad Siluestrum per manus Legatorum suorum transmissos fuisse, & probatur manifestè ex epistola Athanasij ad Marcum, vbi ipse cum alijs Episcopis Lybiæ, Thebaidis, & Ægypti, idem apertis verbis confitetur, tom. 1. Conc. Tum etiam epistola Iulij Pontificis ad Episcopos Orientis Canonem 18. 19. 21. 23. 26. 27. 28. 33. 41. 45. 47. 49. 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 63. 66. recenset, & numerat. Omnes hi Canones Niceni Concilij, Romæ tunc in Originali reseruari erant.

Porrò hic Iulius cùm Concilium hoc haberetur in viuis erat, & hanc epistolam ad Episcopos Orientis scripsit, quorum nonnulli eidem Concilio interfuissent. In iisdem literis eos obiurgat eò quod Athanasium ex Episcopatu suo eiecerant. Idem etiam non solùm Athanasium, sed & Paulum Patriarcham Constantinopolitanum, & Marcellum Episcopum Antyræ, Asclepam Episcopum Gazæ, Lucium Episcopum Adrianopolitanum, qui omnes ab Arianis expulsi erant, auctoritate sua sedibus suis restituit. Hist. Tripart. lib. 4. cap. 15. Soc. lib. 2. cap. 15. An nobis persuadere se putat Iuellus, hunc Pontificem, ad quem hi Sancti Pontifices Athanasius, Paulus, Marcellus, Lucius, & Asclepas, prouocabant, figmenta cerebri sui velle proferre, aut fictitios Canones, ea in causa tunc, contra proteruos, & contumaces Arianos allegare, & Concilium Nicænum, dum adhuc recens illius vigeret memoria, adeò nequiter mentiri, aut voluisse, aut ausum esse? Quid ad hæc aperta Iulij, & Athanasij testimonia respondet Iuellus? Quomodo auctoritatem Athanasii elusit, accepistis: Nempè aperto mendacio vim declinauit, præter scommata, & facetias nihil aliud responsi affert.

Ridet facetus scurra Episcopos, quod numerum 80. Canonum ad 70. reduxerint, vt repræsentent, si scurræ fas sit credere, septuaginta Discipulos Christi, aut septuaginta linguas per Orbem vniuersum publicè cognitas: sed hæc vt nihil probant, ita hoc solùm responsi à me accipient, quod nequiter se gerit Iuellus, dum sacrosancti illius Concilii acta humanæ phantasiæ modulo metiri, æstimare audeat. Tandem ad hanc Iulii epistolam quid respondet Iuellus? Nempè vbi Hardingus 1. diuis. 6. dicat. *Hi Canones à Iulio citati in epistola ad eos, qui vbi, & quando ij Canones editi erant præsentes intererant, omnem falsi suspitionem facilè remouent.* Iuellus respondet.

Iuellus.

Hoc suspitionem remouere non videtur: sed potius suspitionem augere, nisi aliqua subesset plaga, quid opus est hoc emplastro?

D. Stapletonus.

Hæc mere nugæ sunt. Ad rem, & rhombum quid? Esto plagam aliquam inflictam fuisse quid sibi videtur de emplastro? Canones hi qui communiter non extant à Caluino, & aliis in dubium vocati sunt: vt de hac re omne auferatur dubium ad epistolam Atanasii accedit indubitata epistola Iulii Pontificis. Quid ad hanc respondes Iuelle?

Iuellus.

Fateor, Iulius canonem quendam affert: sed canonem, quem D. Hardingus allegat non citat.

D. Stapletonus.

Canon Niceni Concilii quem D. Hardingus ex Iulio affert, hic est: *Non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari.* Quid ais Iuelle? An non allegat Iulius hunc canonem? Quando tandem pudebit impudentem mendacii? Prim. Tom. Conciliorum fol. 309. editionis Coloniensis cannon ille reperitur, perlege si libet.

Et à Socrate in historia Ecclesiastica idem canon memoratur, lib. 4. cap. 9. histor. Tri-

Tripart. Alterum Niceni Concilii canonem, nempè 44. D. Hardingus non ex Iulio, sed ex Francisco Turriano, lib. 3. de dogmat. charact. vt in margine indicauit, citauit, qui, vt ipse tradit, multa ad Nicænum Concilium spectantia vidit, quæ communiter non extant *en tas diatyposasi Ecclisiasticas* Nicæni Concilii. Sed quomodò Iuellus materiam hanc de canone ex Iulio citato prosequatur, videamus.

Iuellus.

Qui Concilia compilauit hanc notam de hoc canone ad marginem posuit: hoc decretum ad 5. & 6. caput Nicæni Concilii reduci potest, sed expressè non reperitur. Vsque adeò indubitata est huius Iulii quem afferunt auctoritas.

D. Stapletonus.

Eccum aliud mendacium: Nàm hæc nota marginalis de qua loqueris in prima epistola Iulii ad Episcopos Orientis reperitur. Sed canon ille quem D. Hardingus affert ex Iulio in secunda epistola Iulij habetur. Rursus nota marginalis à te citata, reperitur, & pertinet accusationem, & condemnationem Episcoporum, quæ sine assensu Episcopi Romani fieri non debet: sed canon à D. Hardingo ex Iulio allatus, & à Socrate in historia Ecclesiastica relatus est de Concilijs non congregandis, aut habendis sine Episcopi Romani assensu: vsque adeò indubitata fides Iuello alleganti adhibenda est. Sed qualis hæc & quam incredibilis impudentia? Primò Patrum antiquorum fidem, & auctoritatem velle eleuare, tum non nisi technis, & apertis mendacijs illud tentare? Præsertim, cùm ipse Iuellus, quando alia via argumento respondere nequeat, non solùm D. Hardingo, sed alijs omnibus cuiuscumque generis scriptoribus fabulas, somnia, falsitates, &c, intrepidè imputet.

Ad totum hunc processum de Pontifici falsario, quem Iuellus impudenter affirmat, & qua potest maleuolentia deprædicat, satis à me alibi responsum est: Probaui enim contrà Nouuellum, & mendacissimos Centuriatores, quorum vestigijs Iuellus presse insistit. Probaui, inquam, Zozimum Papam nihil falsi admisisse, tum Africanos nihil eiusmodi eidem obiecisse, nec obedientiam Sedis Romanæ penitùs abiecisse: In causa tantummodò appellationum insistebant, in qua etiam quantum ex S. Cypriani scriptis colligi potest antiquo priuilegio vsi sunt: Multos canones ex Concilio Nicæno allegatos esse, non solùm à summis Pontificibus, sed à multis alijs Patribus S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Augustino, Epiphanio & alijs, idque sine omni falsi suspicione. Hæc, inquam, omnia à Dormanno fusè probantur, in responsione sua ad Nouuelium: quæso à te, bone Lector, vt locum illum consulas. Sed quia hac in re prolixior est Iuelius, & Nouuello multo impudentiorem sese præstitit, placuit in fabula hac examinanda paululum immorari, & in eadem falsa quædam subnotare, vt mendacium quod in D. Hargingo falsò adnotauit clariùs innotescat. Sic ergo Iuellus litem instituit.

Iuellus.

Quod ad falsificationem Concilij Niceni attinet ipsum litis initium, & tota ferè historia sic se habet.

D. Stapletonus.

Si quid falsificatum fuisset initium ibi reperiri non posset: Hoc vt melius intelligatur, nomina Pontificum, & annos Pontificatus cuiusque, qui circa hoc tempus vixerunt, in quo hoc crimen falsi commissum dicitur, Lectori breuiter indicabo.

Concilium Nicænum habitum est anno Domini 328. aut vt alij existimant, 326. sub Siluestro tunc temporis Pontifice Romano, cuius locum Vincentius, & Victor Legati illius ibidem occupabant. Huic Siluestro successit Marcus, & sedit duos annos. Ad hunc Marcum, Athanasius literas, de quibus mentionem fecimus, direxit. Marco successit Iulius, cuius epistola ad Episcopos Orientis pro defensione Athanasij, & aliorum Episcoporum allegata erat. Aliqui affirmant, hunc Iulium Concilio Nicæno in persona interfuisse.

Certum est eundem sub fine Imperij Constantini Sedem Romanam occupasse, imperante autem Constantino Concilium illud celebratum erat. Iulius sedit annos 26. Huic successit Liberius, qui partim in exilio, partim in vrbe, per spatium 17. annorum sedem illam rexit. Ita tamen vt eo in exilio agente Felix per integrum annum Sedem illam occuparet. Liberio successit Damasus, ad quem Sanctus Hieronymus multas scripsit literas, & sedit annos 18. Damaso successit Siricius, & sedit annos 16. Siricio successit Anastasius, & sedit annos tres. Anastasio successit Innocentius, & in Cathedra Petri sedit 15. annos: Ad hunc Pontificem Sanctus Chrysostomus in exilio agens appellauit, vnde idem Imperatorem Arcadium paulò pòst excommunicauit. Huic Papæ Sanctus August. & Episcopi Africæ in condemnatione Cęlestij, & Pelagij decreta sua subiecerunt. Huic Innocentio successit Zozimus, & vno tantùm anno vixit Pontifex; atque hic is est, qui vt falsator, quasi canones suppositios procudisset, accusatur. Iam vt priùs dixi, si aliqui canones reuera suppositi sint, huius negotij initium (quod Iuellus affirmat) hoc in loco haberi non posset.

Tum quia Athanasius scribens ad Marcum Pontificem petit ab eo exemplar eorum 70. canonum apertè affirmans tot editos fuisse, & ad Siluestrum Pontificem, Romam transmissos:

Tum quia Iulius Marci successor multos citat canones ad minimum 24. qui in Concilio Nicæno, vt communiter legitur, & circumfertur, non reperiuntur. Atque ambo isti Pontifices annos ad minimum octoginta ante Zozimum floruerunt.

Tertiò, quia Sanctus Hieronymus, & Sanctus Ambrosius, qui tempore Damasi scripserunt, S. Augustinus, & Epiphanius, qui

qui tempore Innocentij: quosdam canones Nicæni Concilii citant, qui inter illos 20. qui vulgò circumferuntur non reperiuntur, Ergo Zozimus, qui post omnes hos Pontifices vixit, si falsarius esset, non esset vtique primus, qui falsum admisisse, aut falsificationis initium dedit. Iam vt intolerabilis esset impudentia Iuelli si Sanctum Ambrosium, sanctum Augustinum, sanctum Hieronymum, aut Epiphanium falsificationis auderet accusare, licèt Athanasii testimonium manifestis mendaciis obruere conatus sit, vt vidistis, ita nunquam poterit probare efficaciter, aut Zozimum, aut vllum alium summum Pontificem criminis falsi conscium fuisse. Hoc ergo quod attinet ad initium falsificationis, si modò vllum crimen falsi admissum fuerit, primum falsum est. Pergamus.

Iuellus.

Apiarius Sacerdos quidam Ecclesiæ Siccæ in Africa, homo nequam vt videtur, tam à proprio Episcopo, quàm ab alijs multis in Concilio congregatis iusta de causa excommunicatus, ab ijs ad Zozimum Romanum Pontificem prouocauit.

D. Stapletonus.

Hæc omnia. Audiamus quæ sequuntur.

Iuellus.

Zozimus sine vlteriore causæ cognitione, & altera parte inaudita Apiarum innocentem pronunciauit, & communioni restituit.

D Stapletonus:

Hęc de cordis sui thesauro profert Iuellus. Nam in actis Concilij nihil tale apparet. De hoc Apiario hoc tantùm habetur: quòd post acceptam appellationem Zozimus Legatum suum ad Africanum Concilium misit, & ab ipsis Africanis Communioni restitutus fuerit. Interea dum hæc agerentur Zozimus mortem obijt, & Bonifacius in eius locum surrogatur, Conc. Chart. 6. cap. 101. Hæc ita se habere ex epistola Africani Concilij ad Bonifacium successorem Zozimi manifestè constat. Quod Iuellus fabulatur, quia nec in illo Concilio, nec alibi apparet; vsque dum probetur inter falsa locum habeat.

Iuellus.

Intelligens hac de re Concilium in Africa coactum esse,

D. Stapletonus.

Eccum aliud mendacium. Nam eiusmodi Concilium nullibi apparet. Concilia quę circa illa tempora congregata erant cap. 72. aut contrà Pelagianos cap. 75. aut contrà Donatistas cap. 1. aut pro Nicæni Concilij confirmatione, & pręseruatione coacta erant. Pro causa Apiarij nullum vnquam Concilium coactum fuisse ausim dicere.

Iuellus.

Eò dixerit Faustinum Episcopum Potentiæ, & Diaconos duos de Ecclesia Romana, Philippum & Asellum, non solùm, vt id facerent eundem Apiarium sine vlteriore causæ suę disquisitione in integrum restitui; sed etiam vt in publico consessu agerent, & obtinerent, licitum deinceps fore cuilibet sacerdoti à suo proprio Metropolitano, imò ab ipso Concilio ad Sedem Romanam prouocare.

D. Stapletonus.

Hæc omnia quid aliud quàm fasciculus falsitatum, & calumniarum? Hoc Iuellus affirmat, sed testem nullum adducit: Hoc solùm constat: Zozimus nempe Legatos suos, vt priùs significaui, ad Concilium Africanum mittens, inter alia hoc præcipuè in mandatis dedit, vt sicut alibi ita in illis prouincijs Concil. Nicænum inuiolabiliter obseruaretur. Conc. Carth. 6. cap. 1. & 2. In illa Synodo Africana Concilium Nicænum lectum erat, & communi omnium calculo stabilitum. Faustinus summi Pontificis Legatos protulit instrumentum à Zozimo missum continens decretum quoddam de appellationibus in Concilio Nicæno editum; sed quia illud decretum in exemplaribus, quę Africani habuerunt non fuerit repertum, antequam subscribere statuerent deliberandi tempus poscebant. Ex consensu Legatorum Pontificis dies deliberandi datus erat. Interim ad Episcopos Orientales scripserunt, vt videndi illorum exemplaria copiam facerent. Huc usque cum Iuello progressi sumus tenorem Concilii sequuti. Quod vlterius adijcit Iuellus de Apiario sine vlteriore causæ disquisitione restituendo, aut de ea lite, aut legis rogatione, quam Iuellus commemorat, nulla in illo Concilio mentio facta est. Duplex est ergo sine dubio Iuelli figmentum: Sed pergamus.

Iuellus.

Episcopi Africani responderunt, nullam reperiri legem, quæ hoc iuberet.

D. Stapletonus.

Responderunt decretum de appellatione ad Sedem Romanam non reperiri in Concilio Nicæno. Non responderunt nullam legem reperiri de ea re. Nam si hoc dixissent falsum dixissent. Nam in Concilio Sardicensi cap. 7. vbi ante illud tempus 300. Episcopi ab omnibus Orbis Christiani partibus congregati erant, ipsissimum decretum quod à Faustino Pontificis Legato prolatum erat, totidem verbis repertum erat, & adhuc reperitur. Etiamsi responderent non fuisse repertum in Concilio Nicæno, non tamen respondebant, *Nullam reperiri legem, quæ id iuberet*. Hæc ergo Iuelli impudens assertio est.

Iuel-

Iuellus.

Faustinus hunc Nicæni Concilij Canonem protulit, non editum authoritate Episcoporum ibi congregatorum, sed à solo Episcopo Romano procusum.

D. Stapletonus.

Mendacium hoc est, & mera calumnia, quod Canon iste Romæ procusus fuerit, multò ante in Concilio Sardicensi Institut. lib. 4. cap. 7. editus erat. Quare præ Ioanne Iuello modestus est Ioan. Caluinus, qui fatetur Papam decretum Concilij Sardicensis pro decreto Concilij Nicæni allegasse, errorem Pontifici non crimen falsi (vt modestus Iuelli Spiritus mentitur) imputat, sed perge mentiri.

Iuellus.

Episcopi ibi congregati inter duos erat celeberrimus, & doctissimus Sanctus Augustinus tem commentitiam arbitrati sunt.

D. Stapletonus.

Malitiosi cordis tui commentum hoc est Iuelle, Nam quod aliquid simile Patres illi per somnium quidem cogitarint nullum in Actis Concilij inditium apparet. Et qualis est spiritus Iuelli, qui tot Sanctos Patres crimen falsi in supremo Orbis Christiani Episcopo facit suspicari, vbi nullum eiusmodi suspitionis vestigium extet?

Iuellus.

Quare, velle mittere ad Alexandriam, Antiochiam, & Constantinopolim, & exemplaria originalia Concilij petere se dixerunt, & Pontificem Romanum, vt idem facere vellit, rogabant.

D. Stapletonus.

Fecisse hæc omnia verum est, sed propterea hoc fecisse verum non est, quare neque hoc in loco te à mendacio excusare possum Iuelle.

Iuellus.

Interim se iure suo antiquo vti velle dixerunt. Accepto responso cum exemplaribus authenticis à Cyrillo Alexandrino, & Attico Episcopo Constantinopolitano, palam factum est vniuerso Mundo canones corruptos esse, & Papam sacrosanctum Concilium falsasse.

D. Stapletonus.

Hic duo simul sese produnt falsa, quorum alterum etiam calumnia admixtum est.

Primum est, quòd affirmes vera, & authentica exemplaria ab Alexandria, & Constantinopoli transmissa fuisse, fateor, optima & vetissima, quæ habuerunt, ipsi miserunt. Sed illa non fuisse ipsissima authentica exemplaria, exscripta à Patribus Nicænis, & ijs relicta, multis argumentis euidenter ostenditur.

Primò, Diù ante hoc tempus euenit, quod Iulius Pontifex, præter illos 20. Canones, qui in exemplaribus ab Alexandria, & Constantinopoli missis reperiuntur, alios 24. Canones Concilij Nicæni contra Episcopos Orientis allegauit; quare exemplaria quibus hi 24. defuerunt non habuerunt perfectum numerum, nec potuerunt esse authentica.

Inter Nicæni Concilij tempora, & ætatem horum Episcoporum, Cyrilli Alexandrini, & Attici Constantinopolitani, hæretici quidam Ariani easdem Sedes occuparunt. Quare non est mirum si Concilium corruptum reperiretur.

In Ecclesia Alexandrina post *Alexandrum*, qui huic Niceno Concilio Soc. lib. 1. præsens intererat, sedebat, *Athanasius* Sozomen. lib. 4. Iste sæpè pulsus erat in exilium, eoque in exilio degente, Theod. lib. 2. primò *Gregorius*, deinde *Georgius* vterque Arianus Ecclesiam illam per multos annos rexit, Nicephor. lib. 2. & 9. Sed Athanasius tandem sedem recuperauit, & post multa certamina, in Episcopali Sede vitam sanctè finiuit, cui successit *Petrus* Episcopus Catholicus, quo in exilium, acto & Romam confugiente, *Lucius* quidam Arianus intrusor, sedem illam occupauit, & in ea multos annos sub Valente Ariano Imperatore vixit, sed sub Imperio Theodosij, & Gratiani expulsus erat, & *Timotheus* frater eiusdem Petri eidem successit, Huic Timotheo successit *Theophilus*, post Theophilum Cyrillus iste Episcopus Alexandrinus factus est, sub his tribus Episcopis Arianis *Gregorio*, *Georgio*, & *Lucio*, non mirum est si Concilia corrupta fuerint, & deprauata, præsertim cùm de ea re ipse Athanasius in epistola sua ad Marcum, quam Iuellus frustrà tentauit improbare, conqueratur.

In Ecclesia Constantinopolitana, *Alexandro*. qui tempore Nicæni Concilij Sedem illam rexit, successit *Paulus* pius, & Catholicus Episcopus, qui bis in exilium pulsus, tandem occisus erat.

Quo trucidato *Eusebius* Arianus, & post eum *Macedonius*, *Eudoxius*, & *Demophilus*, omnes Ariani Sedem illam inuaserunt, & per spacium 40. annorum, & amplius, Constantio, Iuliano, & Valente imperantibus Sedem illam occupabant. Demophilus iste sub Gratiano Episcopatu pulsus erat, & *Gregorius Nazianzenus*, id procurante Theodosio factus est successor eius, sed non diù in illa permansit Sede, post eum electus erat *Nectarius*, cui *Chrysostomus* successit, hunc sequutus est *Atticus* de quo in Africano Concil. mentio facta est.

Iam si consideremus Concilium Nicænum præcipuè contra Arianos institutum esse, quis dubitare potest, quin Ariani, qui in illa sede tanto tempore dominabantur idipsum corrumperint. Quandoquidem in Concilio Nicæno, quod iam extat contra hæresim Arianam contra quam conuoca-

eum esse constat, ne verbum quidem reperiatur.

Ad hæc addi potest, quod in Antiochia etiam quò Episcopi Africani hæc Nicæni Concilij exemplaria petentes miserunt, Ariani quidam, inter Concilium Nicænum, & Episcopos, qui tunc vixerunt, Ecclesiam illam tenuerant. Nempè *Eustachio* Catholico Episcopo misso in exilium [Eulalius, Euphronius, Phlacitus, Stephanus, Leontius, Eudoxius, Euzoius, Theodorus, Perinthius] Histor. Ecclesiast. Nicephor. & Tripart. per totum, omnes Ariani in illa Sede dominabantur. Cùm tamen Sedem Romanam toto illo tempore nullus inuaserat Arianus, sed omnes Catholici, & Nicæni Concilij strenui propugnatores extiterunt.

Tertiò idem Iulius in epistola sua de qua nemo dubitat, quæ in operibus Sancti Athanasij Apolog. 2. refertur, decretum quoddam de appellatione ab vna Synodo ad aliam maiorem allegat, in virtute eiusdem Canonis in Nicæno Concilio editi illos Episcopos Africanos missis non reperitur, verba Iulij hæc sunt: [Episcopi in magna Synodo Niceæ congregati non sine Dei Concilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari.]

Hanc appellationem ab vna Synodo ad aliam, intelligi de Roma, satis apparet. Tum quia Iulius in virtute illius decreti illos Arianos Episcopos ad Romam citauit, & coram seipso ibi comparere fecit, tum quia Leo doctissimus pariter, ac pientissimus Papa idipsum Nicæni Concilij decretum, in causa appellationis, quam *Flauianus* ad Sedem Romanam deferebat palam allegauit.

Nam cùm in illa Flauiano inflicta iniuria in conuenticulo Ephesino Legati Summi Pontificis (vt Leo scribit) [fideliter reclamarent, & ijsdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit;] Leo in epist. 25. de eadem re ad Theodosium Imperatorem scribit, & in virtute illius Concilij Nicæni maiorem Synodum post appellationem interpositam conuocari postulat, his verbis: [Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Niceæ habitorum decreta testantur, quæ à totius Mundi Sacerdotibus sunt constituta, quæque subter anncxa sunt.] Quæso aduertite: Iulius aduersùs Episcopos Arianos, imò eos quorum aliqui ipsi Nicæno Concilio interfuissent. Et Leo ad Theodosium Imperatorem Canonem Nicæni Concilij allegat, imò & Canonem de appellatione facienda, quem illa Africana exemplaria non habent. Quid? An quia Iuellus illud affirmat existimabimus ea sola exemplaria vera, & authentica esse? Zosimum autem falsarium esse, qui canonem citauit quem illa exemplaria non habent?

Quartò (quod priùs etiam notaui) multi antiqui Patres, in scriptis suis, quæ adhuc extant, & de quibus nulla est addubitatio quosdam canones eiusdem Nicæni Concilij allegarunt, qui tamen in exemplaribus ab Alexandria, & Constantinopoli, ad Episcopos Africæ missis nullibi extant. Exempli gratia, S. Ambrosius in epist. 82. ait, decretum fuisse in Nicæno Concilio: *Ne bigamus in Clerum asciscatur*. Sanctus Augustinus in epistola 110. pro decreto Nicæni Concilij recitat; *Ne Episcopus sibi successorem sufficiat*. Quapropter pœnituit eum, quod ab Aurelio prædecessore adhuc viuente Episcopus factus fuerit: dicens se id nescisse. Et S. Hieronymus ait librum Iudith partem sacræ Scripturæ decreto Nicæni Concilij iudicatum esse. Postremò Patres omnes secundi Concilij generalis Constantinopolitani triginta annos antè Zozimi Papatum celebratum, in literis suis ad Damasum, & alios Episcopos Italiæ redditas testantur Theod. lib. 5. cap. 9. *veterem sanctionem, & definitionem Nicænorum Patrum*: quam nam? Nempè in hist. Eccles. *vt in vnaquaque prouincia illius prouinciæ Cultores assumptis etiam si videbatur finitimis, conferant Ecclesiasticos honores ijs, quos vtiliter gesturos esse confidunt*. Nihil horum in actis Concilij Nicæni aut in vllo canone, aut in vlla parte Concilij vspiam apparet. Quid tum posteà? An spiritum Iuelli prudentia sine dubio, & charitate plenissimum sequentes, S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Hieronymum, imò omnes illos Patres in generali sacro Concilio congregatos falsarios, & Nicæni Concilij adulteratores pronunciabimus? An non æquius est, & rationi magis consentaneum, vt dicamus Patres illos, & sacrosanctum illud Concilium vera dixisse illa autem exemplaria ad Africanos missa, nec plena, nec perfecta extitisse. Quamuis (vt quod sentio liberè dicam) optima, quæ reperire potuerunt Cyrillum, & Atticum ex Alexandria, & Constantinopoli transmisisse planè existimem.

Quintò: Apologia vestra Anglicana canonem Concilij Nicæni citat, qui dicit: *Non debemus esse humiliter intenti ad panem, & vinum*. Si hic sit verus canon Nicæni Concilij in illis exemplaribus ad Africanos missis eundem nobis ostendite. Si verus canon non sit, tum horum alterum fateri debes necessariò, aut Apologistam sacrum Concilium mentitum esse, aut exemplaria illa ex Oriente missa non fuisse authentica originalia.

Postremò: Certum est, & tam ex Eusebio lib. 3. de vita Constant. quàm ex Epiphanio lib. 3. tom. 2. hæres. 70. euidentèr constat, præcipuas causas conuocandi illius Concilij fuisse, vt hæresis Ariana extingueretur, & vniformis Paschatis obseruatio statueretur: in his tamen exemplaribus, quæ Iuellus authentica deprædicat, nec de Paschatis obseruatione, aut de hæresi Ariana canon vllus, aut canonis particula reperitur. An putat Iuellus auctoritate sua, contra tot euidentissimas rationes nobis persuadere exemplaria hæc, à locis suspectis missa, & in quibus tot canones desiderantur, vera esse, & authentica Concilij Nicæni exemplaria? Nullus est, vt opinor æquus rerum æstimator, qui hoc Iuelli mendacium non facilè percipiat, pariterque euidentèr percipiat, fundamentum criminis falsi, quod Pontifici affingunt, planè euersum, & deiectum esse.

Iam ad secundum mendacium venio, vbi ais: *Ex authenticis exemplaribus palàm fieri, sacrosanctum Concilium à Papa falsificatum fuisse*. Hoc, inquam, apertum mendacium est, calumniæ admixtum: mendacium est, quia illa exem-

exemplaria quibus probare contendis Papam esse falsarium iam tandem euincuntur non esse authentica, sed multis illius Concilij indubitatis partibus carere. Nam si Zozimus propterea dicendus sit falsarius, quia canon, quem ipse citauit in exemplaribus ab Alexandria, & Constautinopoli missis, nequaquam reperiatur: Tum certè S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ambrosius, imò ipse Apologista Anglicanus falsarius, & corruptor Canonum censendus est, qui canonem in illis exemplaribus nullibi repertum similiter allegauit, Prosper contrà Collatorem cap. 10. & 41. pro canone Nicæni Concilij. Calumnia etiam est. Qnia præter Magdeburgenses, & alios eius farinæ, nullum habet eius assertionis idoneum testem. Cùm tamen in magnam redundet infamiam, non solùm Zozimi Pontificis, quem ipsi Africani multum laudabant, & venerabantur, sed & Sedis Apostolicæ, & successorum suorum omnium vsque in præsentem diem.

Iuellus.

Et vt Sedem Romanam augeret, & amplificaret, priuilegia, & prærogatiuas ipse adinuenit.

D. Stapletonus.

Mentiendo, & calumniando pergit Iuellus: sed ex S. Gregorio, & S. Chrysostomo lib. 2. de Sacerdotio ostendi, & posteà in hoc articulo clariùs apparebit, prærogatiuam Sedis Romanæ S. Petro, & successoribus suis ab ipso Christo concessam esse, vt S. Chrysostomus expressis verbis fatetur. Certè, qnod ad hanc rem attinet, nec Africam hoc in loco Sedis Apostolicę auctoritatem ex omni parte, imò in causa appellationum solummodo recusabant, nec vlla causa suberat, cur Zozimus in fauorem prærogatiuæ Sedis suæ canones suppostitios cuderet, quandoqnidem pro eiusdem Sedis prærogatiua, præter sacræ Scripturæ expressa testimonia magnum Sardicense Concilium, & vt Iustinianus Imperator fatetur, ipsum Concilium Nicænum (vnum ex qnatuor primis Concilijs) etsi haud quaquam in illo canone in alio tamen, testimonium perhibeat.

Iuellus.

Episcopi in Africano Concilio congregati, habito huius negotij diligenti, & exacto examine, ad Cœlestinum pro tempore Episcopum Romanum scripserunt, in hunc modum: *Decreta Nicana, &c.*

D. Stapletonus.

Quid si à Iuello quærerem, cur huius testimonij, qnod ex Africano Concilio allegauit, initium amputans à medio sententiæ incipiat? Respondebit ni fallar optimo, quo potest modo, quia hac in re artis suæ Rethoricæ præcepta sequitur, quæ iubet omnia, quæ ad propositum suum faciunt arripere, quæ contrà eum faciunt, silentio præterire. Sed pace tua, Iuelle, licèt Rhetorica tua hoc permittat, Theologia tamen fraudem abhorret: Ego ergo primo in loco quasdam notabo sententias, quæ in eadem epistola testimonium allatum præcedunt, tum ad verba, quæ Iuellus attulit, progrediar. Africani Concilij Patres, Cœlestinum Pontificem certiorem facientes, quod licèt *Apiarius* ad ordinem Sacerdotalem, à quo depositus erat, per sanctitatis suæ Legatos fuisset restitutus, nunc tamen propter quædam notoria crimina ab eodem confessa iterùm iustè excommunicatum esse, hoc modo ad eundem scribunt, *Præfato itaque debita salutationis officio impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem vltrò velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè aduertet venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi praecaueri, quantò magis de Episcopis voluit hoc obseruari, ne in sua prouincia à communione suspensi, à tua sanctitate vel festinato, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, & sequentium clericorum improba refugia, sicuti te dignum est, repellat sanctitas tua; quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesia derogatum est Africana*: Iam incipit testimonium à Iuello citatum.

Iuellus.

Et decreta Nicana siue inferioris gradus clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt.

D. Stapletonus.

Priusqnam ad illa verba, quæ ex Concilio à Iuello afferuntur accedo, obsecro te, bone Lector, vt vim illorum, & energiam consideres, quæ à Iuello prætermissa, & à me allata sunt.

Obserua primò, modum scribendi. Non alloquuntur Pontificem, vt falsarium, aut impostorem, qualem eum Iuellus facere studet, sed humilitèr, & reuerentèr *Sanctum Episcopum, & Reuerendum Patrem* salutant.

Secundò, quod non repellant protinus illius auctoritatem, sed in casu appellationis solummodo; qua in re, vt videtur, & eo tempore, & diù antè, à tempore scilicèt S. Cypriani lib. 1. epist. 3. Prouincia Africana aliquo priuilegio vsa erat.

Postremò: ipsam appellationem non prorsùs negant, sed Pontificem rogant, vt nequissimorum hominum *improba refugia sanctitas tua velit repellere*, qui appellationis beneficio plerumque solent abuti.

Rursùs non petunt ab eo, ne vllo modo sese immisceat cum ijs, quos ij excommunicant: sed *vt non faciliùs ad aures suas admittat: vt non præproperè non indebitè restituat*. Nam ex S. Cypriano suprà cit. apparet, excommunicatos ex Africa ad Romam fugere solere. *Quasi*, inquit S. Cyprianus, *veritas post eos nauigare non posset, quæ mendaces linguas rei certa probatione conuinceret*: Vnde satis constat ex Africa ad Romam delatas fuisse appellationes, etsi Episcopi Africani, vt S. Cyprianus in eadem epistola conqueritur, factum illud molestè ferebant, sed omnia Iuellus ar-

tis suæ regulas sequens, penitùs omisit, Lectori cupiens persuadere, Concilium Africanum eo tempore Summum Pontificem protinus repulisse, & manifesti criminis falsi reum pronunciasse. Vidistis quàm non omninò hoc crimen adhuc ei imputant. Sed progrediamur ad ipsa verba Concilij, vt ab ipso Iuello allegata sunt.

Iuellus.

Prudentissimè enim, iustissimèque prouiderunt, quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt, finienda.

D. Stapletonus.

His iisdem verbis, eademque ratione vtitur S. Cyprianus epist.3. lib.1. vt Canone, & statuto, diu antè Concilium Nicænum, ex quibus colligi potest hanc consuetudinem, determinandi causas in Prouincia vbi orta sunt, Africanæ Ecclesiæ, præter vsum Ecclesiarum Occidentis, quasi priuilegium in vsu fuisse.

Iuellus.

Nec vnicuique Prouinciæ sancti Spiritus gratiam defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudentèr videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ in eodem regno, vel etiam vniuersale prouocare: *Nisi fortè quispiam dicere velit, Deum posse examinis iustitiam inspirare vni soli, quia Episcopus Romanus est, & nolle pluribus Episcopis in Concilio congregatis illud inspirare.*

D. Stapletonus.

Posteriorem huius testimonij partem distincto charactere scribi curauit: & non sine causa. Notari eam voluit: verba enim sua sunt magna ex parte, non verba Concilij: animaduertite artificium, quod certè à manifesto crimine falsi nihil quicquam distat. Quod vt intelligatis verba ipsissima Concilij ponam: verba hæc sunt: *Nisi fortè quisquam est, qui credat vni cuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus in Concilio Sacerdotibus denegare:* Recognoscite falsarium. Magna enim falsitas admissa est: & in eo consistit, quod pro *vni cuilibet*, quæ sunt verba Concilij posuit Anglicè *into one mann alone*, idest, vni soli: & vt explicaret: quis is vnus, & solus sit, eodem charactere, sed parenthesi conclusa hæc verba addit: *quia Episcopus Romanus est*, quæ verba planè suppositiria sunt, nec reperiuntur in Concilio; & in eum finem hæc verba præcedentia immutanit, vt ad eiusmodi sensum Lectorem ducere viderentur. Quasi Concilium contrà iudicium Episcopi Romani, qui vnus solus est, expressè, & nominarim loquutum fuisset. Quem sensum si sub nomine Concilij Africani Lectoris animo iniecisset, speciosum argumentum contrà supremam Christi Vicarij in terris potestatem reperisse se gloriaretur: His artibus, idest, manifestis falsificationibus Iuellus Papam falsarium probabit. Pergamus tandem in verbis Concilij.

Iuellus.

Aut quomodo ipsum iudicium transmarinum ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis alijs interuenientibus impedimentis adduci non poterunt.

D. Stapletonus.

Propter similes causas, lites quasdam ex Anglia ad Curiam Romanam deferre, regnante Edouardo III. ann. 27. prohibitum erat. Nec propterea aut auctoritas suprema Pontificis Romani impugnata, aut vnitas violata erat.

Iuellus.

Nam vt aliqui tanquam à tua sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum.

D. Stapletonus.

Hoc expressè decretum erat in Concilio Sardicensi, can.7. antè hoc Concilium Africanum circitèr 80. annos: vt tam Socrates in hist. Trip. lib. 4. cap. 25. quàm Theodoretus lib.2. cap.7. in suis historijs Ecclesiasticis referunt. Etsi ex hoc loco Canonem istum ad notitiam horum Patrum nondum peruenisse, videtur colligi? Et quindi careant Sardicensis Concilij canone, sicut caruisse eosdem Concilij Nicæni decretis euidentèr probatum est.

Iuellus.

[Quia illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilij exinde transmisistis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna, à Sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite ex autentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab ijs directa sunt, &c. in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi videamur inducere.] Hucusque sunt verba Concilij.

D. Stapletonus.

Hoc in loco Iuellus posuit in margine quasi victoriæ quoddam insigne hoc elogium, *Papa in crimine falsi deprehensus*. Sed vnde hoc colligit. Nempè quia canon ille, quem Pontifex citauit, non reperiebatur in exemplaribus ab Alexandria, & Constantinopoli transmissis. Itane verò Iuelle? Ergo & adde huic elogio: S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, Epiphanius, & Iustinianus in crimine falsi deprehensi. Quia hi omnes, sicut ego

ego priùs ostendi, canones quosdam citant, qui in illis authenticis neutiquam reperiuntur: Tum etiam adijce huic notæ marginali, & fac vt in proxima editione Apologiæ vestræ Anglicanæ, nisi fortè mendacissimi illius libelli nimium dispudeat, facito, inquam, vt imprimatur *Apologia Anglicana in crimine falsi deprehensa*: Quia in ea canon quidam de Sanctissimo Sacramento citatur, qui in illis exemplaribus nequaquam reperitur; Sed præter hæc absurda satis, vti spero, à me superiùs allatum est, quo ostendi, illa exemplaria nec fuisse, nec posse esse vera, & genuina autographa Concilij Nicæni. Etsi, vt anteà dixi, existimem, sanctos illos Pontifices optima, quæ habuerunt exempla libentèr communicasse. Quæ cùm ita se habeant, Iuellus audacter satis asseruit, quod adhuc nequaquam probauit, Papam esse falsarium. Videamus quid sequatur.

Iuellus.

Episcopus Romanus, vbi se falsitatis conscium, & in ipso, vt dici solet, facto deprehensum persentisceret, quia canones quos ipse fecerat ab autographo dissentirent: consultissimum ratus est, (297.) publicè euulgare, autographa ab Arianis combusta esse, & vera, ac genuina exemplaria penès se solùm superesse:

D. Stapletonus.

Ex multis præmissis falsis ferio concludit, ab apertis mendacijs ad coniecturas improbas, & malitia refertas progreditur: sed vt breuiter respondeam: Nosti Dialecticorum Axioma; *Vno dato absurdo sequitur quodlibet*. Posito falso fundamento facile est multiplicare mendacia. Vtcumque: videamus quænam, & qualia ea sint: ait:

Iuellus.

Quare epistolam nomine Athanasij, & aliorum Episcoporum Ægypti ad Marcum Episcopum Romanum conscripram imaginatione fingit, qua illum rogabant, vt exemplar aliquod Nicæni Concilij ad eos transmitteret, quia omnia exemplaria sua penitùs deleta erant: sed hæc ad techna non satis ingeniosa fuit.

D. Stapletonus.

Enimuerò valdè ridicula fuit. Immò omnes docti, & Sancti, quos per multa sæcula habuit Orbis Christianus valdè rudes, & imperiti extiterunt, qui subdolam hanc Summi Pontificis technam per tot ætatum curricula perspicere non potuerunt, sed sub illius Iurisdictione, & imperio semper vixerunt, vsque dum Anglus iste perspicax Iuellus eandem in apricum protulerit. Quin tace Iuelle, non enim adeò rudes, & simplices fuerunt vnquam Christiani per multa iam sæcula, neque iam adeò nobis hebescit mentis acies, hodie quin æternæ veritatis radios ab hæreticarum imposturarum fumulis possimus internoscere. Hæc epistola Athanasij ad Marcum non erat res commentitia, sed vera Athanasij epistola, nec tu Iuelle aliquid vllius momenti in contrarium attulisti. Ante Iuellum natum pro genuina habita fuit, & habebitur sine dubio, post eius abitum ad furuæ regna Proserpinæ: Sed videamus rationem, qua tenuem hanc, & exilem techuam euincit.

Iuellus.

Nam difficilè esset D. Hardingo ostendere, quid subsidii causa Athanasii ex decretis illis, quæ comburi præsumuntur, esset habitura, aut quid in iis reperire posset Athanasius, quo aut seipsum in illo casu iuuare, aut aduersariis suis molestiam facessere posset.

D. Stapletonus.

Ergo vt videtur Iuelle Cardo controuersiæ non in hoc vertitur, an pro teipso aliquid afferre possis, sed spectandum est, quid aduersarius tuus efficere, & quid contrà te vrgere potest. Ita videris mihi contrà hanc Athanasii epistolam disputationem instituere, ac si Iudæus aliquis contrà S. Lucæ Euangelium disputare velit, non quidem argumentum aliquod pro assertione sua proferendo, sed exagirando, & vrgendo Christianum, vt probet, & ostendat id esse S. Lucæ Euangelium. Sine dubio Gulielmus Summerus Morionum aliquando Princeps, cum doctissimo quem Orbis Christianus babet Theologo hoc modo disputando, in arenam securus posset descendere. Sed quod ad auctoritatem huius epistolæ attinet, eam si infringere cupias Iuelle aut imminuere (quandoquidem iam olim recepta est, & maiorum nostrorum calculo approbata (non tantùm refert quid non pro ea afferre possimus, qui hac in re maiorum nostrorum vestigiis insistimus, quantùm, quid tu, qui illam reiicis in contrarium afferre poteris: Nec tibi Iuelle difficilè foret, nisi quod prauus te occæcet affectus, optimam perspicere rationem, cur Athanasius exemplar Nicæni Concilii à Summo Pontifice peteret: quandoquidem ipse in eodem articulo fatearis: *Nicænum Concilium proferre operæpretium fore*: Hic, licèt omnia, quæ Iuellus afferre potest, quibus Iulium falsarium probet re vera finem habeant, alia tamen multa nc parum attulisse videatur, otiosè interfecerit. Quare & Iulium Pontificem, & canonem ab eo citatum obiter mordens, ad Athanasium reuertitur, iterùm falsa illius repetens quasi is esset, qui mendaciis impensè delectaretur. Nam de facto Iulii, altercandi finem faciens, in hæc quæ sequuntur prorumpit.

Iuellus.

Quod attinet ad D. Hardingi Athanasium, certè fabula quam narrat adeò futilis est, vt seipsam facilè prodat. Nam, vt priùs notaui, ad Marcum Episcopum Romanum scribit de incendio librorum, cùm tamen ipse Athanasius certò sciuerit Marcum illum ad spacium nouem annorum ante illud incendium è vita migrasse.

D. Stapletonus.

Hæc nuda repetitio est mendacii prius notati, Nam, vt prius declaratum est, nec in Athanasio ad Orthodoxos, nec in Socrate aliquid eiusmodi apparet?

Iuellas.

Ad eundem ferè modum, vanus ille donationis Constantini falsarius imaginatur, eundem decreto suo sanxisse, vt Episcopus Constantinopolitanus Sedi Romanæ subiectus esset. Cùm tamen eo tempore nec ciuitas illa ædificata, nec nomen aliquod eiusmodi orbi innotuit, nec Sedes Episcopalis vlla ibidem adhuc fundata erat. Quidni dicamus, *Non satis commodè diuisa sunt temporibus tibi Dane hac.*

D. Stapletonus.

Quale est exemplum talis sequitur conclusio, & similes habent labra lactucas. Quis obsecro Constantinopolim ædificauit nisi Constantinus, qui dotationem item instituit? Et quando donationem illam dicitur fecisse nisi ad finem Imperii cùm iam ædificata esset ciuitas illa, & à nomine Constatini Constantinopolis nominata? Saltem hæc historia non nisi post hanc ciuitatem ædificatam, & ita nuncupatam scripta erat. An hoc optimum est argumentum, quod contra hanc afferre potes dotationem? O miseram causam, quæ aptiori exemplo illustrari non potest. In historia Tripartita mentio est epistolæ cuiusdam ad Alexandrum, in qua Episcopus Constantinopolitanus, imò, vt verisimilè est, antequam Constantinus ciuitatem Byzantinam nomine illo nuncupasset. Quod ad rem ipsam attinet, de Ecclesia Constantinopolitana S. Gregorius lib. 1. c. 14. expressis verbis ait, *Quis eam dubitat sedi Apostolicæ esse subiectam.*

Iuellas.

Rursùs idem Athanasius ad Fœlicem scribens ait. *Arianos Nicænum Concilium falsasse*: sed ad Marcum de eadem re scribens, quasi planè sui oblitus ait. Arianos Nicenum Concilium combussisse. Sed si combustum quomodo falsatum? Si falsatum quomodo combustum erat? Hęc certè haud cohærent.

D. Stapletonus.

Quidni Iuelle? Certè si paulò attentior fuisses quomodo hac inter se cohæreant facilè intellexisses. Athanasius prius scripsit ad Marcum, quàm ad Fœlicem, imò inter epistolam ad Marcum, & illam alteram ad Fœlicem viginti anni intercesserunt. Sub Marco Canones combusti erant. Athanasius ad Marcum scribens aliud exemplar petiit, & vt ex literis eiusdem Marci apparet, quod petiit accepit. Iam verò post hunc Marcum sederunt Iulius Papa, & Liberius etiam. Sub his duobus Constantius Imperator Arianus, Orbem Christianum vehementer afflixit, & Ariani dominabantur, Athanasius toto hoc tempore vixit, & sub Iuliano Apostata Sedi suæ restitutus erat, quo tempore Fœlix Episcopus Romanus erat. Nec video quid impediat quominùs dicamus, Arianos in hoc interstitio pro libidine sua omnia gubernantes, veriora illa exemplaria à Roma Alexandriam missa corrupisse, & Athanasium de ea re summum Pontificem certiorem fecisse. Certè facilè concipi possunt, & satis cohærent. Quare & in te retorqueri posset Terentianum illud,

Non satis temporibus diuisa sunt tibi Daue hac.

Iuellas.

Sed quia D. Hardingus tantopere cupiat ius summi Pontificis per instrumenta incendio consumpta comprobare, si Lectori placuerit rei ipsius circumstantias attentè, & prudenter ponderare, facilè intelliget totum hoc negotium in meram fabulam euanescere.

D. Stapletonus.

Per animam tuam, quæso te benigne Lector, & propter amorem Dei te rogo, vt æquo, & indifferenti animo accedas, & prudenter teipsum geras. Omnes circumstantias priùs commemoratas, & quam vera sint, quæ Iuellus in hac causa allegauit, & quid ea, quæ sequutura sunt probent, seriò & prudenter considera. Facilè intelliges, crede mihi, & perspicies euidenter, ita plerumque euenire, vt quoties verum aliquod enunciet, frigidas, & inanes loquatur coniecturas, si quando ratio illius vrgere videatur, mendacia effutiat. Hæc ita se habere hucusque compertum est, deinceps clariùs apparebit.

Iuellas.

Nam primò ex Theodoreto lib. 5. cap. 9. & 2. cap. 8. constat, acta Concilii Nicæni, & exemplaria integra, ad omnes Episcopos qui aberant transmissa fuisse.

D. Stapletonus.

In primo loco à Iuello citato, decreta Nicæni Concilij non omnibus qui aberant, sed Episcopis tantummodò Alexandrino Patriarchæ subiectis missa erant. In secundo loco non de Nicæno, sed de Sardicensi Concilio Theodoretus agit.

Iuellus.

Et Marius Victorinus contrà Arium scribens ait: acta illius Concilij per vniuersum Orbem diuulgata fuisse, & multa millia Episcoporum ijsdem consensisse, & subscripsisse. Quod cùm indubitatum sit, & verum, certè durum esset asserere omnia illa exemplaria per vniuersum Orbem dispersa vno quasi momento destrui, & dissipari potuisse, idque

idque vno in loco, vno igne, & vnius iussu; certè Ariani etsi potentissimi, nec potuerunt illud efficere, nec erant adeò imprudentes, vt ausint tale aliquid tentare.

D. Stapletonus.

Lingua quo vadis? Vbi animus tuus Iuelle? Quis asserit hos canones vno quasi momento in omnibus Mundi partibus simul, &c. combustos esse. Iam loquimur de decretis combustis Alexandriæ, Antiochiæ, & Constantinopoli, præcipuis Orientalis Ecclesiæ ciuitatibus. vbi per spatium 20. annorum sub Constantio, & totidem ferè sub Valente Ariani dominabantur; quo tempore, & satis prudentes erant in generatione sua, & satis potentes in malitia ad canones illos comburendos in quibus hæresis eorum expressè condemnabatur. Certè hæc rhethorica amplificatio fabulatorem te esse demonstrat, res quæ asseritur nondum probatur esse fabula.

Iuellus.

Sed vbi res aperta est quid opus est verbis? Episcopi Africæ, ipsa exemplaria horum Canonum habuerunt.

D. Stapletonus.

Hoc reuera ad rem facit, sed aberrat à vero. Non habuisse eos plenum, & perfectum exemplar priùs probatum est, quia multi canones illius Concilij à Patribus probatissimis citantur, qui in exemplaribus Africanorum nequaquam reperiuntur.

Iuellus.

Alipius Episcopus Tagastę in Colloquio suo cum Faustino ait: *Adhuc tamen me mouet, quoniam cùm inspiceremus Græca exemplaria huius Synodi Nicænæ ista, de superioritate Sedis Romæ quæ asseritur, ibi nescio qua ratione non inuenimus.*

D. Stapletonus.

O Iuelle quam semper tui similis es, inequissimus, & falsissimus? vt ex Alipij testimonio aliquid contrà Sedem Romanam dicere videreris, hæc verba parenthesis inclusa, (*De superioritate Sedis Romæ, quæ asseritur,*) quæ in textu Latino non reperiuntur, translata sunt in textu Anglicano, & eodem caractere quasi verba Episcopi Tagastæ imprimuntur. Hic candor, hæc synceritas Iuelli est. Nam illa verba nec habentur, vt dixi, in Latino textu, nec de Episcopo Africano intelliguntur. Eo in loco quæstio erat, non de obsequio, & obedientia Sedis Romanæ non omninò exhibenda, aut protsùs neganda, sed de impediendis appellationibus ex Africa ad Romam. Quod priùs decretum erat in Concilio Mileuitano, & Innocentius Pontifex Concilium illud Mileuitanum confirmauerat.

Iuellus.

Et Cyrillus Alexandrinus cùm hæc caussa ageretur, rogatus vt verum exemplar transmitteret hoc modo respondit Concil. Cart. 6. can. 102. & 103. *Necessarium putaui ipsius Concilij vera, & authentica exemplaria ad vos mittere.* Similiter Atticus Episc. Constan. eidem petitioni in hunc modum respondet: *Misi ad vos Canones in toto, prout editi, & ratificati erant à Patribus in Ciuitate Nicæa:* Iam si Canones isti, vt D. Hardingus ait, combusti erant, quomodò reperti sunt integri, vt Atticus, & Cyrillus affirmant? Si postea integri comparuerunt, quomodo penitùs combusti erant priùs?

D. Stapletonus.

Verbosum hoc argumentum facilem habet solutionem. Boni illi Episcopi optima, quæ habuerunt, & eiusmodi quæ plena, & perfecta putabant miserunt exemplaria. Sed non fuisse reuera, plena, perfecta, & authentica exemplaria satis à me in superioribus probatum est. Et vt ad pondus priorum rationum aliquid hoc loco adijciam: id considerare oportet, quod Canones à Ruffino allegati, & in historia Ecclesiastica relati à Canonibus ab Episcopis Orientis allatis, tum numero, tum ordine, imò etiam ipsa materia multum differant: vt facilè est videre quisquis eos conferre, & comparare voluerit. Quare iterum colligo: aut exemplaria illa non erant perfecta, aut historia Ruffini Ecclesiastica pro falsaria condemnanda est, vt Pontificem condemnatum vidimus.

Iuellus.

Aut quo modo factum est, vt nemo mortalium, aut in Asia, aut in Africa, aut in Europa, nec in Ecclesia Occidentali, nec Orientali hoc Canones aspicere, nullus, inquam, præter Episcopum Romanum, qui ad ius eorum tot, & tanta ambit?

D. Stapletonus.

Eleganter iterum rhetoricatur Iuellus; sed hæc omnia non probant, aut exemplaria illa Africanorum plena, & perfecta fuisse, aut summum PontificemCanonem allegando, qui in illis non reperiebatur falsarium, aut corruptorem Concilij fuisse.

Iuellus.

Quod si reuera ea habeat exemplaria adeòque authentica, & subscriptionibus 318. Episcoporum firmata, vt audacter asseritur, quid causæ est, quod non proferantur? Quid est quod per tot ætates quasi bona inuisibilia delituerint? Certè quidem Concilium Nicænum in lucem proferre operæ pretium foret.

D. Stapletonus,

Certè quidem eloquentiæ Iuelli inuisibilis vis ingenium de statu suo deturbauit, planè oblitus videtur, quid in animo habuit.

Priùs

Priùs de Papa Zozimo loquutus est, & eundem falsarium probare summoperè cupiebat, iam contra Pontificem, qui iam Sedem occupat, nescio quid oblatrat. Ne sævi eantopere bone Iuelle: à nemine asseritur Pontificem hos Canones penès se iam habere, & per has tresdecem ætates inuisibiles delituisse: nemo inquam hæc asserit: Sed Zozimum eos Canones vere ad Africanos citasse, nec eos citando falsarium fuisse, sed eosdem à Concilio Nicæno ad Siluestrum missos, & ad illius successores ipsum vsque traditos penes se habuisse, hoc illud est quod à nobis asseritur Iuelle, & hoc illud est quod quantum ego video è memoria tua excidit.

Iuellus.

Et hæc omnia rectè ponderata satis apertè falsarium ostendunt.

D. Stapletonus.

Hæc omnia rectè ponderata satis apertè Calumniatorem ostendunt. Hæc omnia euidenter ostendunt, Iuellum flosculis rhetoricis florere, sed frigidum Theologum esse, verbosa inanitate intumescere, sed rationis, & sapientiæ expertem esse. Ethodum Iuelle dictum Sapientis habe in memoria.

Quid stulti est proprium? non posse est velle nocere.

Iuellus.

Nihilominùs, Lector beneuole, vt melius hac in re animo tuo satisfiat, aduerte & considera quanto conatu, & quàm artificiosè hanc fabulam suam Hardingi Athanasius prosequatur. Non satis visum est ei dicere omnes Canones penitùs combusti erant, quod ipse solus, & præterea nemo afferit, sed quia præuidit, sapientem aliquem velle replicare, & asserere. Eiusmodi Canones nunquam editi erant, placuit ei vlterius progredi, & causas ordinem, & circumstantias negotij, & quomodo ipse quandò editi erant, interfuerit, pariter ostendere.

D. Stapletonus.

Iuellus sine dubio his est non sapiens, sed sapientum octauus, qui replicat, & ait, [Eiusmodi Canones numquam fuerunt editi.] Nam iam mille anni, & ampliùs effluxerunt ex quo editi erant: nec quisquam eiusmodi excogitauit replicam, donec prophana Lutheri progenies innotuit. In hac schola sine dubio Iuellus hanc argutam sapientiam edidicit; sed quantum in hac schola profecerit, & quam sapienter replicauit ex graui, & solido processu quem hucusque instituit satis elucet. Sed clariùs vt spero elucebit ex profunda consideratione, quæ subsequitur.

Iuellus.

Octoginta Canones in toto editi erant: quorum 40. Latinè apud Latinos, & alij 40. Græcè editi apud Græcos depositi erant. De hoc integro numero canonum, Patres decem subtraxerunt, & inter reliquos optimo quo potuerunt modo eos diuiserunt. Atque ita numerum septuagesimum compleuerunt; vt eo modo 70. Discipulos mysticè repræsentarent, aut numerum 70. linguarum, quæ per vniuersum Orbem terrarum cognitæ sunt. Atque ita ex salubribus fidei, & morum regulis Athanasius D. Hardingi bella mysteria per otium effingit.

D. Stapletonus.

Argutè medius fidius: & vt lepidum Theologum, & Pseudoepiscopum docet. Athanasius 70. canones commemorat, vt repræsentent 70. Discipulos, aut 70. linguas, quæ per vniuersum Orbem cognitæ sunt. Ergo qui hæc scripsit non erat verus Athanasius, sed otiosus aliquis, & phantasticus mysteriorum fabricator: Bone Deus, quam verè Sanctus Paulus, 1. Cor. 2. Rom. 8. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi.* Et alibi: *Sapientia carnis inimica est Deo.* Nam si Iuellus viscera haberet pietatis, quæ Episcopum, & animarum pastorem decent; si vel portiunculam Sancti Spiritus manum, & mentem suam dirigentem haberet, quæ cuius sobrio Christiano necessaria est, nunquam hæc nugatum male olentia frustra in paginam euomeret, nunquam præclarissimum Orbis Christiani lumen, nunquam S. Athanasij sanctissimi, sapientissimi, antiquissimi, nomen adeò pueriliter macularet.

Nam si hanc ingenij tui, & singularis sapientiæ venam aperire, si habenas modestiæ hunc in modum laxare ablibuerit, quis sanctorum Patrum, cuius opera etiamsi approbatissima contemptu, & contumelia carere poterunt? S. Ambrosius lib. 1. in prologo in erudito opere suo *De fide ad Gratianum*. Diuinum quiddam, & mysterio simile in ipso numero Patrum Nicœni Concilij videtur agnoscere: quod Athanasius refert, ipsos Patres in numero canonum reperisse, & Patres 318. comparat cum 318. electis pugnatoribus, qui sub auspicijs, & ductu Abrahæ, quando de quatuor Regibus triumphabat, dimicabant, dicens: [De Concilijs id potissimum sequar, quod trecenti decem octo Sacerdotes, tanquam Abrahæ electi iudicio, consona fidei virtute, victores velut erophæum toto Orbe subactis perfidis extulerunt: vt mihi videatur hoc esse diuinum quod eodem numero in Concilijs fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.] S. Ambr. de fide ad Gratianum lib. 1. in prolog. Hæc obseruatio Sancto huic placuit, & hæc paritas numerorum, secretum opus, mysterium, aut *Diuinum* quiddam eidem visum est. Nunquam tamen adhuc bella mysteria otiosè affinxisse dicitur, vt bellissimè, & otiosissimè Iuellus garrit; nec propter hanc mysterij huius obseruationem opus illud eruditum, aut reijcitur, aut ab vllo adhuc in dubium vocatur.

Simili modo S. Hieronymus in Apologia ad *Pammachium*: mysterium, siuè secretum aliquod diuinum in tribus illis numeris 30. 60. & 100. (de quibus Christus in parabola

bola, & semine cadente in bonam terram) constituit: & de his numeris ait: *Triginta referunt ad nuptias; sexaginta verò ad viduas porrò numerus centesimus exprimit virginitatis coronam*. Quid ad hæc Iuellus? An ob hanc obseruationem negabit hoc opus esse S. Hieronymi? An scurriliter obijciet, eundem è verbo Dei *bella mysteria per otium affinxisse*? Simili modo quando S. Augustinus mysteria statuit, non solùm in Abrahamo, Isaac, & Iacobo, & vxoribus eorum tot numero, sed etiam concubitu Loth cum filiabus suis, imò in fornicatione Iudæ cum Thamar, & alijs rebus similibus, in libro suo contra Faustum Manichæum: cùm legerit hæc Iuellus quidni pari modestia, & prudentia pronunciet eruditum illud opus non esse S. Augustinus: sed fabulatoris alicuius, qui ex verbo Dei *bella mysteria per otium affinxit*? Quidni nos veriùs dicamus, grauem hanc, & profundam Iuelli considerationem, quam, si ei credere velimus, Lectori offert, *vt animo eius satisfiat*, delirantis cerebelli scurrile dicterium in contemptum sacri illius Concilij præmeditatum, & scurra circumforaneo, quam Episcopo dignius esse? Atque hoc nomine habeat: nos ad alia pergamus.

Iuellus.

Sed vt hoc pleniùs inspicias. Memini Cusanum de hac celebri donatione Constantini ita scribere. *In ipso contextu quo describitur manifesta inuidia falsitatis inueni*.

D. Stapletonus.

Gratulor fœlici tuæ memoriæ Iuelle: sed si fides tua, & sinceritas memoriæ tuæ responderet, aliquid rectius comminisci, non inanes has nugarum bullas efflare voluisses. Certè, vt loquar apertè, non adeò fœlici memoria opus est, vt comminiscaris multa, non dico vestigia, aut indicia falsitatum, sed verè falsa, improba, & aperta mendacia; qualia per vniuersam seriem huius replicæ, sed imprimis in hoc articulo de Pontifice falsario, quem, vt prudentiæ tuæ monumentum posteris commendasti, prælo committere non erubuisti. In quo nisi mea me fallat opinio te ipsum tandem falsarium esse argumentis euinces. Vt est: Videamus quid fœlix tua memoria in hac causa suggesserit?

Iuellus.

De nouis illis Hardingi canonibus simile dici potest, in ipsa prolatione, & in contextu quo efferuntur, manifestam contrarietatem, ac proindè indubitata falsitatis vestigia poteris deprehendere.

D. Stapletonus.

Simile hoc, nisi Iuellus illud probet, prioribus mendacijs Iuelli haud dissimile est. Vt apertè dicam, mendacium est; nec mendacium solum, sed mera calumnia. Sed spectetur illius probitas ex probationibus quas affert.

Iuellus.

Nam priores viginti Canones, de quibus nulla orta est dubitatio, in Concilio Nicæno editi erant: sed reliqui de quibus Sancti Augustini, & Episcopi Africæ dubitationem mouebant, & in quibus Episcopus Romanus assertionem suam fundare videtur, Romæ non Nicææ conditi erant.

D. Stapletonus.

Sophista factus est Iuellus, vtitur sophismate quod *petitio principij* nuncupatur. Id pro argumento ad probandum adducitur, quod probari debet, & in conclusioni poni. Probat Canones à Papa confictos esse, quia conficti erant à Papa: Quasi dicas. Sine dubio ita est. Quid ita? Quia ita est.

Iuellus.

Nouus iste Canon hoc in loco allatus ait; *Episcopus Romanus habet iurisdictionem, & superioritatem in omnes alios Patriarchas*.

D. Stapletonus.

Hic Canon à Zosimo quem Iuellus falsarium probare conatur, non erat allegatus: Sed à Francisco Turriano allegatur, & ex eo à D. Hardingo: hoc modo Iuellus omnia confundit. Sed videamus quid exinde inferre velit.

Iuellus.

Sed verus genuinus, & indubitatus Canon Concilij Nicæni longè aliter se habet. *Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, vt Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Ex hoc Canone Episcopus Romanus non habet, vt D. Hardingus imaginatur, superioritatem in alios Episcopos, sed societatem tantummodo, & æqualitatem cum reliquis; vt solicitè intra territorium, siuè prouinciam sibi assignatam ambulet, sicut intra suas prouincias ambulare reliqui obligabantur.

D. Stapletonus.

Hic Canon superioritatem, & præeminentiam Episcopi Romani respectu aliorum Patriarcharum præfefert. Ergo contrarium falsò asseritur. Quæris quo modo hoc constat? Respondeo ex ipsis verbis Canonis allegati, *Quia, & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Canon iste iubet, nec vt rem nouam, sed vt *morem antiquum*, vt Alexandrinus per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim potestatem habeat. Quæ ratio est cur mos iste obseruetur? Canon ait. *Quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Quasi dicat, quia Episcopus Romanus à longo tempore ita constituit, & ordinauit. Alioquin decreti ratio inanis esset, & inepta: stultum enim esset pro ratione legis cuiusquam constitutionem, & ordinationem allegare, nisi eius-

dem

dem ordinatio, & constitutio auctoritatem præ se ferret, eamque ad legem illam regulandam, & dirigendam sufficientem. Sacrum ergo Concilium illud, morem, & constitutionem à Pontifice Romano prius positam expressè allegans, & pro ratione afferens, cur alij Patriarchæ hoc, aut illo modo limitentur, apertè significat, eiusmodi limitationem à priore aliqua Romani Pontificis constitutione, & ordinatione emanare, & decretum, aut Canonem illius Concilij nihil aliud fuisse, quàm publicum testimonium, & ratificationem antiquæ ordinationis à Summo Pontifice olim constitutæ, vt in vsu positæ. Atque hoc modo Canon iste potestatem, & iurisdictionem Romani Pontificis in alios Patriarchas importat, vtpotè cuius ordinatione aliorum iurisdictio limitatur, & restringitur. Et hoc modo ille alter Canon à Francisco Turriano allegatus, cuius etiam mentionem facit D. Hardingus, veris Niceni Concilij exemplaribus, aut regulis optimè consonat, & nullo modo contrariatur.

Iuellus.

Et in hoc Canone hæc duo verba: *Parilis mos* præcipuè notanda sunt, quæ aliter exponi non possunt quàm ex simili modo, & ordine auctoritatis, aut iurisdictionis.

D. Stapletonus.

Ita ait Iuellus. Sed rationem Canonis consideremus Patriarcha Alexandrinus pro sua prouincia, & iurisdictioni suæ subiectam habebit Ægyptum, Pentapolim, & Libyam. Et quid ita? Quia scilicet, modo ratio Iuelli locum habeat, Episcopus Romanos, *similem modum, & ordinem iurisdictionis, & auctoritatis habet.* Quid? Habet ne Episcopus Romanus, similem iurisdictionem in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim? An propterea Patriarcha Alexandrinus eandem habebit? An verba hæc *parilis mos*, id necessariò inferunt? An aliter exponi non possunt? Iam duo distincti Patriarchæ vnam, & similem iurisdictionem habebunt. Ecquid dici potest absurdiùs? Quid ergo? An Episcopus Alexandrinus has, aut illas prouincias pro territorio assignatas propterea habebit, quia Episcopus Romanus has, aut illas sortitus est? Ecqua in hac assertione apparet ratio decretum illud fundandi? Ergo certè nullam video, an vlla sit, quemlibet, cui lumen vllum rationis insit, appello iudicem. Hoc fortassè pro simili, aut exemplo satis aptè adduci posset. Nempè, vt Patriarcha Alexandrinus, his aut illis prouincijs præficeretur: quemadmodum Episcopus Romanus alijs quibusdam præest.

At verò verba Canonis non sunt, *Quemadmodum Episcopus Romanus*, sed: *quia & parilis mos est Episcopo Romano*. Nempè parilis mos, aut constitutio ab Episcopo Romano posita pro ratione, aut causa decreti adhibetur, non pro simili, aut exemplo quo lex illustretur. Ergo accipi non potest, vt Iuellus imaginatur, ad parem, aut similem auctoritatem in Episcopo Romano significandam, sed superiorem significare debet necessariò: Eiusmodi certè, quæ, vt ratio, & causa sufficiens sacrum Concilium posset mouere, ad assuetam Patriarchæ Alexandrini iurisdictionem in Ægypto, Libya, & Pentapoli stabiliendam. Atque huc vsque vera Nicœni Concilij exemplaria conueniunt cum illis alijs canonibus, qui inter viginti communiter receptos non reperiuntur, vt supremam potestatem etiam in ipsos Patriarchas similiter confirmant.

Iuellus.

Domini Hardingi Canon ait: *Sanctus Petrus super omnes Christianos Princeps Magister, & rector constitutus erat.* Cùm tamen D. Hardingus nunquam poterit probare, vel vnum Principem in vniuerso mundo, dum Christus viueret, fidem suscepisse.

D. Stapletonus.

Quam manifestè falsum hoc sit, statim apparebit, vbi proximè imputatum falsum in Iuellum retorqueam: sed iam videamus quas coniecturas Iuellus affert in contrarium.

Iuellus.

Si Sanctus Petrus in Reges, & Principes habuisset potestatem, probabile est eundem cum Cornelio Coriario noluisse vnquam hospitari.

D. Stapletonus.

Sapiens medius fidius coniector; quasi potestas S. Petro à Christo commissa, *& Primatus, & gubenatio per vniuersum mundum*, Hom. 1. de pœnit. to. 1. de quo Chrysostomus, eò tenderet, vt sibi splendidum apparari hospitium, lautum conuiuium, aut eiusmodi temporalia commoda iuberet.

Certè ex sapientibus Indęis aliquis cum Iuello nostro sapientissimo hoc in loco argumentari posset dicens, si Christus esset filius Dei, vt asserit, & Rex Regum, non est verisimile eundem eodem modo quo vixisse perhibetur, velle etiam agere, & vt verè posset dicere de se ipso; *vulpes habent foueas, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*, Matth. 8. Videtis quale pabulum doctrinę hic pseudo pastor populo sibi commisso apponit, sed Apostolus Paulus hanc difficultatem facilè expedit, dicens 1. Cor. 9. 18. *Quæ est ergo merces mea? vt prædicans Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio.* Hæc fuere Apostolorum primordia, hoc modo plantarunt Euangelium, nec propterea iurisdictionem spiritualem perdiderunt.

Iuellus.

Tandem terrorem incutiens concludit: *si quis resistat, aut huic statuto obmurmuret: Anathema sit.*

D. Sta-

D. Stapletonus.

Fateor hoc commune esse hæreticis, Sozom. lib. 3. cap. 8. Concil. Chalced. act. 3. vt superiori potestati subijci, ijs terrori sit, præcipuè Sedi Apostolicæ: sic Ariani Iulio Pontifici oblattabant: sic Dioscorus Eutichianus Leonem Pontificem excommunicare non dubitabat: sic Donatistæ Melchiadis iudicio stare recusabant; sic statutum Nicœni Concilij Summi Pontificis primatum confirmans, huic viro bono Iuello terrori est.

Iuellus.

Qua in re non solum Sancto Augustino, sed & Episcopis omnibus Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Pentapoleos, & Bizantij magnam infert iniuriam, qui non solùm huic Canoni apertè recalcitrabant, sed falsatum esse affirmabant, & ob illud factum superbiam, & ambitionem Pontificis increpabant.

D. Stapletonus.

Ex quo metallo factum est Iuelli impudens os: quod hæc adeo intrepidè audet oblaterare? Nam nec Sanctus Augustinus, nec quisquam Episcoporum Canonem hunc vnquam vidit, hunc inquam Canonem ex *Turriano* à D. Hardingo allegatum, contra quem Iuellus tam diù latrare potius, quam loqui visus est. Qui Canon agnoscit *Papam Patriarchis superiorem esse*: qui agnoscit, Sanctum Petrum *magistrum*, *& Rectorem esse super omnes Principes*, qui etiam (vt Iuellus ait) *Terrorem incutiens, concludit*. Hunc inquam Canonem Episcopi Africani nunquam viderunt. Sed hic vnus est ex eis quos Turrianus vir doctus ætatis nostræ in lucem edidit. Ecqua scintilla modestiæ, aut pudoris Iuello superest, qui adeò aperta mendacia fundere, & refundere, & multoties multiplicare non erubescit?

Iuellus.

Breuiter quid D. Hardingum cogit dicere Episcopum Romanum hos 70. Canones in saluo haberet? vt quid dissimulat? quorsum ludificatur mundum?

D. Stapletonus.

Imò quid Iuellum mouet adeò impudenter D. Hardingum mentiri? vt quid dissimulat? quem in finem mundum ludificatur? quid indè cupit, nisi præmium mentientium, *cotem*, alijs omnibus præripere speret? Verba quæ D. Hardingus de 70. illis Canonibus Romæ asseruatis habet; hæc sunt, Hardi. sect. 6. pag. 232. in Iuell. replic. [Inter Canones à 318. Episcopis in Nicœno editos, qui 70. numero erant, & ab Hæreticis in Oriente (exceptis 20.) omnes combusti: cùm tamen integer numerus in ipso Autographo à Concilio ad Silvestrum Papam transmisso, & 318. Patrum subscriptionibus communito, in Ecclesia Romana diligenter asseruatus esset, &c.]

His in verbis, vt videtis D. Hardingus hoc ait: integer numerus *asseruatus erat*. Quis numerus, aut quomodo asseruatus? nempè integer numerus à Concilio ad ~~*Silvestrum Papam*~~ missus: hæc affirmat D. Hardingus. Sed Pontificem Romanum hos Canones iam habere, vt Iuellus eum affirmare fingit, non omnino affirmat. Qui hac in re mihi fidem adhibere nolit, ipsa verba integra D. Hardingi contextus, replicæ Iuelli hoc loco inserta, diligenter perlegat, ac nisi ita sese habere inueniat; causam non dico, quin me impudentissimo, & mendacissimo Iuello similem habeat. Post hæc Iuellus distin. 16. valde sobriè, & quasi rem seriam agens, ex decretis argumentum ducit, & probat, Summum Pontificem multis ab hinc annis solùm viginti Canones penes se habuisse. Et sic concludit.

Iuellus.

Papa affirmat: tantummodo viginti Canones extant. Dominus Hardingus ait extare Canones 70. nulla ratio mouet, vt Hardingo potius, quàm Pontifici Romano adhibeatur fides.

D. Stapletonus.

Nulla certè, sed maxima subest, vt tandem aliquando impudenter mentiri, & tot mendacijs, & calumnijs lectoris patientia intemperanter abuti desinas.

Post hanc litem fructuosissimam, vt vidistis, Iuellus iterum respicit, & aliam Epistolam S. Athanasij ad Fœlicem, æque fœliciter, importunè per omnem modum, & planè præter rem aggreditur. Vt ergo prætercam testimonia Patrum, quæ ipse, vt solet, mendaciter, & fraudulenter in hac materia accumulauit (quod genus artificij vti spero, aliquis alius, idque breui palàm faciet) vt inquam ego hæc prætercam, videamus quomodo largum hunc processum de crimine Pontifici afficto tandem concludit.

Iuellus.

Iam tandem, beneuole lector, vt huius rei substantiam breuiter, & apertè tuis oculis subijciam: Canones D. Hardingi prius flammis absumpti erant, quàm editi.

D. Hardingus.

Faceta hæc falsitas est, qua decipiat lectorem, insequitur scomma quo abutitur lectore.

Iuellus.

Flammis absumpti erant, & tamen falsati, falsificati erant, & tamen flammis consumpti.

D. Stapletonus.

Pari modo potius est victoria, & tamen ab hoste victus erat, victus erat ab hoste, & tamen potitus est victoria, sed inter hæc duo

quæ videbtur pugnantia anni viginti intercesserunt.

Iuellus.

Iste Athanasius Marcum Episcopum Romanum de incendio certiorem facit nouem annis antequam vllus erat, qui ignem strueret.

D. Stapletonus.

Combusti erant Canones sedente Marco in Episcopatu Romano. Combustos fuisse secundò Iuellus valde cupit probare: sed vt illud falsum aliquo probabilitatis colore vestiat, cogitur tam Athanasium quàm Socratem illud afferentes fingere, quod asserere ne per somnium vnquam cogitabant.

Iuellus.

Ipse Pontifex falsarius manifestarius deprehenditur, idque testantibus Patriarchis Constantinopolitano, & Antiocheno, suffragantibus reliquis Episcopis,& vniuerso Concilio Africano, cui ipse Sanctus Augustinus interfuit.

D. Stapletonus.

Hæc assertio fabulosa deprehenditur, plena improbitate, calumnijs, & mendacijs, quid egerint Africani, postea dicemus.

Iuellus.

Dominus Hardingus ait Pontificem Romanum hos Canones habere in salua custodia: ipse Pontifex negat se illos habere.

D. Stapletonus.

Haud id asserit Dominus Hardingus. Quid ergo, nempè idem quod Papa Stephanus: Scilicet, omnes 70. numero Romæ fuisse, & ad Papam Syluestrum ab ipso Concilio missos.

Iuellus.

Hi Canones apertè contrariantur non solùm antiquis, & Catholicis Patribus, sed etiam alijs eiusdem Concilij Canonibus.

D. Stapletonus.

Iuellus adhuc Patres nullos attulit. Et Canones eiusdem Concilij his, qui allati sunt non contrariantur, vt dictum est.

Iuellus.

Episcopi in Africano Concilio conatum Pontificis hac ex parte omnino improbant, & factum illius mundanam superbiam, & inanem ambitionem nuncupabant.

D. Stapletonus.

Quid de facto illius senserint, & quid in eo negotio egerint, ex parte declaratum est, sed statim melius apparebit.

Iuellus.

Videtis quibus argumentis Hardingus Ecclesiæ Romanæ statum affert, & amplificat.

D. Stapletonus.

Videtis quibus argumentis Iuellus statum Ecclesiæ Romanæ impugnat. Dicam quod res est, confutis dolis, apertis mendacijs, & manifestis falsitatibus, Pontificem falsarium probare conatus est.

Nam per 5. folia quid aliud quàm illustria hæc insignia literis maiusculis pinxit? PAPA FALSATOR, PAPA FALSARIVS. Quapropter non video quid impediat, quo minus, & nos meritò, iustè, & verè titulos hos regeramus, & publicè deprædicemus, IVELLVS FALSATOR, IVELLVS FALSARIVS: Imò quidni adijciamus? IVELLVS CALVMNIATOR, IVELLVS CALVMNIATOR,& quidni literis maiusculis scribamus? MANIFESTA IVELLI MENDACIA, APERTA IVELLI MENDACIA: Hoc enim modo meretur ex suis virtutibus ornari, qui alios mendacij falsò accusat, & Beatissimum Papam maiusculis literis FALSARIVM inscribit, nec vestigium aliquod falsitatis in eo, probabili aliquo argumento ostendere vnquam potest.

Sed vt in hac re ad ea, quæ dicta sunt aliquam adijciam: quia Iuellus emendicatis vndiquaque subsidijs nihil falsi in Beato Pontifice potuit inuenire, sed quantò magis in ea sese immersit, tantò effusius mentitus sit; perpendamus si placet, quomodo ipsi Africani post mortem huius Zolimi (qui vnum solummodo annum, vixit in Episcopatu) de eodem loquuti fiat; au eum falsatorem, & falsarium, vt impudentissimi Iuelli æneum os eblaterauit, iudicauerint, nec ne, dispiciamus.

Primò Episcopi Concilij Africani in epistola quam vnanimi consensu ad Bonifacium immediatum illius successorem scripserunt, etiam de hac re, idest, de appellatione ad Romanam Sedem, & de canone Nicœni Concilij in ea causa appellationum ab eodem Zosimo allegato, loquentes, eundem *beatæ memoriæ* Zolimum, & *venerabilis memoriæ* Zosimum inscribebant. Sine dubio si isti Episcopi sacri Concilij falsationem in Zosimo deprehendissent, quam Iuelli improbitas illi affingit, saltem si de Spiritu huius Euangeliri pseudoepiscopi participassent, in suis literis ad eundem, egregios hos titulos litteris maiusculis depinxissent: ZOSIMVS FALSARIVS, ZOSIMVS SACROSANCTI CONSILII FALSIFICATOR. ZOSIMVS INFAMIS MEMORIÆ. Sed Euangelici isti rabidi, verè filij Cham, quorum gloria, & delitiæ Sanctos Dei Episcopos, & Patres, maledictis onerare. Sed Patres Afriani alterius feurunt spiritus, aliter de Patre suo spirituali senserunt. Inter Episcopos Africanos vnus erat sanctus Augustinus, qui præsens tunc aderat quando Faustinus Papæ Zo-

Zosimi Legatus, canonem hunc Nicæni Concilij de quo agitur, allegauit. Videamus quid is de eo senserit, & quid in scriptis suis contra Pelagianos, quos doctissimus iste Episcopus Zosimus præcipuè damnauit, post mortem eiusdem Zosimi memoriæ commendauerit.

De Cœlestino hæretico Pelagiano ait, in lib.2.c.2.de gratia Christi. [In Vrbe Roma libellum Beatissimo Papæ Zosimo.] Et quia noluit contra hunc hæreticum [districtam ferre sententiam, sed ruis interrogationibus, & illius responsionibus furentem colligere, donec si fieri posset resipiscere.] Quia, inquam, S.Episcopus cum eo hoc modo agebat [multum misericordem Apostolicæ Sedis Antistitem] eum appellat. Et in capite proximè insequente eundem [venerabilem Papam Zosimum] appellat, & alio capite, [Beatissimum Papam Zosimum,] & in eodem] cap. venerabili Patri Zosimo Synodus Africana respondit.] Et post pauca Capitula, enarrans quomodo idem Pelagius circumibat, & conatum adhibebat, [ad fallendum etiam Apostolicæ Sedis Episcopale iudicium,] epistolas quasdam commemorat, in cap.17.lib.2. cap.4. & contra Iulianum sæpè, quas Pelagius ad Innocentium miserat, sed [quoniam eum in corpore inuenerunt. Sancto Papæ Zosimo datæ sunt.]

His & huiusmodi titulis S. Augustinus Pontificem Zosimum insigniuit: [Beatissimus Papa, Sanctus Papa, Antistes multum misericors.] Sed nomen falsarij nullibi apparet. Certè si in hoc graue crimen falsi, quod importuni calumniatores Iuellus, & fratres illius, filij Diaboli, eidem obijciunt, verè incidisset, ipse Augustinus, qui in Concilio præsens aderat, nec potuit illud ignorare, nec voluit toties adeò reuerenter de homine flagirioso mentionem facere.

Sed quia Iuellus comminiscitur Pontificem Romanum ab Episcopis Africanis in ipso facto deprehensum esse. Consideremus paulisper, quomodò Patres illi sese in hoc negotio gesserint.

Primò Episcopi Africani ad Ecclesiam Orientalem, in epist.ad Bonifacium cap.101. Alexandrinam, Antiochenam, & Constantinopolitanam miserunt, & à Constantinopoli, & Alexandria acceperunt exemplaria, ab Antiochia nullum acceperunt, aut saltem in illo Concilio non constat vllum exemplar ab Antiochia missum fuisse. Quomodo quæso hoc factum interpretabimur? An dicemus nullum ibi extitisse exemplar, vtporè quia hæretici eadem deuastassene, aut diripuissent? An fortè missum erat aliquod exemplar, sed ab Africanis neqoaquam publicatum? Si priùs asseramus, tnm certè perindè probabile est exemplaria in prioribus, aut corrupta, aut imperfecta extitisse, quàm in Vrbe Antiochena penitùs amissa fuisse. Si secundum concedamus, tum certè haud satis candidè, & sincerè igisse Africanos necessariò confitendum est.

Profectò ipsi Africani in litteris suis ad Cœlestinum Pontificem, eum de acceptis exemplaribus ab Alexandria, & Constantinopoli certiorem facientes, Concil. Afric. capit.104. non ea pro vnicis, veris, & absolutè perfectis venditabant, sed *veriora Concilia* eadem appellabant, subinsinuantes extare quidem alia exemplaria, quæ tamen haud æquè vera ijs visa sunt. Alioquin nisi alia extitissent exemplaria, non *veriora*, sed absolutè vera dicere debuissent. Vt verbum illud Iuellus priùs vertebat eo facto haud obscurè indicans, quantùm ipse cupiebat, Patres illos ita scripsisse.

Rursùs, exemplar à Cyrillo Alexandrino Concil. Afric.cap.102. missum ad Ecclesias sticam historiam relationem quandam habet. Ibi enim habetur. *Quæ in Ecclesiastica historia requirentes inuenietis*. Iam præter Ruffini historiam nulla alia historia Ecclesiastica vllum eiusmodi Canonem Nicæni Concilij habet. Sed Canones de quibus ibi in illa historia Ruffini mentio est, ab exemplari Cyrilli non nihil differunt. Ruffinus lib. 1. cap. 6. tom. 1. Concil. fol. 498. præter quàm quod ordine, & dispositione Canonum ab illo exemplari differat, habet etiam Canones viginti duo. Exemplar autem à Cyrillo missum, viginti tantùm habet. Quare aut Cyrillus Africanus remittens ad illam historiam crassè allucinatus est, aut ipsæ litteræ Cyrilli supposititiæ, & fictæ sunt, aut ad minimùm exemplar ab eo missum imperfectum erat.

Rursùs Marcus Episcopus Ephesinus, is qui hoc inceptum Africanorum contra sedem Romanam omnium maximè vrget, affirmat Africanos non misisse ad Cyrillum, & Atticum, sed ad Cyrillum, & Proclum. Asserit idem controuersiam inter Africanos, & Pontificem ortam non fuisse circa appellationes, sed an Papa dici posset vniuersalis Episcopus. Atque ita non sunt consentientia Græcorum testimonia. Quare quod fœlix Iuelli memoria è *Cusano*, iam dudum suggessit, id ad nostrum institutum optimè accommodari potest: *In ipso contextu*, imò in ipso limine contextus *manifesta indicia falsitatis inuenio*. Vide Concil.Floren.sess.20.

Vt negotium hoc Africanorum cum sede Romana aliquando finiam, etsi hoc tempore sine charitatis læsione, & totali obedientiæ renunciatione transactum videatur. Quandoquidem causa de appellationibus tantummodò agitabatur, nihilominùs non inculpate vsquequaque, & rectè sese etiam in illo negotio gessisse rei ipsius euentus (in quo iudicium Dei, vt Sanctus Augustinus ait, Victor. lib.1. de persecutione Vandalorum, agnoscas) satis ostendit. Nam statim post (viuente adhuc sancto Augustino) Vandali terram illam occuparunt, Ariani Christianos grauissima persequutione afflixerunt, denique vniuersus Christianæ professionis status in illa misertima regione sub graui persecutionis iugo per spacium centum annorum ingemuit. Posteà tamen omnes Episcopi Africani per Eulalium Archiepiscopum Carthaginensem, sedem Sancti Petri occupante Bonifacio Secundo, Tom.1.Concil.submiserunt se in omnibus, & sedi Romanæ reconciliati erant.

Denique an summus Pontifex Criminis falsi reus fuerit, & an Potestatis suæ vsus, (vt Iuellus, & fratres eius Magdeburgenses omnibus persuadere cupiunt) in illo fundatus,

tus, vituperandus sit; An potiùs ipsi Africani in hac contentione culpandi, (vt reliqua omittamus examina) videmus ipsum summum iudicem Deum, sententiam suam interposuisse. Mauri, & infidelium colluies totam occupant Africam, Christiani, & Catholici adhuc Romam inhabitant, & ab illo tempore indisrupta possessione eandem retinuerunt.

D. Hardingus.

Sicut Petrus Christi Vicarius in potestate spirituali constitutus, & Ecclesijs omnibus in his, quæ ad Christum pertinent initio præpositus Magister erat, & Rector omnium Christianorum, Principum, Prouinciarum, & Nationum, &c.

Iuellus.

Falsum. Nam tempore Petri nullus Princeps, nulla in terris Prouincia fidem Christi susceperat.

D. Stapletonus.

Legimus in Historia Ecclesiastica, [Angarum Edessenorum Principem in initio, Thaddeo vno ex septuaginta veniente, fidem cum tota illa regione recepisse.] Vt vides ergo vna saltem regio, viuente adhuc Sancto Petro, fidem Christianam amplexa est. Atque adeò, etiam tum cùm ipse falsissimum affirmet, Iuellus, alios falsitatis arguere non erubescit. Sed respondet mihi. Au non de Apostolis Psalmista ait. [Constitues eos Principes super omnem terrarum?] Cùm tamen omnes Nationes, fidem Christi non essent amplexæ, dum Apostoli inter viuos essent. Niceph. lib. 2. cap. 7.

Rursùs de Sancto Petro Chrysostomus, ait in Homil. 55. in Matth. Dominum nostrum vniuersæ terræ, illum præfecisse. [Deus Pater, inquit, dixit ad Hieremiam Prophetam, ego te posui, vt columnam ferream, & sicut murum aheneum. Deus autem vni tantùm Nationi Prophetam præfecit (1. Iudæorum) sed Christus posuit Petrum totius Orbis Rectorem.] Et hanc Sancti Petri præeminentiam, S. Chrysostomus eo loco prosequitur, vt probet, & ostendat potestatem, & authoritatem Domini nostri Iesu Christi, potestate Dei Patris minorem non esse, quare sicut S. Petrus verè appellatur totius Mundi gubernator, licèt omnes gentes Christi fidem nondum amplexæ essent.

Cùm tamen potestas illius non nisi ad Christianos extendatur. [Nam quid mihi, inquit Apostolus, 1. Corinth. 2. de ijs qui foras sunt iudicare?] Ita S. Petrus verè appellatur Dominus, & Rector Principum, licèt dum ille inter mortales ageret, pauci admodùm Principes sub vexillo Christi militassent. Iterùm sicut S. Petrus ex ipsius Christi institutione, verè erat, & totius Mundi gubernator, iure appellatur, licèt non ipse in persona, sed in successoribus suis vniuersum Orbem Christianum, per omnium ætatum curricula gubernauerit, & in omni angulo terræ: [donec impleatur pleuitudo gentium,] vt gubernator recipietur, ita idem verè appellatur Rector Principum Christianorum, quia licèt ipse in Persona mortuus sit, successores tamen illius iurisdictionem, & spiritualem potestatem in omnes Christiani Orbis Principes adepti, eandem exercuerunt.

Denique quidni Concilium Nicænum Christianorum numerum, (qui adhuc viuente Sancto Petro ad fidem conuersi erant, quorum 1. Corinth. 1. alij *potentes* alij *nobiles*) nomine Principum, & Prouinciarum verè appellet? Nam Sanctus Petrus Act. 4. dum Prophetiam illam, in Psal. 2. [Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum,] de Herodo, & Pilato verificari ait, in Ioan. 19. eos Principum, & Regum nomine compellat, cùm tamen nec Herodes Rex erat, nec Pilatus Princeps respectu Iudæorum, qui palàm profitebantur, [nos Regem non habemus nisi Cæsarem,] quare sub communi appellatione Principum, & Regum, satis commodè comprehendi potuerunt.

D. Hardingus.

Christiani Principes, qui Canones, & Decreta summi Pontificis primatum concernentia edictis suis primò confirmarunt, (nec tamen vt aduersarij nostri falsò affirmant authoritatem illam primò dederunt) fuerunt Iustinianus, & Phocas Imperatores.

Iuellus.

Meud. 99. Phocas titulum hunc summo Pontifici Romano dedit, sed Iustinianus non legitur eum dedisse.

D. Stapletonus.

Non satis est Iuello contra Dominum Hardingum falsum asserere, nisi etiam magnum, & splendidum mendacium de suo superaddat.

Primò enim Iustinianus Imperator, ad Ioannem Secundum scribens, his verbis illum compellat, Cod. de summa Trinit. & fide Cathol. [Caput omnium Ecclesiarum Sanctorum.] In alia autem constitutione expressè ait, in Tit. 1. nos teddent Autheur. vt Ecclés. Roman. an. gau. priuil. [Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus Apicem, apud eam esse nemo est, qui dubitet. Vndè & nos necessarium duximus Patrem legum fontem Sacerdotij, speciali nostri Numinis lege Illustrare.] His duobus in locis, Imperator Iustinianus, primò appellat Pontificem Romanum, [omnium Sanctarum Ecclesiarum caput,] tum eundem, [Summi Pontificatus apicem] occupare, idque, non priuilegium ab eo, aut antecessoribus sui illis datum, sed vt ius, quod suum esse nemo Christianus dubitabat.

Hoc ergo egregium est Iuelli mendacium, quod impudenter audeat affirmare Iustinianum [nunquam attribuisse summo Pontifici eiusmodi titulum.] Nam & titulus Ipse, & authoritas quem titulus præsefert, hîs in verbis apertè explicatur.

Rursùs ipsissima Iustiniani verba hîc à D. Hardingo apertis verbis afferuntur. Verba hæc sunt. [Sancimus secundùm Canonum defini-

definitiones: Sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum,] Dic amabo Iuelle. An non in his verbis Primatus summi Pontificis Imperatoris edicto confirmatur? Annon ei titulum illum Imperator attribuit? Annon illum, [primum omnium Sacerdotum appellat?] Idque non authoritate aut iussu suo, sed secundùm [Canonum definitiones?] quid ad huoc locum respondes? Testimonium hoc intra præscriptum numerum 600. annorum reperitur. Nam testimonium Phocæ, vt videtur, à te reijcitur, quia extrà hos cancellos consistit, video te nunquam manus dare velle, aut ingenuè verum fateri, quin potiùs, quod os impudens semel effutit illud multiplici defensione, & multiplicata impudentia, asseuerare statutum videtur. Videamus quid respondeas.

Iuellus.

Priuilegium hoc Episcopus Romanus, vt esset Sacerdotum primus, non ita extendendum erat, vt in Mundum vniuersum dominaretur.

D. Stapletonus.

Sanctus Gregorius, in lib. 4. epist. 3. & Sanctus Chrysostomus, in lib. 2. de sacerdot. & Homil. 55. in Matth. hanc authoritatem in hac latitudine (vt dictum est) eidem attribuerunt. Ergo hoc, primò inter mendacia numeretur. Iam ad aliud transeamus.

Iuellus.

Id solum ei concessum, vt in publico consessu, & Concilijs generalibus, primo in loco sedeat, & euitandæ confusionis gratia, alios dirigat, & ordinet.

D. Stapletonus.

Hic aliud sese obtrudit mendacium. Iustinianus edictum suum ad Canonum constitutiones refert. Ergo vt Primatum hunc, sacri Canones interpretantur, & accipiunt, ita edictum Imperatoris accipi, & explicari debet. Nam vt Baldus ait, in l. si quis seruo Cod. de furtis. [Secundùm rationem expressam,] lex intelligi debet. Iam quod ad Canones attinet, ad quos hæc lex expressè refertur.

Primò secundùm Canones Nicæni Concilij (non solùm ex eo quem Zosimus aduersùs Episcopos Africanos allegauit, sed etiam ex ijs quos Cant. 21. & 3. in epist. Iulius Pontifex, contra Episcopos Orientis attulit) apertissimum est, omnes causas, in quibuscunque Regionibus, ad Romanum Pontificem pro tempore existentem, remitti potuisse, in Cantic. 7. Concilium Sardicense, de appellationibus in causis criminalibus, idem decreuit. Conciliorum decreta (vt Ecclesiastica testatur historia) in trip. lib. 4. cap. 9. decernunt sine authoritate Pontificis Romani Concilium haberi non posset. Hanc ob causam Concilium Antiochenum sine assensu summi Pontificis coactum, annullatum erat. In Concilio Chalcedonen. Act. 3. Legatus summi Pontificis præsidens, in hæc verba subscripsit: [Paschasinus Episcopus, vice Domini mei Beatissimi atque Apostolici vniuersæ Ecclesiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis, Synodo præsidens, statui, consensi, & subscripsi.] Haud aliter, imò iisdem ferè verbis, in eodem magno generali Concilio Chalcedonen. 600. Episcoporum (ibidem præsente Martiano Imperatore,) qui ex omnibus Orbis Christiani Regionibus congregati erant. Licentius Episcopus, & Bonifacius presbyter, summi Pontificis Legati, primi, id est, ante Patriarcham Constantinopolitanum, & reliquos omnes subscripserunt. Hæc omnia ante Iustiniani tempora acciderunt. Mens ergo, & sensus edicti Iustiniani ad Canones priorum Conciliorum, Cod. de sacrosanctis Ecclesijs decernimus, respectum, & relationem importans, longè aliam præeminentiam, quam Iuellus concedere velle videtur, summo Pontifici assignat.

Iuellus.

Aperta sunt Imperatoris verba. [Prærogatiua in Episcoporum Concilio, vel extra Concilium ante alios residendi,] prærogatiua hæc Græcè appellatur *proedria*, id est priuilegium primi, aut superioris loci.

D. Stapletonus.

Hic Iuellus seipsum egregiè prodit, quædam verba Imperatoris ad speciem, & pompam, otiosè & ab instituto aliena profert, à medio sententiæ principium arripiens, verbum principale omittens, reliqua pro libidine sua detruncans, & amputans. Enimuero, Lector, si Iuellus aut remisisset te ad lineas immediatè præcedentes, aut si constitutionem ipsam, plenam & integram, oculis tuis subiecisset, facilè sine dubio intellexisses, hæc omnia, nec ad Pontificem Romanum, nec ad hoc Iustinianus de Primatu summi Pontificis decretum, vllo modo pertinere.

Nam primò hæc constitutio non est Iustiniani. Nam diù ante eum natum, edita erat, à Leone, & Anthemio. vt in Codice euidenter constat. Deindè verba decreti, noo loquuntur de Pontifice Romano: Cod. Sacrosanctis Ecclesijs decernimus, sic enim se habent. [Decernimus, vt antiquatis, ac infirmatis funditus, quæ contra ipsum Orthodoxæ religionis Deum quodammodò facta sunt, in integrum restituantur vniuersa, & ad suum ordinem reuocentur, quæ ante profectionem nostræ mansuetudinis de Orthodoxæ religionis fide, & sanctissimarum Ecclesiarum, & Martyriorum statu firmiter obtinebant. His quæ contra hoc tempore tyrannidis, innouata sunt, tam contra Venerabiles Ecclesias, quarum Sacerdotium gerit beatissimus, & religiosissimus Patriarcha nostræ pietatis Pater Acharius, quàm contra cæteras, quæ per diuersas Prouincias collocatæ sunt, necnon & Reuerendissimos earum Antistites, seu de iure sacerdotalium creationum, seu de expulsione cuiusque Episcopi à quolibet illis temporibus facta, seu de Prærogatiua in Episcoporum Concilio, vel extra Concilium ante alios residendi, vel priuilegio

uilegio Metropolitano, vel Patriarchico sub ijsdem temporibus pænitus antiquandis.]

Hactenùs Constitutio, non quidem Iustiniani, de cuius edicto iam agitur, sed Leonis, & Anthemij, qui ante Iustinianum 60. annos & amplius, regnarunt. In tota hac Constitutione Romani Pontificis nulla est mentio, nec de prærogatiua, aut priuilegio illius verbum vllum. Sed prærogatiua præsidendi, hoc in loco de alijs Episcopis asseritur, idque obiter, nec quæ qualisue illa fuerit, aut ad quem pertinebat, explicatur.

Nihilominùs Iuellus more suo, & assueta modestia enuntiat, prærogatiuam hanc, nempè vt sit [Sacerdotum omnium primus] (quæ verba sunt Imperatoris Iustiniani) concessam esse reuera Pontifici Romano, sed intelligi solummodò, [vt in Concilijs, vel extra Concilia ante alios resideret.] Atque vt hoc probet, intrepidè asserit, [verba Imperatoris aperta esse,] quasi ipsissima Iustiniani Imperatoris verba attulisset, & quasi illa verba de primatu, & prærogatiua singulari Pontificis Romani expressè prolata fuissent. Vsque adeò effrons, & impudens, fine vlla probitatis ratione, & quod nescit asseuerat, & quid pro causa sua afferat susque deque habet.

Sed cùm prærogatiuam hanc de capessendo loco in Concilijs probare cupiens, phrasim Græcam in medium adducat, certè Lexicon Græcum nihilo plus adiuuat, quàm Leguleius, qui constitutionem illam Latinè suggesserat. Nam edictum hoc, ad priorum Conciliorum Canones, quos expressè nominat necessariò referendum est. Expressè, inquam nominat. [Secundùm Canonum, inquit. definitionem:] quod cùm subolerer, subdolus Iuellus in hac adinuentione sua (nec Græculo, nec Legulei satis fidens) insistere noluit, sed nonnihil de Theologia sua assueta admiscere voluit, & per Ecclipsin (vsitatissimam in schola hac figuram) verba illa edicti [secundùm Canones] planè amputauit, & institutum suum hoc modo prosequitur.

Iuellus.

Hanc autem fuisse mentem Imperatoris, & non aliam, ex ipsissimo loco, quem Dominus Hardingus hic allegauit, satis manifestum est.

D. Stapletonus.

Itane vero Iuelle? etiam ex ipso loco manifestum est? Hoc si tu manifestum facias, egregiam te artificem deprædicabimus. Agendum videamus quomodò hoc efficies.

Iuellus.

Verba eius ita se habent, *Sancimus, &c.*

D. Stapletonus.

Quorsum obsecro taces. Quidni pergas? An te repentina tussis corripuit, quæ inchoatam, & tantoperè desideratam sententiam tam citò abrumpat? Perge, bonis auibus, iterùm aggredere.

Iuellus.

[Sancimus, &c. Senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum, Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum habere locum.] Hinc manifestum est priuilegium hoc Episcopi Romani, tantùm in assignanda illi sede prima consistere.

D. Stapletonus.

Imò manifestum est, quia Dauus semper Dauus erit, & Iuellus semper sibi similis Iuellus erit, vbi obsecro verba illa *secundùm Canonum definitiones*? Vbi honorificum illud summi Pontificis Epithetum *sanctissimum*? Quare apertam vim Textui infers? Quomodò au sus es tanti momenti voces elidere, & tamen quasi omnia rectè, & ex sententia Authoris fluerent, inoffenso pede in assertione progredieris? Speciosè satis hæc, & artificiosè, sed nec solidè, nec candidè, quare vt tibi deinceps caueas (Lector candide) admonitum te cupio.

Et quis tibi Iuelle, post hac securè fidem adhibere potest, non dico è suggesto declamitanti, sed nec in vita communi, qui publicè, & ex prælo, idque in causa salutis æternæ in quæstione de obedientia supremæ potestati debita, quam quoties despicions, ipsam diuinam maiestatem despicimus, adeò fraudulenter ausus es imposturam exercere? Nescire non potuisti hæc verba *secundùm Canonum definitiones*, hoc commentum tuum de primo accubitu prorinus euertere. Nescire non potuisti verba illa longè aliam præeminentiam præseferre, ac proptereà perfidiosè, & nequiter eadem expunxisti. Denique præ nimio tuo erga sanctitatem suam amore Epitheton illud *sanctissimum* (quod maiestas Imperatoria loci, & officij sui intuitu eidem attribuit) protinus omittere voluisti.

Sed titulum Archiepiscopi Constantinopoleos vbi Turca dominatur, Iuellus libenter voluit retinere. Quid obsecro peccarunt hæc quatuor verba? An tibi qui ea noluisti exscribere, an Impressori molesta erant? An fortè plus, quàm libenter indicare voluisti in illis comprehensum latet? Ergo summus Pontifex, & Imperator, Gregorius, & Iustinianus Iuellum adire debent, vt discant loqui, imò ab eo coerceri debent, nec sinuntur, verbum vnum, quod illi displicet scribere, aut loqui.

Postremò vbi edictum Iustiniani habet, esse *primum omnium Sacerdotum*: tu Anglicè exprimis *erit primus*, quasi antea non fuisset primus, sed illo edicto iam primum factus Sacerdotum primus. Atque hoc modo intercidendo, immutando, detruncando, & malè vertendo, denique fraudulenter interpolando, vniuersum Orbem in altum soporem conijcere, & Lectorem magno animæ suæ periculo ludificari speras. Sed videamus an in sequentibus hos mores corrigas, sic pergis.

Iuellus

Iuellus.

Sed quæso te Lector eandide vt verba in eadem lege immediatè sequentia diligenter consideras, & facilè intelliges, nec Hardingum satis eandidè, & sincerè agere, & Episcopum Romanum ab apice supremę potestatis, quam hodie profundè somniat per apertæ legis verba exclusum esse.

D. Stapletonus.

Et ego vicissim, bone Lector, quæso à te, vt illud serio agas, & ausim in me recipere. tum D. Hardingum hac in re culpa carere, nisi aliquid omittere quod ad rem suam faciat culpa sit; tum Pontificem Romanum ex hoc ipso loco, quem Iuellus affert, supremam iurisdictionem, nec eam nuperam, & per somnium repræsentatam, sed mille abhinc annis testatissimam, habere.

Iuellus.

Immediatè sequitur: *volumus, & ordinamus, vt Archiepiscopus Iustiniana primæ, in qua nati sumus habeat sub se in perpetuum Episcopos prouinciarum Daciæ, Daniæ, Dardaniæ, Mysiæ, & Panoniæ, & vt ipse in prouincijs sibi subiectis locum Sedis Apostolicæ Romanæ habeat.*

D. Stapletonus.

Hæc sunt verba Imperatoris Iustiniani, fateor: sed quid ex his colliget Iuellus?

Iuellus.

Hic videmus Episcopum Iustinianæ eundem habere locum, & eandem auctoritatem in territorio suo, quam habet Episcopus Romanus in ditione sua.

D. Stapletonus.

Ita est, Iuelle, sed quomodo illam nactus est auctoritatem? Cuius ille locum obtinet in illa auctoritate, & iurisdictione? An non habet hæc verba decretum illud: *secundùm ea quæ S. Papa Vigilius constituit?* Hæc verba non arridebant palato tuo, propterea arte tua vsitata, ea à decreto auellere, & supprimere placuit, cùm tamen causam, & rationem decreti in se continerant: Illa enim verba nos docent summum Pontificem, non Imperatorem amplam hanc iurisdictionem concessisse. Docent etiam eadem verba hoc decretum Imperatoris ad confirmationem Pontificiæ constitutionis factum esse, sicut priùs illud decretum *Sancimus*, ad confirmandos summi Pontificis canones editum erat. Sed bonus iste vir tam hoc decretum, quàm illud aliud arte sua detruncatoria eleganter expoliuit, vt amputatis principalibus decreti vocabulis, totus contextus, non Ecclesiasticam legem, sed laicam constitutionem continere videatur. Sed quod ad hanc rem attinet, an non Iuelle quid hæc omnia sibi velint, adhuc intelligis? Quilibet Archiepiscopus Cantuariensis legitimè ordinatus, & vocatus, eadem vtitur auctoritate in territorio suo, qua Episcop. Iustinianæ in prouincijs suprà nominatis. Quiuis Episcopus Cantuariensis est, & à mille ab hinc annis semper fuit *Legatus natus*, vt appellant, S. Gregorius Episcopus Romanus cuius zelus, & paterna charitas fidem Christianam in hanc nostram Angliam importauit, illam dignitatem, & auctoritatem S. Augustino Apostolo nostro, & Archiepiscopo Cantuariensi impertiuit.

Ita hanc rem tradit Beda in historia sua, cuius hæc sunt verba, *Britanniarum omnes Episcopos tuæ committimus fraternitati, vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi auctoritate corrigantur.* In hunc modum etiam regnante Regina Maria Reuerendissimus pater, & beatissimæ memoriæ Reginaldus Polus locum Sedis Apostolicæ Romanæ in Anglia habuit, sed an tibi persuades, Iuelle, aut Episcopi Iustin. auctoritatem in prouincijs assignatis, aut Episcopi Cantuariensis in hac nostra Anglia, cùm tamen vterque locum Sedis Apostolicæ occupet, & eadem auctoritate ex Apostolicæ Sedis concessione fruantur, supremam, & vniuersalem Summi Pontificis auctoritatem vllo modo imminuere? Quin potius. ecquid in medium afferri potest quod eandem Summi Pontificis potestatem efficacius confirmet? Vereor profectò Iuelle, cùm hæc quæ hic adducis rectè intelligant, vereor, inquam, ne ex fratribus tuis aliqui te vt vafrum præuaricatorem excipiant, qui quod impugnare præ te ferre videtis, reipsa astruas. Quid ita? Nempè Iuellus hic noster pro auctoritate Legati Summi Pontificis in prouincijs *Mysiæ, Daciæ, Dardaniæ, & Pannoniæ*, Iustiniani Imperatoris, qui mille retro annis Imperium obtinuit, apertum testimonium protulit. Legati enim omnes locum Sedis Apostolicæ Romanæ ab ipsis Summis Pontificibus concessum habent. Et quid obsecro prodesse illis posset Sedis Apostolicæ locus, si Sedes Apostolica locum nullum ibidem haberet? Summa ergo argumenti Iuelli hæc est: *Episcopus Iustiniana locum Sedis Apostolicæ in his, & illis Prouincijs obtinuit: Ergo Sedes Apostolica in illis locis auctoritatem nullam habuit.* Vt vis, & robur huius argumenti clariùs elucescat simile argumentum statuamus: *Gubernator Hyberniæ Regis Angliæ locum tenet in illa prouincia; ergo Rex Angliæ ibidem auctoritatis nihil habet.* Hoc certè argumentum rebelles contra summam Regis potestatem afferre possent: Et illud alterum hæreticorum est, qui legitimo pastori rebelles sunt. Et similibus argumentis Iuellus schisma, & refractariam rebellionem suam tueri solet.

Iuellus.

Similiter idem Iustinianus ait *Ecclesia Constantinop. iam gaudet Priuilegijs antiquæ Romæ.*

D. Stapletonus.

Hinc Iuellus argumentum format perinde, ac illud alterum futile.

Constantinopolis gaudet priuilegio antiquæ Romæ:

Ergo

Ergo Constantinop. auctoritate, æqualis est Romæ.

Si hoc argumentum aliquid euincat, quilibet peculiaris Clericus Episcopo suo æqualis esset, & quodlibet collegium priuilegio aliquo donatum, æqualis esset fundatori, per quem priuilegium illud eidem obuenit: & immunitate aliqua, aut prærogatiua ornatus, principi æqualis esset, qui immunitatem illam concessit: Imò, & huiusmodi argumentis ciuitate donatus in Anglia, priuilegijs gaudens Angligenæ, per omnia æque liber erit: etiamsi leges requirant. vt Regi duplex subsidium præstet, cùm tamen natiui Angli dimidium tantummodo soluant. Atque huiusmodi ineptis imò improbis argumentis omnes causæ inhonestæ sustentari necesse habent.

Iuellus.

Iam si Episcopus Iustinianæ, & Romanus in territorijs suis æqualem auctoritatem habent, si Ecclesia Constantinop. in omnibus suis priuilegijs, & prærogatiuis omnibus, antiquæ Romæ æqualis facta sit: tum potestas Episcopi Romani non est vniuersalis, nec potest Episcopus Romanus appellari caput Ecclesiæ vniuersalis.

D. Stapletonus.

Ita est vt ais Iuelle. Si cælum ruat, &c. Sed si Episcopus Iustinianæ, & Episcopus vrbis antiquæ Romæ in territorijs suis non sint æquales, nec æqualem habeant auctoritatem, sed alter ab altero auctoritatem accipiat, si alter alterius locum habeat, idque ex alterius delegatione, idest, ex constitutione Romani Episcopi, vt decretum apertè explicat: Rursus si Ecclesia Constantinop. Ecclesiæ Romanæ in omnibus prærogatiuis, & priuilegijs, non sit facta æqualis, quod Iuellus affirmat, sed priuilegio tantùm gaudeat antiquæ Romæ vt decretum declarat: tum Episcopi Rom. auctoritas non minuitur, sed augetur potius, nec video quid impediat, quò minùs caput Ecclesiæ vniuersalis salutetur. Denique si hęc ita se habeant, Iuellus non duo argumenta in medium adduxit.

Iuellus.

Certè ipse Iustinianus ad Episcopum Constantinop. Epiphanium scribens, vniuersalem Patriarcham eundem appellat: quod sine dubio nunquam fecisset, si titulum illum iure ad Episcopum Romanum. pertinere, arbitratus fuisset.

D. Stapletonus.

Neque Episcopus Romanus eum titulum sibi vendicat, nec in vllo Episcopo vnquam laudatus erat, licèt aliquando ex vsu, & consuetudine, aliquando honoris causa, & reuerentiæ erga personam, non solùm Pontifici Romano, sed & alijs etiam subindè attributus fuerit. Vox hæc *Icumenicos* vt videtur pro *Catholicos* accipiebatur vt vocem illum tu postea exponis, & eo sensu omnes veri, & boni Episcopi ita appellantur.

Iuellus.

Argumentum quod D. Hardingus è verbis Iustiniani colligit ita se habet: *Episcopus Romanus primum locum habuit in Concilijs generalibus: ergo idem vniuersalis Episcopus erat.* Quod argumentum quanti sit momenti D. Hardingo æstimandum relinquo.

D. Stapletonus.

Haud ita est Iuelle. Non ita colligit Hardingus: sed argumentum illius huiusmodi est: *Iustinianus decreto, aut edicto suo Rom. Pontificis primatum, quem Canones determinauerant confirmauit. Ergo Imperator Summi Pontificis primatum ratum habuit, & confirmauit*: Atque in hunc finem attulit decretum Iustiniani, & Phocæ Imperatoris constitutionem. Certè hoc argumentum tantùm habet ponderis, vt ea omnia quę Iuellus in contrarium attulerit, huic præponderare nequeant. Primatus siquidem Summi Pontificis duplicem probationem continet, habet enim in se determinationem canonum, & Imperatoris confirmationem: vtrumque inter limites, & terminum 600. annorum à Christo.

Hardingus.

S. Hilarius S. Petrum, & successores suos in illa sede pluribus afferens, ait: *supereminentem fidei suæ confessione locum promeruit.*

Iuellus.

Fals. 100. Nam Hilarius de successore Petri ne verbum quidem habet.

D. Stapletonus.

Licèt S. Hilarius de successore Sancti Petri nihil habeat, nec de Sede Romana, tamen quod ad laudem sancti Petri profertur; ad laudem successorum illius proferri, rectè dici potest. Sic sanctus Chrysostomus *tùm Petro, tum Petri successoribus* Christum oues suas commisisse ait. Sic S. Hieronymus Damasum Papam appellat *cathedram sancti Petri*, super quam Ecclesiam ædificari confitetur. Ad eundem modum sanctus Hilarius sanctum Petrum laudibus efferens, & in eo præeminentiam quandam agnoscens, haud incommodè eandem in successoribus suis agnoscere, & confiteri dici potest: saltem si consideremus Christum ædificasse Ecclesiam non morituram in persona Petri, sed ad consummationem sæculi duraturam. Cùm verò Iuellus confidenter asserat S. Hilarium fidem solummodo S. Petri laudasse, de Trinit. lib. 6. ne quid dicam grauius, S. Hilarium apertè mentitur. Nam eodem libro fatetur Christum super Petrum ædificasse Ecclesiam suam, vbi ait: *Post sacramenti confessionem Beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens.* Nam quorsum diceret S. Hilarius ædificationi Ecclesiæ subiacere S. Petrum, nisi quia ipse est petra, & fundamentum super quod Eccle-

siam

siam suam ædificare, Architecto placuerit? Haud aliter à S. Cypriano, S. Hieronymo, S. Augustino, & alijs, S. Petrus appellatur *fundamentum* Ecclesiæ, non vt excludant primarium, & principale fundamentum, quod est Christus, sed vt robur quoddam, & firmitudinem indefectibilem in successoribus eius significent, & palam profiteantur. Non est ergo fides tantùm Petri, sed persona etiam S. Petri, quam S. Hilarius laudibus effert, quæ non minùs firma est, quam illius fides, quia Christus rogauit, quod sine dubio pariter impetrauit, *vt fides eius non deficiat*, Luc. 22.

D. Hardingus.

Locum supereminentem (inquit S. Hilarius.)

Iuellus.

Hic mendacium facit D. Hardingus, quod in falsa translatione consistit, nam de suo addit, *super omnes alios*.

D. Stapletonus.

Dicas mihi Iuelle, super quos datur illa supereminentia D. Petri. Aut supereminet omnes, aut aliquos tantùm, aut est suprà nullum. Si respondes super aliquos tantùm, oportet ostendere quinam ij sint, & quare super eos solos. Si super nullos, supereminentia nulla est, & certè vox hæc, *supereminentia*, non mediocrem, aut communem importat præeminentiam, sed præeminentiam quandam super omnes. Hac in re ausim quemlibet Grammaticæ peritum iudicem constituere. S. Chrysost. hom. 55. in Matth. ait, *Deus Pater Hieremiam vni nationi præfecit. Sic Christus S. Petrum Orbi vniuerso*: quam propositionem adeò certam, & indubitatam ratus est, vt ex ea argumentum deducat, quo diuinitatem Christi Deo Patri æqualem probet. Et S. Gregorius lib. 4. epist. 33. ait: *Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur*. Et omnes Scriptores tam Græci, quàm Latini S. Petrum appellant Principem, caput, & primum Apostolorum: Si vt Princeps Apostolis præerat, non est dubium, quin vniuersæ Ecclesiæ prælatus fuerit. Atque ita assertio illa à vera Theologia non abhorret, nec dicenda est falsa translatio, quæ verbo Latino genuinum sensum, quem commodè habere potest, tribuit.

D. Hardingus.

Idem S. Augustinus Bonifacium Episcopum Romanum alloquens: *Communis est*, inquit, *cura omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo omnibus præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis*.

Iuellus.

102. Falsum male vertendo, S. August. corrumpit.

D. Stapletonus.

Video Iuelle Theologicis Scholis relictis ad grammaticas descendendum esse ad tempus. Agendum, ponamus verba Latina, vt iacent: deinde qualis constructio fieri possit videamus: sumamus verba, vt Iuellus ipsa affert.

Iuellus.

S. Augustini verba hæc sunt: *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis in eo ipse præemineas celsiore fastigio, specula pastoralis*.

D. Stapletonus.

Libri nostri Parisijs editi, non ita habent, oportuit significasse quodnam exemplar in hac argutia sequutus es: certè verba sequentia mendacissimam calumniam continent, vbi ais:

Iuellus.

Quæ verba Hardingus affectata deprauatione, mutauit in hunc modum, *Celsiori fastigio speculæ Pastoralis*.

D. Stapletonus.

Hoc certè virulentum mendacium est: ipse satis nosti ipsissima hæc verba prout in hoc loco à te posita sunt, & vt deprauata à Hardingo calumniaris, in omnibus exemplaribus Parisiensibus nulla litera, aut syllaba mutata reperiri. Quam effrons ergo impudentia est asserere Hardingum verba immutasse, & data opera deprauasse? Quousque tandem, Iuelle, imperitum lectorem ludere, & decipere perges? nempè impiæ istæ hæreses sine mendaciorum multitudine sustentari non possunt. Quin age, perge mentiri, sic ais:

Iuellus.

Atque ita nomen adiectiuum, *communis*, sine substantiuo, & verbum principale, sine nominatiuo casu relinquit, imò vt causam suam tantillum adiuuet, nec D. Augustino parcit, ab eo enim Priscianum male mulctatum introducit.

D. Stapletonus.

His tribus sententijs tria insunt mendacia. Nam licèt de verbis S. Augustini verè dici posset, primò desiderari nomen substantiuum. Deinde casum nominatiuum: Denique D. Augustinus Prisciano colaphum impegisse, hæc omnia non Hardingum, vt tu fingis, sed Parisiense prælum admisisse satis constat. Quid ergo hoc loco tot mendacia inani verborum tinnitu accumulas: Nam quæ Hardingo affingis ea in te retorquentur. Ipse enim exemplar Parisiense, quod apud se habuit, bona fide sequutus est. Sed ad rem; videamus an in hac editione quam tu affers, res quam quærimus inueniri non possit, vt re per-

perſpecta: & ſenſu expedito, & facili dato, hæ ſyllabicæ argutiæ, & nugæ vocabulares, meræ nugæ, & nugæ nugarum, apud cordatos appareant.

Iuellus.

Hic locus D.Auguſt. hunc ſenſum habet: *Specula paſtoralis communis eſt nobis omnibus, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamuis ipſe præmineas celſiore faſtigio.*

D. Stapletonus.

Itane vero, Iuelle? facilè patiar, vt pro, *ſpeculæ paſtoralis*, quod exemplaria Pariſienſia habent, legas, *ſpecula paſtoralis*, pati tamen nullo modo poſſum, vt medullam teſtimonij eruas. Illidis enim partem hanc in eo, ſcilicèt *Epiſcopatus officio*. Sic ergo loquitur Auguſtinus, vt te relatorem ſequar, paſtoralis ſpecula communis eſt nobis omnibus, qui fungimur Epiſcopatus officio, *quamuis ipſe in eo præmineas celſiore faſtigio*: quibus verbis Sanctus Auguſtinus agnoſcit, & confitetur, Summum Pontificem Romanum, in officio Epiſcopali præeminentiam habere, & in celſiore faſtigio ſedere. Quid hoc aliud eſt, quàm primatum, aut ſuperioritatem inter Epiſcopos habere? Ita rem ipſam quam quæſiuimus, ideſt, Summi Pontificis primatum, ipſe Sanctus Auguſtinus relatore Iuello nobis ſuppeditauit. Si porrò litigare velit Iuellus dicens:

Iuellus.

Hæc verba, *ſuper omnes*, quæ Anglicè expreſſit, & gratis commentus eſt, non reperiri in textu S. Auguſtini.

D. Stapletonus.

Reſpondeo, præeminere celſiore faſtigio verè exprimi poteſt; *præeminentiam habere ſuper omnes*, tu fortè negas, ego contrà aio, ergo ad Grammaticorum ſubſellia prouocandum eſt. Nam quod ad rem ipſam attinet, non eſt opus Theologos adire, ipſe enim Sanctus Auguſtinus, qui intrà terminum ab ipſo Iuello præſcriptum, nempè 600. annorum à Chriſto vixit Iudex hac in re, etiam ex ipſa Iuelli confeſſione ſatis competens eſt, & ſi locus iſte non ſatis euidentèr teſtetur id quod quærimus: aſſumamus illum alterum quem Iuellus ſilentio planè præteriuit. Locus autem hic eſt: *Dubitabimus*, inquit S. Auguſtinus de vtilitate credendi cap. 17. *eius nos Eccléſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis culmen auctoritatis obtinuit?* Cui (ſcilicèt Eccleſiæ *ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum continuata*) *nolle primas dare, vel ſummæ impietatis eſt*, attende Iuelle, *vel profectò præcipitis arrogantiæ*. Hìc vt vides exprimitur primatus, hic verba *illa celſiore faſtigio*, per culmen auctoritatis exprimuntur: & Pontifici Bonifacio, idque *in officio Epiſcopatus* de quo loquimur, culmen auctoritatis attribuitur. Hìc vt vides *prima partes* auctoritatis Summo Pontifici conceduntur. Denique Iudex à te deſignatus, nempè vnus è doctiſſimis intrà 600. à Chriſto annos Patribus, contrà te ſententiam pronuntiauit. Ad hunc locum nihil omninò reſpondes. Quid ita? Nempè conſcientia imbecillitatis tuæ nihil reſpondere poſſe ſatis edocuit. Hìc nulla, vt videtur, argutia Grammaticalis, nullus color Rhetoricus, Gloſſema nullum è Scholaſticis inuenire potuit, noli ergo poſthac ſyllabarum, & vocabulorum argutias Lectori obtrudere. Si quid habeas reſponde appoſitè, & ad rem: ſi hoc non facias propterea euenit, quia non potes. Ita infirmitas, & imbecillitas cauſæ veſtræ vniuerſo Mundo manifeſta eſt, & omnes *ſummam impietatem*, & *præcipitem arrogantiam*, vt Sanctus Auguſtinus vos alloquens loquitur, facilè perſpiciunt, qui primatum, & in officio Epiſcopatus præeminentiam, & culmen auctoritatis Sedi Apoſtolicæ, & Epiſcoporum in eadem ſucceſſione nolitis concedere. Hoc, inquam, facilè intelligent omnes poſt hac, qui ſalutem animarum, quam opinionum nouarum portenta, pluris faciunt; quod vt omnes feriò faciant Deum Optimum Maximum quotidiè rogo.

D. Hardingus.

Salus Eccleſiæ pendet ex honore ſummi Sacerdotis (*Summum Pontificem ſucceſſorem S. Petri intelligit*) cui niſi ſumma auctoritas detur in Eccleſijs tot erunt ſchiſmata, quot Sacerdotes.

Iuellus.

Mendacium 103. S. Hieronymus non intelligit Papam, ſed quemlibet alium Epiſcopum.

D.Stapletonus.

Si hoc loco Hardingus aſſerat S. Hieronymum, directè, & expreſsè Summum Pontificem intelligere, facilè patiar vt inter mendacia numeretur: atque hoc primum eſt, (cùm tamen priùs centum, & ampliùs à te numerata ſunt) quod ſpeciem aliquam falſi poſſit habere: Sed ſi Hardingus hæc per viam conſequentiæ loquatur, rationem quæ ſequitur attendens, nihil falſi loquutus eſt. Ratio quare vnus ſummus Sacerdos, qui ſuperemінentem auctoritatem habere debet in Eccleſia conſtituendus ſit, hæc eſt: vt euitentur ſchiſmata: ſi hæc ratio cogat in ſingulis prouincijs aliquem ſupremum Epiſcopum conſtituere. Certè cùm in tota Eccleſia per vniuerſum Orbem diſperſa plures ſint Epiſcopi, & diuiſionis, & ſchiſmatis plus periculi, vnum Epiſcopum, qui reliquis omnibus præſit eſſe debere eadem ratio euincit: & cùm præter Epiſcopum Romanum nullus alius aſſignetur: (huic enim Scripturæ, Concilia, Imperatores, Patres, primatum attribuunt) ex hoc loco, vt dixi, per legitimam conſequentiam ſuprema Summi Pontificis auctoritas intelligi poteſt, atque ita S. Hieronymus, licèt in verbis ſuis de Pontifice Romano mentio-

tio-

tionem nullam faciat, adhibita hac ratione, & consequentia, per Sacerdotem summum, Papam, vel Pontificem Romanum intelligere potest.

D. Hardingus.

Constituere Vicarium Christi, non ad alium, quàm ad ipsum Christum pertinet.

Iuellus.

Mend. 104. Quia Christus eiusmodi Vicarium nunquam constituit.

D. Stapletonus.

Primò, hoc *quia*: non sequitur: consequentia, inquam, nulla est: Christus nullum constituit Vicarium: ergo Vicarium constituere ad eum non pertinet: ex simili hoc constabit: Rex Angliæ nunquam adhuc summum Constabularium constituit; ergo constituere summum Constabularium ad eum non pertinet, pessima hæc est consequentia, nunquam hoc, vel illud fecit: ergo hoc, vel illud non debet, aut potest facere, præcipuè cùm de Deo loquamur, qui quæcumque ei placent facit.

Rursùs propositio, siue antecedens Iuelli manifestè falsa est, & impia: quod in gratiam ipsius veritatis, volente Deo, euidentèr ostendam: Christum Dominum à Deo Patre constitutum esse caput totius Ecclesiæ Apostolus apertè testatur Ephes. 1. dicens: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Christum eandem auctoritatem S. Petro dedisse, & supra totam Ecclesiam suam eundem constituisse caput, sic probo; Christus S. Petro dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex hoc loco sic argumen. Esse fundamentum vniuersalis Ecclesiæ, quid aliud est, quàm vim, & potestatem Christi sub Christo in Ecclesia sua habere, & Vicarium Christi constitui? Sed S. Petrus totius Ecclesiæ vniuersalis est fundamentum. Ergo S. Petrus vniuersalis Vicarius Christi est constitutus: maiorem propositionem sic probo; Christus est caput totius Ecclesiæ, quia is est illius fundamentum, quia is totum pascit gregem, quia is totam domum sustentat. Ergo cui Christus hæc omnia dat; idest, is quem vniuersalis Ecclesiæ fundamentum constituit, is quem Christus Pastorem totius Ecclesiæ facit, is quem specialitèr Christus confirmat, vt ipse posteà Apostolos, imò, & Episcopos confirmet, ipse sine dubio vices, ipse potestatem Christi habet, ipse Christi Vicarius dicendus est. Minorem ex verbis Euangel. à me allatis probo, & verba illa ad S. Petrum propriè pertinere ex Patrum commentarijs in illum locum ostendo, per illa verba Christi factum esse Petrum, idest, personam Petri fundamentum, & petram totius Ecclesiæ, Chrysost. hom. 55. in Matth. expressè docet; verba eius in illum locum hæc sunt, [Quæ Deus concedere solus potest, qualia sunt potestas remittendi peccata, & vt Ecclesia licèt multis quassata fluctibus, inconcussa permaneat, & vt pauper piscator cui vniuersus resistit orbis quauis petra immobilior perduret: hæc inquam, quæ solus Deus dare potest, hoc loco Christus daturum se promittit. Ita Deus Pater Hieremiam Prophetam alloquitur, Ego te posui vt columnam ferream, & vt murum aheneum, sed Deus Pater illum vni tantummodo nationi, Christus Petrum orbi vniuerso præfecit.] Hæc Chrysostomus illum locum exponens.

Ex quibus verbis videmus S. Petrum vniuerso Mundo præpositum esse, & pauperem piscatorem procellis, & tempestatibus huius Mundi multò fortiùs, & firmiùs, quàm vlla petra maris fluctibus resistere potuit, restitisse. Rursùm alio in loco de S. Petro in hom. 1. de pœnitentia ait: *Ecclesiæ primatum, gubernationemque sibi per vniuersum Mundum tradidit.* Nescio quid sit Vicarium Christi vniuersalem esse, si hoc non sit. S. Hilarius similitèr hunc locum Matthæi Can. 6. exponit, *Tu es Petrus*, (quo in loco Christus primò illi indidit nomen Petri: nam anteà Simon Bar-Iona solummodò nuncupabatur) eundem alloquens in hunc modum exclamat; *O Petre in nuncupatione noui nominis! fælix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret: O Beatus cœli ianitor! cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cælo.* Hìc vt videtis S. Hilarius apertè fatetur personam S. Petri fundamentum esse, & petram suprà quam Christus Ecclesiam suam ædificauit, proptereà sicut alibi eruditus iste scriptor, Christum appellat in Matth. Can. 16. petram Ecclesiæ, & *validum excelsi ædificij fundamentum.* Ita Sanctum Petrum etiam appellat *ædificationi Ecclesiæ subiacentem*, cum designans scilicet suprà quem ipsa Christi ædificatur Ecclesia. Quod de eodem, S. Basilius in lib. 6. de Triuit. totidem ferè verbis apertè fatetur, & quid hæc aliud innuunt, quàm S. Petrum in Ecclesia Christi fundanda, ædificanda, retinenda, & stabilienda, vices Christi obtinere? Ex hoc loco similitèr S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto declarat, S. Petrum fundamentum esse Ecclesiæ, ita tamen vt alitèr fundamentum sit quàm Christus: sic enim de eo ser. 67. tom. 3. scribit, [Pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, vt Christus ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam petra dicitur, quia primus inter gentes fundamenta fidei posuit, & quia totum ædificium Christianæ Religionis instar petræ, quæ dimoueri non potest retinet, & continet. Ita Petrus propter deuotionis soliditatem appellatur petra, & Dominus noster propter potentiam, & robur appellatur etiam petra.]

Hæc S. Ambrosius, atque, vt videtis, & Petrus, & Christus petra Ecclesiæ à S. Ambrosio appellantur, sed per Christum Petrus, & pro Christo. Nam vt ibidem apud S. Ambrosium in Matt. 16. Com. sequitur, *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur, & operis.* Similitèr S. Hieron. hunc locum Matth. expouens asserit S. Petrum esse petram supra quam Christus Ecclesiam suam ædificauit, *Sicut*, inquit, *ipse lumen Apostolis donauit, vt lux mundi nominarentur, & nomina à*

Christo habuerunt: Simoni quia in Christum credidit nomen Petri indidit, & per metaphoram à petra deductam, rectè ad eum à Christo dicitur super te ædificabo Ecclesiam meam. Quot Patrum testimonia hìc accumulari possent, qui vnanimi consensu non suprà fidem tantùm Petri, sed suprà Petrum ipsum Ecclesiam Christi fundatam esse affirment? Tertull. de præscript. ait, *Latuitne aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?* S. Cypr. lib. 1. epist. 3. quoties de Petro loquitur, totiès illum Ecclesiæ fundamentum appellat: *Petrus*, inquit, *super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia &c.* & iterùm lib. 4. epist. 9. *loquitur illic Petrus super quem ædificanda fuerat Ecclesia.* Similiter exponens auctoritatem, quam in hoc loco Euangelistæ (de simplicit. Prælatorum) Christus Petro dederat, ait: posito quod Apostoli æqualem haberent potestatem, *vt vnitatem manifestaret vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Ab vno inquit, idest, non ab alio, quàm ab ipso Petro.

Propterea etiam in disceptatione S. Petri cum S. Paulo, quæ orta est de Circumcisione, S. Cyprianus epist. ad Quintinum, humilitatem S. Petri, quam erga S. Paulum monstrauit, laudans ait. *Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam se vindicauit, &c.* Verba Origenis lib. 5. cap. 6. in epist. ad Rom. de hac eadem re aperta sunt, sic enim loquitur: *Petro cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur:* Nam postquam Christus ter quæsijsset *diligis me?* imò & semel *diligis me plus his?* & S. Petrus respondisset ad omnia affirmatiuè, & tamen affectuosa insinuatione asseuerasset: *Scis Domine, quia diligo te*, conclusit Christus, reponens illi gratiam: *Pasce oues meas.* In his quęstionibus de amore solo interrogabat, hac autem vice, *Summa rerum de pascendis ouibus traditur*, vt Origenes ait. Et super ipsum velut supra petram fundata est Ecclesia. Certè particula illa terræ, quam Christus petram appellauit, ille, inquam, quem preces Christi immobilem fecerunt, & impetrabant, *ne fides illius vnquam deficeret*, sine dubio omni lapide, & petra qualicumque firmior, & stabilior futurus est.

Quare Cyrillus expresse dixit, *Nulli alij quàm Petro Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Et quid est obsecro Vicarium Christi constitui, si hoc non sit? Si ipse *summam rerum traditam* habeat, vt Origen. lib. 12. in Ioan. cap. 64. testatur, *Si quod suum est plenum*, potestatem intellige, S. Petro, *& ipsi soli dedit*, vt Cyrillus asserit: Si super eum ædificata fuerit Ecclesia (vt è Patribus S. Hilarius, S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, & Tertullianus in Ecclesia Occidentali, in Orientali S. Chrysostomus, S. Basilius, Origenes, & Epiphanius in Ancorato testantur) quis dubitare potest, quin ex institutione, & designatione ipsius Christi, eidem in plena potestate, & auctoritate successerit, ac propterea verus illius Vicarius habendus sit? Obijciet fortè aliquis multos alios Patres, imò, & ex his allegatis aliquos, ita hunc locum S. Matthæi interpretari, vt non suprà personam, sed suprà fidem Petri Ecclesiam ædificatam affirment. Ad hoc sic respondeo, vtramque assertionem veram esse, idque duplici via, ostendo, & probo. Primò euidenti ratione, deinde testimonio; Ratio hæc est, Ecclesia ædificata est supra fidem S. Petri, & nihilominùs supra personam etiam eiusdem: quia persona S. Petri, quod ad fidem illius attinet non est fragilis aliqua, & fluxa creatura, sed petra quædam immobilis, sicut est ipsa fides: Quid ita? nempè quia personæ Petri facta est promissio: Luc. cap. 22. *Ego pro te oraui*, inquit Christus, *vt fides tua non deficiat* impetrasse Christum firmiter credimus, & in verbo hoc quasi sufficientissimo pignore fidem Petri à persona Petri nunquam sperandam esse securi sumus, atque ita Patres aliquando Petrum ipsum, aliquando fidem Petri petram Ecclesiæ appellantes, vnam eandemque rem intelligunt. Testimonio, & auctoritate hoc modo probatur: Nemo eorum qui scripserunt, aut frequentiùs S. Augustino, aut maiori efficacia, locum illum de fide Sancti Petri, aut Christo ipso interpretatur: qui aliquando illam fidem, & confessionem illius, aliquando Christum ipsum petram appellat, supra quam Christus Ecclesiam suam ædificauit. Nihilominùs idem S. Augustin. lib. 1. Retract. cap. 21. contrà epist. Donatist. memoria recolens, quod locum illum de ipso Petro aliquando interpretatus fuisset: quod *in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia*: In quo sensu cantari aiebat à plurimis in hymnis S. Ambrosij, vbi de gallo dicitur, *hoc ipsa petra Ecclesia (Petrus) canente culpam diluit*: Tandem totam illam disceptationem de duabus illius loci expositionibus, quarum altera Petrum esse petram, altera Christum asserit, his verbis concludit, *harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector*, vbi vt neutram damnat, ita vtramque approbat. Atque hæc è Patribus pro confirmatione minoris, prioris argumenti, qua asserui nimirùm verba Christi in Euangelio S. Matthæi propriè dicta esse de Petro: atque in ijs eundem à Christo totius Ecclesiæ suæ petram, & fundamentum constitutum esse. Ex qua hoc modo probata vnà cum maiori propositione conclusio vti spero optimè infertur. Christum nempè in Ecclesia sua Vicarium generalem constituisse, eumque non alium, quam Sanctum Petrum reliquisse. Atque ita sententia Iuelli temerè præcipitata (qua asseuerare non est veritus Christum eiusmodi Vicarium nunquam instituisse) penitùs euersa est. Tandem hucusque procedit vera assertio nostra, & ad destruendam principalem Iuelli assertionem, in qua per totum hunc articulum, contrà supremam Summi Pontificis successoris Sancti Petri auctoritatem dimicatum est satis sufficienter probata mihi videtur. Christus enim S. Petrum Vicarium suum relinquens, non illi solùm, sed & successoribus etiam suis, vt S. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio expressè affirmat, oues quas sanguine suo redemerat, & Ecclesiam per vniuersum Orbem dispersam commisit.

D. Hardingus.

Sed quia aduersarij nostri Sacræ Scripturæ sententias vtcunque apertas, peregrinas, & improprias interpretationes inaehentes, ad sensum, Ecclesiæ Catholicæ sensui repugnantem, detorquent, &c.

Iuellus.

Mend. 105, calumniæ coniunctum.

D. Stapletonus.

Calumnia hæc est scilicet, qua prædones appellantur latrones, simili etiam calumnia Protestantes, hæretici nuncupantur. Sed quam latus, apertus est mihi campus Iuelle, in quem excurrens euidenter ostenderem vos omnes manifestos esse tortores Verbi Dei à Iuello, vt hic opportunè, & verè notatur? Pauca solummodò afferam sed eiusmodi futura sunt, spero, vt assertionem hanc à calumnia sufficienter liberent. Quid obsecro in tota Scriptura apertius, quàm verba Saluatoris nostri in Cœna sua, Luc. 22. [Accipite, comedite, hoc est Corpus meum.]

Rursùs, Matth. 26. [Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus, noui Testamenti?] Quid inquam apertius? & tamen quàm miserè torquetur hæc sententia? Lutheranus ait: [Hoc, id est, panis iste, quem in manibus habeo est Corpus meum,] & pro nomen neutrale *hoc* coniungit cum substantiuo *panis* masculini generis, adhuc tamen realem retinens præsentiam. Sacramentarij Tygurini, quia nudum, & merum corporis signum ibi adesse volunt, verbum *est* interpretantur *significat*. Sacramentarij Geneuenses verbum *est* pro verbo valorem significante non substantiam *hoc est*, id est. *hoc valet*, vnde *est* non vt olim verbum substantiuum, sed valatiuum fit.

Et quidni noui Theologi, nouam etiam Grammaticam sibi eudant? Similiter in verbis Christi: [Hic est Sanguis meus] triplicem admittunt solœcismum: Græcè loquuntur incongruè *tuto* cum *inos* coniungentes, de Prisciano pessimè meriti pronomen; hic cum substantiuo *vinum* coniungunt. Deinque Anglicè sententiam eandem exprimentes absurdè loquuntur, & cogunt Christum asserere: [This vvine is myblood:] hoc vinum est sanguis meus. Quod (vt ipse Iuellus ingenuè fatetur) repugnantiam quandam in rerum natura continet. Et vt quomodo Iuellus in hac re sese gerit paucis explicem.

Primò inclamat nos verbum præsens *datur* accipere pro futuro *dabitur*, postea tamen sibi ipsi prorsùs contrarius, Hardingum alta voce coarguit, quod præsens *datur* vrgeat, & premat, & hoc genus argumentandi, temporum exagitationem, Syllabarum exenterationem, & litterarum aucupium inuidiosè appellat, eo tandem deuenit, vt probet, non *datur*, sed *dabitur*, non præsens, sed futurum, legi debere, ita Polypi morem induit, vt Sacram Scripturam pro arbitrio suo huc illuc detorqueatur, Sed vt ad alia pergam exempla. Ecquid pro Sacramento extremæ Vnctionis dici potest apertius, quàm id quod Apostolus Iacobus 5. habet: [Infirmatus quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes oleo in nomine Domini.]

Quid efficacius probare potest potestatem absoluendi in Sacramento Pœnitentiæ, quàm verba Christi in Euangelio, Ioan. 20. [Quorum remiseritis peccata, remittuntur ijs, & quorum retinueritis, retenta sunt?] Quid contra iustificationem, quam in sola fide collocatis, apertiùs dici potest, quàm Sancti Iacobi 2. celebre illud elogium: [Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm?] Quid euidentiùs euertere, & destruere potest certitudinem illam gratiæ, & salutis, quam cuique Christiano inesse docetis, quàm verba illa, quæ Sanctus Paulus Philip. 2. habet: [Cùm timore, & tremore salutem vestram operamini?] Quid aperriùs probat peccata per Baptismum tolli, (quod schola Caluini pertinaciter negat) quàm illa verba S. Petri. Act. 2. [Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum?] Quid pro authoritate traditionum non scriptarum dici potest expressius, quàm præceptum illud Sancti Pauli, 2. Thessal. 2. [Tenete traditiones, quas accepistis siue per Sermonem, siue per Epistolam?]

Quid Sacramentum Ordinis apertiùs probare potest, nempè in susceptione sacrorum Ordinum signo exteriori impositionis manuum gratiam annexam esse, quæ duo, signum nempè, & gratia, Sacramentum constituunt, quid inquam apertiùs hoc Sacramentum probat, quàm verba Pauli 1. ad Thimot. 4. [Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri?] Quid aliud sibi vult Apostolus, cùm dicat, [Charitas operit multitudinem peccatorum,] quàm docere quod opera bona, facta in charitate, peccata redimant, & sint meritoria? Annon Iuelle tu, socijque tui Sacramentum extremæ Vnctionis eliminastis? Annon similiter absolutionem peccatorum à Sacerdote collatam prorsùs abijcitis? Annon docetis solam fidem iustificare? Annon prædicatis certum esse posse hominem idque certitudine fidei de salute æterna? Annon blasphemium Caluini dogma de Baptismate magno applausu accepistis, & institutiones illius, in quibus pestilens hæc doctrina aduersùs Baptismi necessitatem continetur, in linguam Anglicanam traductas imprimi, & euulgari publica authoritate effecistis? Annon etiam traditiones non scriptas aspernamini, Verbo Dei scripto (vt asseritis Cap. 17. in fine) tenaciter adhærentes? Annon superiori vestra conuocatione abiecistis Sacramentum Ordinis, duo solummodò Sacramenta, Baptismum, & Cœnam Domini, recipientes? Annon contra meritum bonorum operum, quasi dogma Pelagianum nefarij declamatores vociferamini? Et quomodo hæc tot, & tanta contra sacræ Scripturæ Textum expressè, & directè militantia potestis sustentare, nisi verba sacræ Scripturæ contra Catholicæ Ecclesiæ approbatum sensum ad priuatos enthusiasmos detorquendo? Si omnes impios, & improbabiles

biles hæreſes, quas verbum Dei adulterando, rorquendo, & delumbando, in Orbem Chriſtianum innexiſtis diſcurrendo perſtringere vellem, dies certè deficeret. Quin age bone vir. Ecquid ego te pupugi? An verus hic Iſraelita ab omni criminis huius ſuſpicione liber eſt, quod vocem hanc adeò moleſtè ferre, & indignanti animo accipere videri velit? An ipſe fortè in hac re immunis à crimine? Crede mihi (Lector amantiſſime) ſi vel huius ſolius (integerrimi viri ſcilicet) quas paſſim in ſacro Textu violentas exercet torturas, ſtylo condigno perſtringerem in iuſtum volumen excreſceret oratio. Et ne videar hæc gratis, aut inuidioſè finxiſſe ex infinitis, quæ in hac replica improba, & abſurda, admiſit, pauca quælibabo, fateor in hac quæſtione de primatu (quæ ex hiſtorijs, & vſu Eccleſiæ præcipuè diſcutitur) rarior eſt ſacræ Scripturæ vſus, nec frequens crimen hoc in hac quæſtione eſſe poteſt, quod tamen obiter, & occaſionaliter in hoc genere admiſit, faxo aliqualiter intelligatis.

Primo in loco, quam violenter à te torquentur illa verba [ſolicitudo omniumEccleſiarum?] Nempè vt primatum ſuper omnea Eccleſias S. Paulo 2.Corinth.11. attribuas, idque in eo ſenſu, quo ex ſententia S. Gregorij idem Primatus Apoſtolo Petro tribuitur, quam violenter, inquam, hæc verba torquentur? ad finem primi mendacij in hoc articulo accepiſtis, in eodem loco ad eundem modum & finem, illa verba Apoſtoli allegas: [Exiſtimo me nihil minùs feciſſe à magnis Apoſtolis.] Quid eſt quæſo torquere ſacras Scripturas, ſi hoc non ſit? S. Paulus 2. Corinth. 11. tantùm laborauit in Euangelio, quantùm alius quiſpiam Apoſtolorum. Ergo non minorem quàm S.Petrus poteſtatem, iuriſdictionem, & primatum in omnes Orbis Chriſtiani Eccleſias obtinuit.

Hoc eodem argumento Iuellus aſſerere poteſt, S. Paulum, S. Petro ſuperiorem fuiſſe, contra communem omnium Patrum conſenſum, qui S. Petrum omnium Apoſtolorum primum, principem, & caput appellarunt, quod etiam ab ipſo Iuello alibi in hoc articulo in confeſſo habetur. Nam de ſeipſo, & alijs pariter Apoſtolis loquens Paulus 1.Corinth.15. ait. [Abundantius illis omnibus laboraui,] ſed licet alius abundantiùs laborauit, non tamen propterea, vt caput omnium reliquis omnibus proficiebatur, multò minùs proindè ſequitur, eum reliquis omnibus prælatum fuiſſe, aut poteſtatem in omnes Eccleſiæ accepiſſe, quia dixerat [nihil ſe minùs feciſſe à magnis Apoſtolis.] Si labores in Euangelio primatum, aut iuriſdictionem inducerent, fortaſſe officioſus aliquis miniſter, & diligens prædicator Epiſcopatum, quem Iuellus occupat, iure ſibi vendicare poſſet.

Haud abſimili fœlicis ingenij ſui dexteritate alibi vtitur Iuellus, vbi improbat, & reijcit EpiſtolamS.Athanaſij ad Fœlicem,quia dixit, [Eccleſias primam Euangelij prædicationem à Roma accepiſſe,] contra quem affert locum Eſaiæ: [E Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem,] ſed quam ine ptus ſit ille locus, & quam miſere rorquetur, vt ex illo falſum eſſe probetur, quod aſſeritur (innumeras nempè nationes fidem Chriſtianam ab Eccleſia Romana accepiſſe) in tertio articulo ad Falſum 73. priùs à me declaratum eſt. Multæ Eccleſiæ, imò ferè omnes Occidentis Eccleſiæ fidem Chriſtianam ab ipſa Romana Eccleſia receperunt, etiamſi negari non poteſt, quin ipſa Roma eandem à S.Petro acceperit, qui tamen in Vrbe Hieroſolymit. Cathedram poſuerat.

In eadem pagina Iuellus duo loca Sacræ Scripturæ diſtorquet, hoc modo. S. Paulus ait: [nullum aliud fundamentum poni poteſt, præter illud quod iam poſitum eſt Ieſum Chriſtum,] & vehementer reprehendit Corinthios, quia dixerunt: [Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. Sed Athanaſius, inquit Iuellus, quem Hardingus producit, ait. Tu es Petrus, & ſuper te tanquam fundamentum, Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi firmiter locati ſunt, atque hoc modo aliud comminiſcitur fundamentum præter Chriſtum, & contra doctrinam S. Pauli, omnes alios Apoſtolos à Petro pendere vult.] Hactenùs Iuellus.

Placetne, Lector prudens, recognoſcere, quàm craſsè, & ignoranter hæc loca ab ipſo Iuello diſtorquentur? Attende; Sanctus Paulus in primo loco loquitur de principali fundamento, quod eſt Chriſtus ſolus, Petrus ab Athanaſio appellatur fundamentum, non quidem principale, abſolutum, & independens, ſed quod ab ipſo Chriſto poſitum eſt, alioquin quidni argutulum Iuelli acumen etiam S.Paulum exagitet, & quaſi ſibi ipſi coarguat, quia alio in loco apertè affirmat, quòd Epheſij (Epheſ.2.) ſuperædificati eſſent [ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.] Et de quo etiam Apoſtol. Ioan. in Apocal.12. loquens, ait: Sanctam Dei Ciuitatem habere [fundamenta 12. & in ipſis nomina 12. Apoſtolorum.] Quare niſi Iuellus diſtinctionem de fundamento principali, & ſecundario admittere velit, non ſolùm S. Athanaſius, ſed & ipſe Paulus.

Imò S.Ioannes pariter accuſari poſſunt, quaſi aliud fundamentum præter Chriſtum commenti eſſent. Similiter etiam in ius vocari poſſunt Sancti Patres Hilarius, Ambroſius, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Epiphanius, Origenes, & Tertullianus, qui omnes, vt dudum accepiſtis, Petrum appellant *petram*, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam. Nec aliud fundamentum à Chriſto ponitur, quia Petrus, vt omnes iſti Patres teſtati ſunt, ab ipſo Chriſto fundamentum conſtitutus, & poſitus erat.

In ſecundo loco à Iuello è S.Paulo allegato non ſolùm verba illius in contrarium ſenſum torquet, ſed & verba etiam falſificat, vel fingit. Nam hæc verba, *ego ſum Petri*, non reperiuntur apud S. Paulum, quæ ſi eſſent verba Apoſtoli, non magis faciunt contra S.Athanaſium in eo quod Petrum appellet Eccleſiæ fundamentum, quàm contra reliquos omnes Patres, qui eodem nomine eum compellebant, aut quam faciat contra iuriſdictionem, & authoritatem, ſiue Principum, & Dominorum ſæcularium, ſiue paſtorum animarum, & curatorum. Nam ſicut ſubdi-

subditus dependet à Principe, & vsufructuarius à Domino fundi.

Sicut Diœcesis Episcopo subdita est, sicut Parochia à Vicario dependet, ex sententia D. Pauli Heb. 13. *Obedite præpositis, & subiacete ijs*, qui animarum curam habent, (& tamen nec subditus ita dependet à Principe, nec Diœcesis ab Episcopo suo, nec ita illis addicti adhærent, vt Corinthij, quos Paulus reprehendit, Paulo, & Cephæ adhærebant.) Similiter neque S. Athanasius, nec reliqui sancti Patres S. Petrum Ecclesiæ fundamentum nuncupantes, & eo ipso Petri authoritatem in Ecclesia recognoscentes, ita accipiendi sunt (vt Iuellus perperam interpretatur) quasi *contra doctrinam Apostoli omnes Episcopos ita à S. Petro pendere*, eique eo modo adhærere velint, quo Corinthij, Cephæ, & Paulo adhærebant. Nam Corinthij schisma in Ecclesia excitabant, ij quos Apollo baptizabat, illi adhærebant, illum magnificabant, similiter qui à Paulo baptizati erant, illi pertinaciter adhærebant, illum solum iactabant, atque ita suis quasi Magistris addicti abierunt in schisma. Illo in loco hos reprehendit Apostolus, vt S. Augustinus in exposit. in Matth. Ser. 13. & in Psal. 54. eundem exponit, & cuiuis Textum ipsum diligenter consideranti, euidenter constabit.

Quare Iuelle in te, & contribules tuos descendere debuisses, & ad sectarios gregales tuos textum hunc multò rectius accommodasses: Nam ex ijs alij Lutherum sequuntur, alij Zwinglio adhærent, alij alijs addicti sunt. Ad hos rectè accommodari potest locus iste, sicut eundem ad Donatistas olim S. August. accommodauit, quorum alij sequuti sunt Donatum, alij Rogatum, alij Primiano, alij Maximiano pertinaciter adhærebant, omnes nihilominus Donatistæ erant, licèt inter se digladiantes, & à se ipsis diuisi: sicut hodiè inter sectarios, alij Lutherani, alij Sacramentarij, alij Anabaptistæ, alij Zuinkfildiani, alij Osiandrini, &c. Sed ad rem: Petrus est *petra* & fundamentum suprà quod Christus Ecclesiam suam ædificauit, ipse Ecclesiæ Christi præpositus est, vt illam regat, sed sub Christo, per Christum, & nomine, & auctoritate ipsius Christi omnis Orbis Christianus ab eo pendet, eique adhæret: non vt secta aliqua magistro, aut antesignano suo, sed vt grex pastori suo, vt sit *vnus Pastor, & vnum ouile*, Ioan. 10 *& vt schismatis tollatur occasio*, vt ait S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin.

Similiter vbi ex Irenæo allegatum erat, *ad Ecclesiam Romanam omnis Ecclesia*, id est, omnes vbiuis terrarum Christiani, *propter potentiorem principalitatem debent accedere*: Ad hæc verba sic.

Iuellus.

Ex his verbis nascitur error eorum, Regnum nescio quod somniant, & principalitatem. Sed Christus ad suos discipulos ait: *Principes gentium dominantur eorum, sed non erit ita inter vos.*

D. Stapletonus.

Animaduertite obsecro, quàm impudenter ipsissimis Saluatoris nostri verbis abutitur in illo loco Euangelii, Apostoli nondum repleti Spiritu sancto, Christum Regem temporalem futurum putabant, ac propterea petitionem filiorum Zebedæi audientes (petebant autem, vt vnus sederet à dextris alter à sinistris in regno Dei) *indignati sunt de duobus fratribus*. Matt. 20. Tum Christus eos ad se vocans, hæc verba protulit, admonens ne honorem temporalem, aut prælationem, qualem Principes terræ exercebant, somniarent; sed *quicunque*, inquit, *volueris inter vos maior fieri, sis vester minister*. Matth. 20. Iam Irenæus loquitur de principalitate in Ecclesia Romana, non ciuili, aut temporali, vt crasse admodum Iuellus imaginatur, sequens in eo delirio Andream Smidilinum crassissimum Euangelicorum) sed iurisdictionem quandam spiritualem eiusmodi, ad quam *omnes Ecclesiæ* non totus mundus, & *omnes fideles* non omnes pagani, & infideles Romano Imperio tunc temporis subiugati, *debeant accedere*. Humilitas, quam Christus Apostolis suis eo in loco commendauit, spiritualem auctoritatem, & iurisdictionem Prælatorum in Ecclesia Christi non tollit. Pontifex Romanus Ecclesiam Dei gubernat, & regit: vt generatim de omnibus Episcopis dixit Paulus act. 20. *quos posuit regere Ecclesiam Dei*. Sic Ambr. Damasum *Rectorem domus Dei appellat*. Sic etiam Chrisostomus ait in 1. Tim. 3. *primatum gubernationemque per vniuersum mundum* S. Petro à Christo Domino datum esse. Ad eundem etiam modum S. Gregorius ait lib. 4. ep. 34. *curam, & principalitatem totius Ecclesiæ S. Petro commissam esse*. Hoc totum quantumcunique est, non est dominari, *Reges & Principes nationum dominantur*, vt in Heb. 13. Sed vt ij, quibus obedire, & subiacere debemus, *tanquam rationem reddituris pro animabus nostris*, qui etiam vtcumque præsint, debent esse *sicut ministri*, non subiectione, sed affectu humilitatis.

Atque hoc modo hi duo sacræ paginæ contextus optimè conueniunt. Nec debet Iuellus vnum verum per aliud verum euertere, nec quod de ciuili, & temporali potestate expressè dicitur, ad spiritualem iurisdictionem detorquere. Pari fide, & sinceritate vtitur Iuellus, vbi D. Hardingus S. Ambrosij de vocatione gentium in lib. 2. c. 6. sententiam affert: vbi ait *Romam per Apostoliei Sacerdotij principatum in arce religionis, plusquam in potestatis temporalis throno attolli*: Iuellus, vt ad hunc locum respondeat alium sacræ Script. contextum torquet, & ait. *Tota potestas Petri in Ecclesia Romana spiritualis erat, & la sola prædicatione Euangelij sita: qua scilicet armatura Reges, & Principes debellare potest Deus, & ad obsequatam Christi reducere. Sic Deus Hieremiam alloquitur*: ego nationibus, & regnis præposui te: *Et S. Petrus vniuersum populum Christianum alloquens ait*: Vos estis illud regale Sacerdotium. *Ista principalitas; hæc arx religionis, non erat Roma tantummodo, sed in omni etiam loco: vbi nomen Christi receptum erat.*

D. Stapletonus.

In hoc loco S. Petri Iuellus contextum in

in linguam Anglicanam mendaciter transtulit. Nam vbi contextus Latinus habet, illud regale sacerdotium, *vos estis regale sacerdotium*, & Græcus *Vasilion ieratenma* sine articulo Græco *tò*, & Latino illud: Iuellus, vt textum proposito suo subseruire cogat, verba illa sic transtulit: You are that Kingeli priesthood, atque ita articulum illud that textui inseruit, & in virtute, & efficatia illius articuli infert: *Ista principalitas, hac arx religionis, non erat Roma tantummodo, sed in omni etiam loco, vbi nomen Christi receptum erat*. Sed falsa translatio probationem non efficit. Sanctus Petrus eo in loco secundùm mentem, & interpretationem S. Basilij ser. 5. de bap. c. 8. & S. August. de ciuit. Dei lib. 50. c. 10. contra Luciferianos (qui sine dubio sensum illius loci rectius quam Iuellus assequuti sunt) omnes Christianos appellat *regale sacerdotium*, quia sicut ex mystica vnctione omnes Christiani nominamur: Ita vt membra Christi (qui est verus, & æternus sacerdos) omnes sacerdotes sumus. S. Hieron. generale hoc sacerdotium, & omnibus Christianis commune *baptismum* appellat, breuiter, & vno verbo illud explicans, quod reliqui Patres per circuitionem, & circumstantias efferunt.

Rursus sicut Sanctus Petrus hoc in loco omnes christianos appellat *regale sacerdotium*: Ita S. Ioannes in Apocalipsi 5. ait *Fecisti nos: Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram*, & in veteri testamento similiter ad Iudæos, Exod. 16. dictum erat: *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*. Sed vt ex his verbis non infertur quod quilibet Christianus sit Rex, aut quod omnes Christiani æqualiter regnent, & dominentur, nec quod quilibet Iudæus perindè sacerdos erat, ac è tribu Leui oriundi: ita non sequitur quod quilibet Christianus vno eodemque modo, & vno genere sacerdotij sacerdos sit: aut quod principalitas sacerdotij in singulis æqualiter reperiatur.

Tertiò licèt omnes Christiani respectu interni sacrificij cordis contriti, sacerdotes habeantur, tamen respectu sacerdotij Apostolici, & externi sacrificij, in Ecclesia Christi nulli sacerdotes sunt nisi vncti singulariter, & in sacris ordinibus ad illud consignati, & super huiusmodi sacerdotes Apostolicos Pontifex Romanus ex sententia S. Ambr. primatum, aut principalitatem habuit, atque hac principalitate multò illustrior facta est Roma, quam throno Imperiali vnquam fuit.

Postremò, quia in Sede Romana ex sententia Sancti Ambrosij, *principalitas sacerdotij Apostolici* sita erat, & eadem Roma ex illa principalitate, quam ex potestate Imperiali illustrior fuerit: rectè sequitur, sicut Imperium Romanum per vniuersum Orbem diffusum erat, sed principalis auctoritas ab ipsa Roma tanquam à capite manauit: ita fides Romanorum *in vniuerso Orbe annunciata erat* (vt S. Paulus ait) sed principalitas Apostolici sacerdotij, auctoritas, & iurisdictio ex eadem Roma emanauit.

Hæc est illo in loco S. Ambrosij comparatio, hoc etiam, vt specialem, & principalem illius Ecclesiæ prærogatiuam denotat. Quare Iuellus non solum Sanctum illum Patrem iniuria efficit dum testimonium illius tantopere extenuat, sed etiam apertam vim ipsis sacris vocibus nefarius carnifex infert. Aliud si placet exemplum accipite in quo irreuerenter, & improbè sacram attrectat paginam. Videamus, Iuelle, quem scripturæ locum affers, quo probes Christum Dominum, nullum Vicarium vniuersalem in Ecclesia sua reliquisse. Sic ais:

Iuellus.

Alius Vicarius vniuersalis Christi in scripturis nullus reperitur, nisi eum intelligas, de quo nos admonet S. Paulus 2. Thes. 2. *hominem illum sceleratum, filium perditionis, qui aduersatur Deo ita vt in Templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus*. Sed hunc Vicarium Christus spiritu oris sui destruet.

D. Stapletonus.

Enim verò pusillum aliquem, & Neophytum hæc oratio decet, non Herculem factionis qualis tu es: hæc alijs reliquisse satius esset, quibus nihil vltra sapere datum est. Scio locum hunc S. Pauli nonnullis fratribus tuis Euangelicis satis efficacem visum esse, ex quo summum Pontificem Antichristum esse probent: imò inter fratres Tigurinos quidam optimæ notæ de hoc argumento integrum librum edidit, cuius hic vnicus locus puppis vt aiunt, & priora est, & principale fundamentum, qui liber etiam, haud ita pridem in linguam Anglicanam conuersus, quasi res magni pretij inter sectarios volitat. Sed (benedictus sit Deus in sæcula) licèt speciosæ, & splendidæ illusiones incautos multorum oculos primo aspectu fascinarent dum otium & somnus corda eorum aggrauabant, hodiè tamen nouis vestris hæresibus expergefacti, & ad pleniorem considerationem earum rerum, quæ à vobis in dubium vocantur excitati, sapere incipiunt, & nos diuino afflatu adiuti, inauitatem, & prauitatem dogmatum vestrorum paulatim patefacimus.

Nam quod attinet ad illum locum sancti Pauli: Ipse contextus, si legatur, & attentè consideretur, impiam, & violentam ostendit interpretationem, quæ aut ab ignorantia crassa, aut à peruicaci malitia proficiscitur. S. Apostolus sic scribit: 2. Thess. 2. [Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: vt non cito moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis quod cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis: vt reueletur in suo tempore. (Nam mysterium iam operatur iniquitatis, tantum, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.) Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustra-

ſtatione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus ſecundùm operationem ſathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs, qui pereunt.]

Hucuſque Apoſtolus. Hoc in loco agi de Antichriſto plurimi conſentiunt. S. Ambr. ita ſentit, atque eo ſenſu tu Iuelle, & fratres tui locum hunc accipi cupiris. Nam ergo ex hac parte nobis vobiſcum lis eſt. Sed quis tandem Antichriſtus iſte, qui venturus eſt, qui ſigna, & prodigia patrabit. qui ſeipſum pro Deo vendirabit, qui randem glorioſo aduentu Domini noſtri deſtruetur? Papam hunc eſſe tu ais: Papa is eſt, qui ſe ipſum Vicarium vniuerſalem Chriſti in terris iactitat. Reſponde ergo, Iuelle, ſi otium ſit, ad has rationes quas in contrarium allaturus ſum.

Primò Antichriſtus ille de quo hìc ſermo eſt vnicus eſt, perſona ſingularis ſcilicet, nullam ſucceſſionem, aut continuationem habens: ergo Apoſtolus loquitur de vno homine peccati, de vno filio perditionis. Summus Pontifex autem in hoc primatu vniuerſali continuationem ſortitus eſt, & ſucceſſionem multorum annorum etiam ab ipſo ſancti Gregorii tempore ad minimum, qui eandem vniuerſalis Vicarii auctoritatem per vniuerſum Orbem Chriſtianum obtinuit, vt alibi particularius declaratum fuit. Ergo Papa non poteſt eſſe Antichriſtus ille de quo Apoſtolus loquitur.

Secundò. Rurſus Antichriſtus iſte non veniet niſi *venerit diſceſſio primum*, vt ſanctus Paulus ait. Hanc diſceſſionem S. Ambr. interpretatur Romani Imperii defectionem, id eſt eum Romanum Imperium diſſolutum intereat, tum ſtatim poſt, aut non ſaltem prius Antichriſtus ipſe reuelabitur. Romanum Imperium adhuc viget, & floret, & Eccleſia Dei adhuc non caruit Imperatore à primo Romano Imperatore per ſucceſſionem deſcendente. Ergo hic Antichriſtus nondum aduenit, atque ita Papa, iſte Antichriſtus eſſe non poteſt; quippe, qui tot abhinc ſæculis Mundo apparuit.

Tertiò *ille homo peccati reuelabitur*, aut debet reuelari, vt Apoſtolus teſtatur: oſtende ergo Iuelle quando hoc contigit, id eſt oſtende quando Papa (quem tu Antichriſtum appellas) cœpit Antichriſtum agere, quis ille Papa fuit, quo tempore vixit, & quomodo reuelari contigerit. Hoc oſtendi non poteſt: Ergo Papa Antichriſtus ille, eſſe non poteſt.

Quartò *ille ſe oſtendet tanquam ſit Deus, & extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*: at eiuſmodi cultus, & honor, nulli Pontifici exhibitus vnquam fuit, nec legitur vllus, eum affectaſſe honorem; ergo is non poteſt eſſe Antichriſtus ille, de quo Apoſtolus loquitur.

Quintò, Antichriſtus ille de quo Apoſtolus loquitur *ſigna, & prodigia mendacia in virtute Sathanæ faciet*. At primus Papa, qui vicariatum hunc vniuerſalem exercuit nomina quem velis Iuelle, ſiuè Zoſimum, ſiuè S. Gregorium, ſiuè Leonem, ſiuè Bonifacium VIII. neminem oſtendere poteris, qui eiuſmodi prodigia operatus eſt. Ergo Papa non poteſt eſſe Antichriſtus ille.

Sextò, ille Antichriſtus in aduentu Domini deſtruetur. At primus Antichriſtus inter Papas, ſi modo vllus fuerit eiuſmodi, non fuit deſtructus. Ergo nullus Pontificum fuit Antichriſtus ille. Aut ſic. Ergo Antichriſtus ille quem Dominus noſter in aduentu ſuo deſtruet nondum aduenit.

Septimò. Poſtremò: iſte Antichriſtus ſi modò Papa is ſit, vniuerſalem Chriſti Eccleſiam per mille annos, & amplius gubernauit, tota Chriſti Eccleſia doctrinam illius amplexa, & ſecuta eſt, decreta illius obſeruauit, auctoritati illius obtemperauit. At vniuerſalem Chriſti Eccleſiam per tot ſæculorum curricula, imò, vel ad momentum ab Antichriſto duci, & gubernari ſanctiſſimis Dei promiſſionibus in Pſalmis, & Prophetis olim, nouiſſimè in Euangelio exhibitis, expreſſè, vt alibi abundè probatum eſt aduerſatur. Ergò, vt Papa Antichriſtus ſit nullo modo poſſibile eſt: imò hoc ſcribere, docete, aut ſentire, horribilis blaſphemia eſt: adeò eruditè, & aptè Iuellus hunc locum ſacræ Scripturæ applicauit. Nunc ad alium locum pergamus.

Iuellus.

D. Hardingus ait ſedem Romanam nunquam deficere poſſe in fide: nam Chriſtus ad Petrum dixit: *Ego rogaui pro te vt fides tua non deficiat.* Luc. 22. Simili confidentia, & fiducia in ſe ipſis Sacerdotes aliquando vſi ſunt, vt ex verbis Micheæ Prophetæ colligi poteſt: *Sacerdotes eius*, inquit, *in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, & ſuper Dominum requieſcebant dicentes: nunquid non Dominus in medio noſtrum.* Mich. 3.

D. Stapletonus.

Immedatè ſequitur in eodem Propheta: *Non veniet ſuper nos mala: propter hoc, cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſo ſyluarum.* Hæc verba ſi Iuellus addidiſſet, nec ſententiam adeò ſubitò abrupiſſet, manifeſtum fuiſſet quo ſenſu Sacerdotes Dominum in medio eorum iactitabant, & quæ qualiſue fuerit confidentia eorum. Cõfidentia ergo, & fiducia eorum hæc erat: nempè nolle Deum illos punire quomodocunque nequiter viuerent. Fiducia quam de ſede Romana concipimus, quod non poſſit aliquando in fide deficere in verbis Saluatoris noſtri ad S. Petrum in præſentia reliquorum omnium particulariter directis fundatur, & fiducia hæc non eſt de impunitate aliqua temporali (ſiquidem in peccatis ſordeſcimus) ſed de perpetuitate, & firmitate fidei. Ergò falsò aſſeruiſti *ſimili confidentia, & fiducia*, &c. Ergo vt prius, ita nunc ſacræ Scripturæ textum ad peregrinum, & contrarium ſenſum detorſiſti.

Iuellus.

Simili confidentia Sacerdotes, vt apud Hieremiam habetur, *Lex non deficiet à ſacerdote, neque conſilium à ſeniore.*

D. Stapletonus.

Simili confidentia, vel potius impudentia I. Iuellus verba Hieremiæ Prophetæ, partim in sensum contrarium torsit, partim, haud aliter, ac Micheæ Prophetæ modo, amputauit. Nam verba Hieremiæ Prophetæ sic se habent: *Et dixerunt, venite, & cogitemus contra Hieremiam cogitationes, non enim peribit lex à Sacerdote neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta: venite, & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius.* Hæc sunt verba integra illius loci: Iuellus partem solummodo excerpsit, eamque parenthesi inclusam, vt lectori sensum instillet: quem locus ipse si integer referatur apertè refellit. Nam hæc verba non tanquam à Sacerdotibus solummodo, sed tanquam ab omnibus Iudæis dicta proferuntur, vt discursus, & intentio Prophetæ per totum illud caput declarat.

Rursus Propheta hoc in loco non increpat fidem, aut doctrinam, sed scelus eorum aperit, qui de eo è medio tollendo, eo quod improbos eorum mores reprehenderat, & vltionem diuinam prædixerat, consilium inibant: Non loquitur de consilio aliquo ad obseruationem legis Mosaicæ spectante.

Denique quia Sacerdotes promissionem diuinam acceperant de iudicanda veritate in omni difficili, & ambiguo iudicio. Deut. 17. *inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram*: ac propterea inflati superbia præsumebant consilium, & sententiam suam in omnibus rebus similiter habere: vnde auctoritate decidendi quæstiones de lege abutentes, pro libidine sua omnia ad morum licentiam detorquebant: propter hanc causam Propheta Hieremias in eos hæc verba dirigit. Si fortè Pontifex aliquis promissionem de fide indeficienti S. Petro factam, in patrocinium turpis vitæ adduceret, tum certè confidentia, & fiducia eiusmodi Pontificis in tali casu, confidentiæ, & fiduciæ Sacerdotum Iudaicorum similis esset: sed quandoquidem hoc in loco non mores summorum Pontificum, & innocentiam vitæ defendendam suscipimus, sed firmam, & certam illorum fidem, & in causis fidei determinandi infallibilitatem, asserimus propterea; verè confidimus, & promissionem Christi qua fidem Petri nunquam defecturam pollicitus est, confidenter prædicamus, & hæc confidentia, & fiducia non est similis inani illi confidentiæ Sacerdotum de qua Hieremias loquitur, ac proinde tu Iuelle hoc sacræ Scripturæ loco improbus tortor nequissimè abuses.

Iuellus.

Sed longè aliter, ac somniabant Deus respondet: Mich. 3. *Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione.*

D. Stapletonus.

In hac prophetia Propheta Iudæis ruinam Synagogæ prænuntiauit, & cæcam obstinationem in qua ad Messiæ aduentum deprehenderentur: è contrà Ecclesia Christi Spiritumsanctum promissum habet qui *maneat cum ea in æternum*. Ioan. 14. Et Christus ipse dixit: in Matth. vlt. *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Ergo locus iste ad gubernatores Ecclesiæ pessimè applicatur, quorum fides æquè firma futura est, ac ipsa Ecclesia. Quare iterum sacrum textum pessima fide applicasti? Simili modo Iuellus multas offerens glossas è iure Canonico quibus asseritur Papam errare non posse: pro breui, & summaria responsione vnum, aut alterum locum sacræ Scripturæ torquet, & totam illam materiam hoc modo concludit.

Iuellus.

Hoc modo sibi suisque adblandiuntur, & inanibus verbis Mundum demulcent: sed S. Ioannes in Matth. 3. ait: *Nolite dicere patrem habemus Abraham.*

D. Stapletonus.

Obseruate quæso quàm facili, & blanda solutione rem totam expediuit, & quàm eleganti glossemate textum S. Ioannis enucleauit. S. Ioannes Iudæos alloquutus est dicens: *Nolite dicere* insolenter iactando *patrem habemus Abraham*: Ergo nos debemus credere, & existimare fidem summi Pontificis posse deficere: nam illa est conclusio, quam Iuellus illo loco probare conatur, & quam glossæ immediatè citatæ comprobant. Rursus Iuellus vt rem exornet, verbis S. Ioannis hæc duo verba, *Petrus aut*, interserendo immiscet, quasi S. Ioannes eo in loco de sancto Petro loquutus esset, aut saltem de eo intelligi voluisset. Hac arte glossandi Iuellus docet licitè nos posse dicere: *S. Ioannem asserere: Nolite dicere hunc aut illum*, Petrum scilicet aut Ioannem, aut alium quemlibet, aut etiam *Abraham fuisse*, aut esse patrem nostrum; atque si hanc glossam sequi velimus filius docebitur patrem suum planè abnegare. Certè sanctus Paulus, qui huius loci sensum non minùs quàm Iuellus assequi censeri potest, non obstantibus his verbis ad 1. Corinth. 4. ait: *Etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Quibus verbis Apostolus non formidat pro patre eorum haberi; etsi Iudæi à S. Ioanne prohiberentur iactando dicere *patrem habemus Abraham*; adeo appositè, & candide Iuellus sacram Scripturam citat. In eodem loco, & eadem parte contextus sui immediatè sequitur.

Iuellus.

Sanctus Paulus Act. 20. de successoribus suis loquens ait: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.*

D. Stapletonus.

Hæc verba ad Clerum Ephesinum directa erant: hæc ad successionem Petri in Sede Romana nihil faciunt. Rursùs Clerici Ephesini

sini propriè loquendo non possunt dici successores Diui Pauli: nam licèt sanctus Paulus aliquando prædicabat Ephesi, non tamen ibidem mansisse, aut sedem fixisse legitur. S. Ioannes Euangelista primus illius loci Episcopus ab antiquis scriptoribus numeratur. Euseb. lib. 3. cap. 31. Ergo hic locus nefariè torquetur contrà successionem sancti Petri, & de successoribus sancti Pauli mendaciter refertur: si vllo in loco successio sancto Paulo assignanda sit ea sine dubio Romæ potiùs quàm alibi tribuenda est ei, vbi prædicauit Euangelium, & coronam prætereà martyrij adeptus est.

Pauca hæc sufficiant, vt ostendam, quam verè Domino Hardingo mendacium imputaueris: hæc argumento esse possunt te verè tortorem esse verbi Dei: hæc denique postulationi tuæ satisfacere possunt vbi ais.

Iuellus.

Vbi D. Hardingo visum est asserere, nos torquere verbum Dei: si placuisset eidem quomodo, & quibus in locis particularius id ostendere, plus famæ, & æstimationis lucratus fuisset, & plus fidei merito ei habendum esset: sed vulgo dici solet *dolosus versatur in generalibus.*

D. Stapletonus.

Non solùm ex multis doctrinæ vestræ partibus generatim admissa nonnulla, sed etiam particulatim, alia à te in hoc quarto articulo inconsideratè prolata notaui. Si hęc pauca tibi videantur aliud accipe. Concedis S. Petrum caput fuisse Apostolorum: tum quæris, quid sit in summo Pontifice, quod fuit in Petro, vnde caput aliorum dici posset? & animo præuidens quid rectè respondori possit, de D. Hardingo ais.

Iuellus.

Respondebit, habere eum successionem à Petro, & sedere in cathedra Petri quæ Romæ est: huic autem responderi potest, *Scribæ, & Pharisæi in Cathedra Moysis sedent.* Matt. 23.

D. Stapletonus.

Et huic etiam responsioni replicæ loco subijci potest: Matth. 23. *quæ dicunt, facite quæ autem faciunt nolite facere.* Tum demum quid tibi proderit hæc responsio? imò ni fallor planè te iugulat. Nam si Scribæ, & Pharisæi etiamsi nequissimi in Cathedra Moysis sederent: si dicta & præcepta eorum obseruanda essent etsi mores eorum minimè probarentur an non successoris S. Petri qui sedet in cathedra illius officium, & dignitatem illius obtinenti obedientia præstanda est, etsi singulares, & personales illius dotes, & virtutum eminentiam non assequatur? adeò accommodatè contrà teipsum allegas: nam pro solutione partem vnam sententię affers cuius pars altera perfectam replicam, aut solutionem suppeditat. Quid est obsecro torquere Scripturas si hoc non sit? Quod autem coneris per glossas quasdam, & quorundam sermones ostendere, esse aliquos, qui inter concionandum per allusionem, aut applicationem alio fortè, quàm sensus literalis inclinat Scripturas accommodent: ad hæc respondeo, primò eos nihil concludere contrà fidem, atque ideo sacræ Scripturæ non torquentur: secundò non adhibentur illę scripturæ doctrinaliter, sed per allusionem, vt aiunt, & accommodationem; atque ita licèt non propriè, haud impiè tamen appellantur. Postremò meminisse debes Iuelle, quod leges dicunt: *retorsione criminum non probatur innocentia.*

D. Hardingus. Diuis. 20.

Omnium nationum Episcopi in negotijs maximi momenti ad Summum Pontificem prouocarunt, & iniuriarum, violentiæ, oppressionum, aliorum denique abusuum remedia petentes, ad Apostolicam Sedem confugerunt.

Iuellus.

Mend. 106. vt postea apparebit.

D. Stapletonus.

Hoc in loco, Iuelle, insta oblata est mihi occasio innumera manifesta mendacia detegendi, quæ in hac materia de appellationibus imprudenter accumulasti: sed de his in sequenti diuisione fusè tractas ad quam pro huius mendacij probatione me remittis. Apage ergo; videamus quas affers probationes: ais.

Iuellus.

Primò ostendendum est mihi appellationes ab omnibus prouincijs ad Episcopum Romanum non fuisse ordinarias, aut in vsu frequenti, ac proptereà id à D. Hardingo falsò asseritur: quod vbi præstitero ad loca Sancti Chrysostomi, Athanasij, & Theodoreti hic allegata respondere vti spero non erit difficilè.

D. Stapletonus.

Non erit vtique difficilè si quod promisisti præstare poteris. Sed si quando omnia, quæ dicenda habeas effutieris, nec quidquam probatum dederis, tum prudens lector facilè intelliget te, nec respondisse quidquam, nec posse vnquam ad loca è sancto Chrysostomo, Athanasio, & Theodoreto allata, aut ad appellationes singulorum ad Sedem Romanam factas, sufficienter responderi.

Iuellus.

Apertum est ad Sedem Romanam interpositas non fuisse appellationes: & probatur per triplex argumentum: Primò, per consensum generalium Conciliorum. Secundò, per Sanctorum Patrum testimonia. Tertiò, per leges, & rescripta Imperatorum, & Principum: ex his tribus fundamentis vsum, & praxim Ecclesiæ illis saltem temporibus, facilè est cognoscere.

D. Stapletonus.

Contrà appellationes ad Sedem Apostolicam tria probationum genera pollicetur Iuellus, vt vidistis, sed ne vnum quidem eorū, vt postea constabit, sincerè, & candidè præstitit. Quare tria pollicitus argumenta tria manifesta præstitit mendacia.

Iuellus.

Concilium Nicænum hoc habet decretum, *ab alijs excommunicati, ab alijs ad communionem ne recipiantur.* Cum his verbis appellationes de quibus D. Hardingus loquitur bene consistere non possunt.

D. Stapletonus.

Quidni obsecro Iuelle, si verba rectè intelligantur? Primò enim is qui prouocat, procedente appellatione non innodatur excommunicationis sententia: Ergo decretum hoc de ijs factum qui excommunicationi subiacent, non loquitur de eis qui appellationem interposuerunt: atque ita appellationes cum verbis huius decreti satis bene cohærent. Propterea plus ponderis argumento appouis, & addis.

Iuellus.

Sed respondebit Episcopus aut ex ignorantia, aut ex malitia iniustè quempiam excommunicare potest.

D. Stapletonus.

Benè se habet Iuelle: ergo hic casus est in quo appellatio locum habet: quid tu ad hæc respondes?

Iuellus.

In hoc casu remedium appellationis idem Concilium prouidit: appellationis inquam, non ad Episcopum Romanum, sed ad Synodum intra prouinciam. Verba hæc sunt: *Vt ergo digna hæc possint examinatione perquiri rectè visum est per singulos annos in singulis prouincijs bis in anno Episcoporum Concilium fieri, vt simul in vnum conuenientes ex communi prouincia huiusmodi quæstiones audiant, & determinent.*

D. Stapletonus.

Heus bone vir: Ad verba decreti vnum verbum de tuo adijcis: id est, *determinent*: nam decretum non loquitur de determinatione eiusmodi causarum, sed de examinatione, & disquisitione. Vtcunque concedamus Synodum prouincialem lites, & querimonias Cleri sui determinare, & dirimere potuisse: an non idem factitatum videmus in omnibus regnis Catholicis etiam nulla interposita appellatione? tuum est Iuelle efficacirer ostendere à sententia Episcoporum, aut Concilij prouincialis, beneficium appellationis ad Sedem Romanam ex hoc Concilio Nicæno intercludi. An tibi arridet argumentum hoc: loquuntur de appellationibus ad Synodum tantùm: ergo inhibent appellationes ad Sedem Romanam. Hæc mera est coniectura Iuelle quæ nihil probat.

Rursus hoc decretum remittens appellationem ad Synodum eandem etiam vlterius ad Episcopum Romanum referre videtur. Quid ita? Nempè quia nulla Synodus sine auctoritate Episcopi Romani haberi potest. Iulius Episc. Rom. qui tempore Niceni Concilij vixit scribens ad Episc. Orientis qui eidem Concilio Nicæno interrant, eosque increpans quod in Synodo Antiochiæ in Syria sine assensu, & consensu summi Pont. coacta S. Athan. & alios Episc. Catholicos condemnassent, huius canonis, & decreti violationem obijcit his verbis. [Præuidêtes Sancti Patres insidias, & altercationes vnanimiter in Nicæna Synodo statuerunt, vt nullus Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica auctoritate conuocata super quibusdam criminationibus pulsatus, audiatur, idest iudicetur, vel damnetur.] In margine huius epistolæ 1. ad Orientales notatur, quod licèt hoc decretum non habeatur expressè in Concilio Niceno, reduci tamen potest ad quintum eiusdem Concilij canonem, qui canon etiam ab ipso Iuello hoc in loco citatur. Similiter in epistola 2. eiusdem Pontificis Iulij ita scribitur, [Canonibus in Nicæna Synodo iubentibus non debere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopos damnari.] Vbi iterum notatur: decretum hoc reduci posse ad canonem quintum superiùs allegatum.

Nam si Iuellus exceptionem interponens asserere velit, hunc canonem, & totam illam epistolam Iulij Pontificis fictam, & adulterinam esse meminisse oportet historiam Ecclesiasticam Socratis lib. 4. cap. 9. vbi schismaticam hanc Synodum Arianorum in Antiochia Syriæ vbi Athanasius excommunicatus erat, describit, huius canonis & decreti quod Synodum celebrari sine auctoritate Romani Pontificis vetat mentionem facere. Verba eius hæc sunt: [Sed neque Iulius affuit maximæ Romæ præsul, neque in locum suum aliquem destinauit, cùm vtique Ecclesiastica regula iubeat non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.] Cum ergo in illo Nicæno Concilio, appellationes ad Synodos prouinciales referantur, & nulla Synodus in vlla prouincia sine auctoritate Pontificis Romani vim habeat: an ex hoc decreto à iudicio Episcopi Romani renonentur? an non potius aperta est via qua eidem expressè subijciantur? Atque ita argutus iste coniectator, decretum in medium produxit, quod nullo modo causam eius adiuuat, sed per legitimam consequentiam contrà eam militat illud contrà appellationes ad Sedem Romanam attulit, quod easdem necessariò infert.

Si alias è Concilio Nicæno probationes, pro eiusmodi appellationibus afferre velint, hic allegare possem canones quosdam eiusdem Concilij à Iulio Pontifice commemoratos in epistola ad Episcopos Arianos Orientis, qui eidem Concilio Nicæno interrant, qui etiam si aliquid Pontifex Concilio affin-

aif-

xisset, illud ei palàm obijcere, minimè formidarent: in quibus expressè decernitur appellationes ab omnibus alijs Episcopis ad Episcopum Romanum patere. Iuellus fortè negabit hanc esse epistolam Iulij: At hoc cum extrema fortuna conflictantium vltimum refugium est. Et qua ratione hoc negat? Nempè quia non est eadem de qua Athanasius in suis operibus loquitur: Nam [eadem,inquit, debet esse sine vlla differentia.] Quid ita quæso, Iuelle? An non idem Iulius duas, aut tres diuersas epistolas etiam ad Episcopos Orientis, easque diuersas materias tractantes, scribere potest, nisi tua prudentia (magister optime) eas approbet? Pari iure etiam epistolam ad Hebræos non esse D. Pauli asserere poteris, quia epistolæ suæ ad Romanos, tum materia ipsa, tum stilo, & scribendi genere eidem dissimilis sit. Atque huiusmodi argumentis vestrum Euangelium sustenetur: In illa ergo epistola Iulij inter alios Nicæni Concilij canones, ibidem relatos, hic vnus est, [Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis quoties necesse fuerit liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur.] Eccum de appellatione ad Sedem Apostolicam expressum decretum, idque in Concilio Nicæno: quod licèt non sit, aut numeretur inter viginti illos canones, qui communitèr in illo Concilio extant, non tamen pro adulterino, & fictitio habendum est, magis quàm innumeri alij canones huiusce Nicæni Concilij à S. Hieron. S. Ambr. S. August. Epiphanio, & alijs allegati, fictitij habeantur, cùm nec ij inter eos viginti, qui communitèr extant reperiantur.

Præterea, & Iulius iste in epistola sua in operibus sancti Athanasij relata, de qua nemo dubitat an illius sit, mentionem facit decreti cuiusdam in Concilio Nicæno editi per quod appellatio ab vna Synodo ad aliam maiorem conceditur: virtute cuius decreti Episcopos Orientis ad Romam citauit, & Leo etiam in virtute decreti cuiusdam io Concilio Nicæno promulgati, ex occasione aut causa appellationis Flauiani expressè iubet, aliam Synodum conuocari, sicut priùs dictum est. Sed de hac materia appellationis ab omnibus Episcopis ad Sedem Romanam, expressum habemus decretum in magno Concilio Sardicensi, quod intra paucos annos à Nicæno Concilio pro eiusdem renouatione, & confirmatione (erat enim tunc temporis vehementer ab Arianis impugnatum) à trecentis Episcopis ex omnibus Orbis Christiani partibus celebratum erat, ab omnibus, inquam, exceptis Arianis Orientalis Ecclesiæ, vt in hist. tripart. lib. 4. cap. 23. hoc decretum approbatum erat: imò ij etiam primo ad numerum 76. Episcoporum aduenerunt, sed cùm cernerent se numero pauciores esse discesserunt: ex eo, vt asserebant, quod Athanasius, & Paulus duo Episcopi Catholici, quos ipsi excommunicauerant, & propterea è Concilio cum amicis suis eijciendos asserebant, Concilio interesse reliqui qui aderant Episcopi paterentur, alij Episcopi Orientales, qui aberant excusationes nectebant, alij infirmitatem, alij vrgentia negotia prætendebant, omnes Iulium Pontificem incusabant, quod non satis temporis eis concessisset: etiamsi, vt Ecclesiastica testatur historia, ante annum integrum cum dimidio priùs citati, & admoniti erant: Sic præter eo Arianos, qui omninò aberant, & alios qui in principio præsentes retrocesserunt, conuenerunt in illo Concilio (vt epistola illius Concilij, quæ in historia Ecclesiastica S Theodoreti lib. 2. c. 8. extat, testatur) trecenti Episcopi ex omnibus Orbis Christiani partibus è Roma, Hispania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Panonia, Mysia, Dasia, & altera Dasia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epyro, Thracia, Asia, Caria, Bithyoia, Helesponto, Phrigia, Pissidia, Capadocia, Ponto, Silicia, & altera Phrygia, Cycladum insulis, Ægypto, Thebaide, Lybia, Galatia, Palestina, & Arabia. Io hoc magno Concilio Sardic. cap. 7. ex Episcopis omnium prouinciarum, exceptis Arianis, congregato, hoc decretum legimus. [Placuit vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, & iustum putauerit, vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui infinitima prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia inquirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo Presbyteros mittat, erit in potestate ipsius Episcopi quid velit, & quid æstimet: Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos comprouinciales sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.] Hucusque magni illius Concilij Sardicensis decretum, quod Concilium, vt antea dixi, statim post Nicænum ad illud stabiliendum, & confirmandum habitum fuit. In hoc decreto videmus illum alterum canonem ex imperfectis exemplaribus à te, Iuelle, allatum exponi, & ad appellationes in illo sensu extendi, quem collegimus ex decreto à Iulio Papa, & Ecclesiastica similiter historia allegato; vbi dicitur Synodum nullam absque Romani Pontificis auctoritate congregari, aut vim habere posse. In hoc decreto videmus appellationem apertam, & amplam ad Sedem Apostolicam concessam esse, & potestatem datam Pontifici causam ad se delatam, aut per suos Legatos, aut per alios quos ipse voluerit iudices determinandi. Hoc decretum, tam magni Concilij, tam citò post Nicænum habiti, plùs ponderis, & momenti habere debet ad Nicænum Concilium exponendum, & sensum illius nobis tradendum, quàm nudum argumentum negatiuum Iuelli, vbi hoc modo colligit:

Illud decretum mentionem habet appellationis ad Synodum:

Ergo excludit omnes appellationes ad sedem Romanam.

Nam

Nam iam tandem intelligimus, & Synodum ipsam sine auctoritate Pontificis Romani iure consistere non posse, ac propterea appellationem ad Synodum, appellationem item ad Episcopum Romanum implicare: Tum etiam constat apertè, partem læsam ad Episcopum Romanum nominatim, & expresse posse prouocare, & potestatem eidem Episcopo Romano concessam esse causam ad se delatam decidendi, & determinandi. Atque hæc de illo decreto. Iam videamus reliqua Concilia generalia, quæ Iuellus afferre pollicitus est.

Iuellus.

Episcopi in Concilio Telæ in Hispanijs habito ita statuebant. Presbyteri, & Clerici ne appellent *ad Romam*, nisi ad Africana Concilia.

D. Stapletonus.

Tria Iuelli mendacia notabam; primum hoc in loco emergit: nam vbi promiserat decreta Conciliorum generalium contra appellationes ad sedem Romanam afferre in assignando numero, quo lectorem attonitum teneret amplissimum mendacium impudenter eloquutus est, & vnicum Concilium idque otiosè, & inefficaciter (vt vidimus) tandem produxit. Sed quia quæ pollicitus est generalia Concilia omnia in hoc vno euanuere, ad particulares, & prouinciales Synodos placuit descendere. Nec in hac disquisitione extra Africam procipit. Hoc quod è Telensi Concilio affert magnum, & manifestum est mendacium. In illo Concilio tale decretum non reperitur, sed rescriptum solummodo ad Epistolam Siricij, vbi tamen de appellationibus ne verbum quidem. Rursus in versione Anglicana plus posuit, quàm in textu Latino reperitur. Nam illa verba (*ad Romam* vide tom. 1. Concil.) in contextu Latino non habentur. Quod attinet ad ipsum decretum quando indicaueris, vbi illud reperiatur tum demum aliquid responsi accommodabimus.

Iuellus.

Similitèr in Concilio Mileuitano, *si ab Episcopis, &c.* nec non in Concilio Africano: *si fuerit prouocatum, &c.* Rursus in eodem Concilio, *non prouocent, &c.* Sed quid adeò apertum esse potest, ac epistola 217. Episcoporum in Africano Concilio, &c.

D. Stapletonus.

Hic vnum idemque ferculum, alio, atque alio modo apparatum, quater apponitur: vnicum est decretum, Africanum scilicèt, eodem ferè tempore, & ab ijsdem personis sæpè repetitum. Quod ad rem attinet argumentum hoc prius a Iuello allatum erat, & à me responsum accepit mendacio 97. etsi Iuellus vt replica illius auctior appareret idem iterùm in medium protulerit, ego tamen otiosis eiusdem rei repetitionibus lectori molestus esse nolui: hoc vnum tamen ad ea, quæ priùs à me notata sunt in gratiam lectoris placuit adijcere: nempè tam hoc Mileuitanum, quàm illud Carthaginense in Africa ab Innocentio Pontifice approbata, & confirmata fuisse, vt è multis S. Aug. in epist. 90. 91. 92. 93. 95. 96. locis apparet. Et omnia Concilia Africana à Sede Apostolica confirmata erant: vt testatur Cœlestinus epist. 1. ad Gal. Episc. cap. 3. qui tunc temporis Sedem Romanam occupabat. Sed tota hæc res posteà fusè explicabitur, vbi venero ad mendacium 112. quo in loco de confirmatione Conciliorum à Summo Pontifice ex instituto agetur. Hæc ergo Concilia à Summo Pontifice confirmata, etiamsi restringant appellationes ab illa prouincia ad Romam, non tamen aliarum prouinciarum appellationes ad eandem sedem inhibent, immò nec inhibitionem illam, & restrictionem sine auctoritate Sedis Romanæ sustinent: quin potiùs Summi Pontificis auctoritatem in appellationibus ad Romam suscipiendis confirmant, & astruunt. Atque hæc summa totalis est eorum, quæ ex Concilijs contrà appellationes Iuellus attulit. Hæc sunt munimenta speciosa, & numerosa, quæ corrasis vndique fratrum suorum, & amicorum subsidijs, ex omnibus vniuersi Orbis Concilijs post tot insolentes pollicitationes Thrasonicus iste iactator enixus est: *parturiunt montes* scilicèt, &c.

Iuellus.

Episcopi Ariani ex Oriente ad Iulium Pontificem Romanum literas mittentes molestè tulerunt, quod eis præsumeret contrauenire, eique ostendunt non licere vllo artificio, aut appellationis colore facta ab eis rescindere, & irritare.

D. Stapletonus.

Enimuerò Iuelle rectam iam ingressus es viam, macte hac indole: sic Iuellum decet argumentari, & hæreticorum exempla in patrocinium hæreticorum producere. Hi scilicèt Patres antiqui sunt Iuelle, quos proximo in loco post Concilia in aciem adducere pollicitus es. Apage spectaculum impudentiæ: quam effrons, & impudens meretrix facta est domina tua Iuelle (hæresim intellige?) An non pudet? Nullus tibi superest recti, & veri sensus, nulla conscientia? Fateris eos esse Arianos, tamen schismaticam eorum rebellionem pro exemplo vestri schismatis nec times, nec erubescis in medium adducere. An non alios testes, aut assertores habeas, quàm Arianos, quàm teterrimos hæreticos? An hi patres tui? An hi magistri, & doctores tui? Notum ergo sit vniuerso Orbi Christiano Iuellum filium esse Arij, discipulum Arij, & Arianæ disciplinæ æmulatorem. S. Patres, & Episcopi in Concilio magno Sardicensi congregati hos Episcopos Arianos eo nomine condemnabant, quod Iulio Pontifici Romano inobedientes extiterunt. Iuellus è contrà eo nomine eosdem laudibus effert, & eorum facta contrà appellationes ad Episcopum Romanum serio, & sobriè allegat. S. Patres, & Episcopi in illo Concilio congregati communi consilio epistolam ad Episcopos, & Sacerdotes absentes conscripserunt, in qua ea

quæ

quæ in illo Concilio contrà Episcopos gesta erant exponunt. Verba illius, vt Theodoretus in historia sua Ecclesiastica lib. 2. cap. 5. refert, hæc sunt. *Cùm vtique euocati à charissimo, & consacerdote Iulio, & non occurrentes (ficut scriptis eiusdem Episcopi Iulij comprobatur) apertè videantur calumniatores existere.* Patres Concilij probant eos esse calumniatores S. Athanasij, Pauli, & aliorum Episcoporum Catholicorum, quos ipsi excommunicauerant, quia à Summo Pontifice citati comparare noluerunt. Iuellus pro solido argumento seriò allegat contumaciam eorum, qui nimirùm non solùm comparere detrectabant, sed coarguebant etiam Pontificem, eò quod Sanctissimos Patres Athanasium, Paulum, Marcellum, & alios ab Arianis excommunicatos, & sedibus pulsos, & ad sedem Romanam interposita appellatione confugientes, ad communionem recepisset. Atque ita vt videtis, Iuellus vt armà contrà Pontificem sumat ad Arianos transit, & omnes Episcopos Catholicos, quia Summo Pontifici adhærebant manifestè deserit. Hoc modo tunc illi sese gerebant, haud aliter hodie horum temporum hæretici sese gerunt. Illi olim, hodie nostri hæretici in hunc lapidem impingunt, hos sibi delegit Iuellus commilitones quibuscum contrà appellationes pugnet. Hi sunt Patres, hi Doctores quos pro causa sua proferre pollicitus est.

Iuellus.

S. Cyprianus has ad Sedem Romanam excursiones, & iustitiæ illusiones reprehendens ad Cornelium Episcopum Romanum in hunc modum scribit lib. 1. epistola 3. [Cùm æquum sit pariter, ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet vtique eos, quibus præsumus non circumcursare (appellationes scilicèt, & prouocationes intentando) nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam vbi, & accusatores habere, & testes sui criminis possint nisi paucis desperatis, & perditis, minor videtur esse anctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij sui grauitate nuper damnarunt, &c.] Ex his apertum est Sanctos Patres, & Episcopos has ad Romam prouocationes vtpotè in fraudem iustitiæ, & in promotionem ambitionis, & canonum manifestam violationem vergentes, olim reprobasse.

D. Stapletonus.

Priusquam falsitatem Iuelli in his verbis allegatis aperiam rem ipsam si placet seorsim consideremus, nullas ad Sedem Romanam patuisse appellationes Iuello probandum incumbit: in hunc finem S. Cyprianum de indiscreta, & frequenti ad Sedem Romanam appellatione conquerentem introducit. Et quid hoc aliud probat, quàm interpositas fuisse eo tempore appellationes ad Sedem Romanam, sed frequentiam illam S. Cypriano displicuisse? Ita, vt videtis, Iuellus apertè ostendit, idque ex auctoritate S. Cypriani appellationes frequentes ad sedem Romanam interpositas fuisse: ait tamen, & se probaturum pollicetur non fuisse omninò interpositas. Rursùs appellationes in se ipsis absolutè, & simpliciter non improbauit S. Cypr. sed vt verba illius expresse significant, eos taxauit, qui *subdola, & fallaci temeritate* appellando circumcursitabant. Haud aliter S. Bernardus suo tempore de appellationibus conquestus est, cùm tamen ius prouocandi ad Sedem Romanam nemo apertiùs testetur, & probet. Ita etiam nostris temporibus, Concilium generale Tridentinum Sess. 22. cap. 8. & 10. multas appellationes ad Sedem Romanam inhibuit, & earum rerum determinationem ad Episcopos transmisit. Nec tamen omnes appellationes ad Sedem Romanam propterea censetur abolere. Simili modo S. Cyprianus, qui longè antè Concilium Nicænum vixit, gliscente adhuc persecutione (quæ de causa pauciores contentionum occasiones suboriri debere consentaneum erat) meritò succensuit, quod nonnulli malè feriati homines, temerè Romam properantes falsis insinuationibus Cornelio Summo Pontifici Romano imponebant, vt in hac epistola S. Cyprianus insinuat: Rursùs, probabile est viguisse eiusmodi decretum inter Africanos etiam viuente Sancto Cypriano: Ne quis extra fines Africæ prouocationem deferret. Sic enim S. Cyprianus sententiam hanc exorditur: *Cum statutum sit nobis omnibus, æquumque, ac iustum sit, &c.*

Iuellus autem vt lectori persuadeat Sanctum Cyprianum contrà omnes appellationes generalitèr loquutum esse, non autem de statuto, aut decreto aliquo ad prouinciam Africæ spectante, illa prima sententiæ verba planè omisit, & crimen falsi de industria commisit.

Rursùs vbi in conclusione colligit *S. Patres, & Episcopos* in plurali, aliud admisit mendacium: vnicum enim pium patrem, & Episcopum, solùm Sanctum Cyprianum attulit, reliqui omnes hæretici Ariani erant non pij Patres.

Tertiò vbi ait appellationes ad Sedem Romanam propterea displicuisse, *quia ad ambitionis promotionem, & apertam sacrorum canonum violationem vergebant*: Hoc tertium mendacium, sed illud duplex est: nam Sanctus Cyprianus, qui vnicus est Pater hic allatus, nec de ambitione, nec de sacrorum canonum violatione verbum vllum habet.

Iuellus.

Ac propterea Imperator Iustinianus abusus inde orituros animo præuidens, vt ambitioni frenum inijceret, lege aliqua seuera abusibus ex hac parte occurrendum censuit. [Si quis verò sanctissimorum Episcoporum eiusdem Synodi dubitationem aliquam aduiuicem habeat, siue pro Ecclesiastico iure, siue pro alijs quibusdam rebus, priùs Metropolita eorum cum alijs de sua Synodo Episcopis causam examinet, & iudicet, & si non rata habuerit vtraque pars,

quæ

quæ iudicata sunt, tunc beatissimus Patriarcha Dioeceseos illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ Ecclesiasticis Canonibus, & legibus consonant, nulla parte eius sententiæ contradicere valente.] Et immediatè sequitur. [Patriarcha secundùm canones, & leges negotio finem præbeat.] Ex his verbis 371. omnes appellationes ad sedem Romanam penitùs amputantur.

D.Stapletonus.

Ex his verbis Iuellus falsam intulit conclusionem, nam primo Papa vnus est ex quatuor Patriarchis, isque (vt tu ipse Iuelle iam dudum ex Iustiniani sententia confessus es) præcipuus, Tum Papa totius Occidentis Patriarcha est, atque hodiè respectu aliorum Patriarcharum, vnicus, tres enim Patriarchæ alij, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Alexandrinus. (vt sunt afflictæ eorum fortunæ) sub iugo Turcarum ingemiscunt. Ergo Iuelle per hæc verba omnes appellationes ad sedem Romanam deuoluuntur, & sic conclusio tua protinus amputatur.

Rursùs decretum Imperatoris finalem sententiam Patriarchæ ad leges Ecclesiasticas, & canones remittit, vt expressa decreti verba habent, Iam verò leges Ecclesiasticæ, & canones non solùm Nicæni, sed etiam magni Concilij Sardicensis (quæ Concilia ante Iustiniani Imperatoris tempora celebrata erant) appellationem ab omnibus Episcopis, & Patriarchis ad sedem Romanam concedunt, & approbant, ac proindè per verba huius decreti (quod ad leges Ecclesiasticas, & canones refertur) appellationes ad sedem Romanam non amputantur, sed expressè satis insinuantur.

Sed pro euidentiori argumento, quo ostenditur hanc Iustiniani nouellam constitutionem contra appellationes ad sedem Apostolicam nihil facere, S.Gregorius, vnus è quatuor Doctoribus Ecclesiæ, quem tu Iuelle contra titulum vniuersalis Episcopi fusè allegas, arbiter inter me, & te adueniat. Facilè præsumitur eum hanc constitutionem rectiùs Iuello intellexisse. Nec est quod quisquam metuat, ne is qui adeò acriter contra titulum, & nomen vniuersalis Episcopi inuehebat, authoritatem ampliorem, quam sedi Apostolicæ debetur, velle vsurpare. S. Gregorius ergo hanc ipsam Iustiniani nouellam constitutionem citans, lib. 11. epist. 54. quod [Patriarcha secundùm leges, & canones causæ præbeat finem, hæc verba addit. Contra hæc si dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia à sede Apostolica, quæ caput est omnium Ecclesiarum causa audienda, ac dirimenda fuerat, sicut & prædictus Episcopus petijsse dignoscitur, qui Episcopos alieni Concilij habuit omninò suspectos.] Hæc S. Gregorius. Ex illius ergo sententia manifestum est, quod licèt nouella Iustiniani dicat, [Patriarcha causæ finem præbeat] regulariter, in casu tamen, puta si Ecclesia careat Patriarcha, aut quia iam defunctus sit, aut quia ipsa Ecclesia speciali aliquo priuilegio exempta sit, in hoc inquam, casu appellationem ad sedem Romanam patere etiam à tertitorio cuiusuis Patriarchæ satis constat.

Nec dubitare potest, quin S.Gregorius illam Iustiniani nouellam, æquè perfectè, ac Iuellus intellexerit. Et certè licèt S.Gregorius casum non expressisset in quo decisio finalis causæ ad sedem Romanam referenda esset, non obstante, quod lex Iustiniani iusserit causam à Patriarcha dirimi, aliæ leges docent ius commune non ammittere vim suam, etsi casus singularis omittatur.

Lex ergo l. si extraneus, ff. d. Condic. caus. dat. & l.Commodissimè ff. dicto lib. & posthumis, sic habet. [Casus omissus relinquitur in dispositione iuris communis.] Cùm ergo ius commune Ecclesiæ obtinuerit (sicut è Canone Concilij Nicæni, & Sardicensis superiùs probatum est) vt appellationes ad Romam ab omnibus Prouincijs licitè interponi queant, etiamsi Iustinianus posteà legem condiderit, quæ iubeat, vt Patriarcha causæ finem præbeat, in casu tamen quod tunc temporis nullus existat Patriarcha (quem casum S.Gregorius exprimit, aut quod pars læsa appellando ad sedem Romanam causam suam vlteriùs experiri velit, (vt etiam in casu S.Gregorij *prædictus Episcopus petijsse dignoscitur*) in his, inquam, casibus lex illa particularis Iustiniani legem communem totius Ecclesiæ in Concilijs generalibus stabilitam, tollere non potest.

E nostra Anglia si placet petamus exemplum. Ab omni curia in Regno Angliæ, vbi actiones ciuiles, & priuatorum hominum lites disceptantur, ad communium placitorum curiam licet appellare, & in illa curia causæ regulariter finiuntur, & tamen experientia docet ab illa curia ad regia subselia causas deferri, & vlterius etiam à regijs subselijs ad Parlamentum. Sed, an particularis lex vnius curiæ communem legem alterius eneruabit? An propterea à curia communium placitorum ad curiam regiorum subseliorum appellare illicitum erit? aut quia ad regia subselia datur appellatio propterea omnes appellationes ad Parlamentum amputantur?

Vt finiam, licèt nouella Iustiniani dicat: [Patriarcha secundùm Canones, & leges causæ præbeat finem,] tamen sanctus Gregorius eam legem Iustiniani, ijsdemque verbis allegans asserit, quod in certo casu à sede Apostolica causa audienda, ac dirimenda fuerat. Vide quantùm hæc Iustiniani nouella causam Iuelli adiuuet. Iuellus ait Iustinianum contra appellationes ad Sedem Romanam seueram legem sanxisse. Sanctus Gregorius, ait non obstante hac lege à Sede Apostolica causam audiendam, ac dirimendam esse, Iuellus ait, per illa verba omnes appellationes ad sedem Romanam penitus inhiberi. S. Gregorius non obstantibus ijsdem Iustiniani verbis de ea Sede intrepidè ait, quod sit, *caput omnium Ecclesiarum*, adeò appositè Iuellus leges citat, adeò doctè easdem interpretatur.

Iuellus.

Similiter Imperatores Honorius, & Theodosius, appellationes ad Episcopos Romanos

manos

manos sustulerunt, & eas causas ad Episcopum, & Synodum Constantinopolitanum deferri iusserunt. Lex ita se habet Cod. de Sacrosanctis Eccles. Omni.[Omni Innouatione cessante, vetustatem, & Canones pristinos Ecclesiasticos,qoi vsque nunc tenuerunt etiam per omnes Illyriei Prouincias seruati praecipimus, vt si qnid dubietatis emerserit, id oporteat, (non absque scientia viri Reuerendissimi Sacrosanctae Sedis Antistitis Ecclesiae Vrbis Constantinopolitanae, quae Romae veteris praerogatiua, nunc, laetatur, determinari.]

D. Stapletonus.

Si legum patrocinio causam tueri velis, Iuelle, leges interpretari, & intelligere debes, sicut legum periti solent, quod si feceris, haec lex à te citata nihil contra appellationes ad sedem Romanam faciet, immò easdem confirmat potiùs. Lex ait. [Haec de rebus ciuilibos non Ecclesiasticis dicta sunt.] Nam vbi in titulo praecedenti Roma appellata sit Caput omoium Ecclesiarum Glossa in verbo Praerogat. Cod. de summa Trinit. & fide Cathol. Nos reddentes, hoc in loco hoc facit argumentum. Quomodo ergo Constantinopolis praerogatiua Romae laetatur? Et respondet: [Ibi in Ecclesia, quod subiit, hic in Ciuitate, quod non subsit,] id est, in rebus ciuilibus, & in hunc finem multas alias adfert leges quas iurisperitis examinandas relinquo, hoc vnum certò scio S. Chrysostomum, qui tempore huius Honorij Ecclesiae Constantinopolitanae Episcopus praeerat ad Episcopum Romanum prouocasse, vt statim apparebit.

Iuellus.

Hic Hardingus obliuisci non debet Ecclesiam Constantiuopolitanam aequè amplam praerogatiuam habuisse in omni genere praeminentiae, superioritatis,ac curae vniuersalis, ac vnquam habuit Roma, quare si Episcopus Romanus vnquam fuerit Caput vniuersalis Ecclesiae necessariò sequi debet Episcopum Constantinopolitanum similiter Caput vniuersalis Ecclesiae fuisse.

D. Stapletonus.

Hic Iuellus obliuisci non debet, quod sicut priùs, ita iterùm hoc in loco Lectorem decipiat, dum ex particulari legem generalem conclusionem inferat. Lex de praerogatiua quadam loquitur, & vt Glossa exponit: [In rebus tantùm ciuilibus,] Iuellus exindè concludit paritatem in omni genere [Praeminentiae, superioritatis, & vniuersalis curae.] Lex in singulari numero loquitur, Iuellus concludit in plurali. Lex de speciali priuilegio loquitur, Iuellus absolutam, & aequalem authoritatem colligit. Si huoc in modum falsis ponderibus vti liceat, veritatem falsitas facilè deprimet.

Rursùs Iuellus obliuisci non debet, se in hanc sententiam de praerogatiua Constantinopolitana, atte fua vsitata verbum, quod in Textu Imperatoris non habetur intrusisse. Inseruit enim de suo verbum illud, *nunc*, vt Lector cooiceret eiusmodi praerogatiuam praesenti Decreto, tunc primùm ab Imperatore concedi, cùm tamen è contrario tota lex illa solummodò attendit *ad vetustatem, & Canones pristinos seruandos*, vetustatem Glossa appellat *antiqua priuilegia*. Hoc modo Iuellus mendacia multiplicando Lectorem decipit, & causam suam defendit.

Iuellus.

Et iterùm Imperator Leo apertis verbis ait Cod. de Episc. & Cleric. Omnes. [Omnes, qui vbique sunt, vel posthaec fuerint orthodoxae fidei Sacerdotes, & Clerici, cuiuscunque gradus sint, Monachi quoque in causis ciuilibus ex nullius paenitùs maioris, minorisue sententia Iudicis commonitoria ad extranea iudicia pertrahantur, aut Prouinciam, aut locum, aut regionem, quàm habitant exire cogantur.]

D. Stapletonus.

Quid Iuello in mentem venit cùm haec scriberet? an Lectores omnes fatuos, & fungos arbitrabatur, qui hanc rem non possent percipere? an amicos, & beneuolos omnes futuros sperabat, qui licèt eum nugas agere intelligerent conniuerent tamen, vt amici? an sperabat fortè haec sua scripta examen omne posse effugere? Nam quid obsecro facit haec lex contra appellationes ad Romam? perlege quaeso Lector beneuole, ipsam legem facilè intelliges de immunitatibus solummodò, & libertatibus Clero concessis, idque in rebus ciuilibus solummodò ipsam loqui. An hunc in modum argumentabitur Iuellus?

[Imperator de libertatibus Clero concessis in rebus ciuilibus legem sanciuit. Ergo protsùs interdixit omnes appellationes ad sedem Romanam in causis Ecclesiasticis.] Si hoc modo arguere adhibuisset, quid opus esset legem adeò longè petitam ab Imperio huius Leonis exquisiuisse? Domi enim apud nos in Anglia pro huiusmodi immunitatibus Cleri reperiri potuisset, nulla tamen extat, quae beneficium appellationis ad sedem Romanam Anglis interdixit. Quare cum ex hac lege adeò intrepidè, & seriò colligat, & concludens dicat.

Iuellus.

Siue causa Ecclesiastica fuerit, siue ciuilis, pars litigans intra Prouinciam suam audienda erat, nec potuit cogi alibi vspiam foras comparere.

D. Stapletonus.

Dum inquam hoc modo loquitur, ego de sepis iuretrogo, ille respondet de alijs, vt est in prouerbio, nam lex disponit de rebus ciuilibus, ipse autem applicat ad res Ecclesiasticas, pergit tamen (vt solet) claudicando, & ait.

Iuellus.

Certè quantùm hæ appellationes S. Bernardo placuere ex verbis illius satis apparet, sic enim scribit ad Eugenium Episcopum Romanum, Bernar. de Considerat. ad Eugenium lib. 3. [Quousque dormitas, quousque non euigilat consideratio tua ad tantam confusionem, atque abusionem? Ambitio, & superbia per te dominari contendunt in Ecclesia. Præter ius, & fas, præter morem, & ordinem appellationes fiunt, Antidotus, & remedium vertuntur in venenum. Quousque murmur vniuersæ terræ, aut dissimulas, aut non aduertis? paucæ sunt Ecclesiæ, quæ hanc pestem, aut non sentiant præsentem, aut non timeant imminentem.]

D. Stapletonus.

Reuera, Iuelle, argumentum hoc planè claudicat, S. Bernardus de abusu conqueritur. Ergo appellationes nullæ ad Romam licitæ erant. An oblitus es tui? An propositi tui oblitus es? An per appellationes ad Romam frequenter interpositas euincere speras nullas fuisse interpositas? nisi hoc euincat, quorsum nobis hæc importunus nugator obtrudit? Nisi præ studio contradictionis vix compos mentis appellare, & non appellare, esse aliquid & non esse aliquid in idem recidere arbitretur.

Certè quantùm placuerit S. Bernardo Romano Pontifici summa authoritas, quam ei non displicuere ut Sedem Romanam appellationes, ex verbis ipsius in Epistola quadam ad Innocentium Papam scripta, Ep. 190. satis apparebit. Verba eius hæc sunt: [Oportet ad vestrum referre Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum.] Iam si ex mente S. Bernardi omnes controuersiæ fidei ad iudicium summi Pontificis reuocandæ sunt, an putas eum appellationes ad eandem Sedem illicitas existimasse.

Rursùs ipsa verba quæ Iuellus citat, [repertum ad remedium vertitur in venenum.] An non legitimas appellationes probant, abusum tantùm culpant. Deindè ex hoc abusu Iuellus sic concludit.

Iuellus.

Hoc est illud nobile fundamentum, quod Hardingus posuit pro primo fundamento primatus.

D. Stapletonus.

Falsum hoc est. Nam primum fundamentum erat Sacra Scriptura à S. Patribus explicata, & imprimis à Sancto Gregorio cuius testimonio tu Iuelle adhuc debes responsionem, nondum enim respondisti, vt priùs probaui. Iam perge, & vt soles mentiendo conclude.

Iuellus.

Magna confusio, mors, venenum, terror, dilaniatio Ecclesiarum, contra ius, & fas, contra rectum ordinem in vsu receptum à S. Patribus improbatum, à Concilijs Sanctis condemnatum, ab illustrissimis Principibus penitus abrogatum, hoc scilicet Hardingo principale fundamentum primatus factum est.

D. Stapletonus.

Animaduertite quæso ingentem hunc verborum cumulum quo obtundat, & obruat Lectorem. Vide S. Chrysostomus appellatio ad Rom. Sed reuera fasciculus mendaciorum est eleganter compositus, vt decipiat Lectorem. Nam confusio hæc, & mors, venenum hoc, & terror, hæc Ecclesiarum dilaniatio de quibus Sanctus Bernardus loquitur, non pertinet ad appellationes legitimè factas, sed ad abusum.

Rursùs appellationes non erant factæ contra ius, & fas, contra modum, & rectum ordinem, vt Iuellus mentitur; sed *præter ius, & fas*, vt Sanctus Bernardus conqueritur. Nec adeò peregrinus est in Philosophia Iuellus quin intelligat multa fieri præter naturam, quæ tamen non sunt contra naturam, qualia sunt planetarum motus ab Oriente ad Occidentem, partus monstruosus, & similia, & quotidiana nos docet experientia multa fieri præter legem, quæ tamen non fiunt contra legem, puta cum bonis legibus abutamur.

Postremò satis probatum est superiùs, appellationes absolutè, & generaliter non displicuisse Sanctis Patribus (nisi Ariani fine Sancti Patres) nec à Sanctis Concilijs improbatas, sed approbatas, potiùs & commendatas fuisse, multò minùs ab vllo bono Principe (quem adhuc Iuellus nominauit) abrogatas, aut abolitas. Atque ita quid mirum est si tot falsæ præmissæ innumeras falsas conclusiones parturiant. Vbi verò postremò in loco, ait hoc ab Hardingo, vt principale fundamentum primatus positum esse (pace illius dixerim) hoc in vna eademque conclusione bis reperitum, principale mendacium est, vt priùs ostendi.

Hucusque Iuellus contra appellationes cuagando excursiones fecit, nos vt potuimus mendacia illius notando insequuti sumus, & quasi subodorandi assequuti sumus vulpem, cumque fraude, & fallacijs instructissimum. Iam ad ea quæ Hardingus pro appellationibus affert accedit, & omissis appellationibus Theodoreti ad Leonem, & Athanasij ad Iulium Pontifices, in quibus nulla cauillationis ansa, aut falsitatis vmbra apparuit, incidit in illam, quæ à Chrysostomo interposita est ad Innocentium, quia probationes ex hac parte non adeò claræ, & euidentes ei videbantur. Sed primò verba Hardingi videamus.

D. Har-

D. Hardingus.

In causa Sancti Chrysostomi hi Episcopi ab vrbe Constantinopolitana ad Innocentium summum Pontificem profecti sunt: Pansophus Episcopus Pissidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius secundæ Galatiæ, & Eugonius Phrygiæ. Hi nomine Chrysostnmi petitiones instituebant, ipse per Epistolas causam suam cum Innocentio tractauit: in Epistola sua inter alia multa hæc habet S. Chrysostomus appellatio ad Romam: [Ne inanis ista confusio cuncta percutiat, & vbique dominetur, scribite præcor, & authoritate vestra decernite huiusmodi iniquè gesta nobis absentibus, & iudicium declinantibus nullius esse roboris, sicut per suam naturam sunt profectò irrita, & nulia. Porrò qui talia gessere eos Ecclesiasticis censuris subijcite, non autem insontes neque conuictos, neque deprehensos vllius criminis reos comprobatos Ecclesijs nostris iubete restitui, vt charitate frui, ac pace eum fratribus nostris consueta possimus.] Innocentius re tota perspecta, & intellecta, sententiam Theophili contra Chrysostomum editam nullius validitatis esse decreuit, & pronunciauit. Tota hæc tragœdia à Palladio Episcopo Helenopolitano [in vita Ioannis Chrysostomi] fusè describitur, vixit autem eodem tempore.

Iuellus.

Mendacium 107. verba S. Chrysostomi mendaciter referuntur.

D. Stapletonus.

Improbitas, & nequitia Iuelli tanta est hoc in loco, vt nullis verbis satis explicari possit, hoc ita se habere ipse faciliè iudicabis modo obseruare velis diligenter contextum à Hardingo superiùs allegatum, & vafrum illius consilium in hoc contextu exagitando, quod (secundùm præstitutum sibi ordinem procedendi contra appellationes) sequitur in his verbis.

Iuellus.

Sed extra controuersiam est Chrysostomum ad Innocentium prouocasse, verba enim ipsius Hardingus, hoc in loco retulit.

D. Stapletonus.

Ecce (bone Lector) quomodo Iuellus offendat in limine, dolos meditans, vt te decipiat. Debes enim intelligere (vt artificium Iuelli hoc in loco meliùs internoscas) Hardingum non afferre ipsissima verba Chrysostomi, ex operibus ipsius, sed ex Palladio Episcopo Helenopolitano, [in vita Ioannis Chrysostomi,] quam ipse conscripsit, & in ea, verba quæ Hardingus attulit, refert. Neque existimes hoc effugium esse, aut Iuellum hoc nescijsse, nam Hardingus afferens verba Chrysostomi, & integrum ordinem, & seriem appellationis ad Romam, authorem vndè ea omnia hauserat expresè nominat his verbis: [Tota tragœdia fusè describitur à Palladio Episcopo Helenopolitano in vita Ioannis Chrysostomi, qui eo vixit tempore.] His vt dixi verbis Hardingus expressit authorem suum, & nominatim citauit Palladium, (in vita Chrysostomi,] non autem Epistolam ipsius Chrysostomi, quæ in operibus illius communiter extat.

His adeò expresè, & apertè explicatis, quid obsecro causæ fuit, quod Iuellus mendacium pingat in margine, & contra eum declamitando pergat? Secundò idem notans in margine: [Hardingus mendaciter transfert Sanctum Chrysostomum.] Quid inquam causæ habuit Iuellus, nisi aut malitia exstimulauit, vt profundè dissimulet, aut saltem præceps, & crassa ignorantia in hoc stultiloquium cæcum præcipitauerit? Nam animaduertite obsecro, quàm sobriè, & seriò rem prosequitur.

Iuellus.

Fateor Hardingum, hoc in loco allegasse Chrysostomum, sed perindè fideliter, ac Papa Zozimus Concilium Nicœnum aliquando.

D. Stapletonus,

Perplacet, Iuelle, bellissimum hoc exemplum, nam sicut hoc in loco sanctum illum Pontificem Zozimum malitiosissimè calumniatus es; Sanctum, inquam, sic enim S. Augustinus de gratia Christi lib. 2. c. 6. 7. 8. & 17. in epist. ad Bonifac. vnus ex Africanis Episcopis quos tu imaginaris eundem in aperto crimine falsi deprehendisse, sæpe illum post mortem appellat, & Episcopi Africani in literis suis, ad Bonifacium immediatum huius Zozimi successorem eum appellant, *beatæ memoriæ Zozimum, & venerabilis memoriæ Zozimum*: sicut [inquam Sanctum, hunc Beatæ, & Venerabilis memoriæ Zozimum, cæcos hac in re Magdeburgenses insequens, vt dictum est, malitiosè calumniaris: ita hoc in loco Hardingum data opera apertè calumniatus es. Nam Hardingus, non attulit hoc in loco vlla verba ex operibus Chrysostomi, sed, vt ipse expresè notauit, tam facta, quàm verba Chrysostomi ex Palladio, qui vitam illius scripsit, attulit.

Ex verbis ergo tuis Iuelle notoria calumnia omnium sociorum tuorum de crimine falsi S. Chrysost. appellat. illo Pontifici obiecto manifestè colligitur. Ex verbis inquam tuis; nam Hardingus fideliter, & sincerè hoc in loco Chrysostomi factum, & verba retulit. Ergo Zozimus Nicœnum Concilium fideliter, & verè allegauit.

Iuellus.

Quæso te, Christiane Lector, si ad manum habeas Chrysostomum locum hunc perlege, & pondera, si non habeas saltem noli assensum nimis citò præcipitare.

D. Stapletonus.

Quæso te, Christiane Lector, si aut Hardingi, aut Iuelli librum ad manum habeas verba perlege, & pondera; si non habeas, tamen attentè considera verba Hardingi: sicut ego prius omnia integrè, & perfectè retuli, & noli nimis citò sententiam tuam præcipitare, inuenies, crede mihi, Hardingum nulla verba ex operibus Chrysostomi attulisse. Citauit enim Epistolam Chrysostomi iisdem verbis quibus à Palladio refertur *in vita Ioannis Chrysostomi*.

Iuellus.

Hardingus hoc in loco minus sincerè tecum agit.

D. Stapletonus.

Iuellus planè collusoriè tecum agit (candide Lector.)

Iuellus.

Ipsa verba Chrysostomi in epist. ad Innoc. latinè ita se habent: [Ne confusio hæc omnem, quæ sub cœlo est nationem inuadat, obsecro, vt scribas quod hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur. Sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui iniquè egerunt, pœna Ecclesiasticarum legum subiaceant: Nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti, vt rei sumus, literis vestris, & charitate vestra, aliorumque omnium quorum ante fruebamur societate frui concedite.] In his paucis verbis Hardingus crimen falsi ter commisit, planè immutans verba auctoris, & alia de suo inserens, hæc enim verba, quæ secundùm Hardingi translationem auctoritatem Episcopi Romani innuere, & appellationem præ se ferre videntur.

Scribite quæso, & auctoritate vestra decernite: Ecclesiasticis censuris subiicite: Ecclesijs nostris iubete restitui.

Hardingus malè vertit S. Chrysost. — Hæc inquam verba 385. nec in Græco, nec in Latino exemplari apud S. Chrysostomum reperiuntur, sed artificiosè textui inseruntur, vt rectiùs appellationem suam adornet, & expoliar; satis intelligit causam suam consistere non posse, nisi Sanctos Patres corrumpat, & deprauet. Hæc ergo appellatio non erat à Chrysostomo interposita, sed à Hardingo supposita.

D. Stapletonus.

Habes bone Lector his in verbis integrum processum; in quo Iuellus Hardingum arguit, & accusat. Habes etiam notam in margine, in qua Iuellus idem actor, & iudex Hardingum reum pronunciat. Habes integrum Chrysostomi contextum, vt Iuellus eundem è Hardingo allegari affirmat. Vides denique tria loca notata in quibus asserit Hardingum ter crimen falsi commisisse; *Verba auctoris immutando, & sua inserendo.* Respice proinde bone Lector verba Chrysostomi, vt in Palladio reperiuntur, qui vitam Chrysostomi scripsit, quem Hardingus nominat, & expressè citat, quem vt testem in hac causa adducit. Verba quæ à Iuello latinè recitantur, translata videntur ab Erasmo, aut aliquo alio auctore moderno. Verba quæ ego statim subijciam ex Epistola Græca Chrysost. ad Innocentium Papam à Palladio eiusdem Chrysostomo discipulo, viro, docto, & Episcopo Hellenopolitano, transferuntur. Vndè facilè æstimari potest vtra translatio maiorem fidem mereatur.

Palladius ergo integram vitæ illius seriem, & in primis luctuosissimi exilij ærumnas, & afflictiones quasi in commentaria redigens, appellauit autem ad Innocentium in exilio agens, ipsissimam Chrysost. ad Innocentium Epist. affert, & ait; *Erat autem Epist. Ioannis eiusmodi series.* Tum statim sequitur integra Epist. vt in operibus illius communiter editis, licet versione aliquantulum diuersa reperitur. Verba quæ ad hanc rem pertinent, & à Hardin. referuntur ita se habent; [Ne igitur immanis ista confusio cuncta percurrat, & vbique dominetur, scribite precor, & auctoritate vestra decernite, huiusmodi iniquè gesta nobis absentibus, & iudicium non decliuantibus, nullius esse roboris sicut per suam naturam sunt profectò, & irrita, & nulla. Porrò qui talia gessere, eos Ecclesiasticæ censuræ subijcite. Nos autem insontes, neque conuictos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos, Ecclesijs nostris iubete restitui, vt charitate frui, ac pace cum fratribus nostris consueta possimus.] Hæc verbatim in linguam Anglicanam fideliter translata, à Hardingo citantur. Iam verò, quæso te Lector, aduerte in Palladij contextu verba illa, quæ ex sententia Iuelli *appellationem præ se ferre videntur*; Verba etiam, quæ, vt idem Iuellus ait, *Hardingus penitus immutauit alia illorum loco inferens*: Hæc, inquam, verba: *Scribite, & auctoritate vestra decernite: Ecclesiasticæ censuræ subijcite: Ecclesiis nostris iubete restitui.* Hæc, inquam, verba vniuersa, & singula in contextu Palladij reperta sunt, & à Hardingo iuxta natiuum verborum sensum, Anglicè exprimuntur.

Primò. Quare vbi Iuellus ait Hardingum in his paucis verbis, ter peccasse, & egregium falsarium sese præstitisse, euidenter apparet eundem nihil falsi admisisse, sed triplici calumnia à Iuello aspersum esse.

Secundò. Tum vbi ait eundem *verba immutasse*, iam palam est illum verba, quæ reperit in auctore quem citat fideliter retulisse: haud aliter, ac Zozimus verba Concilij Nicœni verè, & sincerè allegauit.

Tertiò. Vbi ait Hardingum *verba sua inseruisse*, iam satis constat ne verbum quidem de suo insertum esse, nec vllam allatam esse voculam, quæ in Palladio quem pro auctore nominatim adducit, non reperiatur.

Quar-

Quartò. Vbi ait, *hæc verba non reperiri apud Chrysostomum* videmus iam ea ipsa in eo reperta esse à discipulo suo Palladio: *Inserta esse ait, artificiosè textui.*

Quintò. At quilibet apertè videt verè, & sincerè ex Palladio citata esse non ab eo textui Sancti Chrysostomi inserta.

Sextò. Postremò vbi notam hanc pinxerit in margine: *Hardin. malè vertendo Sanctum Chrysostomum, crimen falsi commisit* ipse tandem deprehenditur multiplici calumnia Hardingum affecisse, & sex egregia mendacia ore impudenti incontinenter eblaterasse. Iam tandem, quia Hardingum ab his calumnijs satis euidenter, & efficaciter liberauimus, respiciamus si placet, & examinemus qua fide Iuellus Chrysostomum in linguam latinam transferendo vsus sit, vt hanc Chrysostomi appellationem dextre euertat. Ergo vbi textus latinus Chrysostomi habet, *Obsecro, vt scribas.*

Ipse Anglicè transtulit, *I pray:*
Thee vvrite and signifie vnto them:

Qua translatione sua quasi glossemate ita Chrysost. interpretatur, vt petat à Summo Pontifice, & roget eum quatenus *significare* dignetur aduersarijs suis quàm malè egerint: Cùm tamen Palladius Chrysostomi discipulus magistri sui verba vertens habeat: *Scribite, & auctoritate vestra decernite*, actum *iurisdictionis*, & *auctoritatis* Pontificalis, satis apertè explicans. Atque ita vt videtis Iuellus, S. Chrysostomum malè vertendo, sensus prorsum immutauit, significationem id appellans, quod auctor ipse Palladius *auctoritatiuam*, vt ita dicam, *decisionem*, & exercitium iurisdictionis, quam in delinquentes habuit, esse voluit, & fuisse hunc verum S. Chrysostomi sensum, vtpotè qui ad Innocentium Pontificem verè appellauit, apertissimum est: non solùm ex verbis eius, vt Palladius eius discipulus ea recitat, sed multò magis ex processu ipso, & exitu negotij, vt statim apparebit. Ex historia Ecclesiastica satis constat, sicut etiam ex alijs huius Epistolæ verbis, Chrysostomum Episcopum Constantinopolitanum, à Theophilo Alexandrino, & alijs Episcopis Ægypti, Episcopatu suo iniustè priuatum, ad Innocentium Episcopum Romanum prouocasse, & perijsse literas suas, non significatorias, aut expositorias facti, vt falsus iste Glossator persuadere voluit, sed eiusmodi, *quæ decisionem causæ, & iuridicam sententiam* contra delinquentes, continerent, vt Hardingus verè allegauit.

Primò, quod Chrysostomus iam secundò in exilium pulsus, & Episcopatu priuatus ad Innocentium prouocauerit, ex ipsius verbis in hac Epistola satis constat; [Quia non satis est plangere, sed opus etiam, vt curæ geratur, & spectetur, qua ratione, & quo consilio grauissima illa tempestas sedetur; proindè necessarium esse duximus, vt persuadeatur Demetrio, Pansophio, Pappo, & Eugonio, Dominis meis maximè venerabilibus, pijsque Episcopis relictis negotijs proprijs, pelago se committere, susceptaque longinqua peregrinatione ad vestram properare charitatem de omnibus vos manifestè docentes, quo quantocyus rebus succurratur.] Ex his verbis intelligimus S. Chrysostomum Episcopatu suo iniustè pulsum (nam, vt è Nicephoro lib.13.c.19. satis constat, has literas in exilio existens conscripsit) misisse quatuor ex Episcopis ad Summum Pontificem, qui de negotio priuationis suæ eum planè instruant: Deindè, vt oportuno remedio ei succurratur: ac propterea petitionem suam secundò repetit, dicens: *Sicut prius dixi ea, quæ perperam fiunt non solùm deploranda, sed & corrigenda sunt, & ideò charitatem vestram obsecro, vt prouocetur ad condolendum, faciendumque omnia quo mala hæc sistantur.* Vide quæso, & considera: Sanctus Chrysostomus non scribit epistolam, rogans Summum Pontificem, vt mala sua secum deploret, aut, vt aduersarijs suis significet quàm malè egerint, sed vt malè acta corrigat, & ea ratione mala in Ecclesia grassantia sistat: non fuit inquam, Epistola eiusmodi, quæ nudam significationem (vt Iuellus insinuat) continebat, imò aliud sine dubio continebat.

Considerate quæso circumstantias. 1. Quatuor Episcopos Romam misit. 2. Qui longum, & periculosum iter susceperunt, 3. ipsius Chrysostomi literas deferebant: Considera 4. Cleri Constantinopolitani instantiam, & petitiones per priuatas eorum literas. 5. & quadraginta aliorum Episcoporum literas, quæ, vt Nicephorus refert, ad Innocentium Summum Pontificem, de eadem re, erant directæ. Considerate, inquam, hæc omnia. An hæc omnia nudam significationem, vt impostor insinuat, præ se ferunt? An non potius cum ipso Chrysostomo loquendum est, scripta, & facta esse hæc omnia, *vt quantocyus rebus succurratur, & vt corrigantur ea quæ perperam fiunt*, & vt Canonum transgressio, quam S. Chrysost. in illa Epist. bis repetit, debita pœna afficiatur? Apage Iuelli vulpinam fraudem. Hæc scripsisse S. Chrysost. hæc petijsse apertum est, & ex ijs, quæ sequuntur adhuc clariùs apparebit.

Innocentius Papa lectis S. Chrysostomi, & aliorum Episcoporum, & Cleri Constantinopolitani literis, ad eundem Chrysostomum. & Clerum Constantinopolitanum, literas suas plenas consolationis, & exhortationis paternæ rescripsit, & sine mora Synodum conuocat, in qua causa Chrysostomi agitata, & decisa erat.

Quo facto sententia, siuè Decretum Synodi Constantinopolim transmissum erat per manus Emilij Episcopi Beneuentani, Carthegij, Gaudentij, Valentij, & Bonifacij, Sacerdotum, qui apud Arcadium, cuius auxilio Chrysostomus eiectus erat, in causa illa legatione functi sunt. Sozomenus quinque Episcopos, & duos Sacerdotes memorat, lib. 8. c. vlt. qui in hac legatione ad Imperatorem, missi erant. Hi per Græciam iter arripientes à Tribuno quodam, iussu Eudoxiæ nequissimæ Imperatricis, & S. Chrysostomo infensissimæ comprehensi, Thessalonicam adire, vt literas Summi Pontificis ad Anysium loci illius Episcopum, & summi Pontificis in illis partibus pro tempore ordinarium legatum deferrent, nullo modo permitti potuerunt; Leo ep. 82. sed duobus impositi nauigijs, post-

quam

quam in vnum ex suburbijs Constantinopolitanæ ciuitatis peruenerunt, per vim in carcerem coniecti sunt, vbi torturam perpessi, & ærumnis plurimis affecti erant, quia literas, quas à Summo Pontifice acceperant, proferre recusabant: Illi nihilominus constanter restiterunt, asserentes se nonnisi in manus Imperatoris, ad quem directæ erant, eas tradituros. Tandem aulicus quidam Valerius nomine, se gratiam facturum principi ratus Episcopi cuiusdam, apud quem literæ erant, pollice fracto, scripta ipsa, & vascula quædam argentea, quidquid denique ad res necessarias parandas argenti erat, per vim eripuit, sperans per hanc violentiam, & rerum necessariarum summam inopiam, ad voluntatem Imperatricis eos pertrahere.

Hæc cum frustrà tentassent, & non posse illos hoc modo flecti satis intelligerent, alia via illos aggressi sunt: nam de sequenti, ad Episcopos alij aduenerunt, missi (vt conijcere possumus) partim ab Imperatrice Eudoxia, partim ab Attico quodam, qui Sedem Chrysostomi exulantis occupauit, tria millia aureorum illis offerentes, ea lege, & conditione, vt deserto Chrysostomo, cum Attico communicare velint: quod cum illi constantèr recusarent, nec aliud sperarent remedium, veniam redeundi Romam obnixè rogabant. Tum Valerius *ad male agendum strenuus*, ereptos à carcere in nauem veternosam, & squalore sordidam detrusit, & exitium eis struens, Romam nauigare iussit. Post quatuor mensium iter continuum, & varia rerum discrimina, tandem Romam reuersi sunt, & totam hanc tragœdiam, & quo ordine acta fuit antè omnia Pontifici exposuerunt. Hæc ex historia Nicephori ferè verbatim. Ergo iam tandem, si placet Iuelle, recolamus animo, & consideremus quæ tandem, & quales fuerunt hæ literæ, quas 1. ipse S. Chrysostom. 2. Clerus Constantinopolitanus: 3. alij Episcopi, primo ad Pontificem scripserunt: quæ, inquam, qualesque fuerint literæ: 4. quæ in causa erant, quod quatuor illi Episcopi eas deferentes, tam longum, & periculosum iter, à Constantinopoli ad Romam iter arriperent: & 5. vt acceptis literis Synodus statim Romæ cogeretur, & 6. vt Decretum Synodi per tales, tamque selectos nuncios, statim Constantinopolim mitteretur: 7. quod tot insidiæ, quæ responsum summi Pontificis impedirent in via ponerentur, 8. tot adhibita cruciamenta, quæ legatos ad proditionem impellerent, 9. tot largitiones, & munera, quæ eosdem allicerent; considera, inquam, attentè hæc omnia, quæ in hoc negotio concurrebant, & edicas ingenuè, quales hæ literæ fuerint, an nuda *significationes* à S. Chrysostomo ad Pontificem, & rursùs à Summo Pontifice, ad S. Chrysostomum, à Constantinopoli ad Romam, & rursùs à Roma ad Constantinopolim, tanto apparatu, tam solemnibus internuncijs, per tot difficultates, & rerum, viarumque discrimina transmissæ erant? Sed si circumstantiæ hæ, coniunctim consideratæ, vnà cum ipsissimis ipsius S. Chrysostomi verbis superius allatis, hoc negotium appellationis non satis euincant, consideremus deinceps, quid hæc luctuosa afflictionum, & miseriarum initia subsequutum est. Quid putatis fecisse S. Chrysostomum, quæ agitauit consilia, cùm in exilio degens hæc enormia facinora rescisseret? Quo animo fuisse ipsum Pontificem Innocentium existimatis? Faxo intelligas (Iuelle) tum demum si quis amor recti, & veri, si qua superfit ingenuitatis scintilla, ipse iudica an hoc, de quo tot inanibus verbis litigamus negotium, nuda *significatio* fuerit, an iusta, & legitima appellatio. 10. De his rebus Chrysostomus certior factus, secundam ad Innocentium Pontificem conscripsit Epistolam, in hæc habentur verba: [Quantum in vestra pietate situm fuit, iam omnes malorum procellæ sedatæ, & sublata omnia scandala fuissent, gauderentque Ecclesiæ tranquilla, & sincera pace; & essent planè secunda omnia, neque contemptæ leges, neque violatæ Patrum constitutiones forent. At quoniam re ipsa nihil tale contigit, & isti quasi anteà nihil attentarint, ita priora malefacta recentibus vincere certant; nolo equidem omnia, quæ interim gesta sunt sigillatim recensere, quandoquidem non solùm Epistolæ, sed & historiæ modum transcenderet narratio. Cæterùm vestram oro vigilantiam, vt licèt illi omnia tumultibus impleuerint, laborauerintque morbis incurabilibus, & pœnitentiæ non capacibus: cùm tamen curare morbos illorum statueritis, malis ne cedatis, neue animum despondeatis, considerata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud fermè totius Orbis est.] Hucusque S. Chrysostomus paternam illius, vt videtis curam, & diligentiam summoperè laudans, rogans tamen, quia delinquentes multi erant, & magnæ auctoritatis, ne extrema tentaret, nam non solùm Theophilus Patriarcha Alexandrinus, & multi alij Episcopi Ægypti, & prouinciarum circumiacentium, sed & Imperator etiam cum magna parte aulicorum, & ciuium Constantinopolitanorum, hoc scelere aliquo modo irretiri, & implicati erant.

Certè Papa Innocentius, quamdiù Chrysostomus (licèt in exilio) inter viuos erat, per spatium trium annorum, & amplius, ab omni vsu auctoritatis suæ abstinuit, & consilijs eius acquiescens, extrema noluit tentare, rem totam blandis verbis, & sauis consilijs sedare, & sopire sperans. Sed quàm primum S. Chrysostomus, vt in Niceph. lib. 13. cap. 30. ex ærumnosi exilij angustijs, ad alteram vitam migrasset, & omnes ciues Constantinopolitani, qui Chrysostomo fauebant diris Imperatoris edictis, & alijs iniustis vexationibus quotidiè vexarentur, Innocentius Pontifex auctoritate sua vsus est, & appellationi finalem imposuit sententiam, & tam Imperatorem, & vxorem eius Eudoxiam, quàm Theophilum Alexandrinum cum alijs Episcopis, excommunicationis sententia innodauit. Tenor literarum, quæ excommunicationem Pontificis continent, sic idem lib. 13. cap. 34. incipit? [Vox sanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contrà te, ô Imperator! sicut quondam Abel iusti contrà parricidam Cain: & is modis omnibus vindicabitur.] Post hæc Pontifex, scelus perpetratum particularius exaggerans, ad ipsa verba excommunicationis descendit, & ibidem ait: [Itaque ego minimus, & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego,

go; & reijcio te, & illam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri: Episcopum etiam omnem, aut Clericum ordinis Sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse, decerno. Quod si, vt homines potentes, quemquam ad id vi adegeritis, & Canones vobis à Seruatore per SS. Apostolos traditos transgressi fueritis, scitote non paruum id vobis peccatum fore, in horrenda illa Iudicij die, cùm neminem huius vitæ honor, & dignitas adiuuate poterit, arcana autem, & abdita cordium sub oculos omnium effundentur, atque exhibebuntur. Arsacium, quem pro magno Ioanne in thronum Episcopalem produxistis, etiam post obitum exauthoramus, vnà cum omnibus, qui consultò cum eo communicarunt Episcopis: cuius etiam nomen sacro Episcoporum albo non inscribatur: indignus enim eo honore est, vt qui Episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem plantatio, quæ à Patre nostro in cœlis plantata non est, eradicabitur. Ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum, & absolutam à Christianissimo alienationem.] Hactenùs verba Innocentij Papę in literis suis ad Arcadium Imperatorem, quas Nicephorus in historia sua Ecclesiastica refert. Dic tandem (Iuelle) dic seriò, an hæc omnia tantùm nudam *significationem* sonant? An non decisionem causæ, & supremi Iudicis finalem sententiam, continent?

1. S. Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus quatuor Episcopos, cum literis suis, ad summum Pontificem mittit: 2. in illis petit, *iniuriarum remedium, & vt perperam acta corrigantur, & vt iniquè gesta*, puta à Theophilo, *nullius esse roboris, & irrita declarentur*: 3. Clerus Constantinopolitanus; 4. alij etiam Episcopi similitèr literas scribunt: 5. de hoc negotio coacta erat Synodus: 6. Papa Legatos suos cum responsione, Constantinopolim mittit: 7. aduersarij, tam minis, quàm blanditijs, pertentabant Legatos, & nullum non mouebant lapidem, vt ad defectionem eos impellerent: 8. Chrysostomus rogat Pontificem, vt à rigore, & vltimo remedio, idest ab excommunicando, abstineat: 9. Postremò Summus Pontifex diù, sed frustrà expectans meliorem frugem, tandem contrà delinquentes sententiam dicit. Et si hæc omnia simul considerata non euincant, & probent appellationem, nescio quo modo probari possit, aut vbi magis inuictum argumentum reperiri possit, quo suprema Romani Pontificis potestas astruatur. Patriarcha Constantinopolitanus ad Sedem Romanam prouocat. Patriarcha Alexandrinus virtute illius condemnatur, Imperator Occidentis (alio Imperatore, Honorio scilicèt regnante tunc temporis in Oriente) à Summo Pontifice excommunicatur. Ex his omnibus (ni fallor) abundè probatur Iuellum, siue glossando, siue male vertendo, dum *nudam significationem* insinuat, pessima fide vsum esse, & sensum, atque intentionem authoris euacuasse. Atque hæc de ipsa appellatione, & de corrupta Iuelli glossa, siue translatione. Iam tandem videamus, quid Iuellus afferat, quo probet nullam hoc in loco interpositam fuisse appellationem.

Iuellus.

Ad perfectam huius rei cognitionem, statum, & conditionem horum Patrum, & miserabilem Orientalis Ecclesiæ confusionem necessarium erit considerare. Chrysostomus de hac re in epist. ad Innoc. sic scribit: *Ecclesiæ deiectæ sunt, atque prostratæ, populi dispersi, Clerus dicexatus, Episcopi exules, constitutiones Patrum violatæ.*

D. Stapletonus.

Benigne Lector, Iuellus in hoc tractatu grauiter impudens est, & si eruditus sis, patientia tua, si indoctus imperitia tua egregiè abutitur. Hæc verba S. Chrysostomi in secunda epistola ad Innocentium Pontificem Romanum reperiuntur, & immediatè sequuntur ea verba, quæ ex eodem Chrysostomo, iamdudum attulimus. Vbi Pontificem rogat ne contrà Episcopum, qui illum deposuerat, & totam illius prouinciam infestare non dubitauerat, iuxtà rigorem Canonum procedat. Non loquitur ibi Chrysostomus, de vniuersa plaga Orientali, sed de perturbatione orta in partibus Ægypti, & Thraciæ, iutee Theophilum Alexandrinum cum factione sua, & seipsum cum populo fideli sibi adhærente. Hæc habete in animo, & videamus quid ex his Iuellus conatur concludere. Sequitur in contextu illius.

Iuellus.

Dux quidam de exercitu Imperatoris cum cohorte sua Ecclesiam, in quam oratum secesserat, armata manu cinxit. Ex ijs, qui cum illo erant alij spoliati, & in exilium pulsi, alij à militibus conculcati, alij cæsi erant, Paulus Episcopus Constàtinopolitanus laqueo strangulatus, Marcellus Ancyræ Episcopatu priuatus erat, Lucius Episcopus Andrianopolitanus in carcere vitam finiuit, Theodulus, & Olympius Episcopi Thraciæ neci traditi erant. De Athanasio mandauit Imperator, vt aut viuus, aut mortuus ad eum adduceretur. S. Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes, Soc. lib. 2. cap. 11. Sozom. lib. 3. cap. 11. & Theodoret. lib. 2. cap. 14.

D. Stapletonus.

Verborum satis (crede mihi) & si inanis verborum strepitus aliquid probaret satis superque argumentorum hic locus suppeditaret. Sed insurget Iuellus. An tu inanem appellas strepitum vbi tot historiæ, tanta rerum varietas, tam multiplex lectio? Quidni obsecro, bone vir, inania sint omnia cum ad rem, quæ in manibus est nihil omnino faciant? Nam prudens Lector, scio, non ex strepitu, & sono, sed ex vi, & pondere probationis verba æstimabit. Videamus ergo, quo hæc tendunt. Nam vtcumque speciosa sint verba, si nihil probent, si nihil ad rem faciant quis meruet edicere te inani verborum apparatu lectorem elusisse? Pergis ergo, & ais.

Iuellus

Iuellus.

Isti boni, & sancti Patres hoc modo maximis angustijs pressi 387.& totam Ecclesiam Orient. pene desolatam aspicientes, vndecunque spes vlla illuxit, auxilium quærere coacti sunt, & Ecclesiam Rom. imprimis adierunt, quæ tunc temporis, tum propter multitudinem populorum, tum propter religionis puritatem, & constantiam in fide, imprimis autem propter charitatis, & misericordiæ officia erga afflictos, magnam sui admirationem in animis omnium excitasset.

D. Stapletonus.

Iam tandem, Iuelle, fraudes, & præstigiæ in apricum prodeunt, nam cùm dicas, isti boni Patres maximis angustijs pressi, de Sancto Chrysost. Athanas. & Theodoreto loqueris. Sed; bone Deus, quàm male temporibus diuisa sunt hæc! Nam quod ad Chrysostomum, & Theodoretum attinet, illæ magnæ tempestates in Oriente, diù ante ipsos natos excitatæ, atque sedatæ erant: acciderunt enim regnante Constantio Imperatore Arriano, & propè finem imperij illius: sed Chrysostomus vixit sub Imperio Arcadij, & Honorij, Theodoretus autem sub Theodosio secundo, Arcadij filio. Iam verò inter Constantium Arrianum, & Arcadium, Imperatores, Iulianus, Iouinianus, Valens, & Theodosius primus, anni ferè 150. intercesserunt. Sub Arcadio tumultus ij, de quibus Iuellus loquitur, omninò sedati erant. Quare contentiones illas tam diù ante sopitas, & sepultas, pro causa appellationum Chrysostomi, & Theodoreti, quæ tamdiù post subsequutæ sunt, allegare, quis non iudicet valde imprudenter, & impudenter factum? Quod ad illos tumultus attinet, qui in Oriente tempore S. Chrysost. acciderunt, aliquid iamdudum diximus, ampliùs statim dicturi, cùm hanc materiam Iuellus concludat. Restat ergo vt hæc omnia ad appellationem Athanasij referantur, qui circa illa tempora vixit, alioquin Iuellus inani verborum tinnitu, vt priùs dixi, lectorem delusisse nimis apertum erit.

Quod attinet ad appellationem Athanasij, obiter omninò occurrit, quia iam Chrysost. appellationem in manibus habemus, eamque principaliter tractamus, quia tamen Iuellus has tres appellationes, adeo diffunctas, & diuersis factas sæculis, confundere conatus est, vna generali responsione omnes simul eludere sperans: in gratiam sacrosanctæ veritatis, quam lubens iam sustento, euidenter ostendam hæc, quæ à te, Iuelle, accumulata sunt, nihil contrà appellat. Athanasij facere, quam Hardingus, vt euidentissimum exemplum primatus summi Pont. tunc temporis à tam excellenti viro agniti, in medium protulit. Illud ergo primo statuendum est (quod ex serie, & intentione Ecclesiasticæ historiæ, Deo volente, me probaturum confido) contentionum turbines in Orientali Ecclesia, de quibus Iuellus priùs mentionem fecit, ante Athanas. ad Sedem Rom. appellationem contigisse, ac propterea ad eam, tanquam ad causam reuocari non posse.

In principio Regni Constantij Imp. (vt Ecclesiastica historia tripart. lib.4.cap.1. narrat) quo regnante (vt postea apparebit, imò propè finem imperij illius, tempestates illæ, de quibus mentio facta est superiùs, ortæ sunt) multi Episcopi Orientales, qui viuente Constantino, Patre huius Constantij, pio & Catholico Imp. hypocritica dissimulatione sese pro Catholicis venditabant, se ipsos prodere, Arrianam hæresim palàm profiteri, imò & Concilium magnum Nicænum, paulò ante celebratum, apertè condemnare cœperunt. Eo tempore Athanasius per fraudem Arrij, & actionis suæ priùs in exilium à Constantino missus, mediante Constantino fratre Constantij, qui in Occidente Imperium tenebat, ad Episcopatum suum reuersus est. Episcopi Arriani Eusebius, Theogonius, Theodorus, Perinthius, & alij in animo habentes, vt dixi, Arrianam hæresim publicè prædicare, & propagare (principem enim, vt hist. narrat, iamdudum infecerant) satis perspicientes Athanas. hunc, Patriarcham Alexandrinum maximo conatibus eiusmodi impedimento fore, quippe qui & apprimè doctus erat, & Conc. Nicæni inuictissimum propugnatorem semper seipsum præbuisset, eum amouere, & Episcopatu priuare, omnibus modis elaborabant. In hunc finem illum apud Imperat. accusabant, quod contrà ius, & fas ad Episcopatum reuersus esset. De his certior factus Athanasius, considerans pariter, quam esset in eum offenso animo ipse princeps, fugam arripiens, in partes Occidentis secessit.

Sed Eusebius, & socij illius Episcopi Arriani, hoc non contenti, ingulum causæ petentes, & rem extra periculi aleam ponere cupientes, scripserunt etiam ad Iulium Pont. Rom. multas contra eum accusationes cumulantes, & sperantes mediante summi Pont. authoritate, eundem irrecuperabiliter Episcopatu priuatum ire. *Summus Pont.* vt historia narrat. *Ecclesiasticam sequens legem eos etiam Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad iudicium regulariter auocauit.* Hic ergo obiter à Iuello vnum scire velim, quænam hæc fuerit lex Ecclesiastica, quam sequens I.pisc. Rom. Episcopos Orientis Romæ comparere iussit, & venerabilem etiam Athanasium Patriarcham Alexandrinum, vt iudicium subiret citauit, idque *Canonicos*? Quem canonem, quam legem nominare poteris, præter leges, & canones Nicæni Conc. vnicum enim illud, & solum Conc. ante illud tempus celebratum erat, & paulò pòst à Conc. magno Sardicensi cap. 7. confirmatum. Ergo pergamus in historia. Athanasius citatus, authoritati morem gessit, & Romam venit, sed accusatores non comparuerunt, (scientes facilè suum capi posse mendacium.) Quid ergo fecerunt? Nempè pastorem, vt ait historia, absentem videntes, in locum illius lupum intruserunt, Gregorium nomine, Arrianum professione. Dum Gregorius iste Sedem occupabat, tumultus illi de quibus Iuellus loquutus est excitari erant, bist.c.11. Tum Ecclesia Alexandrina, obsessa à militibus, tum ex amicis Athanasij, alij spoliati, alij trucidati. Nam cùm Athanasius, postquam Romæ comparuisset, impetratis in eum finem Con-

stan-

ſtantis fratris Conſtantij, & Occidentis Imperatoris literis, Epiſcopatum recuperaſſet: Arriani contra alteri Imperatori perſuaſerunt, vt Gregorium Arrianum per vim in illius Epiſcopatum immitteret. Vndè Athanaſius 2. Romam adire compulſus eſt. Et Euſebius factionis Arrianæ Anteſignanus Legatum ad Pontificem miſit, qui accuſationes contrà Athanaſium deponeret. Athanaſius iam 2. Romam adueniens, ibidem inuenit Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Marcellum Epiſcopum Ancirae, Aſclepam Gazæ, & Lucianum Andrianopolis, omnes ſimiliter de iniurijs ab Arrianis intentatis querimonias deponentes; Sic Hiſtoria in cap. 7. 11. 12. 15.

Ergo primo in loco illud conſiderare oportet, priùs illud iter Athanaſij ad Romam, ante tumultus à Iuello commemoratos accidiſſe, ac propterea Iuellus nequiſſimus impoſtor lectorem decipit, id pro cauſa fugæ Athanaſij aſſignans, quod poſt fugam eiuſdem ortum eſt. Secundo dum narrat Paulum Epiſcopum ab Arrianis ſtrangulatum, facilè intelligit lector pro cauſa illud attuliſſe, quod poſt effectum ſubortum eſt, niſi fortè lubeat aſſerere, Paulum priùs ſuſpenſum, poſtea apud Pontificem conqueſtum eſſe. Tum quod de Lucio ſiue Luciano Epiſcopo Andrianopolis in carcere mortuo memorat, neceſſe eſt, poſt primam Athanaſij ad Romam fugam contigiſſe, quandoquidem Athanaſius 2. Romam adueniens, eundem Lucium ſiue Lucianum Romæ inter viuos reperit. Deinde Marcellus Ancyræ Epiſcopus, quem eodem 2. aduentu, Romæ conquerentem reperit, primæ fugæ Athanaſij ad Romam cauſa eſſe non potuit.

Porrò: quod affert Iuellus de Theodulo, & Olympio Arrianorum fraude occiſis, & de offenſo Imperatoris animo erga Athanaſium, cap. 38. quem aut mortuum adduci iuſſit: hæc omnia poſt tertiam S. Athanaſij fugam ad Romam multò magis poſt primam contigerunt. De qua tamen ſolâ Hardingus hoc in loco mentionem facit, & contrà quam omnes has contentionum tempeſtates, quas Iuellus hactenùs allegauit, vrgere intendit: cum tamen hæc omnia, vt vidiſtis, longo poſt tempore contigerint. Quare, vt videtis, cùm nihil contrà Hardingum faciat, inanis eſt iſte verborum apparatus, nec inanis tantùm, ſed ad impoſturam compoſitus, eo ſcilicet animo, vt lector ad hæc ſpecioſa pigmenta paulò attentior, in ſententiam ſuam incautus abeat. Deinde cùm Iuellus, cuius verba priùs attuli, aſſerat, [Pios hos Patres maximis anguſtijs preſſos, remedij cauſa Romanam Eccleſiam imprimis adijſſe.] Ex ijs quæ dicta ſunt ſatis perſpicitis, neque Sanctum Chryſoſt. neque Theodoretum, qui tot annis poſt omnes has tempeſtates ſopitas nati erant, neque ipſum Athanaſium, cuius fuga ad Sedem Rom. de qua hoc in loco mentio facta eſt, ante eas ſubortas contigit, inter illos pios Patres numerandos eſſe, quos hoc in loco Iuellus in ſcenam adduxit. Illud ergo effecit, vt ex hac illius inſinuatione, omnes intelligant, hos pios PP. Chryſoſt. Theodoretum, & Athanaſium, adhibito contrà grauamina iniuſta appellationis iuſtæ remedio, Sedem Romanam adijſſe. Quare omnes hæ variegatæ, ſiue rerum, ſiue verborum phaleræ, à propoſito prorsùs alienæ, meræ præſtigiæ, & ad incauti lectoris deceptionem, compoſitæ videntur. Vide ergo, bone lector, & conſidera quàm ſincerè, & candidè tecum agit Iuellus, etiam tum quando rerum, & verborum varietate, & elegantia placere imprimis elaboret.

Vlterius vt oſtendam Athanaſium ſecundò ad Romam fugientem: Paulum Conſtantinopolitanum, Marcellum Ancyræ, Aſclepam Gazæ, & Lucianum Epiſcopum Andrianopolitanorum Eccleſiæ Orientalis; omnes Catholicos, & Doctores Epiſcopos, qui ſimul Romæ conuenerant, non eò confluxiſſe, quia (vt Iuellus otiosè imaginatur) aliàs, quò ſe reciperent neſciebant: ſed vt interpoſita ſummi Pontificis auctoritate Epiſcopatibus ſuis redderentur: vt, inquam, pleniùs oſtendam non ob aliam cauſam confluxiſſe, quid Eccleſiaſtica hiſtoria trip. lib. 4. cap. 18. de hac re narret breuiter conſideremus: [Cognoſcens ergo Romanus Episcopus crimina ſingulorum, & omnes Nicæno Conc. concordare comperiens, eos in communione ſuſcepit, tanquam omnium curam gerens, propter Sedis propriæ dignitatem, ſingulíſque reddidit ſuas Eccleſias, & Orientalibus ſcripſit Epiſcopis, culpans quod non rectè tractaſſent viros inculpabiles, de ſuis Eccleſijs eos expellentes, & quod conſtitutiones Nicæni Concilij minimè obſeruarent. Quorum paucos ad certam diem ſibimet adeſſe præcepit, vt coram eis oſtenderet iuſtum ſe ſuper illis protuliſſe Decretum. Et deinceps non ſe paſſurum interminatus eſt, niſi ab huiuſmodi turbis, & nouitate ceſſarent. Et ille quidem hæc ſcripſit. Athanaſius autem, & Paulus, Epiſtolas Iulij Orientalibus Epiſcopis miſerunt, & ſinguli eorum ſuas Sedes adepti ſunt.] Hucuſque hiſtoria tripartita. An hæc ſupremam Sedis Romanæ auctoritatem oſtendant, quæ non minùs ad Orientalem Eccleſiam ſeſe extendant, prudenti Lectori æſtimandum relinquo. Iam redeamus ad Iuellum, & quomodo in diſcurſu incæpto progrediatur attendamus.

Iuellus.

Simili modo aliquando remedia petituri ad Imperatorem confugerunt. Sic Athanaſius in Concilio Tyri habito condemnatus, ad Conſtantinum ſeſe recepit, Flauianus ad Imp. Theodoſium, & Valentinianum. Donatus *à caſis nigris* ad Conſtantinum. Et Imperatores vocatis partibus, aliquando de cauſis ipſi in perſona cognouerunt, aliquando datis literis ad alios eaſdem demandarunt.

D. Stapletonus.

Ex his aliqua ſunt vera; nihil reperitur aptum, & accommodatum ad rem. Verum eſt, vt Socrates ſcribit lib. 1. cap. 31. Athanaſium *in refellendis calumnijs contrà Macarium productis, legalibus vſum eſſe paragraphis.* Proinde, quod leges imperiales permittunt, ab ijs iudicari recuſauit, qui inimicitias cum eo apertas exercebant. Nec vllo modo

pati voluit; vt causa Macarij Sacerdotis sui, qui tunc cum aduersarius illius Ischyras libere ambularet, & cum iudicibus quotidie versaretur, detinebatur in vinculis, à Theogne Mare, aut similibus Arrianis examinaretur. Postremò coram Synodo vniuersa, & Dionysio Imp. locum tenente protestans se aperta affici iniuria; nec remedium posse assequi, *clanculum discessit*, inquit Socrates cap. 32. & paulò pòst, *Secessione facta ad Imperatorem fugit*. Et hoc ex *legalibus paragraphis*, *& secundùm iuris ordinem*. Postea coram Imperatore in causa ciuili accusatus erat. Nempè quod annonam, quæ ab Alexandria Constantinopolim transuehi solebat impediret. Sed hic, vt videtis de fide, aut religione nihil in quæstionem venit.

Flauianus à Dioscoro hæretico depositus erat: sed non ad Imperatorem (falsò Iuellus affirmat) sed ad Leonem Summum Pontificem prouocauit. Indubitarum huius rei argumentum habemus ipsissimas ipsius Valentiniani Imperat. literas. Hæc verba in tom 1. Conc. illius sunt ad Theodosium secundum tunc temporis in Oriente imperantem: [Fidem à nostris Maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare: quatenùs beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare. Hac enim gratia secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quæ orta est de fide.] Ad eundem ferè modum Galla Placidia Theodosij mater eodem tempore scripsit de Flauiano, affirmans: *Quod libellum ad Apostolicam Sedem miserit*: Atque ita sicut Sanctus Athanasius ad Iulium Pontificem, ita Flauianus ad Leonem in causis Ecclesiasticis appellauit. Et vt Athanasius ab hæreticis iniurijs oppressus ad Imperatorem confugit, ita Flauianus forte à Theodosio Imperatore auxilium implorauit. Sed alio, atque alio modo ad Imperatorem, & ad Pontificem vterque confugit; ab Imperatore sæcularem protectionem, à Pontifice remedium appellationis reportabant. Donatus *à casis nigris* hæreticus erat, de quo statim plura dicenda sese offerunt. Quod attinet ad Imperatores ausim asserere eos de rebus, & causis mere Ecclesiast. nunquam iudicium exercuisse.

Iamdudum vidimus Summum Pontif. S. Athanas. & Paulum iniustè priuatos, sedibus suis restituisse: quod auctoritate sua ab Imperatoribus factum non legimus. Hoc ita se habere, ne longius petamus argumentum, testis satis locuples hac in re accedat S. Ambros. qui circa illa tempora vixit, & multò rectiùs, quàm Iuellus, aut alius quispiam qui hodie viuit, omnes has controuersias intellexit, cum Valentinianus Imperator vocaret eum aliquando, vt coram tribunali suo sententiam accepturus, sese sisteret, (quod vsitatum fuisse aliquando Iuellus persuadere cupit) ad Imperatorem intrepidè ait: lib. 5. epist. 35. *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopis iudicasse?* Atque hoc contigit post tempora Constantij, Theodosij, & Valentiniani senioris, quos Iuellus antea allegauit, asserens eos de causis Ecclesiast. cognouisse, ac haud aliter quàm Pontifex solet, de iisdem sententiam dixisse, & determinasse. Verisimile est ergo si, vt nunc animatus est, Iuellus S. Ambros. cum hæc scriberet præsens astitisset, velleret ei aurem, & increparet in hunc morem. Ain vero? adeone inauditum hoc? Tunc tantus magister, & hæc ignoras? Nunquam ne audiuisti S. Athanas. ad Constantinum, Flauianum ad Valentinianum, Donatum etiam ad Constantinum confugisse? Quis nescit Imp. *Patres litigantes aliquando citasse, & de rebus ipsis Ecclesiasticis iudicasse*? Imò, & causas S. Athanasij, & Pauli *haud aliter ac* Pontifex solet decidisse? Nunquam ne hæc audita à te? Siquidem audiueris aliquando, quorsùm adeò audacter Imper. interrogas? *Quando audiuisti*, &c. si nondum hæc audieris saltem hodie à me disce, & disce pariter, Ipsum Imperatorem tandem aliquando rectè instruere, & informare. Insolens esset Iuellus si hoc modo S. Ambros. exagitaret, sed pari certè iure S. Ambros. hoc modo instruere potuisset, quo hodie eandem doctrinam impudenter asseuerat; sed quid ad has personati Episcopi nugas, verus Episc. S. Ambros. An ad hæc puerilia terriculamenta, obmutescere eum existimabimus? Certè quidem tam exempla à Iuello allata, quàm verba illa quæ Iuellus tanti facit, coram me pensi habens, responderet ei quod paulò pòst Imper. rescripsit: [Certè si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus: quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imp. Christianis, non Imp. de Episcopis iudicare?] Hoc modo, vt vides Iuelle, S. Ambros. pro nobis responsum adhibuit. Et vt hæc optimi Episcopi optima responsio, tibi grata, & accepta sit, cupio vt in memoriam reuoces, quid de hac S. Ambros. ad Imperatorem responsione, magister tuus Ioannes Caluinus memoriæ prodiderit, Instit. lib. 4. cap. 11. ferè in fine. *Hac ex parte*, inquit, *omnes illius constantiam meritò laudant*. Si omnes sancti Ambros. constantiam meritò laudant, certè immeritò Iuellus eandem vituperabit. Imò potius discipulum se dare S. Ambrosio par est, & illius sententiam amplecti, qui confidenter affirmat, nec ex Scripturarum sacrarum serie, nec ex vsu Ecclesiæ ostendi posse, Imperatores de Episcopis in causis fidei, sententiam pronunciasse.

Iuellus.

Imperator Constans per litteras suas cum fratre suo Constantio egit, vt Episcopos Orientis comparere faceret, vt de actis contra S. Athanasium rationem redderent.

D. Stapletonus.

De hac re plura dicenda sunt, quando ad falsum 133. accedemus. Hoc in loco illud vnum adnotasse satis erit, Constantem fratrem suum per litteras suas admonuisse,

ne

ne vllo modo tardaret S.Athanasium, & Paulum sedibus suis restituere: partim quia Iulius Pontifex ob eam causam litteras suas misisset, partim quia vnanimi consensu magni Concilij Sardicensis, Socr.lib.2.cap.22.innocentes adiudicati erant. Hac in re Imperator magni Concilij illius decretum, & petitionem summi Pontificis executioni mandauit Theodor.lib.2.cap.8.

Iuellus.

Imperator Honorius operam adhibuit, vt Athanasius restitueretur.

D. Stapletonus.

Quid hoc est? sine dubio quid dicat Iuellus ipse nescit, nam longè ante imperium Honorij, per spatium 20. annorum ad minimum, Athanasius è viuis excessit, quo certè tempore opera Imperatoris S. Athanasio parum prodesse potuit.

Iuellus.

Constantinus auditis S. Athanasij querelis, Episcopos in Concilio Tyri congregatos, iussit coram se comparere.

D. Stapletonus.

Ita est fateor, sed (vt Socrates scribit) vt Socrat.lib.1.cap.26.27.& 28.[Animo commodandi Ecclesiam, nolens illam discerpi:] id est, studio vnitatis, & pacis. Et quis nescit ipsum Arrium Ecclesiæ Alexandrinæ, ab eodem restitutum esse? Idem etiam Constantinus Athanasium deponere minatus est nisi Arrium ad communionem reciperet ibidem cap. 34. 35. Idem Episcopos comparere coram se iussit. Idem optimum, & Catholicum Episcopum S.Athanasium, tandem in exilium misit. Sed in fine dierum, horum omnium pœnituit, & in vltima voluntate de restitutione S. Athanasij expressum mandatum reliquit Theodor. lib.2. cap.2. Hæc *præter ius* ex zelo facta, iuri non debent præiudicare. Videamus ergo quid ex his infert Iuellus.

Iuellus.

Hoc modo viri sancti iniurijs oppressi, vbicunque spes remedij affulsit, eo confugiebant. Sed hic modus exquirendi remedij, nempè per modum querelæ, vt miseram illorum ostendit conditionem, ita ordinariam viam remedij per appellationem non satis euincit.

D. Stapletonus.

Si quæ à te allata fuerunt, vera fuissent, nec à proposito aliena verisimilis saltem fuisset, & hæc conclusio. At verò ex ijs, quæ allata sunt, satis manifestum est, hos de quibus egimus toties Romanam sedem adijsse, non vt nudas deponerent querimonias, sed vt remedium ordinarium appellationis quærerent, quod in Sancto Athanasio, & Chrysostomo, (vt ostendimus) præcipuè cernitur. Quod ad Sanctum Chrysostomum attinet, de cuius verbis tantoperè cum Iuello litigandi occasio data est, subterfugium hoc (nempè quod per modum querelæ Romam adierit) aut impudenter admodum, aut fraudulentissimè excogitatum est. Nam quid ineptum magis, aut prudentiæ inanius excogitari potest, quàm querelas apud eum deponere, & malorum remedium ab eo quærere, qui pluribus, & grauioribus molestijs circunquaque irruentibus opprimitur? Quod certè de Innocentio Pontifice verè affirmari potest, tum præcipuè quando Sanctus Chrysostomus in exilio agens, Legatos ad illum misit. Nam eo ipso tempore Gothi Italiam miserè deuastabant.

Primò sub Radagaiso, Orosius lib. 7. cap.37. & 39. deindè sub Alarico, qui adhuc viuente Innocentio Romam cœpit, & vniuersam illam plagam crudeliter afflixit. Eodem etiam tempore Vandali, & Hunni Occidentale Imperium inuaserunt, & Franchi Galliam similiter. Toto hoc tempore Imperator Honorius Rauennæ delituit, adeò supinus, & excors, vt cùm nunciatum esset ei perditam esse Romam. Quid, inquit, an Roma, Gallus meus optimus, qui non ita pridem adeò strenuè depugnauit hodiè necatus est? De Gallo pugnaci somniabat dici cui nomen Roma inditum erat, plus vt videtur de pugna Gallorum quàm de Vrbe Roma expugnata, & spoliata solicitus Baptist.Egna. lib. 1. Rom. prin.

An persuadere nobis se posse putat Iuellus Sanctum Chrysostomum in hoc communi totius Occidentis, totius Italiæ, & imprimis Vrbis Romæ perturbatione, & incendio, eo fugisse, vt suæ ipsius priuatæ miseriæ perfugium inueniret? Enimuerò quod in hoc articulo altero objicit Iuellus, id in eum aptè retorqueri potest. [Non satis commodè temporibus diuisa sunt hæc Daue.] Neque hoc ignorare potuisti, Iuelle, quare plus ponderis huic argumento addis, & ais.

Iuellus.

Non appellasse Sanctum Chrysostomum ad Romam satis constare 391. potest. Primò ex ipsis Sancti Chrysostomi Epistolis. Secundò ex actis ipsius Episcopi Romani; Postremò ex causæ ipsius, exitu & fine.

D.Stapletonus.

Hoc in loco (beneuole Lector) ea quæ de hac re superiùs dicta sunt, in memoriam reuocare expedit. Priùs enim à me declaratum est. Primò ex duabus Epistolis S.Chrysostomi ad Innocentium. Secundò ex ijs, quæ à Pontifice in ea causa acta erant, nempè quod coegerit Concilium, & Legatos Constantinopolim miserit. Postremò ex fine, & vltima consummatione einsdem causæ, nempè quod ipse Imperator, & Episcopi, turbationis authores, ab Innocentio summo Pontifice, sententia excommunicationis percussi fuerint, ex his, inquam, omnibus satis apertè priùs ostendimus, Sanctum Chrysostomum iustam appellationem interposuisse. Hoc in

loco pollicetur Iuellus se ex tribus argumentis priùs nominatis, contrarium probaturum. Perge ergo Iuelle, videamus quid præstare poteris.

Iuellus.

Quod attinet ad Chrysostomum, ipse appellationis nullam omninò mentionem facit.

D. Stapletonus.

Quid ita bone vir? An non videmus multos manducando famem sedare, qui de manducatione ne verbum quidem loquuntur? An ad interpositam appellationem requiritur, vt dicat Chrysostomus Reuerende Pater ego appello? Verè interpositam fuisse appellationem tam ex ipsius Chrysostomi litteris, quàm ex innumeris alijs circumstantijs & indicijs euidenter ostendimus. An quia nomen appellationis non exprimitur de causa actum erit?

Iuellus.

Nec petit, vt partes aduersæ ad Romam citentur.

D. Stapletonus.

Sed petit, vt delinquentes supplicio afficiantur. Petit, vt Pontifex authoritate sua rem totam decidere velit. Petit, ab eo restitutionem, vt à Iudice. Hæc omnia ex priore Epistola Sancti Hieronymi, priùs à me probata sunt. Deindè Pontifex Legatos suos ad partes misit, proindè citare partes superfluum fuisset.

Iuellus.

Nec Innocentium pro Episcopo vniuersæ Ecclesiæ, aut vniuersali iudice totius Mundi accipit.

D. Stapletonus.

Adhuc pergis Iuelle negatiuè arguendo? Quousque tandem vitioso hoc argumentandi genere insciitè vteris? Sed quomodo eandem negatiuam hanc assertionem probare potes?

Iuellus.

Solummodò eum, in hunc modum salutat, [Ioannes Episcopo Romano salutem.]

D. Stapletonus.

Ieiunum, exile, verè Erasmicum argumentum, ex inscriptione Epistolæ petitum. Quot quæso Ioanni Iuello litteras mittunt sub hac inscriptione, *Reuerendissimo in Christo Patri, &c.* cùm tamen Iuellus satis intelligat, se non esse Episcopum, ac propterea nec Reuerendissimum Patrem. Nam respectu ordinis Episcopalis, ita appellatur. Summus Pontifex non assumit, sibi nec assumpsit vnquam titulum [Episcopi totius Mundi, aut Iudicis vniuersalis totius Mundi,] quin potiùs ita inscribi cupit, Gregor. lib. 4. epist. 38. [Seruus Seruorum Dei.] Sed si argumenta à titulis, & nuncupationibus ad probandum valeant, non testimonium singularis cuiusdam Episcopi, puta Chrysostomi, sed sexcentorum Episcoporum ex omnibus Orbis Christiani Prouincijs in Concilio generali congregatorum afferre possum, qui Leonem Pontificem Romanum [Episcopum vniuersalem] salutabant. Sed de hac re dabitur occasio vberius differendi vbi ad 18. falsum diuentum erit. Tandem progrediamur ad ea quæ ex Epistolis, vt ait, Chrysostomi, Iuellus allegauit, hucusque enim ex titulo, & inscriptione argumentatus est. Iam tandem, vt videtur, argumentum aliquod magni momenti ex ipsa Epistola afferet.

Iuellus.

Rursùs in eadem Epistola omnia iudicia forinseca planè refugit, iuxta determinationem Conciliorum Carthaginen. Mileuitani, & Africani.

D. Stapletonus.

Falsum. Nam hæc Concilia ad Africam solummodò spectabant, nec Thraciam, aut Constantinopolim, vbi Chrysostomus vixit, vnquam attigerunt.

Iuellus.

Verba eius hæc sunt: [Vt qui sunt in Ægypto super eos, qui in Thracia viuunt, iudices constituantur non expedit.]

D. Stapletonus.

Sic ergo Iuellus argumentatur. Chrysostomus Episcopus Thraciæ ab Episcopis Ægpyti iudicari recusat. Ergo iudicium Sedis Apostolicæ recusat. Stultitia, & improbitas huius argumenti ex simili apparebit. [Episcopus Londinensis iudicium Episcoporum Galliæ respuit. Ergo à Metropolitano suo Canthuariensi iudicari recusat.] Nam vt Metropolitanus Episcopus Comprouinciales suos, ita Pontifex Maximus omnes Metropolitanos iure iudicare potest. Et licèt religio vestra, vt videtur, hanc Metropolitanorum supereminentiam, in Comprouinciales Episcopos non magis, quàm Summi Pontificis primatum in omnes vniuersim reipsa agnoscat, tu tamen Iuelle per totum hunc articulum, vt authoritatem Summi Pontificis euertas, Patriarcharum, & Metropolitanorum iurisdictionem in proprijs territorijs vehementer propugnas, & euehis.

Et hæc à te allata sunt (nihil enim aliud attulisti) quibus ostenderes Chrysostomum ad Summum Pontificem non appellasse. Hoc certè in te setia adeò exile, & ridiculum est argumentum, vt si quid habeas pudoris, erubescere necesse sit. Sed

perge,

perge, licèt Epistolæ Chrysostomi nequaquam iuuent, fortasse [Acta Episcopi Romani] in hac causa, & [exitus ipsius causæ,] nonnihil iuuabunt. His enim duobus medijs, pollicitus est probare S. Chrysostomum appellationem ad Sedem Romanam non interposuisse. Videamus ergo quid in hac causa egerit Romanus Pontifex.

Iuellus.

Nec verba ipsa Pontificis appellationem aliquam præseferunt, imò potiùs contrarium insinuant.

D. Stapletonus.

Satis audax in asserendo factus es, Iuelle, quidni speremus perindè strenuum futurum te, in probationibus?

Iuellus.

Nam 394. vsitatis verbis iubendi, & imperandi non vtitur, sed amicè, & benignè hortatur eos, vt comparere velint, nec coram seipso, sed coram Concilio, supèr ea causa præcipuè congregato.

D. Stapletonus.

Transeat hoc argumentum. Esto, Summus Pontifex benignè eos salutauit, rogans vt in Synodo sese sisterent. Ergo verba eius non important appellationem, imò potiùs contrarium insinuant. Simili argumento Princeps aliquis blandis verbis ad rebelles obstinatos scribens, hortansque vt coram Consiliarijs suis comparere velint, non esse Princeps, aut non habere dominium probari potest: quippè quia supremam potestatem in præsenti casu non exercet. Sed transeat totum hoc argumentum, etsi re ipsa infirmissimum sit, perge.

Iuellus.

Sic enim Iulius ad Episcopos Orientis scribit.

D. Stapletonus.

Quo nunc se proripit? vbi es Iuelle? Ecquid oblitus es tui? An non de Chrysostomi appellatione, & de verbis Innocentij, ad quem appellauit, pollicitus es aliquid ampliùs proferre? Et quorsum hoc loco Iulium, & Pontifices Orientis, in scenam protrudis? Nescire non potes Iulium Pontificem, & hos Episcopos, ante appellationem, aut querimoniam Sancti Chrysostomi ad Innocentium, per spatium centum annorum & amplius, mortuos & sepultos fuisse? An tu, Iuelle, probare vis Chrysostomum non prouocasse ad Innocentium Pontificem, quia Iulius cum rebellibus Arrianis in Oriente leniter, & blandè egit? hoc vnum saltem ex his intellige, quod & sæpè expertus sum, Iuellum grandia loqui, grandia polliceri, sed parum, aut nihil præstare, & minùs quàm nihil probare.

Nam quod ad verba Innocentij attinet (ad quem Sanctus Chrysostomus prouocauit, & ex cuius verbis Chrysostomum non appellasse suscepit in se probare) ne syllabam quidem aut litteram attulit. Et quantum ad causæ exitum quem secundum assumpsit medium, per quod Chrysostomum non appellasse pollicitus est ostendere, ne Chrysostomum ipsum leui mentione attigit. Quid ergo præstitit grandiloquus promissor? Aliquid de Iulio Pontifice garrit.

Primò quod blandè, & benignè Arrianos compellauit. Deindè quod causam illam in Synodo agitari voluerit, quæ duo Pontificis authoritati plurimum derogare nasutus iste autumat, cùm tamen ex aliorum sapientum sententia Summi Pontificis moderatio, & prudentia in eo eluceat, quod nec verbis asperioribus vti vellet, & quod Summi Pontifices semper solent communi multorum consilio & assensu, potiùs quàm ex suo ingenio solo, res graues expedire. In his effusior paulò Iuellus, tandem dilabitur ad appellationem Chrysostomi, de qua hæc tantummodò verba habet.

Iuellus.

Similiter Innocentius Episcopus Romanus, multum cupiens Chrysostomum sedi suæ reddere, & vnitatem Ecclesiæ recuperare, non ex se aut authoritate sua, sed ex assensu Concilij in Italia congregati, Nuncios direxit in Orientem, & cum reliquis in Concilio sedens, non suscepit in se vniuersalem illam potestatem, qua hodiè quorundam imaginatione fungitur, sed æquale 396. cum fratribus suis suffragium sortitus est.

D. Stapletonus.

Si quis animo tuo Iuelle inesset amor veri, si vllum studium Lectorem fideliter instruendi, candidè rem totam explicasses, nec partem edicens, veteratorie subticuisses reliquum, ex quo potestas Summi Pontificia supra Synodum, apertè colligi potuisset. De hoc Concilio, & de decreto in eodem edito, & Constantinopolim transmisso, non per Nuncios ordinarios (vt Iuellus insinuat) sed per Episcopos, & Sacerdotes Sedis Apostolicæ Legatos, nec à Synodo sed à Pontifice priùs loquuti sunius nonnihil. Sed in his non insunt omnia, adhuc finis & exitus, siue causæ suprema conclusio desideratur, ex qua falsò, & fraudulenter pollicitus es probare, Sanctum Chrysostomum nullam interposuisse appellationem. Exitus ergo, & suprema conclusio huius rei (vt ante à dixi) hæc fuit.

Nempè post Legatos Innocentij malè mulctatos, incarceratos, bonis omnibus spoliatos, & ignominia affectos, cùm nec prece, nec precio, nec metu, nec minis, adduci posse intelligerent, vt concederent aliquid Eudoxiæ, aut cum Theophilo communicarent. Postquam denique compendium potiùs ad mortem, quàm reditum in patriam importunis precibus impetrassent. Cùm nihil se proficere intelligeret Summus Pontifex, quid egit? Nempè supremam manum huic negotio imposuit. Ipse Innocen-

nocentius sua authoritate (vt palam profitetur) non solùm Theophylum, & alios Episcopos Ægypti eidem adhærentes, sed Imperatorem ipsum, & Imperatricem excommunicationis sententia innodauit. Atque hic finis, hæc vltima meta huius negotij. Attamen (inquit Iuellus) Papa non nisi æquale suffragium cum fratribus suis sortitus est. Quod etiam hoc modo probat.

Iuellus.

Vt apparet ex Melchiadis facto, qui cum duobus Episcopis Galliæ, & 14. Italiæ sedit, & controuersiam inter Cecilianum, & Donatum determinauit.

D. Stapletonus.

Iuellus aperto mendacio totam hanc rem claudit. Innocentius, inquit, in Synodo non nisi æquale cum fratribus suis suffragium sortitus est. Et quid ita? Nempè, quia Melchiades in causa Donati definienda, simile obtinuit; pura æquale suffragium. Respondeo; cùm dicas nonnisi æquale suffragium habuisse Miltiadem, ne quid dicam grauius, impudenter mentiris. Testatur Optatus lib. 2. *Miltiadis sententia iudicium clausum fuisse.*

Itaque sententia illius plus habuit ponderis, quam sententia fratrum suorum. Ergo Iuellus asserens suffragium, vel sententiam illius non nisi æqualem fuisse fratribus, more suo loquitur primò planè mentitus est. Ergo etiam mendaciter colligit sententiam, siuè suffragium Innocentii, non nisi æquale fratribus suis fuisse; Ergo adhuc nihil attulit quo probat appellationem à Chrysostomo ad Innocentium non fuisse interpositam. Quare fuisse appellatum, idque à Patriarcha Constantinopolitano, à sanctissimo, & doctissimo Episcopo Chrysostomo, satis probatum est. Hic Iuellus Sanctum Chrysostomum relinquit, sed licèt eum relinquat, materiam tamen de appellationibus vlterius prosequitur. Seriò ponderemus, quia studium veritatis id efflagitat, prolixum illius de hac re discursum.

Iuellus.

Iam, vt hanc rem vlterius prosequamur, rectè nouit D. Hardingus Episcopos Orientis singularem hanc auctoritatem, & prærogatiuam Episcopi Romani nequaquam cognouisse, ac propterea citari noluerunt comparere, vt multis modis potest ostendi.

D. Stapletonus.

Qualem auctoritatem, & eiusmodi prærogatiuam Episcopi Orientis in Ecclesia Romana agnouerunt, & quàm rectè, & plenè hoc intellexerit D. Hardingus ex appellationibus Sancti Chrysostomi, & Sancti Athanasii, qui è Patriarchis Orientalibus erant præcipui, satis constat, & adhuc alibi plenius apparebit, vbi eadem hæc materia fusè, & ex proposito tractatur. Iam videamus quot viis, aut modis, sic enim Iuelle loqueris, contrarium probare poteris.

Iuellus.

Quapropter Iulio Pontifici his verbis responsionem remittunt; Conc. to. 1. [Si nostris placitis assentire velitis, magis quàm eorum aduersariorum, machinationibus assentite, & ordinatos Episcopos in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum, & communionem habere volumus. Si verò aliter egeritis, & eis quam nobis amplius assentire iudicaueritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps, nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrique fauere volumus, sed per nos quidquid melius elegerimus, agere conabimur.]

D. Stapletonus.

Euge: rectè, & ex ingenio genuini Arriani. Aduersarij horum Arrianorum, qui & quales fuerunt? quinam illi quibus Papa Iulius fauebat? fuerunt profectò religiosissimi, doctissimi, Catholici Patres, Athanasius, Paulus, Marcellus, & alij sancti Episcopi, omnes sacri Concilij Nicœni inuicti assertores, & hoc nomine ab Arrianis crudelissimè oppugnati. Hæc nimirum, & huiusmodi exempla Iuelli quadrant genio, & Euangelio; nempè eò eum perducit lux Euangelij. Sanctum Athanasium, Sanctum Chrysostomum, Paulum, Theodoretum, Flauianum, (quem generale Concilium Chalcedonense martyrem appellat,) & multos alios Episcopos Catholicos, qui ad Sedem Romanam prouocabant, planissimè deserere, & ad Arrianorum castra in media luce transire, imò cum Concilij Nicœni hostibus, quid dico cum Nicœni Concilij hostibus? imò cum teterrimis diuinitatis Christi oppugnatoribus, pari passu in acie procedere, nequaquam erubescit. Ita demum sese perpetuò comparat, modò summo Pontifici aliqua incommodare poterit, contra doctissimos, & Catholicæ fidei integerrimos propugnatores, contra ipsum sacrosanctum Concilium Nicœnum, imò contra ipsam sanctissimam, & indiuiduam Trinitatem bellum mouere pro laude, & honore reputat.

Iuellus.

Hanc actionum suarum imperfectionem & infirmitatem ipsi Episcopi Romani intellexerunt, & confessi sunt. Nam Innocentius ad S. Augustinum, & Alipium, & alios Africanos de Pelagio scribit. [Si adhuc taliter sentit, quando se nostro iudicio quibus suis acceptis literis, cùm sciat damnandum esse, committet? Quòd si accersendus esset, ab ijs melius fieret, qui magis proximi, & non longo terrarum spatio videntur esse disiuncti.]

D. Stapletonus.

Sanctus Augustinus, Alipius, & alij Episcopi Africani videntes hæresim Pelagij multis in locis latenter grassari, Innocentium summum Pontificem per literas suas rogabant

bant, vt aut accerseret eum ex Oriente, vbi tunc vixit, &, vt ferebatur, de hæresis suspicione seipsum purgauerat, aut saltem ad eum scriberet, & quid in ea re factum fuerat certior fieri curaret. Aug. ep. 95. Innocentius respondet ep. 27. [Si confidit nouitque non nostra dignum esse damnatione quod dicat, aut hoc totum iam se refutasse quod dixerat; non à nobis accersiri. Sed ipse debet potius festinare, vt possit absolui. Nam si adhuc taliter sentit, quando se nostro iudicio, quibusque acceptis literis, cùm sciat se damnandum esse, committet?]

Hactenùs Innocentius. Hic nulla apparet infirmitas ex parte Pontificis, sed peruersitas, & pertinacia ex parte hæretici illius. Si vt virum bonum, & Catholicum decuit, Pelagius hæresim abiurasset, Pontifex non dubitauit quin petiturus absolutionem ab eo, festinanter aduenisset. Sin in hæresi adhuc persisteret non mirum est quod metuebat necitatus Romæ comparere detrectaret: quandoquidem hæresim suam ibi censuram subituram certo sibi persuadere poterat.

Sed hic interim ordinaria, & vsitata Catholicorum illius ætatis obedientia cernitur: simulque hæreticorum huius temporis peruersa obstinatio ad viuum repræsentatur. Si summus Pontifex Iuellum per literas suas citaret, an illum Romæ compariturum credibile est? Sed an propterea censenda est imperfecta Pontificis auctoritas, quia Iuellus obedire recusat? An imminuta erat Innocentij auctoritas, quia Pelagius obduruit? An quia multi Iudæi fidem adhibere noluerunt promissiones Christi inualidæ, & imperfectæ erant? Rom. 3. *Nunquid eorum incredulitas fidem Dei euacuauit? Absit.* Hoc certè Iuelle, non iurisdictionis summi Pontificis, sed deploratæ causæ tuæ imperfectionem, & infirmitatem arguit, quæ validiora argumenta ministrare non potest, sic enim argumentum tuum vrges:

Pelagius in hæresi sua pertinax, & condemnationem subeundam esse sibi certè persuadens, coram summo Pontifice noluit comparere.

Ergo summi Pontificis iurisdictio erat imperfecta, & infirma.

Si Catholicus aliquis hoc modo restitisset, aliquid saltem momenti habuisset hoc argumentum: sed qui ita se gerunt Catholici non sunt: quare simile tibi repono argumentum: tu quale sit æstima.

Innumeri Iudæi Messiam aduenientem non receperunt.

Ergo promissio facta Abrahæ, & semini eius, erat infirma, & imperfecta.

Hoc argumentum argumento tuo simile non modò infirmum est, & imperfectum, sed etiam impium, & blasphemum. Sed pergamus porrò.

Iuellus.

Propterea Iulius Romanus Episcopus, suam hac in re imperfectionem intelligens, ad Imperatorem Constantem literas suas direxit, rem totam ei aperiens, & rogans, vt per literas suas cum fratre suo Constantio ageret, quatenus Episcopos Orientis mittere dignaretur, vt de ijs quæ contra Athanasium perpetrassent, ipsi in præsentia rationem redderent.

D. Stapletonus.

Hoc prius allatum erat, & accepit responsum: Iterum aio, pertinaciam, & peruersitatem Arianorum, & Imperatoris Constantij, Pontificem in has angustias redegisse. Euseb. lib. 7. c. 30. Simili modo Paulus Samosatenus, à magno Concilio Episcoporum sæpè condemnatus, noluit obedire. Quid tandem? Niceph. lib. 6. c. 29. Cùm ille Episcopatum occuparet, nec ordinaria via res expediri posse videretur, rota demum ad Aurelianum Imperatorem ethnicum, & infidelem, ab ipsis Episcopia delata erat: nempè hæreticorum obstinatio optimos Episcopos eo adegit. Quis tamen ex hoc facto ausus est inferre, aut Episcopos non debere de hæreticis sententiam ferre, aut principem planè infidelem eiusmodi iudicium exercere debere? Rursùs si hodiè summus Pontifex ad reprimendas hæreses seculare brachium inuocet miserrimę huius ætatis calamitates illud efflagitant, sed summi Pontificis suprema potestas, & iurisdictio nequaquam euacuatur.

Iuellus.

Ad eundem modum in simili tumultu Clerus Antiochenus ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanū literas suas scripsit, rogans, vt ipse de ea re cum Imperatore ageret. Ex hoc facilè est coniicere prærogatiuam hanc potestatis, & infinitam hanc auctoritatem illis temporibus 402. nondum cognitam fuisse.

D. Stapletonus.

Hoc exemplum priori haud absimile æquè rectè concludit. Seuerus Eutichianus, & Episcopus Antiochiæ, qui in Synodum Chalcedonensem acriter inuehebat, cui propterea iussu Imperatoris Iustini in pœnam petulantię linguæ radicitus abscisa erat, postquam Ecclesiam Antiochenam spoliasset, Episcopos in exilium misisset, & vniuersum clerum pessimis modis mulctasset, in Concilio Episcoporum accusatus erat, & brachium seculare auxilium nempè Imperatoris, vt causa hæc ad effectum perduceretur inuocatum erat: Niceph. lib. 17. c. 2. An propterea dicemus summum Pontificem, tum suprema potestate caruisse? Si huiusmodi argumenta locum habere debeant, tum certè, quia Episcopi Gallicani, in Concilio Tridentino de iniurijs, & vi Ecclesijs suis factis conquesti sint, & rogarint Concilium, vt cum principe de adhibendo remedio agerent. Summus Pontifex iurisdictionem suam hoc saltem casu amisisse iudicabitur: Sed ordinarius procedendi modus in tranquillo rerum statu ab vltimo refugio in maximis rerum publicarum necessitatibus multum differt; & restitutio,

rutio siue reparatio damni in rebus temporalibus, à decisione facta in causa fidei multum distat; in altero brachium sæculare, & potestas temporalis locum habet, in altera iurisdictio spiritualis supremam manum semper imposuit.

Iuellus.

Ex his, ni fallor, sufficientèr probatur primò Romanum Pontificem non habuisse authoritatem appellationes recipiendi ab omnibus Mundi partibus. Et hoc ex Concilijs Niceno, Telensi, & Africano ex S. Cypriano, ex Imperatoribus Iustiniano, & Martiano satis constat.

D. Stapletonus.

Iam habuisse Summum Pontificem authoritatem recipiendi appellationes, & ex omni Orbis Christiani prouincia interpositas fuisse, à maximis Patriarchis Athanasio Alexandrino, Chrysostomo,& Flauiano Constantinopolitanis, idque ex sententia Conciliorum Nicæni, & Sardicensis, Sanctorum Patrum Cypriani, Gregorij, & Bernardi, Imperatorum Iustiniani, Leonis, & Theodosij; & huiusmodi authoritatem nisi hæreticis Arianis, Donatistis, & Pelagianis nemini vnquam displicuisse, satis superque à me probatum est.

Iuellus.

Deinde à D. Hardingo, vt rem melius adornaret verba Chrysostomi ter in eodem contextu egregiè falsata esse.

D. Stapletonus.

Imò Iuellum mendacissimè, D. Hardingum ter, & ampliùs in eodem loco calumniatum esse satis constat.

Iuellus.

Constat tertiò literas Chrysostomi ad Innocentium querimonias quidem, appellationem nequaquam continere. Quod satis probatur ex ipsis verbis, & epistolæ ipsius tenore, ex ipsius Episcopi Romani confessione, postremò ex imbecillitate eorum, quæ ab ijs acta leguntur.

D. Stapletonus.

Ex ipsis verbis, & tenore, & literarum Chrysostomi, ex legatione ab eodem ad Summum Pontificem, ex literis totius Cleri Constantinopolitani, & 40. Episcoporum, ex Synodo à Summo Pontifice super eare conuocata, ex Legatis Summi Pontificis Constantinopolim missis, ex secundis literis S. Chrysostomi ad Summum Pontificem, postremò ex sententia excommunicationis non solùm contrà Episcopos delinquentes, sed & in ipsum Imperatorem ijs fauentem, lata: ex his inquam omnibus satis constat iustam, plenam, & perfectam appellationem à S. Chrysostomo ad Summum Pontificem delatam fuisse. Denique nec ipsius Pontificis confessio, nec acta illius in hac causa, vllam infirmitatem, aut imperfectionem ex parte sua ostendunt, sed contrarium potiùs planè euincunt. Atque ita tandem nimis manifestum est Iuellum nihil contrà appellationem conclusisse: proinde alia adhuc quærit diuerticula, & addit

Iuellus.

Negari non potest causas ex partium consensu,& per modum compromissi ad Pontificem Romanum nonnunquam delatas fuisse, & ab eo sicut etiam ab alijs Episcopis decisas fuisse: Sed haud ita vt solemnitèr, & seruato iudicij ordine ab eo procederetur. Atque hoc modo apparet causam Athanasij in Apolog. 2. primò delatam esse ad Iulium Pontificem, quia Ariani vltrò petebant ab eo, vt ad decisionem illius controuersiæ Synodum congregaret. Nam ipse Iulius ad Episc. Orientis hoc modo scribit: *Si igitur Martyrio, & Hesichio nullam Synodum postulantibus adhortator fuissem, vt ad Synodum, qui ad me scripsissent, conuocarentur, idque in gratiam fratrum, qui se iniuriam pati conquerebantur, etiam vel ita æqua, & iusta fuisset nostra cohortatio, cùm ea sit Ecclesiastica, & Deo grata: iam vbi ijdem illi, qui à vobis pro grauibus viris, & fide digni habiti fuere, authores mihi fuerint, vt vos conuocarem, certè id à vobis ægre ferri non debuit.* Ex his satis constat Iulium partes litigantes ad se vocasse, non virtute illius vniuersalis iurisdictionis, quam D. Hardingus imaginatur, sed ex mutuo consensu, & ad instantiam ipsarum partium.

D. Stapletonus.

Si totam epistolam Iulij Iuellus sine bile rectè, & candidè considerasset (cuius particulam, quæ ad palatum illius sapere visa est excerpsit) facilè intellexisset nisi studium contentionis penitùs occæcasset, & citationem Episcoporum Orientis, & comparitionem Athanasij in curia Romana, omnia denique, quæ in illa causa Iulius egerit, non ex nudo partium consensu per modum compromissi, vt Iuellus somniat, sed secundùm ordinarium iuris, & iudicij modum, ex iurisdictione, & authoritate illius emanasse. Satis apparet, & ex historia tripartita lib. 4. cap. 6. prius ostendi, Episcopos Orientis Sanctum Athanasium apud Pontificem priores accusasse, & vt expulsioni,& priuationi ipsius Athanasij assensum præberet petijsse: Vnde Summus Pontifex, *Magnum Athanasium euocauit canonicos regularitèr*, idest, secundùm canones. Episcopos etiam illius aduersarios comparere iussit. Eusebius factionis illius antesignanus Legatos etiam misit ad Summum Pontificem, togans (licèt vt Nicephorus lib. 8. cap. 6. ait illud nequaquam cupiebat) vt causa ibi decidi, & finem accipere posset; sed cùm ille paulò post fato fungeretur reliqui Episcopi Ariani compatere noluerunt: intereà Iulius Pontifex S. Athanasium, Paulum, & reliquos Episcopos in exilium iniustè pulsos sedibus suis restituit, *Tanquam omnium curam gerens*, inquit Sozo. 3. cap. 8.

cap. 8. in historia Ecclesiastica, *propter propria sedis dignitatem*. Literas etiam suas ad Episcopos Arianos direxit, acritèr illos arguens, tum quod Athanasium, & alios Episcopos Catholicos iniurijs affecissent, tum quod sine illius assensu Synodum Antiochiæ conuocare ausi fuissent. Episcopi Orientales hoc illius factum ægrè ferentes, ex eo colligentes Summum Pontificem aduersariorum suorum causæ palàm fauere, literas acerbitatis plenissimas eidem rescripserunt, è quibus fragmenta aliqua Iuellus sublegit, & sobriè, atque seriò pro argumentis validis contrà Summi Pontificis iurisdictionem in medium adduxit. Rescribens Summus Pontifex in Apolog. 1. Athan. humili stylo, & valdè submissè Epistolam exorditur, ostendens, immeritò illos indignati, quandoquidem ipsi antè alios eum ad causę cognitionem solicitabant. Sed post submissa hęc, & blanda verba, quæ Iuellus tanti facit, ita scribit. *Hæc quidem à nobis aduersùs non æquas vestrorum hominum, sed iniustas,& suspectas causificationes dicta sunt*: Post hæc totam materiam de Athanasij, & aliorum Episcoporum expulsione prosequens asserit vtramque partem litigantem, tam Athanasium,quàm ipsos illius aduersarios per literas ab eo citatos fuisse, & virtute literarum suarum S. Athanasium comparuisse: Episcopi Catholici viri docti, & pij obedientèr aduenerunt, hæretici Ariani comparere noluerunt. Quæ omnia historia Ecclesiastica pariter narrat. Ad finem epistolæ vbi suprà Summus Pontifex officij sui eosdem admonet, & in casu quod Athanasij, & reliqui Episcopi reuera fuissent in culpa, quid eos fecisse oportuit docet. Sic enim ait: *Nam si, vt dicitis, omninò in culpa fuerunt, oportuit secundùm canonem, & non isto modo iudicium fieri, oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus quod iustum esset, decerneretur*. Dicas mihi Iuelle nulla subiectio nihil obsequij ex parte Episcoporum Orientis Pontifici Romano debebatur? an non extat decretum quoddam aut canon, quo constitutum est, vt causæ ex Oriente ad Sedem Romanam deferri possint? sed pergamus porrò: In eadem epistola ad Episcopos Orientis, Pontifex hæc habet. *Cur igitur & in primis de Alexandrina ciuitate nihil nobis scribere voluistis? an ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, definiri posset? quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos quos certiores, minimè fecerunt, postquam iam egerint, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus esse volunt; non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste, & nouum studium est. Obsecro vos cum alacritate audite, pro publico bono ista scribo. Quæ enim accepimus à Beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent: Obsecro ne ista vlterius fiant*. Hæc ibi Iulius Pontifex in epistola ad Episcopos Orienteis: ex his verbis satis constat Iulium illos citasse. Constat etiam eos Episcopos, causas, & controuersias inter illos exortas Sedi Romanæ, secundùm consuetudinem, & iuris ordinem referre, & ab ea decisionem quærere oportere.

His omnibus hoc modo peractis Arianis adhuc in contumacia perdurantibus, magnum Concilium Sardicense 300. Episcoporum ex omnibus ferè Orbis Christiani partibus conuocatum erat, in quo contrà eos pronunciatum erat, quod vocati, & per literas Iulij Pontificis citati non comparentes, se ipsos apertos calumniatores, & S. Athanasij, & aliorum Episcoporum iniustos oppressores eo ipso declarauerant.

His hunc in modum considerationi vestræ commendatis, rem totam perlustremus, & an compromissi, quod Iuellus adeò fortitèr imaginando asserit vllum appareat vestigium attentè intueamur: Præter hæc, quæ enumeratarus sum, nihil in hoc negotio potui deprehendere.

Primò Athanasius ab aduersarijs præuentus, & priusquam querelas suas deposuisset, vocatus in ius, & accusatus, statim comparuit, l. statut. de senrent. & breuicul. recit. sed in iudicio ex compromisso, vbi arbitri ex partium conuentione recepti sunt, neutra pars iuridicè citari potest: sed spontè sua comparere debent.

2. Rursùs Iulius Episcopus Romanus Episcopos Orientis coegit, Athanasium cum reliquis recipere, & sedibus suis restituere, vt historia tripartita testatur, hoc autem formam certi cuiusdam iudicij continet, quod non ab arbitris receptis, sed à iudice ordinario, nec per modum compromissi, sed iuridicè,& authoritatiuè fieri solet, hic etiam aduersarius inuitus cogebatur, quod in compromisso contingere non potest: vt leges testantur, l. inter stip. D. si stic. ff. de verb. obl. l. non disting. 5. non cogitur ff. de recept. arbitrij, & l. diem proferre 5. si ibidem l. t. ff. d. arbiter.

Tertiò quia ad citationem factam à Iulio non comparuerunt, sententia condemnationis à Concilio contrà eos pronunciata est, sed in compromisso nec arbiter, nec vllus alius nomine illius punire potest; ergo ex eo quod sententiam condemnationis acceperint à Concilio, eo nomine quod ad citationem Iulij Pontificis non comparebant, euidenti argumento est, Iulium iudicem ordinarium fuisse, non arbitrum compromissarium.

Postremò arbiter compromissarius iurisdictionem non habet, iudex habet: Qualem Iulius Pontifex virtute cuiusdam canonis, & consuetudinis Ecclesiasticæ in eos vendicauit: Ergo Iulius Pontifex, iudex erat non arbiter, & iuridicè, & ex authoritate cum ijs egit, non ex conuocatione partium, aut compromisso.

Iuellus.

Ac propterea Iulius ait iussisse se citari Athanasium *regulariter*, idest, secundùm ordinem iuris. Nam ordo iuris postulat: vt quis primò citetur, deinde vt accusetur, postremò vt condemnetur.

D. Stapletonus.

Ecce quomodo Iuellus vltrò fateatur Athanasium *regulariter*, & secundùm iuris

præſcriptam formam citatum fuiſſe: ſed vbi partes experiuntur ex compromiſſo, neutra pars citari poteſt, vt leges expreſsè docent, & ego priùs oſtendi: ergo ex ipſa Iuelli confeſſione hoc non erat iudicium ex compromiſſo. Nam in illo partes non ex citatione, ſed ſponte accedunt.

Iuellus.

Sed hic non intelligit ordinem canonum vt Hardingus exponit.

D. Stapletonus.

Pro facto ſuo Iulius allegauit canonem, vt verba illius ſuperius allata ſatis indicant: ergo intelligit ordinem canonum. Et hoc anteà probatum eſt, quare hoc in loco iterum repetere ſuperfluum iudico.

Iuellus.

Nam de appellationibus ad Sedem Romanam Canon nullus adhuc editus erat.

D. Stapletonus.

Pro facto ſuo Iulius allegauit canonem, vt verba illius ſuperius allata ſatis indicant: ergo intelligit ordinem canonum. Et hoc anteà probatum eſt, quare hoc in loco iterùm repetere ſuperfluum iudico.

Iuellus.

Nam de appellationibus ad ſedem Romanam Canon nullus adhuc editus erat.

D. Stapletonus.

Falſum: Nam de hac re in Concilio Niceno Canon extat, ſicut prius declaratum eſt, tam ex epiſtolis Iulij, & Leonis, quàm ex teſtimonio Sozimi, qui iam a crimine falſi, ni fallor, liberatur.

Iuellus.

Epiſtola ſpuria S. Athanaſij ad Fœlicem, prius refutatur.

D. Stapletonus.

Sed ſi hoc paradoxon inſulſum ſuſtentare porrò audeas, præter illam epiſtolam multa ſunt, vt prius oſtendi quibus tibi reſpondendum eſt.

Iuellus.

Theodoretus depoſitus erat, miſſus in exilium, & malè mulctatus, vt ex literis illius ad Renatum apparet, itaque verba quibus is vtitur potiùs indicia miſeriæ, & deſolationis, quàm certa argumenta iudicij ſui exiſtimanda ſunt, nam ad eum laudibus efferendum, & potentiam illius magnificandam à quo auxilium petit, quilibet naturali propenſione inclinatur.

D. Stapletonus.

Hoc tertium eſt exemplum à D. Hardingo pro appellationibus allatum, duo priora Athanaſij ſcilicèt, & Chryſoſtomi iuſtas fuiſſe, & legitimas appellationes iamdudum à me probatum eſt, & non obſtante hac Iuelli friuola coniectura, idem de Theodoreto aſſerere, & probare non erit difficile. Verba ipſius ad Leonem Pontificem ſatis aperta ſunt: & in virtute appellationis reſtitutionem eius factam eſſe generale Concilium Chalcedonenſe ſatis teſtatur, nam grauiſſimas quas paſſus fuerat, iniurias Leoni Pontifici ſummo primo in loco referens, hæc verba ad eundem habet in epiſt. præfixa comment. in Paulum. *Et poſt tot ſudores, & labores ne in ius quidem vocatus, ſum condemnatus. Ego autem Apoſtolicæ veſtræ ſedis expecto ſententiam: & ſupplico, & obſecro veſtram ſanctitatem, vt mihi opem ferat iuſtum veſtrum, & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & oſtendere meam doctrinam, veſtigia Apoſtolica ſequentem.*

Hic à Dioſcoro Patriarcha Alexandrino condemnatus, ſimilitèr etiam à Maximo Patriarcha Antiocheno, & Ordinario ſuo; nihilominùs ad Leonem Romanum Pontificem expreſſis verbis prouocat: & vlterius addit: *Ante omnia autem rogo, vt ſciam à vobis, an in iniuſta hac depoſitione me oporteat acquieſcere, an non. Veſtram enim expecto ſententiam, & ſi iudicatis, & me ſtare iuſſeritis, ſtabo, nec vlli deinceps homini moleſtiam exhibebo; ſed quod flecti non poteſt Dei, & Seruatoris noſtri expectabo iudicium.* Hæc verba (ſi quid ego iudicare poſſim) ſatis efficacitèr, ſatis euidentèr, & expreſsè oſtendunt Theodoretum in art. 1. & art. 8. ad Pontificem prouocaſſe, & ſententiæ illius quaſi ſupremi in terris iudicis acquieuiſſe. Ab hoc Leone Pontifice Epiſcopatui reſtitutus inter alios Epiſcopos in Concilio Chalcedonenſi locum capeſcit, vt ex actis illius ſatis conſtat. Hæc animi, & iudicij illius ſatis clara indicia ſunt, hæc interpoſitæ appellationis indubitata argumenta. Ecquid habes amplius Iuelle contrà appellationes? Hæc auctoritas in vſu, & praxi poſita multum faceſſit moleſtiæ Iuello, propterea diù multumque elaborauit, vt vim illius declinaret. Sed effugia, quæ hucuſque prodidit alia infirma, alia falſa, omnia minus ſufficientia comperta ſunt. Reliqua ſi placet conſideremus.

Iuellus.

Sed licèt concedamus tunc licitum fuiſſe Epiſcopo Romano omnes vndicumque appellationes, eo quo prætendunt modo recipere; non tamen exinde neceſſariò concludere poteſt D. Hardingus, eundem vniuerſalis Eccleſiæ caput fuiſſe. Nam Hoſtienſis ait: *non ſolùm à iudice inferiori ad ſuperiorem, ſed ab æquali ad æqualem prouocari poſſe.* Atque hoc modo, vt poſteà latiùs oſtendetur, Donatus *à caſis nigris* ab Epiſcopo Romano ad Epiſcopi Arelatenſis tribunal iuſſu Imperatoris legitimè remouebatur. Verba Hoſtienſis hæc ſunt *non nocebit error ſi appelletur ad maiorem*

quam

quam debuerit, *vel ad parem*: Vbi etiam in margine hoc notatur. *Appellari potest ad parem si de hoc sit consuetudo*. Ex his apparet ius recipiendi appellationes, in rigore nullam includere superioritatem, multò minùs infinitam illam, & illimitabilem potestatem super vniuersam Ecclesiam, extrà de appellat. in 6. Rom. Ea text. in glossa.

D. Stapletonus.

Egregiè argumentaris Iuelle, & vt iuris imperitum decet. Sed qualis Theologus es talis leguleus. Audi me Iuelle, consilium do; disce leges rectè intelligere, tum demum leges allega: Si meum consilium audire nolis accipe à pictore: *Sutor ne vltra crepidam*. Verba legis q. §. si quis ff. de appellat. quibus assertio Hostiensis innititur, hæc sunt. *Si quis ergo vel parem, vel maiorem iudicem appellauerit, alium tamen pro alio, in ea causa est, vt error ei non noceat, sed si minorem; nocebit*. Exempli causa ponamus casum: Ioannes in tribunali Archidiaconi cadit causa, condemnatus ad Archiepiscopum prouocat cum tamen ad Episcopum proximiorem appellasse debuisset. Sed non nocebit ei iste error, quia ad superiorem iudicem prouocauit. Idem Ioannes ab Archidiacono ad officialem Episcopi Cantuariensis prouocauit: qui tamen ad iudicem curiæ prærogatiuarum prouocare debuerat, hic error non nocet, quia prouocauit ad iudicem æqualem ei, ad quem re vera prouocare debuerat, quare appellatio procedet coram iudice, quem adire debuerat, non obstante prædicto errore. Tertius casus est: Idem Ioannes ab Episcopo suo ad alium Episcopum prouocauit: cum tamen ad Archiepiscopum prouocare debuerat. In hoc casu beneficium appellationis perdit, quia neque ad superiorem, neque ad iudicem æqualem ei ad quem prouocare debuerat, sed ad inferiorem appellationem deferebat? Nam Episcop. ad quem prouocauit, licèt Episcopo qui sententiam tulerat æqualis sit, inferior tamen est respectu iudicis ad quem appellatio iure deferenda erat. Hoc ergo casu appellatio vires non habet. Verba ergo Hostiensis, & glossę, quæ dicit, *Error appellationis, quæ ad iudicem æqualem facta est non nocet*, non intelliguntur de æquali ei qui appellat, aut iudici à quo appellatur, sed ei ad quem iure appellari debuerat, l. in p. ff. de appel. l. illi quo §. tempestiuum ff. ad Trebell. & l. nam magistr. ff. de arbit. est ergo falsissimum, quod Iuellus affirmat, & tam iuri, quàm rectæ rationi contrarium, appellationes non solùm ab inferiore ad superiorem, sed ab æquali ad æqualem locum habere: asserere, aut Hostiensem, aut iura illud statuere, duplex est mendacium. Ius tam ciuile, quàm canonicum planè contrariatur huic assertioni, quod facilè probatur, nam receptæ sunt appellationes, inquit lex, ad corrigendum, aut emendandum iniquitatem, rigorem, errorem prioris sententiæ: Sed nullus inferior nedum æqualis sententiam sui inferioris, aut æqualis in quem ius non habet corrigere potest: ergo nemo æqualis, aut inferior à suo æquali, aut superiore deuolutam appellationem recipere potest. Rursùs doctiores iurisperiti appellationem hunc in modum definiunt: *Appellatio est ius quo interim prima sententia extinguitur, & iterùm causæ cognitio ad iudicem superiorem deuoluitur*, Bart. l. 2. n. 1. ff. de appellat. l. §. si quis d. appellat. l. minor. Magist. ff. de minorit. glos. ibidem in autent. de appell. & intr. quæ temp. §. illo col. 4. Itaut superioritas iudicij, aut superior authoritas in iure dicendo, est de natura appellationis. Propterea Bartolus innumeras adfert leges, quibus probat appellationem omnem ad superiorem tendere debere. Lex vna apertè dicit: *minor magistratus contrà sententiam maioris non restituet*: & contrà appellationes ad iudices æqualis auctoritatis; altera expressè ait: *Cùm non oportet ad compares iudices appellationes referri, sed à minore iudicio ad maius tribunal ascendere*. Denique æquè indubitatum est principium inter iurisperitos, appellationem ad superiorem deferendam esse: quam illud inter Theologos omnes, qui iurant, *per maiorem sui iurant*, vt Apostolus ait Heb. 6. 29. q. 6. cap. omnis oppos. & cap. placuit: quare ius canonicum non nisi ad superiores prouocare permittit, vbi ait: *Placuit vt si à quibusdam Ecclesiasticis iudicibus ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior authoritas, prouocatum fuerit, audientia non negetur*. Cùm ergo nec Hostiensis, nec glossa, nec lex vlla iure ciuili, aut canonico contrà authoritatem appellationum quicquam faciat: Ecquid Iuello superest artificij, quo lectorem vlterius ludificetur, aut quo euidentissimum, & inuictissimum hoc argumentum Pontificiæ potestatis in omnes Episcopos, eludat? Hactenus etsi multum laborauit, nihil tamen attulit, nihil inquam vllius momenti. Si quid attulerit quod aliquid veri contineat, id probandi vim non habet, si quid attulerit quod re vera rem probat, illud omninò falsum est. Quare ne operam, & oleum perdidisse videatur, rem dilatando prosequitur, & quasi nouam telam texere incipit hoc modo.

Iuellus.

Sed facilè præuidisse potuisset D. Hardingus fundamentum hoc primum, quod pro argumento ad astruendas appellationes adfert, facilè euerti, & in eum retorqueri posse, primò, quia satis notum est appellationes etiam in causis Ecclesiasticis ad Imperatores, & Principes sæculares tunc temporis delatas fuisse. Secundò, quia Pontifex Romanus causas appellationum ex mandato Imperatoris, (accepta nempè commissione) definiuit. Tertiò, quia causæ, etiam interposita appellatione, ab eo cognitæ, & decisæ, ad alios vlterius deuolutæ aliquando fuerunt.

D. Stapletonus.

Tria hìc proposuit Iuellus: si ex his vnum lucretur, reliqua omnia facilè concedo.

Iuellus.

Quod ad prius illud attinet: Nempè appellationes in causis Ecclesiasticis ad sæculares Principes legitimè delatas fuisse, ex Eusebio, Socrate, Nicephoro, & S. Au-

gustino in multis locis euidentèr probatur.

D. Stapletonus.

Hi quatuor testes in vna eademque causa afferuntur: Causa hæc est quæ sequitur.

Iuellus.

Donatus à 70. Episcopis in Africa condemnatus ad Imperatorem Constantinum prouocauit, & receptus est.

D. Stapletonus.

Fateor Donatum hæreticum appellasse ad Imperatorem, & receptum fuisse. Sed vis scire Iuelle quomodo? audi quid Optatus Episcopus Africanus, qui in æstu, & ardore tragici illius tumultus vixit, de hac re scribat. *Lectis literis, Constantinus pleno liuore respondit, in qua responsione, & eorum preces prodidit, dum ait, Petitis à me in sæculo iudicium, cùm ego ipse Christi iudicium expectem. Et tamen dati sunt iudices, &c.* Ex his satis apparet Donatum cum socijs à Constantino receptos fuisse, sed quantum illi displicuerit ex hac illius responsione perinde constat.

Iuellus.

Sanctus Augustinus contrà ep. Parmen. lib. 1. cap. 5. ait: *socios suos ad Imperatorem Constantinum procedere libenter passus est*, & iterum contrà Cresc. lib. 3. cap. 72. ait: *Hic verba, ex Constantini ipsius literis introduco in quibus constetur se partes litem intendentes audiuisse, & Cecilianum Innocentem reperisse.*

D. Stapletonus.

Hoc factum est à Constantino (vt S. Augustinus immediatè post verba citata declarat) cùm ad iudicium eius post Episcopalia iudicia partes perductæ fuerant. Sed quo animo factum illud acceperit, & quàm ferio illius penituerit postea apparebit.

Iuellus.

Idem similiter contrà epist. Parmen. lib. 1. cap. 7. ait. Quid? An non ipsi Imperatori, aut ijs qui per ipsum missi sunt de religione sententiam pronunciare fas est? Quorsum ergo legati vestri ad Imperatorem peruenerunt? & iterum: Si in huiusmodi rebus Imperatores nihil iuris habeant, aut si hæc res ad curam Imperatoris non pertineat, quis predecessores vestros causam Ceciliani remouere, & ad Imperatorem deferre coegit?

D. Stapletonus.

Hæc S. Aug. vbi suprà, contra obduratos, & contumaces Donatistas; ex his vnus erat Parmen. qui conquerebatur, *quod eos Constantinus ad campum, id est, ad supplicium duci iussit*. Argumentatus est inquam contrà eum ex facto proprio: non quasi approbans appellationem ad Constantinum factam, sed eosdem vt improbos, & à sensu communi alienos coarguens, qui prouocando ad Imperat. vltro festinabant, sententia autem illius pœnis adiudicati, eidem recalcitrabant, & publico latratu obmurmurabant, non licere sæculari Principi Episcopos supplicio afficere: Haud aliter idem Sanctus Augustinus cuidam Donatistæ obijcienti, & de Fœlice quodam Episcopo dicenti, *non debuit Episcopus proconsulari iudicio purgari*, respondit. *Si culpandus est quem iudex terrenus absoluit, cùm ipse sibi hoc non poposcisset, quantò magis culpandi sunt, qui terrenum Regem, suæ causæ iudicem esse voluerunt?* Vtroque loco S. Augustinus epist. 162. Donatistas ex facto proprio coarguit, & confutat: argumento vt aiunt, *ad hominem*, quod satis validum est. Sed quàm iniquo animo illam prouocationem Imperator acceperit, & quid de ea S. August. senserit confestim apparebit.

Quod prouocauerint Donatistæ ipse Iuellus probauit, & quis negauit? sed quam rectè hoc fecerint non probat. Vide ergo beneuole lector, quantum hoc illorum factum Imper. ac reliquis bonis omnibus displicuerit, & ex eo æstima, quàm idoneum attulerit exemplum, vt probet appellationes etiam in rebus Ecclesiasticis ad Imperatores, & Principes sæculares deuolutas esse. De hac re hoc modo *Optatus*, lib. 1. contrà Parmen. *Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit, & reliqua. Ad quam appellationem Constantinus Imp. sic respondit. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet appellationem interposuerunt.* Vsque adeò consilium eorum Imperator hac in re approbauit. Quid de facto illorum senserit S. August. epist. 162. & quo animo appellationem ad se à furibundis Donatistis delatam ipse Imperator acceperit, ex ipsis verbis iam apparebit; quæ omnia obsecro te benigne Lector, vt memoriæ tuæ imprimas, & serio consideres; verba illius hæc sunt: [Dedit ille aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omninò cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant ipse iudicaret; sed alios, vt dixi, Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur audistis: atque vtinam saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, (vt de illa causa post Episcopos iudicaret, à sanctis Antistibus postea veniam petiturus, tamen illi quod vlterius dicerent non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent ad quem ipsi prouocauerunt) sic, & illi aliquando crederent veritati.] Hucusque doctiss. & sanctiss. S. August. ex illius verbis tibi Iuelle, & argumento tuo sic respondeo: vtinam Iuelle (testis mihi Deus ex intimo corde opto) vtinam inquam, sicut prius Imperator Constantinus magnus Donatistarum peruersitatibus cedens, ijsdem à 70. Episcopis in prouincia sua condemnatis, & præter Ecclesiasticos Canones ad eum prouocantibus, duo alia Episcoporum iudicia, alterum in Italia,

alte-

alterum in Gallijs gratiosè indulserit: (licèt illud vltimum Arelatense scilicet, vt verbis vtar August.) minimè necesse erat, eo animo vt clamores tumultuosos, & insanissimas animositates si possibile esset compesceret: imò, & ipse tandem etiam post Episcopos de eadem causa sententiam suam interposuit, quamuis vt qui limites iurisdictionis suæ transilierat, *à sanctis Antistibus postea veniam petiturus*: vtinam inquam, sicut pius & bonus Imperator hæc egerit; non auctoritate legitima fretus, sed gratiosè, & prudenter furori cedens: ita tu Iuelle tandem aliquando veritati aliquid concederes, & deposita animositate, ab eiusmodi teterrimorum Hæreticorum exemplis deinceps abstineres, nec auctoritatem Principum ex ijs astrueres: quandoquidem S. Ambrosius lib. 5. epist. 35. apertè enunciet: *si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis vnquam deprehendit Imperatores in causa fidei de Episcopis iudicasse?* Atque ita exemplum Donati relinquendum censeo, nam exemplum illius legem statuere non potest. erat enim hæreticus, & per fas, & nefas subsidium hæresis suæ vndecunque potuit indiscriminatim emendicauit. Tandem transeamus ad reliqua.

Iuellus.

Quare Constantinus Magnus Episcopos Orientis qui Concilio Tyri habito interfuissent citauit, vt eorum eo factorum suorum rationem redderent his verbis: *volo vt coram me ipso compareatis, & quam sincerè processeritis in iudicio palàm ostendatis.*

D. Stapletonus.

Quomodo, qua occasione, & in qua causa hoc actum erat, denique quid exinde subsequutum est superiùs satis declaraui, eo remitto lectorem iam conclusionem perpendamus.

Iuellus.

Ex his paucis exemplis satis apparet, appellatum esse ad sæculares Principes, etiam in causis Ecclesiasticis, & de eiusmodi causis cognoscere, tunc licitum eis visum est, nec propterea Princeps caput vniuersalis Ecclesiæ habitus est.

D. Stapletonus.

Duo tantummodo exempla allata sunt, ambo de vno eodemque Imperatore, & principe, nempè Constantino; sed quo sensu conscientiæ suæ res ab Episcopis priùs determinatas iterum ad suum tribunal vocauit, Sanctus August. si memineritis, satis exposuit. Primum, ab eo factum est, vt Donatistarum rabiem, & furorem sisteret. Secundum, vt pacem statueret inter Arrianos, idque in causa non purè Ecclesiastica, vt priùs declaratum est. Hæc sunt exempla Iuelle, quæ tibi ex tot Imperatoribus, & Principibus qui per tot ætatibus in toto Orbe terrarum fuerunt, eligere, & adferre visum est. Aliud recitas, & huiusmodi.

Iuellus.

Certè S. Gregorius haud ineptum, aut incommodum arbitratus, causam spiritualem ad purgationem canonicam Episcopi spectantem Brumixildę Reginę Francię committere. Quamuis glossa hanc notam habeat, *fuit tamen hoc nimis papaliter dispensatum.*

D. Stapletonus.

Sic argumentatur Iuellus: S. Gregorius causam spiritualem Reginæ Galliæ commisit: ergo appellationes ad Principes sæculares deferri possunt. Sed an non contrarium directè sequitur? Summus Pontifex causam spiritualem principi sæculari commisit: ergo princeps sęcularis est commissarius tantummodo summi Pont. Certè qui accipit inferior est eo, qui commissionem dat, atque ita ratio, quam pro se Iuellus affert, contrà eum directè militat. Quod ad commissionem illam S. Gregorio factam attinet, iusta fine dubio causa suberat; sed quid senserit de appellationibus ad sæculares principes in rebus Ecclesiasticis delatis satis constat, tam ex suprema illius potestate, quam in vniuersas Orbis Christiani partes exercuit, quàm ex verbis ipsius ad Mauritium: lib. 4. ep. 21. [Sacerdotibus autem non extrema potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cuius serui sunt eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.] Sed hanc rem: nempè quod principes sæculares in causis Ecclesiasticis pastoribus suis, & Episcopis subijciantur ex Sancto Augustino epist. 166. S. Ambr. lib. 5. epist. 32. & 52. Sancto Gregorio Nazianzeno, orat. ad subl. timorem imò ex ipso Caluino, & Lutheranis rigidissimis Germaniæ Illyrico, & socijs, alibi satis ostendi.

Sed quia Iuellus hoc in loco pro certo, & indubitato principio ponit, sęculares principes appellationes etiam in causis Ecclesiasticis, ad se delatas admisisse, nec vllum adhuc exemplum, aut argumentum validum pro hac assertione afferre potuit, videamus quid in contrarium à nobis adduci poterit. S. Athanasius ep. ad solit. vitam agentes, doctus pariter, ac pius Episcopus, de Arrianis ait: [qua fronte commentum Synodi appellare audent, cui comes præcedit?] Et alio in loco ait: [Quando à condito æuo auditum est, quod iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam à b Imperatore accepit, aut quando hoc pro iudicio agnitum fit?] Vide Iuelle, quàm contrarius fit tibi, appellationes in causis Ecclesiasticis ad sęculares principes deferri solere, asserenti. Aliud accipe argumentum. Patres Concilij Mileuitani cap. 19. cuius auctoritatem toties, & tam auidè arripuisti, hoc modo decreuerunt, [Placuit, vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum peterit; honore priuetur. Si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.] Similiter Patres Concilij Aquileiensis. In tom. 1. Concilior.

Nam cum Palladius hæreticus nobiles quos-

quosdam Laicos rogaret, vt in Concilium venire, & causas discussas, & decisas audire dignarentur, dicens: *Sunt hic honorati multi*: S. Ambrosius vnus ex Episcopis qui interant, respondit: *Sacerdotes de Laicis iudicare debent, non Laici de Sacerdotibus*. Et quia Palladius hæreticus in petitione sua persistebat, & instanter vrgebat, vt honorati Laici intrarent, & partem Concilij constituerent: S. Ambrosius sententiam contrà eum, quam vniuersa Synodus approbauit, incontinenti pronunciauit: his verbis, [& si Palladius multis criminibus fuerit deprehẽsus, hoc tamen nos pudore suffundit, quod qui pro Sacerdote habetur à Laicis condemnaretur. Ac propterea licèt propter hoc solùm condemnandus sit quod sententiam, aut iudicium Laicorum expectet; cùm Sacerdotes Laicos iudicare debeant: propter hæc quę hodie Palladium loquentem audiuimus, & propter alia quæ noluit retractare, eum Sacerdotio indignum pronuntio, & depouendum esse iudico, & æquum esse censeo, vt vir Catholicus loco illius ordinetur.] Hoc modo pij, & Sancti PP. egerunt cum ijs qui ab Episcopis ad Laicos ausi erant prouocare.

Simili modo Dioscorus hæreticus Eutychianus in Concilio Chalcedonensi petijt, vt sæculari magistratui examinationi suæ interesse liceret. Sed Lecropius Episcopus Catholicus nomine totius Concilij in hunc modum respondit: [quando quædam regularia examinantur neque iudices, neque alios aliquos Laicos interesse oportet, nisi tantummodo suam sanctitatem, quæ in propria persona accusatur.] Vides ergo Iuelle, illorum temporum Catholicos, & pios Episcopos principes suos sęculares ad cognitionem & decisionem causarum merè Ecclesiasticarum noluisse vllo modo admittere, soli hæretici, Arriani, Donatistæ, Eutychiani, & eius farinæ homunciones, illud ausi sunt tentare. Caue Iuelle ne dum hoc tuum paradoxon absurdissimum, genio, & ingenio antiquorum hæreticorum aptissimè quadrans, sanctissimis Episcopis Ambrosio, Augustino, Athanasio, Gregorio, & Concilij Mileuitani, Aquileiensis, & Chalcedonensis Patribus, inuisum, & odiosum tueri pergas, hæreticorum illorum fratrem germanum te ipsum prodas. Hæc de primo principio tuo; nunc ad secundum.

Iuellus.

Quod ad Pontificem Romanum attinet, & illius in his negotijs potestatem, certum est, is non quasi authoritatem in seipso, & à seipso habens, sed ex commissione Imperatoris causas sub appellatione ad tum deuolutas cognouit, & definiuit.

D. Stapletonus.

Certum est splendidum hoc esse mendacium, nam Athanasius, Paulus, Asclepas, Marcellus, Lucius, vt in Histor. trip. lib. 4. Nicephor. & multi alij pij Episcopi ad Iulium Romanum Pontificem prouocabant, omnes tamen Constantem Imperatorem expresse aduersantem habuere. Chrysostomus appellauit ad Innocentium Pontificem Romanum, cùm tamen Imperator Archadius eidem apertè aduersaretur. Adeòque obnixè, vt Pontifex ipsum eumdem Imperatorem, excommunicationis sententia percutere tandem coactus sit.

Alius Patriarcha Constantinopolitanus, (Flauianum intellígo) ad Leonem Pontificem, sic in Epist. 24. & Valent. in epist. ad Theodoret. in epist. ad Leonem, prouocauit. Theodosius tamen Imperator aduersario suo Dioscoro, quantùm potuit palàm adhærebat & fauebat, etiam Theodoretus ad Pontificem eumdem, appellationem deferebat, etiamsi Imperator Oriensis factionem Dioscori, & Maximi, à quibus multis affectus erat iniurijs, magno conatu etiam apertè defenderet.

Ioannes Talayda Patriarcha Alexandrinus ex Episcopatu iussu Imperatoris Zenonis pulsus erat, & in locum illius Petrus Moggus intrusus, extrusus quid egit? Vbi remedium quærebat? [Romanum Pontificem Simplicium appellauit, sicut & Beatus fecit Athanasius,] inquit Liberatus cap. 18.

Quare cum hæc ita sint, hi præcipui Patriarchæ, viri doctissimi, & sapientissimi, Sanctus Athanasius, Chrysostomus, & Theodoretus ad Sedem Romanam non modo sine mandato Imperatoris, sed directè contra eiusdem voluntatem prouocauerint, quomodò consistere potest Iuelli paradoxon vbi asserit recepisse quidem appellationes, & de causis eiusmodi cognouisse Pontifices, sed non nisi ex mandato, & commissione Imperatoris? Sed videamus quomodò hoc probet.

Iuellus.

S. Augustinus contentionem inter Cæcilianum, & Donatum *à casis nigris* aperiens, hanc rem fusè prosequitur in hunc modum, [Sed nonne debuit Meltiades Episcopus Romanus, &c.]

D. Stapletonus.

Hoc vnicum suppetit exemplum, quo paradoxon suum vniuersaliter positum probet, hoc vnicum inquam suppetit imperiti, & furiosi hæretici Donati exemplum. Sed quo animo Sanctus Augustinus, & Optatus, hoc Donati factum acceperint, & quo conscientiæ sensu Imperator huic negotio sese immiscuit iamdudum à me declaratum est. Certè si Iuellus causam bonam tueretur sine dubio, & plura, & meliora exempla pro singulari facultate sua in medium afferret: [Nam vna hirundo non facit ver,] nec vnum exemplum legem statuit.

Denique cùm ea omnia ab optimo Imperatore, qui *bono pacis*, & zelo vnitatis, furori Donatistarum cessit, nec alio animo, quàm vt furorem compesceret, facta fuerint, non nisi ab ijs qui exempla hæreticorum imitari velint, pro regula, & lege haberi debent.

Hanc si tu Iuelle viam ingredi statuas, melio-

meliorem mentem, vt det tibi Deus obnixè rogo. Hoc saltem apertissimum est, exempla tot & tantorum Episcoporum (quorum nomina in benedictione sunt) & qui praxi sua contrarium docuerunt, appellationem ad Summum Pontificem non modò sine mandato Imperatoris, sed contra expressam illius voluntatem reipsa interponentes, maiori & meliori iure contrariam regulam firmare, & meliùs documentum præstare possunt, & meritò debent.

Nihilominùs huic vnico vnius peruersi hæretici exemplo ab ipso Imperatore, à S.Augustino, & Optato ab omni posteritate tantoperè improbato, non nisi ab improbis hæreticis, & schismaticis approbato, huic inquam exemplo innixus, seriò & sobriè concludens ais.

Iuellus.

Ex his euidens est Episcopum Romanum commissarium, aut delegatum Imperatoris fuisse, & quoad Ecclesiasticam iurisdictionem, authoritatem omnem suam non à Sancto Petro, sed ab Imperatore accepisse.

D.Stapletonus.

Qua facie, aut fronte hæc loqueris Iuelle? An potiùs planè effrons factus es? quid faceres, si tibi optimorum, & Catholicorum virorum (qualia ego citaui) suppeterent exempla? quid faceres, inquam, quam insolenter triumphares, qui vnius perditi, & phrenetici hæretici exemplo ab omnibus bonis damnato, tantoperè gloriaris? Sed vt sæpè dixi, audax assertio nihil probat. & vasa magna aliquando vacua sunt, & vacua semper ingentem sonum edunt. Sed prudens Lector momenta rationum, non verborum pompam, & sonum considerabit. Certè quod non nisi leui argumento probatur leuem assensum exigit. Quod de Papa Clemente affers, quia sine teste id profers, [& eadem facilitate negatur qua asseritur,] facilè prætereo.

Iuellus.

Nec tanti erat Pontificis Romani determinatiua sententia, quin pars grauata illam recusare, & vlterius prouocare posset.

D. Stapletonus.

Hic Iuellus defigit suum tertium fundamentum, attendite quam efficaciter illud probet.

Iuellus.

Propterea Donatus à Papa Melciade condemnatus à sententia illius appellauit, & delato grauamine ad Imperatorem, ad Episcopum Arelatensem in Gallijs, & alios Coepiscopos ab Imperatore remissus erat. Denique nihil ab ijs sperans, nisi condemnationem, vltimo ad Imperatorem prouocauit, & Imperator in litteris suis fatetur se in Tribunali suo de ea causa cognouisse.

D.Stapletonus.

Apage hæreticam prauitatem, apage peruersam cæcitatem. O quam durum telum necessitas! vnicum factum temulentum, furiosi hominis, & peruersissimi hæretici Donati, pro fundamento trium celeberrimarum assertionum suarum Iuellus cogitur substruere. Fateor Donatum fecisse hæc quæ allegas; sed quod [rabidam furoris audaciam] Imperator nuncupauit, id Iuellus legitimam vocat appellationem.

Post Romani Pontificis sententiam, aliam Donati indulsit Imperatoris fateor; sed de hac re Optatus lib.1.in epist.1.Augustinus ait. [Non quia iam necessè erat, sed eorum peruersitati cedens, & omnimodò cupiens tantam impudentiam cohibere.] Constantinus in iudicio sedens partes litigantes audiuit, & de causa cognouit, fateor; sed vt S.Augustinus epist.162. ait. [A Sanctis Patribus posteà veniam petiturus.] Hæc omnia Iuellus approbat, & ex hoc facto assertionem suam astruit. Hic idem Iuellus, nihilominùs multum Patribus tribuit, scilicet, & vel vni Patri vllam sententiam asserenti, ex ijs quas Catholici sustentamus, in multis articulis assentiri se velle, palàm protestatur.

Hypocrita, si hæc candidè, & ex animo proferas, si reipsa tantùm Patribus tribuas, quare pro fundamento peruersæ doctrinæ tuæ exemplum illud ponis, quod tot Sancti Patres ad vnum omnes detestati sunt? Tria pollicitus es Lectori argumenta, sed vnicum ferculum variè conditum, & tribus patinis appositum præstas, vnicum vnius efferati, & furiosi hæretici factum temerarium profers. Fateor Iuelle te arte, & ingenio pollere plurimum, sed miser omni specie veri planè destitueris. Nam ex hoc infirmo argumento videre quæso, quam strenuè subinfert.

Iuellus.

Iam si eiusmodi appellationes recipere vniuersalem hanc potestatem necessariò inferat: tum potestas Imperatoris vniuersalis erat: *Nam omnes appellationes, sine vlla exceptione ex omnibus prouincijs admisit*: idque in causis Ecclesiasticis.

D. Stapletonus.

Vide ex vnius facto insano, furioso, ex *rabida furoris audacia*: omnes *appellationes*, sine exceptiones, *ex omnibus vbiuis prouincijs* audacter infert. O impudens, & effrons mendacium!

Iuellus.

Tum etiam illis temporibus Romani Pontificis potestas non erat vniuersalis; licitum enim erat illius iudicium effugere, & ad alium iudicem prouocare.

D.Sta-

D. Stapletonus.

Perge, Iuelle, conclude, & collige quantum potes, nihil prætermittas: Quin dic obsecro, an hisce artibus causam obtinere putas? Quorsum vnius furiosi hæretici factum omnibus Catholicis, vt exemplum necessariò imitandum toties inculcas? Tu si tibi placeant eiusmodi exempla ijs vtere solus; uos talia porteuta quantum possumus execramur, sunt enim paci inimicissima, animarum nostrarum venena;& orbis Christiani lues pestifera. Meliora (laus nobis) reposita sunt exempla;sunt uobis Patres doctrina eminentes, sunt nobis Episcopi Catholicæ fidei integerrimi custodes, habemus sacrorum Conciliorum illibata responsa. His vtimur; tam in deferendis appellationibus ad Sedem Romanam quàm in recusando recursu, & prouocatione ad tribunal sæculare, vt in hac nostra concertatione vberius ostensum est. Iam tandem finem facis, & ais;

Iuellus.

Atque ita rationes Hardingi contra proferentem rectè, & rotundè procedunt.

D. Stapletonus.

Atque ita Iuellus planè defecit in probatione, triplex insultus quem minatus est vnicus, & simplex tandem euasit, isque irritus, & inefficax. Hucusque de appellationibus à præcipuis Orbis Christiani Patriarchis ad Sedem Romanam. Vnde pro Sedis Romanæ primatu, & principalitate inuictissimum ducitur argumentum. Ad ea, quæ Iuellus in contrarium afferre potuit, satis,vti spero, responsum est, faxit Deus, vt hic labor meus vtcumque exiguus, ad ædificationem proficiat; & ad obedientiam Vicario Christi debitam, nos perducat: fine qua hæreses, schismata, & dissentiones in infinitum serpere necesse est.

D. Hardingus.

Singulare priuilegium (quod Ecclesia Romana nunquam deficiat in fide) precibus Christi tribuendum est, rogauit enim, & obtinuit à Deo Patre pro S. Petro, & successoribus eius 108. ne fides eorum aliquando deficeret.

Iuellus.

Falsum 162. Nam multi errauerunt in fide, vt constabit.

D. Stapletonus.

Si argumenta quibus hoc probes in medium afferas uos ad ea respondere conabimur. Primò, tria sacræ Scripturæ loca ex Prophetis affers, quæ omnia impiè, & violenter ad sensum tuum detorques, vt alibi declaratum est, vbi de hac arte tua (scripturas scilicet à genuino sensu torquendi) egimus. Nam ad id quod iam probare institutis nihil omnino faciunt. Nisi hoc modo argumenta formare velis: Micheas Prophetas arguebat Prophetas, & Sacerdotes, quod ipsi cum essent impij, Domini assistentiam inauiter iactitabant. Hieremias similiter Sacerdotes, & Seniores increpabat, quod Concilium, & legem nunquam posse deficere,inani præsumptione, & fiducia sibi ipsis pollicebantur; Denique Micheas Propheta minatus est dicens quod sacerdotes Iudæorum, pro visionibus, & Prophetijs noctem, & tenebras inuenire merebantur: Ergo multi Pontifices errauerunt in fide. Quis vnquam eiusmodi argumentum in scholis audiuit? An nobis persuadere spectat Iuellus sanctos Prophetas de summorum Pontificum erroribus vaticinia sua edidisse? An sibi persuadet hæc argumenta esse irrefragabilia? Nempè, quia ipse dixit:Sed dicet fortè:Micheam,&Hieremiam nos docere,Sacerdotes, licèt pessimè agerent, decipi tamen non posse se aliquando iactare solere: neque nos hoc negamus. Sed dicas, ecquid de Pontificibus Romanis eloquuti sunt? An præuiderunt, & prædixerunt illos in fide erraturos aliquando? Quidni existimemus potius, Prophetam Sacerdotum insolentiam, & superbiam reprehendisse, atque occasum Synagogæ,& miserabilem eorum in aduentu Christi cæcitatem pędixisse?Quidni affirmemus Hieremiam in c. 8. vitia eorum, non fidem increpasse, & de coniuratione eorū contra personam suam non de Concilio aliquo ad Mosaicæ legis obseruationem spectante, loquutum esse? Hoc modo Iuellus pro sua libidine sacra eloquia torquet, & distorquet.

Iuellus.

Certè ipsa glossa hanc controuersiam dirimit, verba glossæ hæc sunt: *Certum est summum Pontificem errare posse*: & Alphonsus ait: *Omnis homo in fide errare potest:imò etiam si Pontifex sit.*

D. Stapletonus.

Quorsum hæc Iuelle? Ecquis nostrum asserit Pontif. vt est persona priuata, errare non posse? Imò cum glossa, & Alphonso catholici fatemur non solùm possibile esse, vt Papa erret, sed errasse etiam aliquando tam in fide, quàm in moribus, si priuatam Pontificis personam spectes. Quod autem hic à Hardingo asseritur, quod catholici defendimus, illud est, Pontificem scilicet, vt est caput Ecclesiæ errare non posse, aut contra fidem decernere aliquid, & Ecclesiæ credendum proponere. Satis agitata est inter catholicos, & hæreticos horum temporum hæc controuersia, & in hisce studijs adeò versatus nescire non potes Iuelle, hunc esse verum statum quæstionis huius. Nam in hoc sensu pro Petro facta erat oratio, non pro persona tantùm Petri; (in quo sicut nonimus) valdè debilis erat fides: negauit enim Christum etiam post orationem illam pro se factam, sed pro vniuersa Ecclesia Petro commissa. Hic ergo quæstionis status: iam ad argumenta tua.

Iuellus.

Alphonsus de Castro contra hæres. l. 1. cap. 4. asserit certum esse Liberium fuisse Arrianum.

D. Stapletonus.

Quicquid dicat Alphonsus, ex Athanasio lib. 2. c. 17. in epist. ad solitariam vitam agentes, & Theodoreto, satis constat Liberium per biennium in exilio perdurasse, quia nihil concedere voluit Arrianis, sed pro defensione fidei catholicæ contra hæresim Arij, Imperatori Constantino etiam facie ad faciem fortiter resistere. Et licèt Athanasius innuat postea, eum remisisse aliquid de constantia, & in gratiam Constantis aliquid concessisse: à labe tamen hæresis Arrianæ eum apertè, & expressè liberat. Certò certiùs est eum pro hæresi Arriana nihil vnquam decreto suo statuisse.

Iuellus.

Honorius hæreticus erat Monothelita, & propter eandem hæresim in sexto Concilio Constantinopolitano condemnatus.

D. Stapletonus.

Concilium illud fateor, vt hodiè hac nostra editione habetur, Honorium Episcopum Romanum inter alios Episcopos de illa hæresi notatos numerat. Sed Blondus lib. 9. dec. 1. Æneas Siluius lib. 6. & Platina scribunt, Honorium eam hæresim primùm condemnasse. Referunt ijdem Heraclium Imperatorem in hanc hæresim lapsum, studio, & opera huius Pontificis ad fidem catholicam fuisse reuocatum: eiusdem etiam Pontificis suasu, & consilio Pirrhum, à quo seductus erat Imperator, in exilium pulsum fuisse ijdem testantur.

Quare sicut hoc ipsum sextum Concilium fatetur acta quinti Concilij corrupta esse ab hæreticis, imò, & epistolas quasdam nomine Vigilii Papę ad Mennam Episcopum Constantinopolitanum, & eiusdem Mennæ ad Vigilium pro illa hæresi fuisse confictas: ita verisimile est hoc sextum Concilium à Græcis corruptum esse, & nomen Honorij Papæ inter alios Episcopos insertum, verisimile inquam est, & hunc fuisse morem Gręcorum, scripta aliqua Romanis Pontificibus affingere, aut quæ ab ipsis reuera scripta erant, hæresibus aspergere. Satis hoc apparet ex querela Nicolai I. in Epist. sua ad Michaelem Imperatorem, Athanasij in 8. Synodo, Leonis I. in literis suis ad Episcopum Palęstinæ, & Sancti Gregorij in literis suis ad Narsen. actione 4. Sed Honorium Papam non fuisse Hæreticum, nec in illo dicto Concilio condemnatum, epistolæ Agathonis Papæ ad Concilium illud missæ, & in illo Concilio præsentibus eiusdem Agathonis Legatis publicè lectis, inuictissimum argumentum suppeditant. Verba illius hæc sunt. *Hæc est vera fidei regula, quam, & in prosperis, & aduersis viuaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, quia dictum est Petro*, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. *Hic Dominus fidem Petri non defuturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* Hæc Agatho in epistola sua ad illud sextum Concilium generale directa, & lecta in publico; & approbata communi applausu omnium inclamantium, *per Agathonem Petrum in ea loqui.* Considerate quæso quomodo fieri potest, vt Honorius, qui paulò ante, non ampliùs quàm 60. annos, aut circiter in sede Romana mortuus erat, illo præsenti Concilio condemnaretur pro hæretico, in quo tamen Concilio epistola Romani Pontificis Agathonis, Act. 4. apertè asserentis nullum prædecessorum suorum à tramite veræ Catholicæ fidei deflexisse vnquam pro catholica, & vera publico applausu acclamata erat.

Quomodo hæc cohærent? Quare dicendum, aut iam corruptum esse Concilium ab hæreticis, quod & quinto Concilio contigit: aut in eo condemnatum esse Honorium, non vt Pontifex, aut quatenus publica auctoritate hæresim decreuerat, aut credendum proponeret, sed vt opinionem hæreticam priuatim tenens, & eandem in literis suis ad Sergium Constantinopolitanum prodens.

Atque si hoc modo loqui velimus, asserere possumus Honorium quidem in illo concilio condemnatum fuisse, non summum Pontificem: alioquin necesse erit dicere, & Agathonem impudentissimè abusum esse magno illo Concilio, & vniuersum Concilium nefaria dissimulatione ad falsitatem impudentissimam obticuisse: cùm & ipse palàm asserat, neminem prædecessorum suorum hæresi vnquam infectum fuisse, & huic assertioni vniuersum Concilium publica acclamatione suffragetur. Huc & illud addi potest quod Photius Episcopus Constantinop. omnium nomina recensens, qui in illo Concilio erant condemnati, nullam Honorij Pontificis mentionem faciat. Atque ex his apparet exemplum Honorij, preces Christi pro S. Petro, & successoribus suis in sede Romana factas, nequaquam euacuasse, aut eneruasse.

Iuellus.

Marcellus Papa idolis publicè sacrificauit.

D. Stapletonus.

Ita etiam S. Petrus Christum negauit, etiam postquam Christus pro eo orasset ne fides eius deficeret. Sed vt S. Petrus postea non obstante trina negatione pro nomine Iesu Martyrium fortiter subijt, ita etiam Marcellus sub eodem Diocletiano à quo metu tormentorum prius sacrificare idolis erat coactus, postea palmam Martyrij reportauit. Rursus Petrus non dicitur in fide errasse, aut gradum Apostolatus sui perdidisse, qui metu tantùm mortis Christum negauit, & per pœniten-

nitentiam, & lachrymas pristinum statum recuperauit. Similiter neque Marcellus errasse in fide dicendus est, aut successionem vicariorum Christi facto suo infecisse, quandoquidem postea facti pœnituerit, & contractam maculam sanguine suo nobilis Martyr abluerit. Sed adeò est erga illam sedem beneuolus Iuellus, erga illam inquam, sedem vndè nos Angli fidem nostram, & baptisma hausimus, vt neminem illa sede, vel leuiter erratum vnquam prætermittat, & si huiusmodi exceptiones locum inuenire possint, etiam S. Petrum perdidisse Apostolatum, & in fide errasse facilè Iuellus probabit.

Iuellus.

Ioannes XXII. impiam hæresim contra immortalitatem animæ sustentabat.

D. Stapletonus.

Impia est hæc blasphemia Ioannis Iuelli contra Ioannem Pontificem: protestantis Euangelici contra Vicarium Christi: hæretici superintendentis contra Episcopum Catholicum vno, vt respondeam verbo impudentissima est Ioannis Iuelli calumnia. Io. XXII. Contra immortalitatem animæ nihil tenuit: in ea erat opinione (sed antequam crearetur Papa) vt existimaret animas iustorum ante diem iudicij non videre Deum. In eadem opinione erant multi docti viri, Irenæus, Chrysost. S. Bernardus (cum adhuc contraria opinio nondum fuisset definita) nec propterea hæretici habiti sunt. Melch. Canus lib. 6. de locis com. c. 8. & Bened. XI. in sua extra. Nec sententiam illam Ioannes decreto suo confirmauit, à morte prius abreptus. Sed hoc vnum scio si illa opinio hæresim contineat, contra immortalitatem animæ innumeri fratres tui in Anglia impiam hæresim hodiè prædicant, dum publicè è suggesto docent, animas defunctorum vsque diem iudicij altum somnum indormiscere. Hæc reuera impia hæresis est non à Ioanne Papa, sed à prædicatoribus protestanticis proseminata.

Iuellus.

Papa Siluester II. Necromanticus erat, & familiari colloquio cum dœmone vsus est, cuius auxilio ad Papatum promotus est.

D. Stapletonus.

Certè si vera sint, quæ narras, nequam fuisse Siluestrum assero. Sed quid hæc ad fidem Ecclesiæ? Lutherus familiari colloquio dæmonis vsus est, cuius ductu, & auspicijs sacrificio Missæ bellum indixit, ac postea protestantium Papa factus est. Non ego fabulam narro: Liber Lutheri, qui adhuc extat, & titulum habet de *Missa angulari, & vnctione Sacerdotali*, id quod narro, testatur. An tu hæreticum Lutherum pronunciabis? Hoc scio (modò cum fratribus tuis Tigurinis sacramentariis sentire velis, non modo hæreticum, sed Archihæreticum Lutherum pronunciabis, imò non dubitabis asserere, diabolum in Luthero loquutum esse. Ille enim id asserere de co, & scribere non dubitant. Quod ad Papam Siluestrum attinet, qui malum eum fuisse, & improbum dicunt, scribunt vicissim eundem ante mortem de vita anteacta pœnitentiam egisse. Platina in Siluest. 2. De eodem scriptum legimus: Quomodo in vltima voluntate iusserit, vt corpus suum currui impositum ibi sepeliretur vbicunque equi illud vltrò sine auriga deferentes relinquerent: Deum obsecrans, vt aliquid de statu illius post hanc vitam illo saltem indicio significare dignaretur ita vt mandauit factum est, & in Ecclesiam magnam Lateranensem ipsi quadrigæ vltrò eius corpus deferebant, vbi sepultum iacet, vt tumulus eius ibidem adhuc extans indicat: & qui hæc scribit, Platina, haud contemnendæ auctoritatis habetur, & cum Holcot quem Iuellus citat meritò comparari potest.

Iuellus.

Papa Athanasius cum Photino hæretico communicauit, ac propterea à clero derelictus erat.

D. Stapletonus.

Hæc fabula à Gratiano literis mandata est, sed omni veritatis fundamento destituta. Eodem etiam in loco asserit, voluisse eundem, Acacium hæreticum prius condemnatum Ecclesiæ restituere. Sed falsum esse hoc epistola eius ad Astasium Imperatorem apertè conuincit: in qua Acacium à viris Christianis ne nominari quidem, expresse mandat. An putabimus eum, qui Acacium Episcopum condemnauit, cum Photino diacono eiusdem sectæ, & cum Acacio communionem habente, velle communicare? Hæc res grauis est Iuelle, qui rem tanti momenti persuadere cupit, cum maioris ponderis argumenta proferre oportet, non vt tenelli canes venatici solent papiliones consectari.

Iuellus.

Hildebrandus Papa, qui primus omnium in his saltem partibus legitimum Matrimonium Sacerdotibus interdixit &c.

D. Stapletonus.

Iuello à natura datum autumo, res gestas mendaciter referre. Quod ad Sacerdotum connubia attinet, eorum (inquam) qui susceperunt sacros ordines, & in gradu Sacerdotij constituti sunt, ausim dicere, nec ante, nec post Hildebrandi ætatem vnquam aliquando in Ecclesia Christi licita fuisse. Illud Iuelle pro articulo posuisse oportuerat, vt quid de ea re dici posset experireris. Sed quia tu id affirmas solummodo idque mentiendo satis erit mihi respondere negando, quamuis, quid de hac re dici possit alibi à me insinuatum est. Sed quis, & qualis fuit iste Hildebrandus? Iuellus ait.

Iuel-

Iuellus.

Tam vita, & mores illius, quàm fides, & religio fusè describuntur 431. in Concilio quodam Brixiæ habito, vbi publicè denunciatur esse vitiosissimus, incendiarius, sacrilegus, homicidarum patronus, defensor periurij, & quod hæresim contra doctrinam Apostolicam tueretur, antiquus Berengarij Discipulus.

D. Stapletonus.

Tum certè Iuellus hæresim contra doctrinam Apostolicam defendit, est enim Berengarij discipulus, & opinionem Berengarij mordicus defendit, in replica artic. 5.

Iuellus.

Veneficus, necromantes, à dæmone possessus, ac propterea extra Fidei Catholicæ limites.

D. Stapletonus.

Hoc Concilium Brixiense, quod Iuellus citat, in tomis Conciliorum non reperitur. Sine dubio conuenticulum aliquod fuit in gratiam Imperatoris contra Pontificem summum conspirans. Vtcunque Hildebrandus iste vir magnæ prudentiæ, & eximiæ virtutis à Platina in vita Gregor. VII. describitur, communi omnium bonorum assensu electus erat Summus Pontifex, impijs conatibus Henrici Quarti Imperatoris constanter restitit.

Clerum germanicum, & præcipuè Maguntinum ab impuro concubinatu deterruit, ob has causas odio habitus est, ab ijs imprimis, qui Imperatori malerunt suppalpari, quàm mores suos deprauatos emendare. Legimus tamen Imperator randem flagitiorum suorum pænituisse, & absolutionem ab eodem Summo Pontifice humiliter petijsse, & lætanter accepisse. Sed hæresim, aut aliquid eorum quæ Iuellus malitiosè accumulat, nullus Author probatus (quod sciam) illi imputat.

Iuellus.

Patres Concilij Basileensis aiunt. Legimus multos Episcopos Romanos, in errores, & hæreses incidisse.

D. Stapletonus.

At Patres illi non aiunt Pontificem vllum Romanum vllam hæresim decreuisse, publicum officium non personam, decreta publica, non priuatas personas defendimus. Gaudeo, ita me Deus amet, Iuelle quod hos Episcopos Patres nuncupes. Gaudeo ex animo. Sed ita (vt video) vsu fit, quoties aliquid quod pro eo faciat dicant, toties Patres illius sunt, & ipse filius eorum. Si quando contra eum aliquid proferant, tum continuò imperiti sunt, & ætatis illius cæca ignorantia abducti, tum demùm idem ipse Lutheranæ perfidiæ spurius, & adulterinus, quàm Catholicorum Patrum filius genuinus esse mauult.

Iuxta hunc legendi modum Bernardus quandiù contra vitia Romanæ curiæ declamitet tantisper Sanctus erit, & Sanctissimus Pater Bernardus salutabitur. Sed si Summum Pontificem, potestatem illius confidetans, Petrum, si vnctionem attendens Christum, & Pastorum pastorem appellet, cui soli vniuersa Christi grex commissa est, tum *Bernardus Abbas* contemptim nominatur. Sic S. Gregorius quando superbum titulum vniuersalis Episcopi in Ioanne Constantinopolitano reprehendit, *sanctus est*, tum *Sanctus Gregorius* salutatur. Sed quando de vitis Sanctorum, aut de Purgatorio, Catholicè scribi, tum *Pater Gregorius*, *& Gregorius somniator* nuncupatur.

Origenes similiter, *antiquus Pater Origenes* ab eo nominatur, quando pro causa Iuelli aliquid scribere videtur, sed si pro fide Catholica aliquid apertè loquitur, tum Origenes *erroribus plenus est*, *& hæreses multas habet*. Ita Iuellus quasi dictator perpetuus, quos & quando adlibuerit, Patres, & Sanctos censet, & æstimat.

Iuellus.

Ipse etiam Episcopus Romanus ait. [Etiamsi Pontifex innumeros secum in profundum inferni pertraheret, nullus tamen mortalis audeat eum reprehendere, nisi à fide defecisse reperiatur.]

D. Stapletonus.

Hoc mendacium apertum est, nihil tale habet Episcopus Romanus, verba illius non sunt. Quidam è fratribus Iuelli libellum quendam famosum edidit cum hac inscriptione, *Protestatio Papæ*, frater illius inquam hunc librum emisit, & quiquid in eo reperitur id Iuellus (vt videtur) pro vero, & indubitato habet. Sed si ex animo veritatem dilexisset, aut Lectorem vera instructione infarmare studuisset, ipsum autographon inspicere, & quia verus Author, & qualia illius essent verba, inuestigare debuisset. Verba quæ Iuellus allegat in decretis reperiuntur, sed non referuntur, vt verba Pontificis Romani, sed Bonifacij Martyris, nec sensum eum habent, quem Iuellus insinuat, [mortalis nullus audeat illum reprehendere, sed, Huius culpas istic redarguere præsumat mortalium nullus.] Distinct. 40. si Papa.

Quibus verbis humilem obedientiam populi Christiani erga superiores declarare, non mandato aliquo populo Christiano silentium indicere videtur. Et ratio statim subsequitur. [Quia ipse omnes homines iudicare debet, à nullo autem iudicari.] Si hæc Sanctissimi Martyris oratio insolentior paulò Iuello videatur, in memoriam reuocare poterit, quomodò Concilium 3000. Episcoporum Sinuessæ anno Domini 300. conuocatum, Marcellum Summum Pontificem, qui sacrificauerat idolis, & testimonio 72. testium de facto conuictus erat, non præsumpsit condemnare.

Quid ergo nempè postquam ipse suo judicio scripsum in celeberrimo illo consessu sponte condemnasset, Concilium sententiam ipsius confirmauit Tom. 1. Concil. in condemnatione Marcellini, & addidit. [Iuste ore suo condemnatus est, nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquam.] Tum vbi Bonifacius asserit, non debere redargui, nisi à fide deuiasse inueniatur, innuit apertè, posse contingere, vt Pontifex incidat in errorem, non autem colligitur, posse eundem errorem aliquem actu publico decernere, aut aliquid contra fidem authoritate sua credendum proponere.

Iuellus.

Denique Nicolaus Lyra cogitur asserere, [compertum est multos Pontifices fidem deseruisse.]

D. Stapletonus.

Certè valdè debilis est hæc conclusio, cui fulcrum adeò debile attignasti, sed esto. Demus multos Pontifices fidem Christi, imò & ipsum authorem fidei, ipsum Christum flagitiosis moribus deseruisse, demus aliquas opiniones minimè sanas sustentasse, Iuellus adhuc neminem attulit, qui decreto suo hæresim aliquam docuerit. Hoc probasse opportuit Iuellum, hoc Lector meritò expectabat.

Iam tandem (custodi Paracleto laus perpetua) Iuellus venenum, quod contra Sanctam hanc Sedem diù conceperat, eructauit, & quindecim ætates, & amplius, & in illis 330. Pontifices summos oculo, & animo malitiosè curioso decurrens, neminem inuenit, qui vllum errorem, aut hæresim decreuerit, aut doctrinam vllam rectæ fidei contrariam, Orbi Christiano credendum proposuerit. Quare, vt videtis, malitia Iuelli, & confœderatorum suorum è cathedra pestilentiæ Cathedræ Sancti Petri inde sinenter oblatrantium, efficere nec potuit adhuc nec vnquam poterit, quin preces Christi effectum suum plenum ex hac parte sortiantur.

D. Hardingus.

Habuisse semper Episcopum Romanum curam, & iurisdictionem in omnes alios Episcopos, præcipuè Orientales (nam quod ad Occidentales attinet, illud apud omnes in confesso est) præter multa alia argumenta, hoc vnum magnum momentum habere mihi visum est, quod habuerit in Oriente tres Vicarios, qui vicem eius gerent, & hodiè delegati vulgo nuncuparetur.

Primus erat Episcopus Constantinopolitanus, de quo mentio est [in epistola Simplicij ad Achacium Constantinopolitanum.]

Alter erat Episcopus Alexandrinus, vt epistola Bonifacij Secundi ad Eulalium testatur.

Tertius erat Episcopus Thessalonicensis, vt fusè declaratur in epist. 82. Leonis [ad Anastasium Thessalonicensem.] Si quis has epistolas perlegerit attentè facilè intelliget, omnes Episcopos Græciæ, Asiæ, Syriæ, Ægypti, totius denique Orientis obedientiam, & obsequium Episcopo Romano præstitisse.

Iuellus.

Falsum 109. Nam Episcopi Orientis eiusmodi subiectionem, & obedientiam Episcopo Romano nunquam præstiterunt.

D. Stapletonus.

Quid ergo ad argumentum Domini Hardingi respondes? Tres Legatos Pontificis Romani ab eo in Oriente locatos memorat. An non Legati ab eo constituti Episcopo Romano subditi erant? An non eidem obedientiam præstiterunt? An non irrefragabilia sunt testimonia, quæ D. Hardingus citauit? Epistolæ Simplicij ad Episcopum Constantinopolitanum, Bonifacij Secundi ad Eulalium Alexandrinum, Leonis ad Anastasium Thessalonicensem. Au non veræ, & genuinæ sunt eorum epistolæ? An non voluminibus Conciliorum insertæ incorporantur? An non omnea intra spatium præscriptum 600. annorum continentur? Dic, age, quid ais? quid ni respondes? An transmutatus in Aristotelis auritum pecus semper plus negabis, quàm Aristoteles ipse probare poterit? Beneuole Lector Textum Iuelli, & hunc locum quæso, vt inspicias, inuenirs illum ad hæc testimonia ne syllabam quidem respondisse. Quid ergo? Nempè, vt asinus impudens rure educatus, negationes è naribus effluat, & rudens audacter aie.

Iuellus.

Hæc non modò vera non sunt, sed ne vmbram quidem, aut speciem aliquam veri habent.

D. Stapletonus.

Satis profectò audacter. Sed si Iuellus vel vnicum proferat verbum quo testimonia hæc falsa esse conetur ostendere, tum retrograda transmutatione ex asino Aristotelico fiat Aristoteles, neutiquam impedio. Interim vide quid sequatur.

Iuellus.

Hæc testimonia Leonis, Symmachi, & Bonifacij, vt sine voce introducuntur, ita sine responsione possunt dimitti.

D. Stapletonus.

Si vera non sint, quid ni probes falsa esse? Si vera sint, quid est, quod sine responsione prætereantur? Totum quod à te responsi loco subiangitur his verbis continetur.

Iuellus.

Vtcumque iste Bonifacius Secundus, vt causam suam sustentaret coactus erat asserere S.Augustinus 437. pium Patrem, & reliquos Episcopos Africæ, Numidiæ, Pentapolis, & aliorum Prouinciarum adiacentium qui 438. superbo Episcopi Romani Conatui restiterunt, & Concilium Nicænum ab eo apertè falsatum 439. deprehenderunt, pænitùs inflammatos 440. & à spiritu diabolico fuisse abductos.

D. Stapletonus.

Supponamus animi gratia, hæc quæ dicis esse vera, quid hæc omnia ad Episcopum Alexandrinum Legatum Summi Pontificis, & (vt in epistola Bonifacij apertè effertur) vices eius ibidem gerentem? quid hæc inquam ad rem? nisi hoc modo argumentum instituere velit Iuellus.

[Bonifacius Episcopos Carthaginenses iniustè condemnauit. Ergo Episcopus Alexandriæ non erat illius Legatus.]

Sed videamus, quot mendacia magnus iste artifex in paucis comprehenderit (nam magni artificis est multa clausisse in exiguo.)

Primò S. Augustinus non erat è numero eorum, qui vltimam illam epistolam Africani Concilij ad Innocentium scripserunt, illam intelligo ex qua crimen falsi à Summo Pontifice commissum. Iuellus probare conatur, nomen & suscriptio S. Augustini ibi non est, licèt in alia epistola ad Bonifacium reperiatur. At si præsens fuisset, non debuit sine dubio abesse, aut omitti nomen eius, vtporè qui totius Prouinciæ Numidiæ Legatus erat.

Secundò nihil insolens, aut superbum tentauit Summus Pontifex, illud solummodò vendicauit, quod tam Nicænum, quàm magnum Concilium Sardicense Decreto Synodali priùs Sedi Romanæ adiudicauerat.

Tertiò à crimine falsi immunis est, nec falsauit Nicænum Concilium, vt in superioribus à me probatum est.

Quartò, Bonifacius de Episcopis Africanis non dicit *pænitùs inflammatos, & abductos à Diabolo*. (Hæc tua sunt, & venena aspidum sub labijs tuis Iuelle) sed fecisse ea quæ fecerant *instigante Diabolo*.

His quatuor mendacijs, adeò artificiosè compactis, ad testimonia allegata respondere spectat, & probare eadem non modò esse vera, sed vt ipse Iuellus ait, ne *vmbram quidem*, aut vllam *speciem veri* habere, quod quàm sit impudens mendacium ipsa verba Authoris satis apertè indicabunt; Leo Papa ad Athanasium Episcopum Thessalonicæ scribens, hoc modo eum alloquitur, in sexto Concilio gener. Theodor. epist. Thessalonicæ Legatus Sedis Romanæ intitulatur. [Quoniam sicut prædecessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum vices mei moderaminis delegaui, vt curam quam principaliter vniuersis Ecclesijs ex diuina institutione debemus imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apostolica Sede Prouincijs præsentiam quodammodò nostræ visitationis impenderes, quia de continenti opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reseruares.]

Hæc sunt verba doctissimi pariter, ac Sanctissimi Patris Leonis, quem Concilium quartum Calcedonense mirum in modum laudauit. Ex quibus verbis apparet Episcopum Thessalonicæ non à Leone solùm, sed à prædecessoribus suis in illa parte Orientalis Ecclesiæ, & in Prouincijs finitimis Legatum fuisse constitutum. Hinc magnum Concilium Sardicense, diù ante Leonis tempora, eo quod innumeri Sacerdotes, & Diaconi coram huius Pontificis Legato litem experiundi causa incessanter in illam Ciuitatem confluerent, decreto suo cauit, Act.6. Concil.Sardicen.can.20. Ne eiusmodi Sacerdotes, aut Diaconi longas moras ibidem protraherent.

Similiter Simplicius Papa ad Achacium Constantinopolitanum scribens submiratur, quod de statu Ecclesiæ suæ eum nondum fecerit certiorem, præsertim cum postularet, [vt participata sollicitudine litteras apud Principem prosequeretur, & instituti veteris memor in Orthodoxorum defensionem semper incumberet. Bonifacius II. Tom.1. Concil. ad Eulalium Episcopum Alexandrinum scribens, & de reconciliatione Africanorum certiorem eum faciens ait. [Vota nostra charitatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructus reddatur extorris.]

Sic vt Leo Pontifex Anastasius Legatum suum Thessalonicæ residentem curæ vniuersalis adiutorem appellat, ita Simplicius, & Bonifacius Episcopos Alexandriæ, & Constantinopolens *sollicitudinis participes*, vtpotè Legatos suos in illis Prouincijs existentes nuncupabant.

Et hucusque progressi sumus probando Episcopos Orientis Episcopo Romano subiectos fuisse. Quod etiam ex ijs, quæ superiùs dicta sunt de appellationibus Sancti Athanasij, Chrysostomi, Theodoreti, Flauiani, Ioannis Talaydæ, Pauli, Marcelli, Asclepæ, Luciani, & multorum aliorum Episcoporum Orientis, euidenter pariter, ac sufficienter apparet.

Nihilominùs Iuellus paratior ad opponendum, & ad resistendum veritati, quàm ad respondendum argumentis, quæ pro veritate afferuntur, quasi dubitationis plenus, sed in nulla re stabilis, & sibi constans. (Semper discens, & nunquam ad perfectionem scientiæ perueniens:] vt inquit Apostolus, 2. Timoth. 3. [in reprehendendis Catholicis peritior] (vt de Manichæis notat S. Augustinus) lib. de vtilit. credendi cap. 1. quam in assertionibus suis confirmandis. Etiamsi ad testimonium allegatum nihil habet, quod respondeat, contra assertionem tamen aliquid habet, quod obijciat. Sic enim ait.

Iuellus

Iuellus.

Qui Historias legerit, & praxim ætatum præteritarum consideraverit, facilè perspiciet quale obsequium Episcopi Orientis, Pontifici Romano præstiterint.

Primò Concilium Nicænum cuique Patriarchæ suam Prouinciam seorsim assignauit, & cauit, ne alter alterum vllo modo in officio turbaret, iussitque Episcopum Romanum (vt Rufinus narrat) *Ecclesias suburbanas*, id est, Ecclesias Prouinciæ suæ ambitu comprehensas regere, & gubernare.

D. Stapletonus.

Quomodò hoc intelligi debet à me aliqua ex parte explicatum est. Sed de eadem te in confutatione Apologiæ fusiùs tractatur, triuialibus huiusce modi obiectionibus facilis hæc sufficiat solutio.

Iuellus.

Hinc S. Athanasius Romam appellat Metropolim, Matricem, siue Matrem Ecclesiam, Romanæ iurisdictionis.

D. Stapletonus.

Malè colligis, nulla est sequela. Athanasius in Epist. ad solitar. vitam agentes, illo in loco exponens grauem Arianorum persecutionem contra Liberium Pontificem intentatam, & nefarium illorum scelus exaggerans, ait. [Ne Liberio quidem Episcopo Romano pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd sedes illa Apostolica esset, vel quod Roma Metropolis esset Romanæ ditionis.] Ex hac particula disiunctiua, quæ inter Sedem Apostolicam, & Vrbem Romanam distinctionem ponit, facilè colligitur S. Athanasius Metropolim, non pro Matrice Ecclesia, vt Iuellus transtulit, sed pro primaria Ciuitate accepisse.

Alioquin si Iuellus seriò, & examino loquatur, cùm affirmet, idque *ex mente Athanasij*, Romam esse primariam, & Matricem Ecclesiam totius iurisdictionis Romanæ, tum certè non solùm Diœcesis, aut Prouincia Romana, sed tota Ægyptus, Græcia etiam, imò tota Orientalis Ecclesia (quia tunc ad Romanam pertinebat iurisdictionem, vtpotè Constantio Romano Imperatori subiecta) Sedi Romanæ, vt primariæ, & Matrici Ecclesiæ (teste Athanasio, & suffragante Iuello) subijcietur.

Certè fuisse Athanasium Episcopum Alexandrinum Pontifici Romano subiectum apertè constat, in Histor. trip. lib. 4. cap. 6. cap. 15. tum quod Athanasius authoritate Iulij Pontificis Romam citatus ibi comparuit, ibi causam suam egit, & per litteras Summi Pontificis sedi suæ Episcopali restitutus erat, tum quod multoties ab Arianis persecutionem passus, secundò ad Romanum Pontificem prouocauit.

Iuellus.

Et propter hanc causam Episcopi Orientis in epist. sua ad Iulium eundem Summum Pontificem, conseruum salutant, & Cyrillus ad Cœlestinum scribens, fratrem eum appellat: conseruus, & frater sunt tituli æqualitatis non subiectionis.

D. Stapletonus.

Doctè Iuellus argumentatus est, & in primis Theologicè: Christus in Euangelio Apostolos appellat fratres etiam post resurrectionem, & glorificationem. An propterea caput Apostolorum esse desijt? Vide in quas incidit blasphemias Sophista nugiuendulus, quid quod in fine huius articuli cogatur confiteri S. Petrum Apostolorum caput extitisse, cui tamen Christus palam dixit, *& tu conuersus confirma fratres*. Et hoc exemplo Christi motus Pontifex olim, & hucusque ad Episcopos, quoscumque scribens, *fratres, collegas, & consacerdotes* eos salutat, Metropolitanus ad Episcopum prouinciæ suæ, & quilibet Episcopus ad sacerdotem sibi subditum scribens, eodem titulo eos compellat: vnde hæc omnia nisi ex mandato illo Saluatoris nostri: *quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus*. Sacerdotum minimus in officio sacerdotali ipsi summo Pontifici æqualis est, potestate, & iurisdictione alter alteri subiectus est. Intuitu officij ergo fratres, collegæ, & consacerdotes appellantur. S. Aug. ad S. Hieronymum sacerdotem scribens, fratrem eum appellat, quid tum posteà? An propterea sacerdos Episcopo æqualis est authoritate, & iurisdictione? Cœlestinus ad Cyrillum scribens fratrem eum appellat, qui tamen in Concilio Ephesino Legatus eiusdem Cœlestini extitit. Eiusmodi exempla infinita adduci possent. Inspicite volumina Conciliorum, inspicite Episcoporum ad Metropolitanos suos epistolas, aut ad sacerdotes suæ Diœceseos fratrum nomine omnes compellari inuenietis, cùm tamen alter alteri obedire teneatur, & subordinario à legibus Ecclesiasticis constituta necessariò seruanda sit. Dicas mihi Iuelle, si quando ad ministrum aliquem diœcesis Salisburiensis vbi pro Episcopo te ipsum iactitas, literas dirigis, An non eum fratrem compellas? Nisi hoc facias, in sublimiori genere scribis, quàm veri Episcopi soleant, & insolentiori veteris stylo. Si iuxtà morem antiquum hoc facias, An propter fratris titulum definit minister Episcopo subijci? Nugatorijs hisce Iuelli argumentis tantoperè immorari planè pudet: sed ex his facilè est conijcere, quam sit inops rerum, & quàm miserè laboret argumentorum penuria, dum inanes has nugarum quisquilias adeò impensè consectatur.

Iuellus.

Certum est nonnullos ex Episcopis Romanis hanc præeminentiam non ita multis ab hinc annis quærere incœpisse, idque falsando, & corrumpendo Concilia (vt priùs à me pro-

probatum est) tentasse: sed aliarum prouinciarum Episcopi nihil eis concedere, aut de inanibus hisce titulis iuxtà cum ijs vnquam sentire voluere.

D. Stapletonus.

Certum est Iuellum omnes primitiuæ Ecclesiæ Pontifices intrà spatium 600. annorum, & amplius à Christo impudentissima calumnia, vt priùs à me probatum est, affecisse: Certissimum est omnes alias prouincias non titulo tenus, vt nugator iste garrit, sed ex vero affectu obedientiæ, idque in rebus grauissimis, & maximi momenti, Romano Pontifici quasi ipsius Christi Vicario, obedientiam exhibuisse.

Iuellus.

Episcopi Orientis ad Iulium Romanum Pontificem scribentes asserunt, fidem eam, quæ tunc temporis Romæ viguit, ab ijs primum profectam esse.

D. Stapletonus.

Episcopi illi Ariani erant, & hoc affirmantes splendidè mentiti sunt, & mendacio illorum Iuellus aliquid addidit, dum ait, *fides quæ tunc temporis Romæ viguit*. Nam verba eiusmodi in illa epistola non inueniuntur.

Iuellus.

Et Ecclesias suas, vt Sozomenus lib. 5. cap.8. scribit, *Ecclesiâ Romana inferiores existimari non debere*, nec, vt Socrates lib.2. c.15. scribit, *ab Episcopis Romanis ordinari debere*.

D. Stapletonus.

Certè Iuelle domino tuo diabolo egregium præstas obsequium, nam pestilentissimis Arianis, hæreticis blasphemis,& Deitatis Iesu Christi apertis hostibus teipsum palàm adiungis. Sanctissimis, atque doctissimis Patribus nuncium remittis; Athanasio Alexandrino, Paulo Constantinopolitano, Marcello, Asclapæ, Lucio, & nobilissimo confessori Hosio Cordubensi, & alijs infinitis Catholicis Episcopis, qui è Thracia, Cœlesyria Phœnicia, Palæstina, Romam confugerunt, Summo Pontifici subiecti erant, supremam illius potestatem agnouerunt, quoniam vt Sozomenus hist. trip. lib.4. cap.7.8. & 9. ait: *propter sedis dignitatem omnium ad ipsum cura pertinebat*. Et hi omnes ab Arianis male mulctati erant, & sedibus suis violentèr eiecti. His omnibus Iuelle nuncium remittis: hos omnes apertè deseris, & teterrimis hæreticis teipsum adiungis, qui præter quam quod blasphemias contrà Christi Deitatem publicè docuerunt, sanctissimos, & pijssimos Episcopos è sedibus suis iniustè expulerunt, imò Summum Pontificem, quia illorum quasi pater communis curam suscepit, maledictis, & contumelijs proscinderunt. Facta hæreticorum diligentèr conquiris. Inobedientiam Donatistarum, qui à Summo Pontifice ad Imperatorem prouocabant, pro fundamento causæ tuæ arripis, & Imperatorem esse suprà Summum Pontificem exinde colligis lib. 3. cap.8. Cùm tamen ipse Imperator vehementer Donatistarum insaniæ succensuerit, & cùm interpositam esse appellationem audiret, alta voce exclamaret, *O rabida furoris audacia sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*, Optat. lib.1. Eccum Iuelle delirias tuas; hi barbari Donatistæ socij tui, hæ ethnicæ appellationes exempla tua: Ariani blasphemi fratres Iuelli sunt, his sese adiungit, horum facta curiosè exquirit, approbat, amplectitur, & *rabidam furoris audaciam* pro regula iuris statuit. Sed ad hanc impudentem, & hæreticam illorum rebellionem, quid responsi adhibuit Iulius Pontifex? Quæso te bone Lector si quos in literis progressus feceris, responsionem ipsius ipse perlegas, & perpendas, vt ab ipso Athanasio in secunda epistola refertur.

Respondet quidem Pontifex humillimis verbis, doctè, & benignè, & ad illorum petitiones aures suas adeò inclinat, vt Iuellus ex verbis aliquibus, & sententijs ipsius Pontificis artificiosè confusis, nullam eum habere in Episcopos Orientis iurisdictionem probare conatus sit. Verba à Iuello allegata priùs attulimus, & per alia verba ex eadem epistola responsionem ijsdem adaptauimus. Vt plenè intelligas quomodo isti Episcopi Orientales sese in hac causa gesserunt, & quales erga Iulium Pontificem sese præstiterunt, eò te remitto. Intelliges profectò non obstante superbia, & inobedientia Arianorum, quibus Iuellus sese adiunxit, & quorum facta tuetur: intelliges, inquam, Sedem Romanam id genus officij, & obsequij, tam ex consuetudine, quàm virtute Canonis, & decreti ab illis poposcisse, quod Athanasius, & socij eius vltrò agnoscentes studiosè præstiterunt. Quid dicam amplius Iuelle? id solùm restat (quod æquum, & iustum est) si vrgeas tanto operè exempla hæreticorum, si facta illorum vtcumque enormia pro rectè factis habeas, id inquam restat, vt te pro hæretico haberi æquo posthac animo patiare.

Iuellus.

Gennadius Episcopus Constantinopolitanus cum Concilio ibidem congregato ad Episcopum Romanum in hunc modum scribit: *curet sanctitas tua vniuersas custodias suas sibique subiectos Episcopos*.

D. Stapletonus.

Verba hæc, vt hìc Latinè ponuntur, haud multum iuuant Iuelli causam, quare arte sua ordinaria vtitur, & Anglicè vertendo, & verba aliqua omittit, & sensum peruertit. Nam vt limites aliquos Summi Pontificis iurisdictioni, quæ in his verbis paulò amplior illi visa est, imponat, signum vniuersale, *vniuersas* planè omisit, & pro *subiectos*, constitutos inseruit. Sed si placuisset Iuello, aut locum hunc quem citauit, vbi reperiatur indicasse, aut quo tempore Gennadius iste vixerit candidè significasse, sine dubio circumstantiæ loci responsi aliquid suppeditassent, & probationum imbecillitas clariùs eluxisset.

Quod

Quod attinet ad Gennadium, ausim asserere pro spacio 600. annorum à Christo vnum solummodo eius nominis sedem Constantinopolitanam occupasse, qui paulò post Concilium Chalcedonense in ea sedit, successor Anatholij, & Achacij prædecessor, vir magnæ eruditionis, virtutis, & sanctitatis, vt è Nicephoro lib.5. cap.23. & Trithemio in script. manifestè constat. Hunc aliquid eiusmodi scripsisse adhuc non inueni, aut ab eo, dum ipse sedem illam gubernauit, habitam esse Synodum aliquam, nondum comperi. Si ergo Gennadius iste scriptor aliquis neotericus, & recentior sit, hac in re testimonium illius haud magni momenti est, cùm omnes docti sciant EcclesiamConstantinopolitanam per multa sæcula in schismate conseuuisse, & non solùm per obstinatam inobedientiam, sed etiam quia multas admisit hæreses, & in primis processionem Spiritus sancti à filio pertinacitèr neget, à communione Sedis Apostolicæ iam olim abijsse. Præterea sedes Constantinopolitana ita hodie sese habet, vt licèt Sedi Romanæ duodecies fuerit reconciliata, diù tamen, & per multos annos pertinax in schismate contabuerit. Quare valdè necessarium mihi visum est, quandoquidem Iuellus testimonium à loco suspecto afferat, vt & sæculum in quo Concilium illud habitum fuerit, & quo volumine reperiri poterat aliquo indicio iudicaret. Hoc scio, Chrysostomum Sanctissimum, & doctissimum Episcopum Constantinopolitanum, qui etiam intrà spacium 600. annorum à Christo nato floruit, apertè profiteri, Christum Dominum Sancto Petro, & successoribus, oues quas sanguine suo redemerat, commisisse, eidemque primatum in Orbem vniuersum tradidisse. Et vt suprema illa dignitas comprobetur non opus est longiùs abire, ipse enim Chrysostomus vnus è pręcipuis Patriarchis ad Innocentium Pontificem Romanum, & S. Petri successorem (vt priùs à me declaratum est) prouocauit. Haud alitèr Flauianus Sanctissimus Martyr, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarcha, ad Leonem I.

Iuellus.

Concilium Alexandrinum visitationem, & reformationem omnium Ecclesiarum Orientis Asterio, & omnium Ecclesiarum Occidentis Eusebio Vercellensi commisit. Virtute illius commissionis Eusebius vnà cum Hilario omnes Ecclesias Illyrici, Galliæ, & Italiæ visitauit, & reformauit, vt in Ruffin. lib.1.cap.29.30.31. Quidni à te quæram vbi tunc latuit vniuersalis illa potestas Episcopi Romani?

D.Stapletonus.

Imò Iuelle si hæc vera sunt, quidni à te quæram vbi ipse Episcopus Romanus tunc temporis latuit? vbi peculiaris illius iurisdictio, vbi propria illius diœcesis? Ipse iamdudum palàm confessus es, tam virtute decreti Concilij Nicæni, quàm ipsius Athanasii testimonio, Romanum Episcopum è quatuor Patriarchis vnum esse, & Romanam Ecclesiam totius iurisdictionis Romanæ praecipuam esse. Si Italia in qua ipsa Roma sita est Romani Episcopi iurisdictioni non subiiciatur, vbi quæso reperiuntur illius subditi? Ipse, Iuelle, statim fateris, & auctoritate Damasi probare contendis, Illyricum ad iurisdictionem Sedis Apostolicæ Romanæ pertinere. Quod ad Galliam attinet, si Patriarchę Romano subiecta non fuerit ostende quis Patriarcharum eandem gubernabat. Quare si neque Illyricum, neque Gallia, neque ipsa Italia Sedi Romanæ subiici deprehendatur, si hæc quæ tu fabularis aliquid veri habeant: non modò quæri potest, vbi tunc temporis latuit vniuersalis iurisdictio Sedis Romanæ, sed vbi vlla vspiam terrarum reperta erat? Atque ita dum Iuellus nimis cupiat vniuersalem iurisdictionem Sedis Rom. euacuare, viam adinuenit, quia omni iurisdictione, etiam in territorio Romę Episcop. Romanum spoliet. Certè perindè hoc vltimum, ac illud alterum ex præmissis infertur. Sed video impossibile esse, vt Iuellus vsum mentendi diù intermittat.

Nam primò in illo Concilio nulla data erat potestas *Ecclesias corrigendi*. Deinde id quod Hilarius egit, non in virtute commissionis vllius, sed auctoritate propria, & zelo pio motus præstitit. Denique totum hoc negotium reformationis, non ex mandato aliquo, sed sponte, & voluntario ex zelo, & studio reducendi ad gremium Ecclesiæ quosdam quos turbo persecutionis abripuerat, susceptum; continuatum, & exaltatum erat. Hæc tria mendacia egregius iste mendaciorum artifex paucissimis verbis complexus est, vt è Ruffino lib.1. cap. 27. quem Iuellus allegat statim apparebit. Quamprimùm defuncto Constantino Ariano Imp. Iulianus primatum obtinuisset, non tam zelo fidei, quàm *perperam gesta Constantij arguens, Episcopos iubet de exilijs relaxari*. Hac vsi commoditate multi Episcopi priusquam ad Sedes proprias remeassent, Alexandriæ coeuntes Concilium inierunt, quo modo cum iis qui in absentia sua Arianis subscripserant agendum esset. Alii in ea erant opinione, vt putarent neminem è clero qui subscripserat, ad officii sui executionem recipiendum esse. Aliis rectum visum est, *vt tantum perfidia amputatis auctoribus reliquis Sacerdotibus daretur optio*, modò abiurato perfidiæ errore, ad fidem Patrum reuerti, & statuta suscipere velint. Hæc sententia tandem obtinuit, & incontinenti, *Ex Concilij decreto Asterio cæterisque, qui cum eo erant Orientis iniungitur, procuratio, Occidentis verò Eusebio decernitur*. Qualis autem fuerit hæc commissio, an quasi ex delegatione data fuerit auctoritas corrigendi; ex verbis historiæ in cap. subsequenti colligere potestis. [Eusebius circuiens Orientem, atque Italiam, medici pariter, & Sacerdotis fungebatur officio. Singulas quasque Ecclesias abiurata infidelitate ad sanitatem rectæ fidei reuocabat. Maximè quod Hilarium regressum iam & in Italia positum hæc eadem erga instaurandas Ecclesias Sedemque Patrum reparandam reperit molientem,] Hæc ea sunt quæ de ijs narrat Ruffinus. Nempè lapsos in perfidiam ad fidei sanitatem reuocare satagebant. Sanctum Hilarium idem sponte sua sine vlla commissione molientem inuenerunt.

Hic

Hic non apparet visitatio ordinaria, aut correctio aliqua ex auctoritate, sed pium opus ex zelo, & reformationis studio Deo inspirante susceptum. Quale fortassis multi pij viri, si locus ullus reformationis in nostra Anglia concederetur ultro susciperent, idque sine ulla iurisdictionis Episcopalis in sua Diœcesi, aut primatus summi Pontificis in vniuerso Orbe læsione. Atque hoc modo Iuellus historias falsificando, & perperam applicando, schismaticam inobedientiam stabilire conatur.

Iuellus.

S. Basilius ait. Salutem, & incolumitatem Ecclesię Antiochenę ex Athanasio Episcopo Alexandrino pendere, non vt *D. Hardingus ait* ex Episcopo Romano, ac propterea rogat S. Athanasium, vt eidem prospicere velit.

D. Stapletonus.

Deus bone! quid mendace infœlicius? ne sententiola quidem ullius momenti sine manifesta, & notabili falsitate à Iuello allegari contingit. Posteriora verba sententię è S. Basilio à Iuello allata, & eodem charactere cum verbis Sancti Basilij impressa: verba, inquam, hæc non ex Episcopo Romano, haud reperiuntur in loco Sancti Basilij siue Græco siue Latino, sed à Iuello dextrè inseruntur, vt mendacium illud exornet, quo asserit Episcopos Orientis Episcopo Romano nullam subiectionem præstitisse. Verba Sancti Basilij ep.48. hæc sunt: [Ad reliquas equidem Orientis res componendas fortassis ampliore auxilio tibi opus est, & necesse est expectare Occidentales. Antiochensis verò Ecclesiæ ordinatio palàm ex pietate tua dependet, vt alios gubernes, alios quietos reddas, Ecclesiæ verò robur per concordiam reddas.] Eò tendunt hæc verba Sancti Basilij: rogat scilicet Sanctum Athanasium, quia tam propter venerandam canitiem, quam propter singularem illius in tot tantisque tentationibus constantiam magna auctoritate pollebat, vt aliarum etiam Ecclesiarum quas sęua Arianorum persecutio sub Valente Imperatore miserè diuexabat, ad tempus saltem curam suscipere haud grauaretur. Priùs petierat, vt aliquos ex sancta sua Ecclesia viros doctos, & discretos ad Occidentis Episcopos dimitteret, qui eos de rebus aduersis, quæ ijs contigerant certiores facerent. Sed quia, vt Basilius ibi ait, Antiochia Ecclesiarum Orientalium caput, & pars principalis erat, rogat vt illius Ecclesiæ Antiochenæ præcipuam interea curam habere velit. Hoc illud est quod Sanctus Basilius à Sancto Athanasio efflagitat non quasi iurisdictionem haberet in Antioch. sed quia ætate, & auctoritate præstans multum prodesse Ecclesiæ Dei posse spectabat, vt in alia epistola Exod. 53. loquitur, [alloquendo, admonendo, scribendo, mittendo semper aliquos qui optima suggerant.] Sed quia Iuellus ex hoc Sancti Basilij facto negatiuum conficit argumentum, & vt plus auctoritatis præ se ferat, introducit Sanctum Basilium asserentem salutem, & incolumitatem Antiochenæ Ecclesiæ ab Athanasio, non [ab Episcopo Romano dependere.] Videamus quid de hac eadem re idem Basilius ad eundem Athanasium ep.52. alibi scribat. [Visum est autem mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hic geruntur consideret, detque consilium, & quoniam difficilè est vt communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in ista causa vsus, viros eligat, ad ferendas quidem itineris molestias idoneos: verùm iuxta ad hoc accomodandos, vt mansuetudine, & facilitate ingenij eos qui distorti, & obliqui apud nos sunt corrigant, aptè ac dispensatoris sermonem attemperantes omniaque secum habentes, quæ in Ariano ad necessariam solutionem gestorum illic facta sunt.] Hæc sanctus Basilius Orientalis Ecclesiæ Episcopus; ampliorem quam Iuellus libenter audire vellet auctoritatem, etiam in Ecclesia Orientali Episcopo Romano tribuens. Tantum abest, vt dum Antiochiam curæ Athanasij commendat auctoritatem Sedis Apostolicæ excludere intendat, quod Iuellus non solùm falsò colligit, sed & sanctum Basilium illud asserentem introducit, verba illa, [non ex Episcopo Romano,] textui Basilij fraudulenter inserens. Cùm nec verba ibi reperiantur, & à sensu & iudicio sancti Basilij plurimum abhorreant.

Iuellus.

Imperatores Honorius, & Theodosius ordinabant, & constitutione sua sanciebant, vt omnes lites in Illyrico nascentes non ab Episcopo Romano, sed ab Episcopo Constantinopolitano cognoscerentur, & finirentur. Verba Imperatoris hæc sunt: *Ecclesia Constantinopolitana iam gaudet prærogatiua antiquæ Romanæ.*

D. Stapletonus.

Hoc notorium mendacium priùs allatum, responsum habuit. Sed hoc in loco ad fulcimentum alterius falsitatis iterum introducitur. Falsum secundum sequitur his verbis.

Iuellus.

Et ipsa Glossa eandem legem Honorij, & Theodosij exponens hæc habet verba. *Imperator ait, Patriarcham Constantinopolitanum, eandem auctoritatem in plebem sibi subiectam habere, quam habet Episcopus Romanus in plebem suam.*

D. Stapletonus.

Sine dubio, Iuellus dum hæc scriberet, in arte mentiendi mortalibus omnibus palmam præripere in animo habuit. Glossa in illo loco non exponit legem Imperialem Honorij, & Theodosij, sed decreta Pontificum, & Conciliorum, quæ certè leges Imperiales non sunt. Et licèt in illa nota Glossa legem, quandam ad decretum applicet, non tamen illo in loco legem hanc Imperialem intelligit, aut hos Imperatores. Intelligit enim Au-

Authentica non Codicem, & legem à Iustinianio non ab Honorio, aut Theodosio editam. Sic enim citatur: vt in Authen. de Eccles. tit. §. 1. collat. 9. Hæc de falsa applicatione Glossæ ad legem Honorij, & Theodosij, iam quomodo Glossa intelligenda sit ipse textus Canonis indicabit. Textus è sexta Synodo dist. 22. renouantes desumptus hæc habet verba. *Renouantes sancti Constantinopolitani decreta Concilij petimus, vt Constantinopolitana sedes similia priuilegia, quæ inferior Roma habet accipiat: non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur vt illa, sed hæc secunda post illam existens prius quàm Alexandrina numeretur*. Ita se habet textus Iuelle, ita hunc textum Glossa exponens, ostendit? *Constantinopolim simile priuilegium in quibusdam habere*, verbi gratia, *quia ad ipsam appellatur medijs prætermissis, quia Episcopum deponit*. Postremò *quia idem iuris habet in subditis suis quod Papa in suis*. Nihilominùs Roma eidem omninò præfertur, & ipse Iustinianus, qui legem illam quam glossa allegat condidit eandem *caput omnium sanctarum Ecclesiarum appellat*. Ita, vt videmus, tam leges, & decreta quàm ipsæ quas allegat Glossæ contra proferentem directè procedunt.

Iuellus.

Ac propterea in testimonium euidens huius rei literæ communicatoriæ sine pacificæ reliquis Patriarchis collegis suis à Patriarcha recens ordinato dari solebant, in quibus mutuum consensum, & communionem in fide declarabant. Greg. lib. 1. ep. 24. 25. lib. 6. ep. 5. Hoc genus officij Episcopus Romanus erga alios, & alij erga eum præstiterunt. Hoc infallibile 451. indicium est omnes inter se auctoritate æquales fuisse, & neminem eorum in socios siue collegas suos potestatem, aut imperium habuisse.

D. Stapletonus.

Si hoc sit infallibile indicium, certè infallibile est, quia id asserit Iuellus. Nam si quis alius mortalium eiusmodi argumenta protulisset, meræ coniecturæ habendæ essent. Quales Iuello videntur omne D. Hardingi rationes, vtcunque in seipsis claræ, & euidentes. Sed ea iam auctoritate vtitur Iuellus, vt quælibet quam ipse adfert coniectura, *pro infallibili indicio* necessariò suscipienda sit. Quin age Iuelle, dic obsecro, nunquid literę communicatoriæ, siue pacificæ *infallibile indicium* æqualitatis præbent? Vbi obsecro, & inter quos eiusmodi literas cõmunicatorias reperisti? Reperiuntur scilicet, inter epistolas sancti Gregorij. Hunc enim solummodo in margine citas, & huiusmodi literas ab eo ad Episcopos Alexandriæ, Antiochiæ, & Constantinopolis transmissas commemoras. Sed si hic idem sanctus Gregorius, qui huiusmodi literas communicatorias Episcopo Constantinopolitano scripsit, apertè asserat Ecclesiam Constantinopolitanam Sedi Romanę subiectam esse, an non infallibile hoc indicium Iuelli, mendacium fallax deprehendetur? Nisi vt verba Iuelli vera euadant, sanctum Gregorium sibi ipsi contrarium pronunciare; aut ne Iuellus in mendacio comprehendatur, sanctum Gregorium mendacem efficere nequaquam dubitemus. Audiamus ergo quid Sanctus Gregorius lib. 7. epist. 36. affirmet, verba eius hæc sunt. [Nam de Constantinopolitana Ecclesia, quid dicunt? quis eam dubitat Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur. Tamen si quid boni, vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, vt bona quæ viderit, discere contemnat.] Hæc sanctus Gregorius: ex quibus manifestum est, non obstantibus literis communicatorijs ad Episcopum Constantinopolitanum in quibus eundem fratrem appellat, apertum est inquam, sanctum Gregorium Episcopum Constantinopolitanum, vt inferiorem alloqui; & Ecclesiam illius sibi subiectam esse non yereri palàm asserere. Et in epistola subsequenti de eodem Episcopo Cõstantinopolitano scribens ait: accusatum eum fuisse de quodam crimine, & iudicium causæ illius: *iuxta statuta Canonica*, annuente Imperatore ad sedem suam delatum esse, *iuxta statuta Canonica*, non ex voluntate sola, aut commissione ab Imperatore accepta. Si adhuc miretur Iuellus, quomodo huiusmodi literæ pacificæ, & tituli fraternitatis, mutuę charitatis indicia intercedere possint, cùm reuera æquales non sint: causam huius rei ipse Gregorius, lib. 7. ep. 64. his verbis significat, *cum culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt*. Atque eodem sensu Apostolus Rom. 13. ait. *Vis autem non timere potestatem? bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris time*. Hoc sensu Sanctus Gregorius frater Episcoporum, ijs amicè, & familiaritèr vsus est, vsque dum *culpa aliqua exegerit*, Si culpæ illorum ad vltionem prouocent aliquando, tum demum potestatis suę gladio, etiam ipsum Episcopum Constantinopolitanum Summo Pontifici dignitate proximum, percutere non dubitabat. Sic Ioannem Constantinopolitanum excommunicationis sententia percussit. Sic in causa Eusebij, eiusdem sedis Episcopi, sententiam tulit. Sic profitetur, & expressè affirmat, sedem Constantinopolitanam *Sedi Romanæ subiectam esse*. Ita tandem quod infallibile indicium Iuello visum est, ne coniectura quidem, sed inane figmentum omni veritatis colore destitutum comprobatur. Hisce & eiusmodi technis Iuellus rebellionem contra Sedem Romanam, & Christi catredram tueri solet. Hisce & similibus imposturis in laqueum schismatis incautos secum pertrahit.

Iuellus.

Quare 452. cùm Eulogius Episcopus Alexandrinus Gregorio tum Romano Episcopo hunc in modum respondisset, *sicut iussistis, &c.* lib. 7. ep. 30. id genus scribendi in posterum declinauit; quare iterum ad eundem scribens sic ait. *Vos quæso amouete hæc verba imperandi: nam & quis ego sim, & qui vos*

vos estis satis noti: si locum quem tenetis considero fratres, mei si mores pares mei estis: quapropter non imperabam, significaui solummodo quod optimum visum est.

D. Stapletonus.

Hæc magnam Sancti Gregorij humilitatem illustrant, hæc ea quæ priùs dixerat comprobant. *Cum culpa non exigit omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.* Et hoc sensu Apostoli sententia locum habet; *iusto non est lex posita.* In vniuersum hæc omnia vera sunt, Episcopi, & Sacerdotes fratres sunt, alter in alterum, *nisi culpa exigat*, imperium non exercet. Nisi leges violem, quid magistratui mecum? Iubere me non potest. Sed Dominus seruum siue rectè, sine secus agat iubere potest. Non ita primatum habet Papa, vt alios Episcopos iubere possit quasi seruos. Sed si Canones violent, eos in officio continet, aut auctoritate omni, & officio exuit. Sic S. Gregorius ipse licèt vocabula imperandi quantum possibile erat, diffugeret, ita tamen sese comparauit, vt nemini dubium esse possit, quin Ecclesia Constantinopolitana, quæ Ecclesiæ Alexandrinæ nullo modo inferior extitit, Sedi Romanæ subiecta cognoscatur. Sic Athanasius Episcopus Alexandrinus citatus coràm Episcopo Romano quasi superiore suo humiliter comparuit. Sic Cyrillus Episcopus similiter Alexandrinus in Concilio tertio generali Ephesino Cœlestini Pontificis Legatus extitit. Nihilominùs sicut sanctus Gregorius noluit imperare Eulogio, sic nec Iulius imperauit Athanasio, sic neque Cœlestinus in tertio Concilio generali Ephesino Cyrillo imperat. Quid tandem? ex his satis constat Iuellum dum schismaticam rebellionem contra sanctam Ecclesiam Romanam defendere satagat, nec rerum copiæ illi suppetant, loquendi formulas, & phrases aucupari coactum esse.

Iuellus.

Postremò 453. quia Michael Palealogus Imperator Orientis in Concilio Lugdunensi anno 1442. habito, precibus Romani Pontificis victus subiectionem Episcoporum Orientalium agnouisse, Domum rediens, & viuis exeunt sepultura Caruit. Nam Clerus sepeliri eum pati noluit, tamen D. Hardingus non erubescie affirmare omnes Episcopos Græciæ, Asiæ, Syriæ, Ægypti, totius denique Orientis humile obsequium, & obedientiam Sedi Romanæ prestitisse. Paulus Æmilius in hist. Gall. lib. 8.

D. Stapletonus.

O miserum Iuellum: vt susceptam prouinciam, id est, schisma suum tueatur, non solùm sacra Concilia adulterare, teterrimis hæreticis Arianis, & Donatistis sese adiungere, inanes coniecturas, & verborum formulas auidè sectari, S. Basilij textum apertè falsificare, verba decretorum falsò allegare, sed quasi cum extrema fortuna confligens, à schismatis Græcis, contra Spiritus sancti processionem blasphemis, subsidia emendicare tandem cogitur. Nam in illo Concilio Lugdunensi præsente Michaele Paleologo, non vt tu asseris anno 1442. sed anno 1280. habito, Græci sese subiecerunt, & Sedi Romanæ non solùm quoad primatum, sed etiam quoad processionem Spiritus sancti à Filio, totaliter reconciliati erant. P. Æmilius lib. 7. Propter hanc plenam reconciliationem (vt Blondus scribit) non tantùm, quia primatum summi Pontificis agnouit, à schismatio Clero adeò immaniter post mortem mulctatus erat. Decad. 2. lib. 8. Si adeò tibi cordi sit schismaticis te ipsum adiungere, si facta eorum approbes, quidni, & reliqua amplectaris? Quid ni latinos deserens totus Græcus fias? Sic tandem eueniet, vt quod multis, proh dolor, Græcis hodiè contingit, tandem Mahometem colas, & Turcis teipsum adiungas. Deus optimus maximus Anglis nostris rectiùs instillet consilium, & diuina eos imbuat gratia, vt pessimos hos seductores caueant, qui non nisi hæreticorum, & schismaticorum suffragijs, infinitis mendacijs, & apertis coruptelis, paradoxa impia defendere norunt.

D. Hardingus.

Pro summi Pontificis auctoritate in ordinatione, electione, & confirmatione omnium Episcoporum, multa exempla facilè adduci possunt. Primò illud (exempli causa) afferri potest, quod 90. Episcopi Ariani in Concilio contra Athanasium Antiochiæ congregato summum Pontificem Iulium humiliter rogabant, vt illos quos in locum Athanasij, Pauli, Marcelli, ipsi subrogauerant, auctoritate sua confirmare dignaretur.

Iuellus.

Falsum 100. Nam Episcopus Romanus Episcopus suæ prouinciæ, non autem omnes omnium prouinciarum confirmauit.

D. Stapletonus.

Ergo nominare potest aliquem Iuellus, qui pro vero, & Catholico Episcopo habitus, non confirmatus fuerit à summo Pontifice. Perlegat, qui velit, totum illius contextum, neminem ab eo nominari vllibi inuenier. An negatio hæc Iuelli locum habebit, hoc solùm nomine, quia ipse dixit? Dominus Hardingus exempla Episcoporum Arianorum attulit, qui (licet hæretici) Episcopos tamen, quos in loca S. Athanasij, Pauli, Marcelli, & aliorum subrogauerant, à summo Pontifice confirmari summoperè cupiebant. Ostendit D. Hardingus Episcopum Alexandrinum à Pontifice Leone, Episcopum Solonæ in Illyrico à S. Gregorio confirmationem obtinuisse. Quid? An contra hæc omnia satis erit Iuello more asini Aristotelici omnia pernegando difflare. Hist. trip. 4 c. 6. An non requirunt leges dialecticæ, vt in aliquo excipiat particulari, si propositionem vniuersalem velit destruere? Sine dubio ratio, & vsus scholæ id postulat. Sed cùm Iuello solida desint argumenta, fallaces quasdam vmbras, & inanes coniecturas consectatur; & quia ipse nihil pro seipso potest, contra ea

quæ nos afferimus aliquid dicere cupit. Quid dicat attendite.

Iuellus.

Quòd dicat Episcopum Romanum omnes totius Orbis Christiani Episcopos ordinasse, & admisisse, nullam habet speciem probabilitatis, & facillimè potest improbari.

D. Stapletonus.

Itane verò? sicci ne sese comparat Iuellus? Nos loquimur de confirmatione eorum, qui in sacro Episcopatus ordine iam constituti sunt; tu Iuelle, de ordinatione, & admissione nescio quid garris. Quasi D. Hardin. asseruisset, Episcopum Romanum per manuum suarum impositionem omnes totius Orbis Christiani Episcopos consecrasse. In hunc finem exemplum Agapeti Pontificis serió vrges, qui circiter annum 540. proprijs manibus Mennam Archiepiscopum Constantinopolitanum ordinauit, vna affirmans, Ecclesiam Orientalem, præter hunc vnicum à Pontifice Romano ordinatum, nullum vnquam accepisse. Cùm tamen Agapetus Pontifex *Proterium* Episcopum Alexandrinum, & *Anatholium* Episcopum Constantinopolitanum longè antea confirmasset. Sed hæc à proposito planè aliena esse, satis intelligit; quare loco excusationis subijcere placuit.

Iuellus.

Non me redarguat D. Hardingus, quòd ordinationem Episcoporum loco confirmationem eorum afferam, ipse enim confirmationem cum ordinatione, seu consecratione confundere, aut saltem simul coniungere videtur; verba illius hæc sunt: *Leo nullo modo adduci potuit, vt Anatholium consecraret, & confirmaret.*

D. Stapletonus.

Bone Deus quales nugæ, quantus nugator! Confirmationem loco consecrationis Iuellus collocat, quid ita? quia D. Hardingus videtur eas confundere. Si videatur tantummodo confundere, quid est quod tu Iuelle adeò intrepidè, & solemniter reipsa eas confundas? Sed & hoc quod asserit Iuellus, à verò alienum esse satis videt; quare seipsum hoc modo corrigit, *saltem coniungere videtur.* Animaduertite obsecro acumen hominis; quia hæc duo in eadem sententia coniunguntur, ex negatione vnus, negationem alterius infert. Sic si orichalcum, & caseus in eadem sententia conueniant, probabit Iuellus, me caseum non posse comedere, quia comedere non possum orichalcum.

Deinde licèt D. Hardingus de ordinatione, siue consecratione loquatur, non tamen loquitur de consecratione immediatè, & proprijs manibus ipsius Pontificis facta, qualis illa est, quam Iuellus pro exemplo adducit. Hoc modo, vt videris, ne nihil agere dicatur, meras nugas agit. Aliud facere dictum de pallio Sancti Marci sequitur; desumitur autem ex Liberato, ac perindè facit ad propositum, ac si quis probare contenderet præfectum vrbis Londinensis auctoritatem nullam à Rege accipere, quia non in aula Regia, sed in aula deaurata eligitur.

Iuellus.

Et S. Cyprianus in literis suis ad Episcopos Hispaniæ scribit, Sabinum, quem illi legitimè elegerant in Episcopum, ità permanere debere, licèt Cornelius, tunc temporis Episcopus Romanus, electionem illam confirmare recusaret.

D. Stapletonus.

Totum hoc meum figmentum est, nihil prorsus habens veri. Cornelius Pontifex tum è vita excesserat, cùm S. Cyprianus hanc Epistolam scriberet. Stephanus, qui Cornelio in Pontificatu successit, is erat, qui sinistra seductus informatione, Basilidem loco Sabini confirmauerat. Casus sic se habet: Basilides Episcopus Emeritanus existens, quia Idololatriam tempore persecutionis commisit depositus erat, & in locum illius Sabinus quidam legitimè electus. Postea Basilides Romam profectus, restitutionem petijt, & pro restitutione sua literas summi Pontificis, sed per surreptionem, impetrauit. Clerus ad Episcopos Africæ, qui eo tempore (vt Iuellus confitetur, ex Concilio Telensi) appellationes accipiendi potestate vtebantur, querelas suas deferebat.

Hanc Basilidis fraudulentam literarum Apostolicarum impetrationem S. Cyprianus, Episcopus Africanus, prorsus improbauit. Ac propterea sic scribit: Lib. 1. Ep. 1. [Nec rescindere potest ordinationem Sabini iure perfectam, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positum, & gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum, fefellit, vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatum, de quo iustè depositus. Hoc eò pertinet, vt Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta: vt ad superiora peccata eius etiam fallaciæ, & circumuentionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulanter obrepsit.] Hæc S. Cyprianus: cuius verba, Iuelle, si benè perpendas, summi Pontificis auctoritatem in confirmatione Episcoporum apertè ostendunt. Nam quandoquidem sententia Stephani Papæ in causa Basilidis eo solo nomine iniusta habita sit, quod per fraudem, & falsam informationem impetrata fuerit: necessariò sequitur, si informatio iusta, & vera subfuisset, & sententia iusta, & ipse legitimè restitutus fuisset. Nam si summus Pontifex nullam habuisset potestatem restituendi Basilidem, facillimum fuisset exceptionem adibuisse, quam Iuellus, sine dubio, si locum Sancti Cypriani occupasset, interposuisset; uempè, Pontificem Romanum in illa causa nihil auctoritatis habuisse, nec ad illum pertinere Episcopos Africæ, aut restituere, aut confirmare.

Hæc facilè suggessisset Iuellus, si pro defectu

fectu potestatis in restituente actus fuisset illicitus, aut inualidus. At aliter longè sese res habet, nam culpa non reijcitur in Pontificem, quod carens potestate restituere tentauit; sed in Basilidem, qui summum Pontificem malè informando deceperat, & Sabinus iste, de quo loquimur, in Episcopatu permansit: non contra confirmationem Cornelij Papæ, sed contra restitutionis sententiam à Papa Stephano in fauorem Basilidis latam: nec eo nomine quod Papa Basilidem restituerat; Sed quia Basilides à Papa Stephano gratiam illam per surreptionem impetrauerat. Atque ita Iuellus historias inuertit, & peruertit, Sancti Cypriani textum detruncat, & delumbat, nec quidquam proficit; nam ne vnum quidem Pontificem potest proferre, quem summus Pontifex non confirmauit. Post hæc adducitur decretum Anacleti, de ordinatione Episcoporum,

Sed quæstio præsens instituitur de confirmatione eorum, qui ordinati sunt, aut statim ordinandi. Et hæc sunt argumenta, quæ Iuellus pro se ipso in hac materia afferre potuit. Sed quia in hac parte parum fœliciter pugnatum est, alio se vertit. & ea quæ à Domino Hardingo allata sunt, refutare tentabit; atque hoc modo saltem negatiuam propositionem, qua asserit non omnes Episcopos à Papa confirmari, sperat stabilire.

Primò ergo respondet ad locum S. Gregorij, vbi apud Constantiam Imperatricem sic conqueritur: Lib. 4. Epist. 34. *Solonitanæ ciuitatis Episcopus me, ac responsali meo nesciente ordinatus est:* & vlterius addit, *facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit*, & ait.

Iuellus.

Quòd S. Gregorius hæc intellexerit, non de omnibus Episcopis, sed de ijs tantùm, qui ad propriam illius curam pertinebant, ex verbis eius satis euidens est, sic enim scribit: *Episcopi mei, Episcopi ad meam pertinentes curam.*

D. Stapletonus.

Sanctus Gregorius rectè loquitur; Episcopos suos, & Episcopos ad suam curam pertinentes appellat, non solùm eos, qui erant de sua prouincia, quatenus Episcopus Romanus, sed eos etiam, qui ad Patriarchatum suum pertinebant, puta Illyricum, & vniuersum Occidentem; ipse enim Occidentis Patriarcha erat, atque hac ratione nos Angli, speciali illius cura ad fidem conuersi, potestati eius Patriarchali subiecti sumus. Quid tandem lucratus es Iuelle? Placet ne, vt sicut olim Illyricum, ita Anglia Romanæ Ecclesiæ subijciatur? An potius ordinem 600. annorum vsu confirmatum iubet disrumpere?

Iuellus.

Vbi aiunt, rogatum fuisse Episcopum Romanum, vt electionem Flauiani, Anatolij, & Episcoporum Arianorum ratam haberet, illud intelligitur de generali quadam approbatione, quæ omnibus Episcopis, sed præcipuè quatuor principalibus Patriarchis communis erat, non soli Romano Pontifici propria.

D. Stapletonus.

Imò solius Pontificis summi approbatio ex necessitate requiritur; nec Iuellus in contrarium adhuc quidquam attulit, nec est cur ei, qui toties in mendacio deprehensus fuerit, asserenti sine probationibus fidem adhibeamus. Certè Iulius Pontifex dum Episcopis Arianis confirmationem negauerit, & S. Athanasium, Paulum, & socios suos sedibus suis restituerit, quam necessaria sit illius auctoritas satis apertè declarauit. Hoc prius in materia de appellationibus declaratum erat. Tum etiam confirmatio Anatholij, & Proterij adeò visa est necessaria, vt Imperatores Theodosius, & Marcianus eandem per literas suas peterent. Et Theodosio petenti per literas suas confirmationem Anatholij in Patriarchatu Cōstantinop. Leo Pontifex rescribens, sic respondet: Hist. trip. lib. 4. cap. 6. Leo ad Theod. epist. 33. [De ordinatione eius, qui Constantinopolitanæ cœpit Ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram partem temerè rescribendum putaui; non dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans.] Rationem huius alibi exponit, vbi in altera Epistola sic ait, Leo epist. 34. ad diuersos, [& ipse Constantinopolitanus, & qui eundem consecrarant, præter id quod ad ordinationem noui Antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis, vel abdicatis erroribus indicarunt.] Hæc est ratio cur noluit ei statim confirmationem præbere, vsquedum, an Orthodoxus de rebus fidei bene sentiret, exploratum haberet.

Hinc in literis ad Theodosium Imperatorem iubet hunc Athanasium, vt scripta quædam Cyrilli contra hæresim Nestorij, & suam ipsius Epistolam ad Flauianum contra hæresim Eutichetis, perlegat, & diligenter ponderet. [Ita, inquit, sinceram communis fidei confessionem, absolutissima subscriptione coram omni clero, & vniuersa plebe declaret, Apostolicæ sedi, & vniuersis Domini Sacerdotibus, & Ecclesijs publicandam. Leo Ep. 33.] Præterea in eadem Epistola Imperatorem rogans, sic loquitur: [Agat Clementiæ vestræ deuotissima fides, vt quamprimum ad nos Constantinopolitani Episcopi, qualia debent, probati, & Catholici Sacerdotis scripta perueniant, apertè scilicet atque dilucidè protestantia, quòd si quis de incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat, aut asserat, quàm Catholicorum omnium, & mea professio protestatur, hunc à sua communione secernat: vt ei fraternam in Christo charitatem meritò possimus impendere.] His conditionibus, & non aliter, Anatholio huic Leo Pontifex confirmationem impertiri dignatus est, etiamsi tàm Imperator, quàm Episcopus ipse, & alij, etiam, qui eundem consecrassent eandem per literas suas vnanimiter petijssent. Vsque adeò necessaria summi Pontificis confirmatio etiam ipsi Patriarchæ Constantinopolitano visa est: vteumque Iuel-

cabant; quantoperè confirmationem illius expetebant. Sed quamprimùm spe sua frustrati, quod petebant, nullo modo assequi se posse intelligerent, tum ipsi Summo Pontifici oblatrare, Concilium Nicænum maledictis proscindere, & hæresim Arianam publicè defendere nequaquam dubitabant. Simile exemplum habemus in Luthero. Primo Iulio Pontifici literas humilitatis plenas scripsit, seipsum Pontifici submittens, gratiam, & fauorem Summi Pontificis in causa de indulgentijs, quam solummodò controuertendo tunc temporis agitauerat, indubitantèr sperans: sed anno sequenti cùm ex Legato Sedis Apostolicæ Caietano, Summum Pontificem sibi infensum, & contrà se secundùm Canones velle procedere resciret; continuò in ipsum Pontificem insurgere, & (vt omnes norunt) eundem maledictis virulentèr insectari cepit. Sic Ariani, sic Lutherus se gessit: frater eorum Iuellus, vtrisque sese adiungit: Fontanus Gall. lib. 1. pag. 10. in expos. art. ad Leonem an. 1518. lib. eod. pag. 15.

Iuellus.

Imperator Gratianus contrà voluntatem maioris partis Episcoporum, Nectarium Episcopum Constantinopolitanum constituebat.

D. Stapletonus.

Hic Sozomenum libro 7. capit. 8. aliter quàm verba illius præ se ferant, loquentem Iuellus introducit: non id asserit, quod Iuellus eum asserere vult, verba eius hæc sunt: *epi ca vasileus amyiton auton ina mathon, epi tis autis imine gnomis, pollon iereon autitnonton · epi de pandes ixan, ca ti psipho ta cratuntos syneuisan, emyithi · ca tin myfticin esthita eti imphiesmenos, cini psipho tis Synodu Anagoreueta Constantinupoleos Episcopos.* Ex his verbis apparet primo Nectarium non contrà voluntatem maioris partis Episcoporum (vt Iuellus fabulatur) sed communi Synodi suffragio Episcopum declaratum esse. Secundò apparet, in prima deliberatione non maiorem partem Episcoporum (vt Iuellus Sozomenum loqui vult) restitisse. Sed *multi*, inquit, *refragati sunt*; qui omnes tamen cesserunt, & tum demum vnanimi omnium consensu Episcopus creatus est. Hæc ita se habere, ipsi Episcopi in illo Concilio congregati in literis suis ad Damasum tunc temporis Pontificem Romanum expressis verbis testantur, vbi hæc habent verba Theod. lib. 5. cap. 9. *ton adesimotaton ca theophilestaton nectarion, Episcopon ecchirotonicamen, epi tis Icumenicis Synodu, meta ennis omonias.* Non ergo contrà voluntatem Episcoporum, vt mentitur Iuellus. Nec facta sunt hæc omnia coram Gratiano, vt imperitè fabulatur; sed ve ijdem Episcopi ad Damasum scribentes testantur, *yp' opsesi ca tu theophilestatu Vasileos Theodosiu.* Coram pientissimo Imperatore Theodosio. Sed quid hæc contrà potestatem Summi Pontificis? De illius enim auctoritate hoc in loco agitur, non de alijs Episcopis. Certè sicut ij, qui Anatholium consecrabant, id Leoni Pontifici significabant, & confirmationem illius ab eo petebant: haud aliter vniuersum Concilium hoc Constantinopolitanum de hoc facto suo similitèr, & de alijs Episcopis eodem tempore consecratis Damasum Pontificem certiorem faciebat, & assensum illius, siue approbationem postulabat. Imò Gratianus ipse, quem Iuellus pro se affert Summi Pontificis authoritatem vsque adeò agnoscit, vt pro compendiosa controuersiarum omnium decisione publico decreto suo legem sancierit, qua iubet, Leo epist. 14. *Orbem vniuersum, fidem illam, & religionem sequi, quæ à Sancto Petro Apostolo accepta in sede Romana permanserat, & quam Damasus tunc Pontifex profitebatur.* Iam tandem intelligit Iuellus quantum Gratianus causam suam iuuerit.

D. Hardingus.

Regula Ecclesiastica, vt in historia tripartita legimus, præcipit, *ne Concilium sine assensu, & authoritate Summi Pontificis celebretur.*

Iuellus.

Falsum 111. spontè, & data opera textum falsificat.

D. Stapletonus.

Si quis amor veritatis inuestigandæ, si quod studium instruendi lectoris, denique si sensus vllus honestatis, aut vrbanitatis cordi tuo Iuelle inesset, nunquam adeò insolentèr, & immodestè cum aduersario ageres. Videbis, bone Lector, & aduerte obsecro, quibus argumentis adducitur Iuellus, vt hoc *crimen falsi* D. Hardingo imponat, quod etiam *data opera perpetratum asseuerat.*

Iuellus.

Hic D. Hardingus duo falsa asseruit, alterum in translatione, alterum in allegatione historiæ consistit. Quod ad priùs illud attinet, Cassiodorus in Latina sua translatione ita scribit: *Canones iubent extra Romanum nihil decerni Pontificem.* Socrates Græcè scribens, ex quo Latinus iste textus desumitur, sic habet, *miden para gnomin tu Episcopu Romis, Canonizin tas Ecclisias.* Anglicè ita vertitur, *It is prouided bythe canons, that rules to binde the Churche be not made vvithout the consent of the bishop of Rome.*

D. Stapletonus.

Esto vt vis, translatio hæc tua Iuelle pro vera, & legitima ad tempus habeatur: esto, *nihil decerni*, Anglicè bene exprimi, *that no rule be made to binde the churche*, sine consensu Summi Pontificis. An non hæc tua translatio tantùm pro Pontificis authoritate, quantum illa altera D. Hardingi facit? Quid reipsa interest inter celebrationem Concilij, & sanctionem Canonum, qui Ecclesiam obligent, cum eiusmodi Canones non alibi, quàm in Concilijs sanciri soleant? Nisi tantùm tribuas Papæ, vt existimes Pontificem sine Concilio Canones posse condere, qui vniuersam

ob-

obligent Ecclesiam. Si verbum illud *decerni* versione nostra tantoperè extendissemus, quam insolentèr insultaret Iuellus? Sed videamus quid vitij, quas culpas in illa D. Hardingi translatione deprehendis; si re vera verba illa, quæ tu adfers transtulisset, quod tamen falsum est, & contrarium statim apparebit.

Iuellus.

Vbi D. Hardingus de industria textum tam Græcum, quàm Latinum corrupit omninò, & falsificauit, ne verbum quidem, quod reperit in originali retinens *Canonizin*, aut *decernere* Anglicè vertit *to Keepe*, aut vt alio verbo exprimit, *to celebrate Councells*.

D. Stapletonus.

Saltem sic melius vertitur, quàm charissimus tuus Wolfgangus Musculus eadem verba transtulit: qui *tas Ecclesias Canonizin*, reddit *Ecclesias consecrare*. Vt est, translatio Domini Hardingi, si tota sententia simul accipiatur, satis proba est, & vera: contextus integer in hist. tripart. 4. cap. 19. sic sese habet, *Iulius rescripsit eis, qui fuerant in Antiochia congregati, culpans eos primùm de inuidijs literarum, deinde cur se ad synodum suam non vocassent, canonibus nimirum iubentibus præter Romanum nihil decerni Pontificem*. Historia testatur Summum Pontificem Episcopos Orientales culpasse, quia eo inconsulto, aut sine illius assensu, Concilium conuocauerant. Sed quam ob rem, aut qua de causa eos culpauit? Historia id explicat, *canonibus nimirùm iubentibus præter Romanum Pontificem nihil decerni*. An non hoc idem est (si substantiam rei spectes) ac si dicas sine assensu Summi Pontificis Concilium conuocari non potest? Sed statim etiam videbis ipsum Epiphanium, qui historiam è Græco in Latinum vertit hæc ipsa verba *tas Ecclesias Canonizin Concilia celebrare*: quomodo D. Hardingus verbum verbo reddidit Anglicè, *to celebrate Councells*. Sed ad castigationis Iuelli pergamus.

Iuellus.

Paraguomein, idest, *præter sententiam*, aut vt Cassiodorus vertit *extra sententiam* Anglicè exprimit, *without the aduise and authoritie*, sine authoritate, & consilio Summi Pontificis.

D. Stapletonus.

Pace tua Iuelle non Cassiodorus, sed Epiphanius ita verbum illud Græcum vertit. Video te his in rebus non semper oculis proprijs videre: sed ad rem. Primo, pro his vocibus *præter*, & *extra*: ipse in versione tua habes *without* sine: & quid ni liceat D. Hardingo ita vertere? Tum pro voce illa *gnomi* Græcè, & *sententia* Latinè D. Hardingus habet *aduise*, & *authoritie*, concilium, & authoritas Iuellus habet consensum *consent*. Hæc ego grammaticis excutienda relinquo. Id vnum scio, & audeo dicere, vocabularios tam Græcos, quam Latinos agnoscere, vocem Græcam *gnomi*, & Latinam *sententia*, sæpius, & magis propriè *consilium*, & *authoritatem*, quam consensum designare. Sed progrediamur.

Iuellus.

Imò nec eum pro quo adeò acritèr digladiatur omninò illæsum, & sine aliqua plaga præterire pati voluit. Nam vbi eum nominatum videret in exemplare Græco *Episcopou Romis*, & in Latino *Episcopum Romanum*, tam Græcum textum, quàm Latinum relinquere placuit, & *Papam* eum appellare, Anglicè *Pope*.

D. Stapletonus.

Bone Deus, quàm graue malum hæresis, & cæca malitia? Ecquis hominem vidit vmquam, non dico Theologum, & doctum, sed in Grammatica, vel mediocriter versatum, adeò otiosè litigare, & tanto conatu nugas agere? Memini fratres tuos Wittembergenses, & Lipsenses superioribus nundinis Francofurdiensibus Flaccum Illyricum pinxisse capræ insidentem, & diabolum eundem ad inferos trahentem, cum hac inscriptione, siue elogio. *Certans de lana Caprina*. Certè hoc elogium in Iuellum satis appositè transferri potest. Dic amabo Iuelle inter Episcopum Romanum, & Romanum Episcopum quid interest? Rursùs inter Romanum Episcopum, & Papam ecquid est discriminis? An alius Episcopus Romanus, alius Papa est? An præter Episcopum Romanum alius Papa reperitur? Fateor alios Episcopos aliquando appellatos fuisse Papas, aliquando inquam, sed Episcopus Romanus semper, imo à multis retro sæculis solus nomen Papæ obtinuit. Au hoc textum corrumpere de industria pro Pontifice Romano Papam ponere. Apage stulte curiosum. Hi scilicèt hypocritæ pharisæi sunt, Matth. 23. 24. *excolantes culicem, Camelum autem deglutientes*, de vocabulorum vmbris acriter digladiantur, vt res ipsa interim infracta dilabatur. Nihilominùs quasi re præclarè gesta spolia ampla Iuellus reportasset, triumphans concludit.

Iuellus.

Sic vt Papæ authoritatem amplificet totum contextum immutauit, itavt ne verbum quidem rectè transtulerit.

D. Stapletonus.

Hæc Iuellus asserit, si verba tam Latina, quàm Græca prout ab eo alleguntur, cum integra sententia loci (quam Iuello placuit callidè dissimulare) accipiantur, facilè intelliget prudens Lector, nihil omninò falsi ad Hardingo committi, sed sensum quem verba tam Latina, quàm Græca commodè admittunt, Anglicè verè dari. Iam verò, qui si Iuellus tota interim aberrauerit via, nec rem attigerit? Quid si textus Latinus, quem Iuellus citat, non sit is, quem Dominus Hardingus intelligit? quid si eadem verba Græca eo

eo ipso libro ab eodem authore ita vertantur, vt Dominus Hardingus eadem Anglicè reddidit? An non rem curasti probè Iuelle? Ita profectò, Lector, optimè sese res habet. Non tamen propterea, aut crimen falsi, aut mendacium Iuello obijciam. Hoc vnicum, quod dixi priùs, iterùm repeto. Si quis amor veri, si studium vllum Lectorem instruendi, si candor, vllus aut sinceritas Iuello inesset, nunquam in aduersarium tantopere desæuijsset, nunquam propter leuem in citando errorem adeò inhumaniter eundem corriperet. Sine dubio pro ea, quam vbique iactitat, multiplici lectione locum historiæ, quem Dominus Hardingus intelligit, ipse nescire non potuit. Vt rem totam plenè intelligas, Lector optime, res ita sese habet. Locus in responsione Domini Hardingi hoc modo citatur libro quarto, cap. decimonono; qui re vera citari debuit lib. 4. cap. 9. Reperitur quidem locus in eadem historia, eodemque libro historiæ tripartitæ; sed cap. 19. pro cap. 9. ponitur, vnum iota insertum, aut redundans totum hunc errorem pepetit. Hoc certè Iuellus, vt dixi, ignorare non potuit pro sua multiplici lectione, sed aut locum cui non potuit respondere noluit in lucem proferre, aut iniquo erga Dominum Hardingum animo maluit cum contumelijs afficere, quam veritatem, quod instituti sui ratio postulat, inuestigare. Atque ita quasi nesciens errorem citationis, in contextum, quem repetit illi alteri similem, nec syllabæ, nec literæ vllæ parcens, virulentiam suam intemperanter exercet, adeò vt quod Romanus Pontifex, Anglice *the Pope*, idest, Papa reddatur, stomachum ei vehementer commoueat. Certè hoc genus digladiationis in conflictu quotidiano scuti gerulorum meticulosi, & ignaui hominis esse existimaretur. Sed in arena Theologica homo maturi iudicij, multiplicis lectionis, & qui se pro Episcopo venditat, quis præter Iuellum ita sese gerere ausus est? Locus Socratis quem Dominus Hardingus citare intendit, ita se habet Græcè: *Canonos Ecclesiastiru celeuondos miden para tin gnomin tu Episcopu Romis, tas Ecclisias Canonizin*; ita Iuellus verbatim textum Græcum allegauit. Textus Latinus ab Epiphanio non à Cassiodoro, vt Iuellus eum ignoranter appellat, è Græco versus ita se habet, *cum vtique regula Ecclesiastica iubeat non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Eundem sensum D. Hardingus verbum verbo reddens, exposuit Anglicè. *The Ecclesiasticall rule commaundeth that no Councellbe celebrated or kept without the aduise and authoritie of the Pope.* Græcus contextus Socratis hoc in loco cum textu alterius loci à Iuello citati idem omninò est, vt dixi, Epiphanius autem, qui Socratem Latinum fecit in hoc loco lib. 1. cap. 8. Trip. Hist. lib. 4. cap. 9. *tas Ecclisias Canonizin Concilia celebrare* reddit: quod Anglicè verè redditur, *Councells to be kept or celebrated*. Idem Epiphanius capite decimo nono à Domino Hardingo citato ea ipsa verba *tas Ecclisias Canonizin nihil decerni* transtulit, quod Anglicè sonat *nothing determined in Councel*. Eo enim in loco loquitur de Concilio in Oriente habito, præter sententiam Summi Pontificis. Quomodo tandem verum esse potest, quod Iuellus affirmat Dominum Hardingum tam Græcum textum, quàm Latinum deseruisse, cùm constet eum contextum Græcum haud aliter Anglicè, quàm Latinus interpres Latinè, imò ferè totidem verbis reddidisse. Sic vt vidistis nugacissimus Iuellus hisce de vocibus, & translationibus nugatum nugis immorati me cogit. Nec tamen opinor me vsquequaque operam lusisse. Nam vbi Iuellus impudenter asseruit D. Hardingum *contextum data opera falsificasse* effeci ni fallor, vt satis euidenter cuiuis constet Iuellum *de industria Lectorem Ludificatum esse*: iam ad historiam transeamus.

D. Hardingus.

Concilia habiti Arimini Seuleuciæ, Firmij, Antiochiæ, & Concilium secundum Ephesinum, eò quod à Pontifice Romano, nec indicta, nec approbata erant, recepta pro legitimis nunquam fuerunt; sed tam ob eam causam, quàm propter hæreticis, quas continent sententias reprobata.

Iuellus.

Falsum est. Nam tunc temporis Episcopus Romanus nullam habuit authoritatem conuocandi Concilia.

D. Stapletonus.

Quid ergo ad exempla hæc respondes? quid ad testimonium Ecclesiasticæ historiæ bis repetitum à Socrate, & priùs à me allatum? Verba integra magis ad longum si placet, repetamus. Historia Ecclesiastica, sic habet, Histor. trip. 4. cap. 9. [Egit Eusebius, vt Antiochia, Syriæ Synodus fieret, sub occasione quidem dedicationis Ecclesiæ, quam Pater Augustorum cœperat, & post eius obitum Constantius decimo anno eam à fundationis tempore expleuerat: in veritate autem ad subuersionem, atque destructionem Nicæni Concilij, ad quam Synodum conuenerunt è Ciuitatibus diuersis Episcopi nonaginta. Maximus tamen Hierosolymitanus, Macarij successor non affuit, cogitans quod ipsi posset subripi, vt in damnationem subscriberet Athanasij. Sed neque Iulius interfuit maximæ Romæ Præsul, neque in locum suum aliquem destinauit. Cùm vtique regula Ecclesiastica iubeat, non oportere præter sententiam Summi Pontificis Concilia celebrari.]

Si ad hoc Concilium 90. Episcoporum conuocatum in Syria, quæ duplo longius à Roma distat, quàm nostra Anglia. Si ad hunc Concilium 1200. adhuc annis nempè Anno Domini 346. habitum, authoritas Summi Pontificis fuerit necessaria, idque virtute Canonis, & regulæ Ecclesiasticæ. Si inquam tot ab hinc sæculis in loco tam remoto tamque distante à Romana Sede, non nisi ex sententia Pontificis Romani Concilium legitimè celebrari potuerit, an adhuc pro falso reputabitur Summum Pontificem tunc temporis authoritatem Concilia conuocandi, & approbandi obtinuisse? Dicas mihi Iuelle, an non hoc argumentum rectè concludit.

[Nullum Parlamentum celebrari potest, sine authoritate Regia. Ergo Rex, aut Regina habet potestatem conuocandi Parlamentum.]

Si hoc argumentum probum sit, an non & hoc similiter?

[Nullum Concilium sine authoritate Summi Pontificis debet celebrari. Ergo Summus Pontifex authoritatem habet conuocandi Concilia.]

Nisi fortè asserere velit Iuellus Romanum Pontificem non habere authoritatem conuocandi licèt habeat celebrandi, quod certè absurdum est, quandoquidem conuocare minùs sit, quàm celebrare, & authoritas celebrandi sine potestate conuocandi planè nulla sit. Princeps habet authoritatem celebrandi Parlamentum, sed Parlamentum, nisi ex sententia subditorum conuocare non licet. Hæc & huiusmodi argumenta rebellium, Iuello fortè subsidio esse possunt, alijs autem subsidijs planè destitutum video.

Rursùs, vt plus ponderis huic argumento adijciatur, historia ait. [Regula Ecclesiastica iubet non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.] Dicat mihi Iuellus vbi hæc lex sancita? Præter Nicenum primum nullum tunc celebratum erat Concilium. Nam, vt ex antiquis historiis, & chronicis recentioribus apparet magnum Concilium Sardicense aliquot annis post (licèt sub eodem Iulio) celebratum erat. Non potuit in aliquo Prouinciali eiusmodi Canon generalis sanciri, qui ipsam Syriam, atque adeò vniuersam Orientalem Ecclesiam obligaret, & authoritati Episcopi Romani subiectam redderet.

Obiter ergo à Iuello quæro vbi ille Canon editus erat? Excutiat omnes Chartophilaeij sui Angulos, centuriatores Magdeburgenses consulat, omnia Conciliorum volumina euoluat, vbi libet exquirat, nullibi nisi in Concilio Nicæno canonem illum editum inueniet. In Nicæno, inquam, Concilio hoc decretum inueniet, non in exemplaribus illis imperfectis, quæ communiter circumferuntur, nec in illis authenticis corruptis contra Sozimum Pontificem in Africano Concilio allatis, sed in epistola Iulij de quo hic mentio facta est, nempè ad eosdem Episcopos in Oriente, Canon iste reperitur, in qua de schismatica Synodo conqueritur, eamque reprehendit, quod nec is, nec illius nomine quisquam alius eidem intereat, & rationem reddens ait.

[Canonibus quippè in Nicæna Synodo iubentibus non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, aut Episcopos condemnari.] Iam eandem ad hoc Ecclesiasticæ historiæ testimonium, & ad hoc decretum Nicæni Concilij (vt iam deprehenditur esse) à Domino Hardingo allatum quid respondet Iuellus? Nempè pro falso reputat, Pontificem eiusmodi potestatem habuisse. Ita apertè ait. Sed quid interim ad exemplum? aut quid ad testimonium ex historia Ecclesiastica allegatum responsi adhibet? Enimuerò testimonium hoc valdè illum pupugit, & cum alia ratione respondere non potest conuertit se ad translationem, eandem, vt vidistis, vehementer exagitans. Sed ad historiam ipsam quid tandem respondet?

Iuellus.

Quod attinet ad historiam, Arianorum ait Concilia, non fuerunt approbata, quia à Summo Pontifice non erant conuocata.

D. Stapletonus.

Ita est, vt dicis Iuelle, D. Hardingus hoc asserit, sed non hoc solùm, addit enim *nec conuocata, nec approbata erant* à Summo Pontifice. Nec tantùm exteriorem formam conuocandi, quantùm potestatem approbandi, quæ maximè ad rem facit, vrget. Quin, age quomodò ostendis contrarium? Quomodò probas Arianorum Concilia non propterea fuisse inualida, quia authoritate Summi Pontificis caruerunt? Quomodò id falsum esse euincis, quod pro falso notasti? Nempè hoc modo id probas.

Iuellus.

Nihilominùs rectè nouit non pertinuisse ad officium Summi Pontificis illis temporibus Concilia conuocare.

D. Stapletonus.

Itane verò? Siccine quod petimus probas? Nempè ipse rectè nouit. Sed quid tu ais ad rem? Responde ad testimonium Ecclesiasticæ historiæ. Proba exempla allegara falsa esse. Dixisti dudum D. Hardingum duo falsa admisisse, alterum in translatione, alterum in allegatione historiæ. Prudens Lector, in priore se à te elusum animaduertit.

Nunquid in hoc altero simili modo eum ludificari vis? Certè hac in re ita te geris, vt recentes Logici in Scholis assolent, qui eùm sentiant se ad argumenta aduersatij respondere non posse, pro causa quam defendunt argumenta adferunt, & longam instituunt orationem, vt aliquid saltem respondisse videantur. Sed docuit nos Magnus Aristoteles: [Contra opponere non esse respondere. Et lex ait, Retorsione criminum non probetur innocentia.] Sed videamus, quid in contrarium afferas.

Iuellus.

Nam ex vsu, & praxi illius ætatis satis constat Imperatorem Constantium Concilium Nicænum connocasse.

D. Stapletonus.

Nec ab eo solo, nec ipsius authoritate sola, sed (vt Rufinus scribit) ex sententia Sacerdotum conuocatum erat.]

Iuellus

Iuellus.

Theodosius Primus Concilium Constantinopolitanum conuocauit.

D. Stapletonus.

Episcopi in illo Concilio congregati contrarium asserunt. Theodor. lib. 5. cap. 29. Sic enim ad Damasum Pontificem scribunt, *Ech ton perysin grammaton ton para ton ymeteras timiotitos proston theophilestaton vasilea athistathen ton.* In his verbis apertè confitentur se per literas Damasi Pontificis ad Concilium vocatos fuisse. Iuellus contra hos omnes ait, non Pontificem, sed Imperatorem Concilium hoc conuocasse. Cui potissimum fides danda sit, prudens Lector æstimet.

Iuellus.

Theodosius secundus Concilium Ephesinum conuocauit.

D. Stapletonus.

Quia Nestorius hæreticus, nec Cyrillo Episcopo Alexandrino, nec Cælestino Pontifici Romano voluit obedire. [Meritò oppottuit Theodosij iunioris nutu, tunc sceptra tenentis Orientalis Imperij, primam in Epheso Synodum congregari.] lib. 1. cap. 2. histor. Scholast. Et posteà sequitur direxisse eundem literas ad Episcopos, & diem conueniendi assignasse. Simile scribit Socrates.

Sed quid tum posteà? Imperatores viaticum, & expensas Episcopis ex omnibus Orbis Christiani partibus confluentibus, optimè poterunt suppeditare. Sed quæstio de potestate Summi Pontificis, non tam in conuocandis Concilijs, quàm in ordinandis, dirigendis, & confirmandis consistit. In hoc primo Ephesino Concilio Cælestinus Pontifex præsidebat, vt ipsum Concilium testatur, in Epist. Ephes. Concil. ad Nestor. Cyrillus Episcopus Alexandrinus Legatus illius ibi aderat, & Nestorius Episcopus Constantinopolitanus propter hæresim depositus erat. [Iuxta dilationem literis præfinitam Sanctissimi, & Reuerendissimi Consacerdotis nostri Romanæ Præsulis Ecclesiæ Cælestini.] De qua dilatione, siue termino à Summo Pontifice præfinito Cyrillus etiam in litera excommunicationis Nestorio directa mentionem facit. Ipse etiam Pontifex Cælestinus in literis suis ad Cyrillum epist. 12. sic scribit, vt in Concilio Chalcedonensi articulo 1. [Adiuncta tibi sedis nostræ authoritate vicis nostræ successione, & potestate vsus, istam exacta cum seueritate exequeris sententiam, vt nisi intra decem dies ab huius admonitionis die numeratos, prauas suas prædicationes scripta confessione anathematizauerit, & hanc se de Christi, & Dei nostri generatione fidem retinere affirmauerit, quam & Romana, & tuæ sanctitatis, & vniuersalis Regio prædicat, confestim sanctitas tua Ecclesiæ illius prouideat, vt sciat se quouis modo à nostro esse corpore remouendum.]

Hoc modo Summos Pontifex, sententiam excommunicationis contra Patriarcham Constantinopolitanum in Concilio pronunciatam, executioni mandauit, tota Synodus Summi Pontificis determinationem amplexa est. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in ea causa Legatus erat Summi Pontificis, & Summi Pontificis authoritatem hac in causa doctissimus Episcopus Cyrillus, vt in ep. 18. adeò necessariam arbitratus est, vt licèt pro summa eruditione satis sciret Nestorium hæreticam doctrinam sustentare, essetque (quod in literis Summo Pontifici redditis apertè protestatur) *paratus synodicis* (vt mos erat inter Episcopos) *literis manifestum reddere*, non est ausus tamen à communione cum eo abstinere, aut eundem aliquo facto suo condemnare.

Quare ad Cælestinum Pontificem hoc modo scripsit. [Verùmtamen nos ipsi ab illius communione cum fiducia non eximimus, donec ista pietati tuæ communicemus. Quapropter quid videatur, exprimere dignare, an aliquando debeamus illi communicare, aut in posterum confidenter edicere, quod talia, & sentienti, & docenti nemo nostrum communicet.]

Rursùs cum Episcopi Orientis, & imprimis Macedoniæ, hæresi Nestorij videntur consentire, Cyrillus similiter per literas suas Summum Pontificem rogat, vt de voluntate sua quid de Nestorio statuendum sit, certiores faciat. Sic enim post verba subsequentia statim subijcit. [Scopum verò integritatis tuæ perspicuum opportebit fieri per literas etiam religiosissimis, qui per Macedoniam sunt Episcopis, & simul omnibus per Orientem, Cyril. epist. 5. inter epist. Synodal. Tantùm valuit in Concilio Ephesino Summi Pontificis authoritas, tantùm apud Sanctum Cyrillum, qui in illo præsidebat, non obstante, quod Imperator idipsum, vt ais, conuocauerat. Nec legitur Theodosium Imperatorem ius aliquod prætendisse, causam vllam in illo Concilio definiendi aut confirmandi, sed totum illud (vt patet) legibus Ecclesiasticis, & Concilio reliquit.

Hoc ex literis ipsius Theodosij ad Cyrillum constat, tom. 4. vbi sic scribit. [Sunt exemplaria à nostra maiestate de prædicta Sanctissima Synodo Deo dilectis per vniuersas Metropoles Episcopis scripta, vt hoc facto, & perturbatio, quæ ex controuersijs istis accidit, secundum Ecclesiasticos Canones dissoluatur, & quæ indecenter committuntur corrigantur, fitque & pietati erga Deum, & publicis rebus commoda firmitudo, nec aliquid quaecumque in te ante Sanctissimam Synodum, & futuram illius communem sententiam, à quoquam separatim innouetur.

Ex his satis apparet Imperatorem in causis definiendis, aut decretis illius Concilij confirmandis, nihil iuris suscepisse, nihil exercuisse. Quapropter cum nobilis quidam è familia Imperatoris Ioannes nomine Ioannem Patriarcham Antiochenum, & socios, qui Nestorio hæretico ad-

hærebant eiectos, in Concilium introducere conaretur: Episcopi vnanimi consensu fortiter restiterunt, nec hominem laicum eiusmodi negotij sese immiscere pati voluerunt, sed Comitem his verbis audacter affati sunt. [Non opus est Regi, vt fidem discat, cum hanc sciat, inque illa baptizatus sit.]

Ex his satis apparet Theodosium Secundum licet vocauerit Episcopos, & locum idoneum assignauerit non tamen decreta Concilij approbasse, & confirmasse, nec pari authoritate cum Episcopo Romano in eodem Concilio vsum fuisse, cuius Legatus Cyrillus non intererat modò eidem, sed etiam præfuit, & vt præcipuus moderator in ea præsedit. Hoc priùs à me probatum est, & ipsi Græci Marcus Ephesinus, & Bessarion Nicænus in octauo generali Concilio idipsum apertè confitentur. Et sicut Cælestinus Pontifex per Legatum suum Cyrillum Concilium illud moderabatur, & dirigebat, decem dies dilationis Nestorio Constantinopolitano assignabat, & decreta eiusdem Concilij confirmabat; ita successor Cælestini in Sede Apostolica Sixtus nomine dem Concilium approbabat, & confirmabat de quo Cyrillus epist. 29. tom. 4. sic scribit. [Scripsit consona Sanctæ Synodo, & omnia illius gesta confirmauit, ac nobiscum consentit.] De hoc genere approbationis, & confirmationis Conciliorum, non de conuocatione modò præsens quæstio instituitur.

Iuellus.

Et Martianus Concilium Chalcedonense conuocauit.

D. Stapletonus.

Martianus non conuocauit illud Concilium sola authoritate sua, sed Leonis etiam Pontificis accessit authoritas, vt statim constabit.

Iuellus.

Et Socrates in historia sua lib. 5. in procem. ita scribit: [Propterea Imperatores in hac mea historia Ecclesiastica complexus sum, quia ex quo quod Christi fidem suscipere cæperunt status Ecclesiæ ab ijs pendet, & celeberrima Concilia auxilio, & consilio eorum habita fuerunt, & in dies celebrantur.

D. Stapletonus.

Quis dubitat, quin Imperatores maximè auxilio Ecclesiæ fuerint? Quis negare potest quin status Ecclesiæ penderet olim à bonis Imperatoribus, & vsque hodiè pendeat? Nec dubium est, quin & Concilia etiam consilio, & suasu illorum celebrentur. Sed quid hoc ad rem? Concilium aut auxilium Imperatorum tunc temporis Ecclesiæ præstitum, an Summi Pontificis authoritatem excludit? An iurisdictionem illius minuit? Certè Catholici Principes Carolus Quintus, & Frater illius Ferdinandus Concilio Tridentino auxilium, & Concilium nuper præstiterunt, authoritatem autem Summi Pontificis excludere, aut vllo modo imminuere ne per somnium quidem cogitabant. Quod status Ecclesiæ (vt Socrates scribit) ab Imperatoribus pendeat, hoc vt Caluinus ipse docebit te Iuelle, iurisdictionem Ecclesiæ non aufere.

Nam de Ecclesiastica authoritate, quæ in ligando, & soluendo cernitur loquens, Institut. lib. 4. cap. 11. par. 3. sic ait. [Nam quod nonnulli omnia illa temporaria fuisse imaginantur, cùm Magistratus à Religionis nostræ professione alieni, adhuc forent, in eo falluntur, quod non animaduertunt, quantùm sit discrimen, & qualis dissimilitudo Ecclesiasticæ, & ciuilis potestatis. Neque enim vbi cæperunt Imperatores, & Magistratus Christo nomen dare, protinus abrogata est spiritualis iurisdictio. Sed ita dumtaxat ordinata, ne quid ciuili derogaret, aut cum ea confunderetur.] Hinc colligere possumus ex sententia Caluini, non ita pendere Statum Ecclesiæ ab Imperatoribus postquam Christo nomina dederint, vt Ecclesiastica iurisdictio, aut abolita sit, aut cum seculari confusa.

Iuellus.

Et Episcopi in Concilio Niceno testantur se ad Concilium Romanum à Damaso Episcopo Romano coactum aduenisse quidem, [sed literis Imperatoris accersitos, non autem authoritate illius propria.]

D. Stapletonus.

Hæc vltima verba, [non autem authoritate illius propria:] propria authoritate ipsius Iuelli præter mentem, & veram Authoris, quem citat sententiam, adijciuntur. Verba Theodoreti in libr. 5. cap. 9. vel potiùs Episcoporum Concilij Constantinopolitani à Theodoreto relata, quorum particolam quandam Iuellus arripuit, hæc sunt. [Postquam vos, aiunt Episcopi illi ad Damasum Papam Romanam cogentes Dei voluntate Synodum pro fraterna Charitate, tanquam vestra membra, nos quoque literis summa pietate Imperatoris accersiuistis, ne cum afflictionum supplicia nos soli perpessi sumus (nempè in persecutione sub Valcote Ariano) hoc in consensu Imperatorio de pictate (Theodosium Primum intelligit, & Gratianum) sine nobis regnaretis, sed haberetis nos Regni iuxta Apostolicam vocem socios, Sanè per quam optauimus vniuersi si fieri possit Ecclesijs derelictis obsequi siue desiderio seu vsui præsenti, quis enim nobis det alas velut Columbæ, vt ad vos deuolemus, & vobiscum acquiescamus? 2. Corinth. 2. 2. Timoth. 2. & Psal. 54. Verùm cum hac re pænitùs nudarentur Ecclesiæ paulò ante renouari captæ, neque omninò illud à quibusdam præstari vllo modo posset, concurreramus enim Constantinopolim ad vestræ reuerentiæ literas post Concilium Aquileiense missas Theodosio, &c. Hæc igitur, & alia huiusmodi cum plurium aduentui obstiteriot,

rint, quod secundum fuit, quo rectiùs negotium perficeretur, & vestrę charitati studium probaretur fecimus, vt reuerendissimos, ac honorabiliss. fratres, & collegas nostros Episcopos Cyriacum, Eusebium, Priscianum, exoraremus, proficiscendi ad vos laborem libenter subire vellent, per quos declarari vobis nostra pacifica, & spectans vnitatem voluntas,& feruor pro sanitate fidei ostendi poterit.] Posthæc fidei suæ professionem in ijsdem literis exponunt, quid decretum, & determinatum in illo Concilio fuerat declarant. Deinde Nectarium Episcopum Constantinopolitanum, Flauianum Antiochenum in Syria, Cyrillum Hierosolymitanum creatum esse, & alia similia referunt, postremò à Damaso petunt, vt his omnibus assensum suum præbere velit. Quod ad hanc rem attinet,ipsi Episcopi testantur summum Pontificem eos ad illud Concilium *literis Imperatoris* accersiuisse, non quod literæ illæ mandatum contineant, sed quia aliquid conducere videbantur. Ipsi enim testantur Damasum eos, *vt propria membra* vocasse. Haud aliter, ac Episcopi in magno Concilio Chalcedonensi in literis suis ad Leonem Pontificem agnoscunt eum per Legatos suos, *vt caput membris* præesse. Vnde apparet Pontificem auctoritate propria,quia ipse caput erat, ij membra, eosdem conuocasse. Quare causas cur ad Concilium venire non poruerunt, diligenter exponunt, fidei suæ professionem eidem exibent, & de omnibus quæ in priori Concilio illius literis, vt ipsi fatentur, conuocato, gesta erant certiorem faciunt. Quod autem Episcopos conuocans literis Imperialibus vsus sit, non magis probat id quod Iuellus affirmat, *non auctoritate sua* id factum esse, quam edictum Caroli Regis Franciæ, quo Episcopos Galliæ ad Concilium Tridentinum ire iussit, euincit & probat illud Concilium *non propria auctoritate Summi Pontificis*, sed mandato Regis Galliæ conuocatum esse. Nam sicut Damasus Pontifex ad Concilium Romanum mediantibus literis Imperialibus Episcopos Orientis: ita Pius IV. per literas Caroli Regis ad Concilium Tridentinum Episcopos Galliæ euocauit. Et sicut literæ Regis Galliæ contrà auctoritatem Summi Pontificis in Concilio Tridentino nihil hoc tempore faciunt: ita neque Imperatoris literæ auctoritatem Damasi in Concilio Romano tunc temporis vllo modo eneruabant, quod ea in primis ratione indubitatum est: quia non Imperator ipse, sed Summus Pontifex per literas suas Episcopos ad illud Concilium conuocauit.

Iuellus.

Similiter in epistola sua ad Imperatorem Theodosium sic scribunt. *Maiestas vestra Imperialibus literis suis Ecclesiam honestauit, quibus nos conuocauit.*

D. Stapletonus.

Hoc in loco citat acta Concilij quinti Constantinopolitani.At in illo Concilio non Theodosius vllus, sed Ioannes, ferè centum post annos ab vtroque Theodosio imperium tenuit. Theodosius primus, tum cùm primum Concilium Constantinopolitanum habitum erat imperitauit. Sed in actis illius Concilij, nec eiusmodi literæ Episcoporum ad Imperatorem, nec verba quæ hic citantur, vllibi quod sciam reperiuntur. Sub imperio Theodosij secundi Ephesi vnum Concilium, nullum Constantinopolitanum celebratum erat præter prouincialem Synodum à Flauiano contra Eutychetem habitam, cuius acta nullibi extant. Quare errorem libri corrigere debet Iuellus, nisi aut pro falsario haberi velit, aut aliqua Conciliorum volumina apud se recondita habeat, quæ ipse solus nullus prætera mortalium adhuc aspexetir. Quod attinet ad locum allegatum, vbicumque reperiatur nihil aliud probat, quàm quod Theodosius Imperator Concilium conuocauit: hoc vt priùs dictum est, non magis tollit potestatem, & auctoritatem Summi Pontificis in Concilijs generalibus approbandis, & confirmandis (saltem secundùm eum modum ab Ecclesiastico Canone apud Socratem declaratum) quàm factum Caroli Regis de quo iamdudum mentionem feci,supremam auctoritatem Summi Pontificis in Concilio Tridentino tunc coactō minuit, & impediuit. Nam licèt à Rege iussi essent eò abire, priùs tamen, imò præcipuè iussu, & mandato Pij Quarti fęlicis memoriæ Summi Pontificis citati erant. Tandem cùm sentiat Iuellus speciales, & proprias probationes in hac causa deficere, generales quasdam coniecturas aucupatur, nempè à tenui fortuna, & imbecillitate Summi Pontificis in Ecclesia primitiua. Hoc vt probet, Sanctum Gregorium adducit, magni eum faciens hoc in loco, & pro Episcopo Romano etiam in Ecclesia primitiua eum habens: etiamsi ferè sex ætates à Christo nato eluxerat: & alio in loco *obscurus*, imò *Neotericus doctor* ab eodem nuncupetur.

Iuellus.

Gregorius lib. 4. ep. 34. cùm esset Episcopus Romanus Episcopum Solonæ, (& si solum eum vocaret) corâm se comparare cogere non potuit ad Imperatricem Constantiã per modum querelæ sic scribit. *Et contempto me,atque despecto, ad me venire secundùm iussionem Dominorum noluit.*

D.Stapletonus.

Si integram proposuisset sententiam Iuellus, si mediam partem non amputasset, & omnes circumstantias, tam antecedentes, quàm sequentes non subticuisset, argumentum quo imbecillitatem Summi Pontificis ex hoc loco probat infirmissimum esse, auctoritatis autem Pontificis fortissimum facilè deprehenderes. Tota illius ad Imperatricem Constantiam querela hæc est.

Greg. lib. 4. ep. 34. [Solatinæ vero ciuitatis Episcopus me, ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub multis anterioribus principibus euenit.Quod ego audiens ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, vt omninò Missarum solemnia celebrare nullo mo-

modo præsumeret, nisi priùs à serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me, atque despecto, in audaciam quorundam sæcularium hominum, quibus denudata sua Ecclesia præmia multa præbere dicitur, nunc vsque Missas facere præsumit, atque ad me venire secundùm iussionem Dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel responsalem meum prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia verò peruersa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pecunijs est electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumpsit, propter Deum irrequisita præterire non possum. Sed opto, & Dominum deprecor, quatenùs nihil in eo de his quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur. Priùs tamen quàm hæc cognoscantur, serenissimus Dominus discurrente iussione præcepit, vt eum venientem cum honore suscipiam. Et valde graue est, vt vir de quo tanta, & talia nuntiantur, cum ante requiri, & discuti debeat, honoretur. Et si Episcoporum causæ mihi commissorum apud pijssimos Dominos aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad sæculares iudices habeant, Omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, & si ad me diù venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo.] Hęc Sancti Gregorij ad Constant: integra series querelæ est, vtcunque diminutæ vires illius Iuello videatur, qui sæcularium quorumdam fauore literas ab Imperatore impetrasset, quæ cessare eum iuberent: non obstante Imperatoris mandato adeò viguit eo tempore potentia, & auctoritas Summi Pontificis; [vt destrictionem Canonicam in eo exercere nullo modo cessare intrepidè pronunciaret.] Sic, vt videtis, fragmentis quibusdam Patrum dolosè consutis, id astruere conatur Iuellus, quod locus ipse, si totus, & integer lectori proponatur, planè destruit. Sic lectorem in re graui pernitiosè eludit, & dum multa ostendat Patrum testimonia, egregia facultate sua multa perperam accumulat, multum mentitur, & artificiosè multa corrumpit.

Iuellus.

Quare Leo in ep.25. virium suarum imbecillitatem sentiens, ad Clerum, & Populum Antiochenum scribens, hortatus est vt Concilium generale ab Imperatore peterent. *Exposcite vt petitioni nostræ qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere.* Liberatus cap. 12. scribit Leonem Episcopum Romanum cum alijs Episcopis Italiæ à Valentiniano Imperatore, & Eudoxia, vt Concilium cogeretur flexis genibus rogasse, nec potuisse impetrare.

D. Stapletonus.

In hac Liberati citatione Iuellus duo falsa admisit: nam Leo Pontifex in præsentia Imperatoris non proruebat in genua, vt mentitur Iuellus: nec ipse, & Episcopi rogabant eum vt cogeret Concilium. Sed vt de Concilio cogendo ad Theodosium Orientis Imperatorem literas mitteret. Verba Liberati cap.12. hæc sunt. [Fortissimus Leo audiens Legatorum suorum suggestionem, & Theodoreti querelas suscipiens, literis Theodosium Imperatorem, & Pulcheriam Augustam rogat, vt fieret intra Italiam generale Concilium, vt aboleretur error fidei per violentiam Dioscori factus. Valentianum autem Imperatorem, & Eudoxiam eius, ad memoriam Beati Petri, cum multis Episcoporum genibus prouolutis, Romanus Pontifex deprecatus est Imperatorem, vt Theodosium hortaretur, aliam fieri Synodum, ad retractandum illa quæ à Dioscoro malè acta atque perpetrata fuerant in damnationem Flauiani Episcopi, & Orthodoxorum depositionem.] Hucusque Liberatus. Vbi non asserit Pontificem summum proruisse in genua coram Imperatore, vt Iuellus fabulatur, sed deprecatum esse Pontificem *cum multis Episcoporum genibus prouolutis*. Rursùs non rogauit Valentinianum, vt ipse Concilium cogeret, sed vt Imperatorem Theodosium ad illud hortaretur. Ita Iuellus quasi naturæ suæ impetu omnia mendaciter referre, & peiori sensu quàm verba auctoris patiuntur, proferre pergit. Quod ad rem ipsam attinet, eam fusè statim tractabimus. Sed priùs reliquas Iuelli coniecturas consideremus, quas adfert contra Summi Pontificis auctoritatem in Concilijs conuocandis, approbandis, & confirmandis: quæ in Ecclesiastica historia euidenter comprobatur.

Iuellus.

Postea petijt à Theodosio, vt in aliqua parte Italiæ congregandum Concilium conuocaret: Imperator autem aliorsum, atque ipse petebat illud Ephesi congregari constituebat. Leo ep. 11.

D. Stapletonus.

Sic idem Theodosius Dioscoro hæretico in illa *conspiratione* (vt Leo in ep.51.43.& 46. appellat, Concilium enim appellari non meretur) patrocinatus est: hic iniustissimam condemnationem Flauiani, Theodoreti, & aliorum Episcoporum idem vehementer promouit: nec aliud Concilium conuocari pati voluit, in quo impia illa facta rescinderentur, etiamsi Summus Pontifex illud obnixè posceret. Liberat. c.3. Videte iterum quomodo Iuellus ab hæreticis, & hęreticorum manifestis fautoribus, causæ suæ patrocinium emendicare coactus est.

Iuellus.

Postea etiam Imperatori Martiano eamdem petitionem exhibuit. Imperator similiter,

liter, aliorsum, atque ipse petebat Chalcedone celebrari Concilium iussit. Et cum idem Leo ep. 13. 50. 48. 58. ab vtroque Imperatore peteret, vt vlterior dies conueniendi assignaretur: quia & tempus breue videbatur, & viæ ab aduersarijs obsessæ erant, & iter facientibus Episcopis pericula imminebant: nihilominùs neuter eorum, vel diem vnum concedere voluit, sed singulis ad diem constitutum venire districtè mandabant. Et Leo Episcopus Romanus, qualemcumque iactitat vniuersalem potestatem voluntaribus Imperatorum acquiescere coactus erat.

D. Stapletonus.

Minimè gentium Iuelle: nihil quod à te adhuc allatum est, impedit quò minùs vniuersalis Romani Pontificis potestas, quam tantopere impugnas suo robore consistat. de hac re epistolæ Leonis quas tu citas satis amplum testimonium perhibent. Quæ certè licèt tellentur Concilium illud generale, non in Italia quod Summus Pontifex obnixè rogabat, sed Chalcedone ex sententia Imperatoris congregatum fuisse, expressè tamen asserunt omnia, *beatiss. Petri Apostoli sedis iure atque honore seruato*, peracta fuisse. Verba Leonis ep. 17. ad Synodum Chalced. hæc sunt.

[Optaueram quidem, dilectissimi, pro vestri charitate collegij, omnes Domini Sacerdotes in vna Catholicæ fidei deuotione persistere, nec quemquam gratia aut formidine potestatum sæcularium deprauari, vt à via veritatis abscederet: Sed quia multa sæpè, quæ pœnitudinem possint generare, proueniunt & superat culpas delinquentium misericordia Dei, atque ideo suspenditur vltio, vt possit locum habere correctio, amplectendum est clementissimi Principis plenum religione Concilium: quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias Diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire,] beatissimi Petri Apostoli iure, atque honore seruato, [adeò vt nos quoque suis ad hoc literis inuitaret, vt venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus, quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, nec seiunctam à vobis præsentiam à meam confidat.] Hæc sunt verba Sancti Leonis, quæ integra retuli, vt intelligas omnia in illo Concilio *Apostolicæ Sedis iure, & honore seruato peracta fuisse*: vtcumque locus coeundi ex sententia Imperatoris assignatus erat. Ius Apostolicæ sedis, vt historia tripart. 1. lib. 4. cap. 9. Ecclesiastica testatur, eiusmodi erat: *Ne sine illius assensu Concilia habeantur, aut celebrentur*, Quod ius longè ante tempora Leonis nempè sedem tenente Iulio, robur obtinuit. Propterea cùm Imperator locum, & diem assignaret, ipse Pontifex (licèt vlteriorem, ad iter faciendum, diem optaret) tamen assensum suum expressis verbis apponit, & ad Imperatorem scribens hæc sunt verba habet. epist. 43. ad Martian. aug. [Poposceram quidem à gloriosissima clementia vestra, vt Synodum quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à nobis etiam petiram, necessariam indicastis, aliquantisper differri ad tempus oportunius iuberetis. Vt liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet conuenirent. Sed quia pio studio humanis negocijs diuina præponitis, & rationabiliter, ac religiosè regni vestri viribus credidis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Euangelij prædicatione discordia. Ego etiam vestris dispositionibus non tenitor, optans, vt omnium cordibus Catholica fides, quæ non potest nisi vna esse, firmetur.]

Hæc Leo Pontifex ad Imperatorem Martianum: ex quibus satis constat Summum Pontificem non fuisse coactum, sed ex deliberatione, & prudenti consilio, ad illud quod pius Imperator optimum duxit spontè descendisse. Sed quia hoc in loco vniuersalis potestatis generale nescio, quod naufragium Iuellus somniat, ex ipsis Leonis epistolis 47. vnum, aut alterum subnotabo, quæ supremam Summi Pontificis auctoritatem (sic enim Vicarijs Christi in omnes Christianos auctoritatem appellar) in illud Concilium Chalcedonense, satis euidenter ostendunt.

Primò Legati Summi Pontificis in hoc Concilio præsidebant: Hoc constat ex verbis epistolæ illius ad vniuersum Concilium, quæ priùs retuli, tum ex tenore subscriptionis, vt priùs etiam ostendi.

Secundò, quia in illo Concilio multi erant Episcopi Orientis, qui Dioscoro hæretico consenserant, quorum alij per reconciliationem recipiendi, alij puniendi erant, totum hoc negotium recipiendi Legatis Summi Pontificis demandatum erat. Hoc literæ ipsius Leonis ad Imperatorem ad Martianum aug. & Anatolium Episcopum Constantinop. satis indicant: verba illius ad Imperatorē hęc sunt. epist. 44. [Ne igitur, vel resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel incuriosa facilitas temerè aliquos, & sine discretione susciperet, iniunctum est ab Apostolica Sede directis: vt in consortium suæ deliberationis accito Constantinopolitanæ verbis Antistite, & pestilentiæ contagia non admittantur, & sanitatis remedia non negentur.] In epistola sua 46. ad Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, quem vna cum Lucentio, & Basilio, quos eo tempore misit ad Concilium, legatum suum assignat, hæc habet verba. [De his autem qui in hac causa grauiùs peccauere, & ob hoc superiorem sibi locum in eadem infælici Synodo vindicarunt, vt humilium fratrum simplicitatem arrogantiæ suæ præiudicijs aggrauarent: si fortè resipiscunt, & à facti sui defensione cessantes, in condemnationem proprij conuertuntur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur, maturioribus Apostolicæ Sedis Consilijs reseruetur, vt examinatis omnibus, atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat æstimetur.] Et paulo pòst, [ac si de aliquibus ampliùs fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur: vt examinata qualitate causarum, nostra quid obseruari debeat sollicitudo constituar.

Hucus-

Hucusque S. Leonis verba, ex quibus auctoritas summa tum Pontificis Romani tum legatorum suorum, in recipiendo, aut reijciendo delinquentes, in illo Concilio eminere colligitur; etiamsi locus, & tempus ex sententia Imperatoris, vt dixi assignaretur. Tertiò, licèt Martianus Imperator Orientis imperauerit, vt Concilium in Oriente non in Italia haberetur, quicquid tamen in eo actum erat, non ex rigida Imperatoris iussione (quod Iuellus falsò affirmat) sed auctoritate, & assensu summi Pontificis robur obtinuit. Hoc ex literis Imperatoris ad Leonem satis constat: Martianus ad imperij sui exordium Leoni summo Pontifici literas misit in quibus hæc habet. Tom. 2. Cont. in præleg. Chalced. Synod. [Ad hoc maximum imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæque militiæ. Vndè pro reuerenda, & catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendum, inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij, æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, vt & tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandum Synodum te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata consistens.]

Hæc Imperator ad summum Pontificem de conuocatione Concilij. Ex quibus apparet, quàm longè ab illo violento imperio absit, quod Iuellus insinuat, & quam parum auctoritatis in eo negotio sibi vsurpet quod auctoritati summi Pontificis remittendum censet: dum habere ipsum summum Pontificem *principatum in Episcopatu*, id est, inter alios Episcopos *primatum possidere* apertè confitetur. Quod ad locum attinet celebrando Concilio assignandum, in alia Epistula ad eundem Pontificem idem Martianus sic scribit. [Superest, vt si placuerit tuæ beatitudini in hos partes aduenire, Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris vtique desiderijs vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ vtilia sunt, decernet. Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias: hoc ipsum nobis proprijs literis tua sanctitas manifestet, quatenùs in omnem Orientem, & ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.] Similiter Imperatrix Pulcheria de eiusdem Concilij Chalcedonensis conuocatione, ad eundem Leonem sic scribit. *Propterea tua reuerentia quocumque modo prospexerit significare dignetur.* Nempè quomodo Episcopi conuocentur ad Concilium, *vt de Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides, & Christiana pietas exigit te adiutore decernant.* Hæc Imperatores ad Leonem, hoc modo Leo Pontifex ad Imperatores rescripsit. Hic nullum apparet deliquium, aut naufragium vniuersalis potestatis, atque auctoritatis, sed euidens potius argumentum supremæ potestatis, quam nec Leo Pontifex dissimulauit, & ipsi Imperatores agnouerunt, & Pontificis legati in Concilijs ordinandis, dirigendis, & approbandis nomine illius exercuerunt. Sed de hac suprema summi Pontificis in hoc Concilio Chalcedonensi auctoritate plura dicendi postmodum occasio sese offeret, vbi ad mendacium 118. deuentum fuerit. Iam videamus quid Iuellus ex his, quæ ex Liberato, & epistolis Leonis citauit concludere velit.

Iuellus.

Ex his facilè possumus conijcere, quam verum sit, aut quod scribit Gelasius in Epist. ad Episcopum Dardaniæ, *Solam sedem Apostolicam Romanam auctoritate sua decreuisse, vt Concilium conuocaretur*: aut quod Dominus Hardingus nobis persuadere imprimis cupit, *Omnia Concilia à summo Pontifice olim conuocata fuisse.*

D. Stapletonus.

Imò ex his facilè erit conijcere, quàm sincerè, & qua fide Iuellus, etiam è suggesto publicè pollicitus sit, vel vni ex Ecclesiæ primitiuæ Patribus, aut vni Concilio intra spatium 600. annorum à Christo se velle subscribere: facilè est, inquam, ex his æstimare, quam pro nihilo habeat antiquos Patres, qui Gelasium doctissimum Pontificem, qui etiam intra spatium 500. annorum à Christo floruit, mendacij palàm arguere nequaquam erubescit: Eò iam tandem deuentum est, non ampliùs inter nos controuertitur, an Sancti Patres hoc doceant, an sic scribant, an fidei quam nos colimus attestentur. Sed an doctrina vera sit quam prædicauerunt, scripserunt, & vt testes posteris reliquerunt. Et cui obsecro testimonium perhibenti fides adhibenda est, si hisce Patribus, qui Ecclesiam Christi doctrinæ suæ radijs illuminarunt, moribus, & exemplo suo ornarunt, auctoritate sua rexerunt, qui per tot anteacta sæcula pro pijs, & doctis habiti sunt, fidem denegemus? Quid? An Gelasio non datur fides, vt detur Iuello? Vndè hæc impudens arrogantia? Quis nisi superborum antesignanus Lucifer superbiam hanc in mundum inuexit? Si hæc locum habere patiamur, quid est quod de fidei Christianæ professione, ampliùs soliciti simus? Quid est quod Patrum monumenta euoluamus, quid est quod afferamus Conciliorum testimonia, si quando Patres, & Concilia attulerimus, vlteriùs probandum sit Concilia, & Patres vera dicere? Hoc non est sanctorum Patrum iudicio stare, sed ipsos Patres in iudicium vocare. Nec Patres duces, & Doctores admittere, sed vt Discipulos sub ferula mittere.

Quid hoc aliud est quam rectam viam ad Paganismum sternere, & ad fidei Christianæ exterminium portas aperire? Huc (proh dolor) nouæ istæ altercationes nos præcipitarunt. Si Christiani haberi velimus enormia portenta hæc abhorrere æquum est. Si Christiani non sumus, quid de Christo, &

illius Euangelio tantopere garrimus? Videte quò me impulit effrons, & impudens Iuellus. Quod ad testimonium Gelasij attinet, cui Iuellus tam procaciter contradicit: Primò, non loquitur de conuocatione Concilij, sed quomodo fiat, & habeatur Concilium. Verba eius hæc sunt: *Auctoritate, vt Synodus Chalcedonensis fieret sola decernit*. Hoc ita se habere euidenter apparet, tum ex literis Imperatoris Marciani, & Pulcheriæ Imperat. ad Leonem, tum ex literis Leonis ad vniuersum Concilium: vt prius à me declaratum est. Rursùs iste post Concilium Chalcedonense circitèr 50. annos scripsit, & quid in illo Concilio actum erat multò rectius Iuello cognouisse præsumitur. Tertiò quid hæc contra ea, quę à Domino Hardingo allata sunt? An non hæc quæ Iuellus eblaterauit contra apertum Ecclesiasticæ historiæ testimonium militant, quæ expressis verbis affirmat, *sine auctoritate Episcopi Romani Concilia celebrari non debere*, idque, *virtute Ecclesiastici Canonis*? Quid hæc omnia ad Arianorum Concilia, quæ eo nomine teijciuntur, quod Romani Pontificis auctoritate caruerunt? Scilicet ex his infert Iuellus. *Hinc constat non omnia Concilia à summo Pontifice fuisse conuocata*. Neque hoc asserit D. Hardingus: Sed omnia Concilia à summo Pontifice approbari debere, & historia Ecclesiastica id testatur. Et quædam Concilia nempè illa Arianorum nunquam pro legitimis habita fuisse, quia à summo Pontifice, nec conuocata, nec approbata fuerunt. Contra hæc nihil adhuc Iuellus concludit, nisi hoc modo velit argumentari.

Leo Pontifex Concilium Chalcedonense conuocauit, & approbauit, sed assignationem loci Imperatoris arbitrio reliquit: Ergo Papa non habet auctoritatem conuocandi Concilia, aut approbandi.

Aut hoc modo.

Gelasius verè affirmauit sola summi Pontificis auctoritate Concilium Chalcedonense habitum, & celebratum fuisse: Ergo Papa non habet auctoritatem approbandi Concilia.

Profectò ratiociuationes hæ à ratione alienissimæ sunt, tamen hoc modo necesse est ratiocinari; si ex præmissis aliquid inferre vellit, quod ad rem faciat: Et nisi ad rem faciat, vt quid hunc locum occupat? Pergit tamen Iuellus more suo, & mendacia multiplicat: dicens.

Iuellus.

Nec ipse Romanus Pontifex, nec Legatus eo absente vnquam præsidebat, aut primus erat in Concilio.

D. Stapletonus.

Imò contrarium apertè, & expressis verbis probatum fuit de Concilio Chalcedonensi; tam ex Epistola Leonis, quàm ex actis eiusdem Concilij: idem de Ephesino, ex epistolis Cyrilli patet.

Iuellus.

Nam satis notum est, Eustachium Patriarcham Antiochenum in Concilio Nicæno præsedisse, Legatos autem Episcopi Romani *Vitum*, & *Vincentium* quarto in loco inferius sedisse.

D. Stapletonus.

Satis notum est, hoc manifestum esse mendacium. Hosius, Vincentius, & Vitus primi omnium subscripserunt, vt volumina Conciliorum, vbi ordo iste describitur, attestantur Tom. 1. Conc. pag. 257.

Iuellus.

In Concilio Constantinopolitano Memna primas partes obtinuit.

D. Stapletonus.

Memna non præsidebat solus in illo Concilio, id est, non habuit primas partes, vt tu asseris. Nam Sabinus, Epiphanius, Asterius, Leo, Rusticus Episcopi, Theophanes, & Pelagius Diaconi à sede Apostolica missi *considebant ei coadiutores*: æqualis cum eo, aut auctoritatis, vt acta illius Concilij apertè declarant. Act. 1.

Iuellus.

In Concilio Sardicensi Hosius Cordubensis ex Hispania.

D. Stapletonus.

Hosius iste Cordubensis cum Vincentio Capuensi, Sanuario Beneuentano, & Calepodio Neapolitano Episcopis, omnes Sedis Apostolicæ Legati, omnes in illo Concilio præsidentes.

Iuellus.

In Concilio Aquileiensi S. Ambrosius Mediolanensis, in Concilio Carthaginensi Aurelius Vrbis eiusdem Episcopus.

D. Stapletonus.

Hæc erant Concilia prouincialia. Nihilominùs Africani acta Conciliorum suorum ad Innocentium, vt ab eo confirmarentur, transmiserunt, vt S. August. ep. 90. testatur: & Cœlestinus in epist. Gal. cap. 3. tom. 1. Conc. affirmat eadem à Sede Apostolica confirmationem accepisse. Quod ad Concilium Aquileiense attinet, non adhuc perfectè editum est, vt ex ijs partibus quæ modò extant, satis apparet.

Iuellus.

In Concilio Chalcedonensi, Leonis Pontificis Romani Legatus primum locum obtinuit quidem, sed precario, & ex speciali Imperatoris gratia; non ex iure, aut vniuersali sua auctoritate.

D. Stapletonus.

Vide, obsecro, & considera mendacissimi hominis impudentiam. Prius falsò asseruit, *Nec ipse summus Pontifex, nec eo absente Legatus illius vnquam in Concilio præsidebat*; Iam idem vltrò fatetur Leonis Pontificis Romani *Legatos in Concilio Chalcedonensi primum locum obtinuisse*. Posteriùs hoc, priùs illud asserentem, mendacij apertè arguit. Sed ne malè oleat hoc mendacium, alio mendacio quasi aromate odorifero figmentum suum aspergit, dicens summi Pontificis Legatum *primum locum obtinuisse quidem, sed precariò tantùm, non iure &c.* Hoc asserit quidem, & asserit tantummodo, sed (quod factum oportuit) non probat. Enim verò Iuellus toties fefellit fidem, vt in huiusmodi negotijs sine argumento, & probatione, nulla ei deinceps fides adhibenda sit: vtcunque Martianus Imperator Concil. Chalcedonense conuocauit, Leo Pontifex epist. 47. apertè pronunciat, *id Apostolicæ Sedis iure, & honore seruato factum esse*. Et (licèt impudens Iuellus id non erubescit negare) in illo Concilio Chalcedonensi act. 11. palàm, & sine contradictione asseritur, quod *missi Apostolici semper in Synodis priùs loqui, & confirmare soliti sint*. Hoc ergo erat *ius Sedis Apostolicæ* non obtentum precario. Hinc Imperator ipse Martianus de conuocatione huiusce Concilij loquens affirmat, *eius sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidere*, ac propterea hortatur, vt *eo auctore ad celebrandum Concilium*, via aperiatur. Ad eundem modum, & in eundem finem, Pulcheria Imperatrix circa idem tempus ad Leonem Pontificem literas dirigit, vt priùs à me declaratum est: hic ergò auctoritas gubernandi, & dirigendi Concilium satis apertè cognoscitur, non à Leone tantùm, & vniuerso Concilio, sed ab ipso etiam Imperatore. Hìc nihil apparet *precarium*, nihil (quod Iuellus valde cupit) speciali *aliqua concessione, aut gratia obtentum*.

Iuellus.

Sed D. Hardingus ait, omnia Concilia ab Episcopo Romano approbata fuisse. Hoc non negatur.

D. Stapletonus.

Aijn verò? non negatur? quomodo ergo tanto conatu hoc asserenti hucusque contradixisti?

Iuellus.

Id etiam fecerunt non solùm Patriarchæ, & Episcopi, sed etiam Principes sæculares.

D. Stapletonus.

Animum aduerte, bone Lector, & attentè obserua, quomodo se gerat Iuellus, quod nisi feceris quasi anguilla lubricitate sua ira aliqua arte elabetur. Hæc affirmat, *non solùm Episcopus Romanus omnia approbauit Concilia, sed etiam id fecerunt*. Hoc qui asserit, probare debet alios etiam præter Summum Pontificem omnia approbasse Concilia, idque pari, aut simili authoritate, qua Papa solet. At testante historia Ecclesiastica, *authoritas Summi Pontificis ea fuit, vt sine ea nulla concilia ritè celebrari possent*. Quare Iuellus probare debet, non solùm Patriarchas, & Episcopos, sed & sæculares principes in approbandis Concilijs ea authoritate vsos fuisse, sine qua Concilia ritè celebrari non possent. Huiusmodi authoritatem nisi ostendat, certè nullo modo verum esse potest quod affirmat, *id etiam fecerunt, & alij, &c.* Sed videamus quomodo probat id quod affirmat.

Iuellus.

In Concilio Chalcedonensi sic legimus. *Theodosius Imperator piæ memoriæ omnia quæ in vniuersali Concilio determinata erant generali lege confirmauit*. Sic etiam Marcianus: *sacræ maiestatis nostræ edicta reuerendum illud Concilium confirmamus*. Similiter Constantinum Imperatorem determinationes Concilij Nicæni confirmasse Eusebius ipse testis est. Haud aliter Patres Constantinopolitani ad Imperatorem scripserunt rogantes, vt per literas celsitudinis suæ, decreta Concilij confirmare dignaretur.

D. Stapletonus.

Quidni etiam pari ratione hoc loco adijcias: Oratores Imperatoris, & Principem quemlibet Catholicum, qui Concilio Tridentino intererat, decreta eiusdem Concilij confirmasse? Sed nec illa priora exempla à te allata, nec hoc posterius aliquid simile habent cum confirmatione Summi Pontificis. Confirmatio Summi Pontificis adeò necessaria est, vt sine ea (sic enim Canones præcipiunt) nullum Concilium celebrari possit. Hoc genus confirmationis, tale ius confirmandi Concilia, nulli principum sæcularium conceditur. Exemplum, si placet, accipe: Theodosius, quem primo in loco adducit Iuellus, Concilium Ephesinum confirmauit, nihilominùs illud Concilium, vt omnes sciunt, nunquam adhuc pro legitimo habitum fuit art. 1. Conc. Chalced. Quid ita? Nempè quia Legati Leonis Pontificis per potentiam Dioscori hæretici planè repudiati, & reiecti erant. Quare omnia tua exempla optimi Imperatoris Zelum ostcudunt, simulque documento esse possunt, quantum expediat, vt potestas sæcularis authoritati Ecclesiasticæ suppetias afferat, nihilominùs dici non potest Imperatorem vllum, aut sæcularem principem Concilia (vt præses, & iudex confirmare solet) vnquam aliquando confirmasse. Vno verbo Pontifices Romani in omni Concilio suffragium habent, & habere debent negatiuum, sine quo nihil in eo approbari potest. Hoc enim Canon ille, de quo mentio est in historia Ecclesiastica expressè testatur. Eiusmodi suffragium, & adeò absolutam potestatem in approbandis Concilijs Princeps nullus sæcularis, imò nec vllus alius Patriarcha vnquam habuit. Soli Romano Pontifici Sancti Petri successori, & Apostolorum Principi illud concedi-

ceditur. Nam ficut Princeps fæcularis abfolutam poteftatem non habet iudicandi in caufis fidei, ita neque authoritatem habet approbandi Concilia, vbi folæ res ad fidem fpectantes agitantur. Quare Gregorius Nazianzenus in orat. ad fubdit. Imperatorem Ouem fui gregis appellat. Ita S. Ambrofius epift.32. ad Valent. *Quid honorabilius Imperatori, quàm vt filius Ecclefia habeatur? nam bonus Imperator eft in Ecclefia, non fuper Ecclefiam*. Haud aliter I. Caluinus inftit. lib. 4. cap.11. par.4. S. Ambrofij ad mentem Iuello aduerfatur. *Magiftratus fi pius fit, communi fubiectioni filiorum Dei fefe non vult fubducere: quare non eft minima pars officij fui Ecclefiæ fefe fubijcere per verbum Dei iudicanti*. Hinc Conftantinus Magnus in Concilio Nicæno, vt Sozomenus lib.2. cap. 5. hift. trip. ait, *ingreffus eft locum Concilij poft Epifcopos, fedit infra omnes Epifcopos, nec priùs federe voluit, quàm ab Epifcopis iuberetur*. Et in eodem Concilio apertis verbis idem teftatur: non effe officij fui de Epifcopis iudicare. Cuius veftigijs infiftens pius Imperator Marcianus in Concilio Chalcedonenfi act.1. in oratione fua ad Synodum habita hæc habet verba. *Nos ad confirmandam fidem, non ad oftendendam virtutem exemplo Conftantini Imperatoris adeffe Synodo cogitauimus*. Et paulò poft: *nobis autem omne ftudium adhibendum eft, vt populum propter veram, fanctamque doctrinam idipfum fentientem, vni rectè applicari Ecclefiæ: & ideò veram fidem, catholicamque etiam exponere fecundùm Patrum doctrinam, concordantibus animis veftris, veftra properet reuerentia*. Hæc optimus Imperator Marcianus Conftantini exemplum infequutus qui licet, fidem Concilij aliquo modo confirmaret, nullam tamen in Concilio iudicium exercuit, fed examen, & iudicium de doctrina Epifcopis reliquit, populum fibi commiffum, decretis Ecclefiæ obedire coegit. Hoc modo Principes Catholici, & fidei Catholicæ defenfores fefe in Concilijs gefferunt. Hoc non imminuit, aut euertit, imò aftruit, & confirmat iurifdictionem fpiritualem. Atque hæc de fæcularibus principibus Marciano, & Conftantino, quorum exempla Iuellus in medium attulit, vide inter epift. Cyrilli tom. 4. epift. 17. Quod attinet ad Theodofium fecundum, quem Iuellus etiam affert, in priori Concilio Ephefino fub illius imperio habito, haud aliter, ac Catholici Principes prædeceffores illius fefe geffit, omnia Sacrofancti Concilij determinationi humiliter fubijciens, vt in Cyrillo priùs allegato fatis apparet; vide Conc. Chalced. act.1. Poftea verò cum id quod hominem ordinis fui, & conditionis minimè decebat in fe fufcepit: tum demum hæréfis Eutychianæ patronus, & Diofcori heretici in Synodo fchifmatica defenfor, tum etiam mortis Flauiani Epifcopi Conftantinopolitani confcius factus eft: tum demum contra fas, & ius Flauianum, Eufebium, & alios Epifcopos Catholicos, qui hæreticum Eutychetem depofuerant, federe in iudicio in illo conuenticulo prohibuit, imò vt reos coram tribunali fe ipfos fiftere, & Eutychetis hæretici poftulatis refpondere iniquiffimus coegit. Sed vt illud Ephefinum conuenticulum act. 11. Leo epift. 24. & 26. cui tanto ftudio Imperator patrocinium præftitit, femper pro hæretico, & reprobato habitum eft: & vt fucceffor huius Theodofij Marcianus reliquias Flauiani cuius morti ipfe confenferat Conftantinopolim honorificè adduci curauit, Leo epift. 44. vt hæréfis Eutychiana ab eodem Theodofio fufcepta, & promota, à Concilio Chalcedonenfi condemnata, ab vniuerfo Orbe Chriftiano vfque in hunc diem odio habetur: ita exempla, & facta illius, fidei Catholicæ præiudicio effe non poffunt. Tum quia Legatos Summi Pontificis ad Concilium Ephefinum noluit admittere, tum quia Concilium contrà hærefim Eutychianam conuocari (licèt Summus Pontifex inftanter illud efflagitaret) pati noluit. Denique ficut Iuellus ab hæreticis, & hæreticorum fautoribus, Arianis fcilicet, Eutychianis, & Donariftis maximum caufæ fuæ patrocinium, & fubfidium quærit: ita caufa noftra quam Catholici tuemur, exemplo, & factis Epifcoporum Catholicorum Athanafij, Chryfoftomi, Theodoreti, & aliorum, nec non, & fæcularium Principum Conftantini, & Marciani mirum in modum iuuatur, & corroboratur.

Iuellus.

Cùm ergo licitum fit Principibus, & magiftratibus ciuilibus decreta, & determinationes Conciliorum confirmare, quomodo dubium effe poteft, quin & idem Epifcopis licitum fuerit? Hinc Theodoretus ait, *Decreta Concilij Nicæni ad omnes alios Epifcopos, qui aberant tranfmiffa erant*.

D. Stapletonus.

Sic Concilij Tridentini decreta, ad omnes per vniuerfam Europam Ecclefias tranfmiffa erant. Nugæ nugarum, & meræ impofturæ; quid hoc eft aliud, quàm lectorem eludere?

Iuellus.

Et Victorius lib.2. ait, multa Epifcoporum millia idem Concilium approbaffe, eidemque affenfum præbuiffe.

D. Stapletonus.

Et nos etiam afferimus multa millia Epifcoporum non folùm Nicænum, fed omnia prætereà Concilia generalia approbaffe. Imò afferimus prætereà: quifquis ille fuerit, qui eadem non approbat hæreticus eft. Quid ex his nugator ifte nugaciffimus tandem inferet?

Iuellus.

Sed antè alios (quia & territoria illorum ampliora, & maior authoritas extitit) quatuor Patriarcharum principalium fubfcriptio, & confirmatio in primis neceffaria erat; inter quatuor principales Epifcopos Romanus femper primus erat; quare affenfus illius femper plus ponderis habere vifus eft.

D. Stapletonus.

His verbis,aduerte quæso Lector,Iuellus contrà seipsum plenè, & apertè sententiam pronunciauit. Ait enim, inter quatuor principales Patriarchas *Romanus Episcopus semper primus erat*. Ex hoc quod concedit sic argumentum deduco.

Patriarchæ, sub se & iurisdictioni suæ subiectos, omnes Episcopos, atque adeò vniuersam Christi Ecclesiam habuerunt.
Sed Episcopus Romanus omnium Patriarcharum primus semper habitus est:
Ergo Episcopus Romanus omnium aliorum Episcoporum primus semper erat.

Maior huius argumenti ex prouinciarum distributione in Concilio Nicæno facta, satis euidens est; tum etiam ex confessione ipsius Iuelli, quæ in literis Damasi ad Episcopos Illyrici habetur;qui Episcopi ad prouinciam, siue territorium Episcopi Romani, vt ipse Iuellus probat, pertinebant; quandoquidem in *Orbe Romano*, siue, vt idem Iuellus interpretatur, sub iurisdictione Romana continebantur, & sub eadem iurisdictione perinde, ac Illyricum, ipsa Gallia, Hispania, Africa, Britannia, Italia, imò vniuersa Orientalis plaga continebatur. Minor propositio hic à Iuello expressis verbis asseritur. Quare sine dubio ex his præmissis conclusio directè, & necessariò sequitur. Deinde si Papa omnium Episcoporum primus semper fuerit, super omnes Episcopos primatum obtinuit. Si semper quid ni hodiè? Si in omnes Episcopos, tum in omnes reliquas Ecclesiæ partes. Nam sicut Princeps sæcularis, vt est caput nobilium, ita & in omnes plebeios principatum obtinet. Sic & Episcopus Romanus, cùm sit primus Patriarcharum, etiam respectu aliorum Episcoporum primus erit, imò & inter populum Christianum, qui Episcopis subest primus similiter erit. Si primus ergo primatum obtinet, estque Caput, & Princeps omnium aliorum. Hoc certè adeò indubitatum est,vt ipse Iuellus non modò, id affirmet, sed probet etiam, sic enim progre-ditur.

Iuellus.

Et ob eam causam ImperatorMarcianus Leonem Pontificem rogauit, vt ad Concilium Calcedonense literas mitteret, quibus significaret, se regulæ fidei, quæ ibi definita fuit, assensum præbere.

D. Stapletonus.

Ob eam causam, inquit, nempè quia inter quatuor Patriarchas semper primus erat, Episcopus Romanus rogatur ab Imperatore, vt assensum præbere, & definita confirmare vellt, ita Leo in Epistola sua 60. ad Concilium Calcedonense. Vide obsecro, Papa adeò verè omnium Episcoporum primus est, vt intuitu huius primatus rogetur, quatenùs omnium aliorum Episcoporum decreta *confirmare* dignetur.

Reliqui Patriarchæ; nempè Maximus Antiochenus, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Anatholius Constantinopolitanus Concilij huius decretis, priùs subscripserant. Nihilominùs Episcopus Romanus literas suas mittere ab Imperatore cogatur, quibus [quæ illi fidei sunt regula definita firmaret.] Benedictus Deus in sæcula, adeò inuicta est veritatis vis, vt ex ipso inimicorum ore tandem erumpat. Hæc ni fallor causam Iuelli non multùm iuuant, sed videamus quomodò progrediatur.

Iuellus.

Simili modo Imperator Theodosius omnes Episcopos rogauit, vt Nicæno Concilio assensum præberent, eique subscriberent.

D. Stapletonus.

Haud simili modo, pace tua Iuelle, nam ante huius Theodosij tempore annos centum plus minùs Concilium hoc finitum, ac plenè confirmatum erat, petebat autem ab Episcopis, vt illi Concilio assensum præberent, non tam Concilij Nicæni confirmandi, quàm hæresis Eutichinæ stabiliendæ causa. Et quia hæresis illa non erat in illo Concilio exagitata, & expressis verbis condemnata, Imperator iste, & Dioscorus illius causæ præcipuus fautor, Concilij Nicæni confirmationem incessanter efflagitabant, & alia multa in Concilio Nicæno neutiquam agitata, per vim & potentiam Dioscori heretici, in illo conuenticulo Ephesino discuti, & decidi iusserunt.

Quæ omnia eo animo facta sunt, vt Synodus paulò ante contra Eutychetem Constantinopoli habita à Flauiano, rescinderetur, & aunihilaretur. Ob hanc causam Imperator Theodosius tanto post Nicænum Concilium tempore, Episcopos eidem de nouo subscribere coegit. Haud *simili modo* (vt tu ais Iuelle) sed longè alio animo pius Imperator Marcianus Concilium Constantinopolitanum à Leone Pontifice Romano confirmari petijt. Nam hæc Summi Pontificis confirmatio tanti erat, vt Concilium Ephesinum sub Dioscoro, quia confirmationis huius authoritate caruit, irritum & vt nullius authoritatis reiectum sit.

Quare Lucentius vnus è Legatis Summi Pontificis in Concilio Chalcedonensi vt in Act. 1. non longè à princ. Dioscorum palàm accusat, [quod Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam ritè factum est, nec fieri licuit.] Hinc etiam, cum perlectis in Concilio Chalcedonensi Ephesini conuenticuli actis, mentio fieret de Iuliano Pontificis Legato, quasi præsens eidem interesset (hoc enim finxit Dioscorus, vt ea quæ de Eutichetis restitutione tentaret honestius palliaret) Episcopi Orientis continuò exclamabant. [Eiectus est,nullus suscepit nomen Leonis.]

Et paulò post, quandò ex actis conuenticuli Ephesini lectum erat, quod literæ Leonis Pontificis eo directæ, in Concilio perlegerentur, Episcopi Orientis iterùm exclamabant,

bant, [non est nobis lecta Epistola, si enim lecta fuisset per omnia, & contineretur per omnia.] Hinc factum est, quod Dioscorus Patriarcha Constantinopolitanus, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Thalasius Episcopus Cæsariæ in Capadocia, speciali examine in Concilio Chalcedonensi interrogentur, quam ob rem, & ex qua occasione literas Summi Pontificis ad illos directas, perlegere detrectabant, & singuli prout poterant excusationem interposuerant, tantæ authoritatis, tantique momenti præ cæteris Episcopis, Romani Pontificis authoritas tunc temporis extitit.]

Iuellus.

Est enim tam rationi, quàm iustitiæ consonum, vt [quod ad omnes pertinet, debeat ab omnibus approbari.

D. Stapletonus.

Debet ab omnibus approbari, sed per modum obsequij, & obedientiæ, non per modum authoritatis, & iussionis. Alioquin ex hac Iuelli regula nullos superior sine subditi sui authoritate legem, quæ obliget condere potest. Nec Princeps subditum, nec Episcopus Sacerdotem sibi subiectum regere, & gubernare, nisi subditus Principis, & Clerus Episcopi sui leges approbent. Hæc & huiusmodi axiomata rebelles contra legitimum Magistratum, & hæretici contra legitimum Pastorem vrgere, his vti, ijs insistere solent.

Iuellus.

Ac propterea Iulius Episcopus Romanus omnia Concilij Antiocheni acta irrita pronunciauit, quia is ex quatuor Patriarchis vnus, non proinde, ac reliqui ad illud accerseretur.

D. Stapletonus.

Animum aduerte bone Lector, & vide, quomodò Iuellus diù multùmque conlectandi euagatus, tandem sagittas ad metam dirogat, & ad rem propiùs accedat. Hoc Antiocheni Concilij exemplum, pro Romani Pontificis authoritate à D. Hardingo allatum erat, vtpotè quod inualidum, & irritum erat, quia nec ipse Pontifex Romanus, nec vllus illius Vicemgerens, eidem interesset.

Hanc Historiam à D. Hardingo malè allegatam Iuellus antea causabatur, quòd dum probare promitteret, à re ipsa orationem subitò auertit, & nescio quid otiosè garriendo, excursiones quasdam vagas, vt vidistis, fecit.

Primò afferens, quod Concilia ab Imperatoribus conuocata fuerint, tum de Summi Pontificis ex ea parte infirmitate multa balbutiebat.

Tertiò, quod nullus Summi Pontificis Legatus illi Concilio vnquam præsidebat.

Quartò, quod tam Principes sæculares, quàm reliqui Episcopi, perindè ac Romani Pontifices Concilia approbabant.

Postremò eò diuenit, vt agnoscat, Patriarchas propria, & præcipua authoritate in hac causa vti, quæ assertio fundatur, *in regula iuris*, quam rectè admodum allegauit, atque ita diù apud se deliberans, quo tandem euadat, aut quo se vertat, innumeris fabularum ambagibus Lectorem à proposito abducens, de repentè concludit. *Ac propterea Iulius Romanus.*

Quid tandem? An propterea malè à D. Hardingo allegatur historia? An propterea euincitur Summum Pontificem conuocandi Concilia potestatem nullam habuisse? An hoc modo argumentatur Iuellus? vt Concilia licita sint, & approbata, præcipuè requiritur, vt confirmentur à Patriarchis, ergo Papa non habet authoritatem conuocandi Concilia? An potiùs sic infert, ergo D. Hardingus historiam Concilij Antiocheni falsauit.

Hæc enim propositio siue conclusio ea est, quam Iuellus probandam in se suscepit, pro falsa hæc eadem illa est, quam idem adnotauit. Nunc tamen post multas otiosas excursiones, quasi oblitus, quid probandum susceperat, aut quo tenderet, a partis verbis fatetur historiam quidem veram esse, & satis aptè allegatam, sed nouum genus vitij in ea emergit, quid tandem?

Nempè, fatetur Concilium Antiochenum reuera irritum, & nullius momenti fuisse, quia carebat authoritate Summi Pontificis, sed non quatenùs Summus Pontifex, sed quatenùs vnus è quatuor Patriarchis erat. Lepidum medius fidius commentum; sed hoc ita se habere, id demùm probasse oportuit. Certè Iuellus in prioribus tot mendacijs paginam oppleuit, vt nuda illius asseueratio ad fidem faciendam parum momenti habeat. Videamus ergo quomodò hoc probat.

Iuellus.

Nam ex Eusebio, Theodoreto, & alijs satis constat primates, & Metropolitanos in primis ad omnia generalia Concilia solere vocari.

D. Stapletonus.

Verum est omnes fuisse vocatos. Sed de Romano Pontifice superiùs probatum est, is nisi adsit, Concilium ipso facto nullum esse. An si vllus alius abesset Patriarcha, propterea irritum habebatur Concilium? Hoc certè verum non est, hoc nullo modo à Iuello vnquam probari potest.

Secundò hoc Concilium Antiochenum generale non erat, sed ex Orientalibus Episcopis tantummodò conflatum.

Tertiò hæc prærogatiua Summi Pontificis in approbandis Concilijs ex hoc Concilij Antiocheni exemplo euidenter probatur, nam ab hoc Concilio non solùm Iulius Romanus, sed etiam Maximus Patriarcha Hierosolymitanus aberat.

At historia Ecclesiastica de hac re mentionem faciens, nihil inquit de huius absentia,

sentia, quasi Concilium annullaret, aut inualidum redderet; quod sine dubio fecisset, si præsentia illius fuisset absolutè necessaria. E contrario eadem historia absentiæ Romani Pontificis mentionem faciens, statim rationem reddit cur Concilium irritum haberetur: [cùm vtique regula Ecclesiastica iubeat, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.]

Ostende si potes, Iuelle, regulam vllam Ecclesiasticam, quæ propter absentiam alterius cuiusquam Patriarchæ, Concilium annullet. Sciò te nullam posse ostendere. Cùm tamen nemo nesciat Concilium Secundum Ephesinum propterea annullatum fuisse, quia (licèt omnes alij Patriarchæ, Dioscorus nempè Alexandrinus, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Flauianus Constantinopolitanus præsentes adessent) Legatus Summi Pontificis repulsus fuerat.

Atque adeò licèt Patriarchæ omnes vocarentur; nullius tamen absentia (excepto Romano Pontifice) Concilij authoritatem eneruauit. Hoc tandem illud est, quod prærogatiuam Summi Pontificis, & præeminentiam respectu aliorum Episcoporum euidenter ostendit. Hoc Iuellum oportuit improbasse, quod hactenus (etsi sæpè conatus est) nunquam effecit, nec vnquam efficere poterit. Quare malè colligit, vbi concludit dicens.

Iuellus.

Atque hic videtur esse Canon ille, quem Iulius allegauit, [Non licere Canones, qui vniuersam obligent Ecclesiam sine assensu Episcopi Romani condere.] Cùm is sit vnus, è quatuor Patriarchis Principalibus, & magnam Ecclesiæ partem pro sua Prouincia habeat.

D. Stapletonus.

Omnes hæ verborum otiosæ ambages, in meras abeunt coniecturas. [Hic videtur esse Canon ille,] inquit, Iuellus, sed quàm parum probabilitatis hæc habeant prius ostensum est. Quare Iuellus perspiciens, omnia quæ hactenus attulit in nihilum euanuisse, secundas agitat cogitationes, melioribus auspicijs rem aggredi tentat, & quia adeò altè lateri infixus adhæret antiquus ille Canon ab Historia Ecclesiastica relatus, qui iubet, non oportere præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrari; recolligens se nouas confert copias, & pugnam redintegrat his verbis.

Iuellus.

Ac propterea Leo Episcopus Romanus in epist. 61. Concilio Chalcedonensi assensum suum præbet, his verbis. [Fraternitas vestra nouit me definitionem Sanctæ Synodi toto corde fuisse complexum.] Simili modo ad Imperatorem Marcianum scribens, Leo epist. 59. hæc habet verba: [Constitutionibus Synodalibus libens adieci assensum meum.]

D. Stapletonus.

Imò plus adiecit; quàm assensum. Pessima fide authorem retulisti Iuelle. Verba Sancti Leonis hæc sunt. [Synodalibus Constitutionibus, quæ mihi de confirmatione Fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, adieci sententiam meam.] Sed hæc sententia non erat merus assensus, aut mera animi sui intimatio, sed vera Concilij *confirmatio*. Sic enim in literis suis de eadem re ad Imperatricem Pulcheriam eodem tempore datis, Leo epist. 69. scribit. Quod pijssimus Imperator ad omnes Episcopos, qui Chalcedonensi Concilio interfuere, voluit me scripta dirigere, [quibus quæ illic de fidei regula sunt definita firmarem, libenter impleui:] & statim rationem reddit. [Ne fallax cuiusquam simulatio sententiam meam haberi vellet incertam.]

Ergo licèt tota Synodus Catholicam doctrinam contra hæreticum Eutychetem priùs decreto suo confirmasset: nihilominùs Leonis Romani Pontificis confirmatio literis Imperialibus expressè ab eo requiritur, in eum scilicet finem, ne quis fallaci deinceps simulatione cauillaretur, Sedem Apostolicam *sententiam suam certam*, & indubitatam de ea re nondum patefecisse, nihilominus Iuellus non veretur asserere.

Iuellus.

Hæc non esse facta, vt supremam illius potestatem ostenderet, sed vt decreta ab eo, & alijs hoc modo, rata & confirmata ab omnibus pluris æstimarentur.

D. Stapletonus.

Quorsum illa verba apponis, *ab eo, & alijs*. Solius Pontificis Romani reprobatio, siuè confirmatio requirebatur. Imò ipsius confirmatio expressis verbis requirebatur, etiamsi Legati, illius Concilio interessent, imò licèt illius nomine suffragia, & sententiam dedissent, & subscriptione firmassent. Quid ergo addis, *& alijs*. Locus quem pro hac sententia affers, de Episcopo Romano solo intelligitur, & non *de alijs*. Sic enim hanc rem ipse persequeris.

Iuellus.

Ipse Leo in epist. 59. scribit. [Quod faciliùs clementia vestra arbitretur implendum (nempè, vt sacrilegus error vires amittat) si per vniuersas Ecclesias definitiones Sanctæ Synodi Chalcedonensis Apostolicæ Sedi placuisse doceantur.

D. Stapletonus.

His in verbis, *Sedis id Apostolicæ* approbatio, non item aliorum habetur. Hic ergo locus supremam Sedis Apostolicæ authoritatem, & præeminentiam ostendit. Alioquin, quandoquidem vniuersa Synodus causam iamdudum determinauerat, & 630. Episcopi qui præsentes interant, sententiæ

sub-

ſubſcripſerant, quandoquidem Summi Pontificis Legati, qui aderant ſuffragia, cum reliquis dediſſent, & ſenteutiam ſubſcriptione firmaſſent, quid opus eſſet, vt Summus Pontifex, per literas ſuas eandem ſenrentiam ſolemni ratificatione approbaret, niſi quod ſuprema Sedis Apoſtolicæ poteſtas, & ſpecialis prærogatiua in eo conſiſtat.

Quapropter ſacrilegum errorem faciliùs extinctum iri ſperabat bonus Imperaror, ſi per authenticas Sedis Apoſtolicæ literas determinationem Sacræ Synodi approbari, & confirmari, vniuerſæ Eccleſiæ innoteſceret. Hinc Roma tam à Græcis, quàm à Latinis Sedes Apoſtolica antonomaſtiens, ſiue per excellentiam nuncupatur, Athan. ad ſolit. vitam agentes, vtpotè in qua Apoſtolicæ prærogatiuæ ſucceſſio ſemper viguit, Hinc etiam Epiſcopi Africani poſtquam Pelagij, & Cæleſtini hæreſim exagitando diſcuſſerant, ſententiam & determinationem, Sedi Apoſtolicæ confirmandam tranſmiſerunt. Auguſt. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 2. & 3. lib. 2.

Sic Concilium Nicænum à Siluestro, Conſtantinopolitanum à Damaſo, Epheſinum à Cæleſtino confirmatum erat, vt D. Hardingus rectè notauit. Hæc teſtimonia à D. Hardiugo allata Iuellus non attingit, ſed errabundus hnc illuc diſcurrit, nihil contra Hardiugum vrgens, quod titulus Libri pollicetur; ſed obiectiones neſcio quas exinanitate ſua efflat, atque in hunc modum iterùm incipit obijciendo fortunam tentare.

Iuellus.

Sed confirmationem Conciliorum non ab Epiſcopo Romano ſolo, ſed ab alijs etiam pendere facilè eſt probatu.

D. Stapletonus.

Si adeò facilè ſit, ſine dubio illud efficaciter probabis, videamus quid potes.

Iuellus.

Epiſcopi congregati in Concilio Romano ſub Damaſo, Concilium Arianorum Arimini habitum condemnabant, quia nec Epiſcopus Romanus *vuhoſe minde*, id eſt, cuius voluntas ſiue indicium ante alios omnes cognoſci debuerat, nec Vincentius, nec alius quiſquam reliquorum eidem aſſenſum præbuerant, Zozom. lib. 6. cap. 23.

D. Stapletonus.

Neſcio quomodò ſit, ſed ita vſu euenire animaduerto, vt nullum contra Summi Pontificis authoritatem teſtimonium proferat Iuellus, quod ſine aliqua plaga illæſum abire patiatur. Nam ſicut priùs confirmationem, aut authoritatem Anglicè vertit *conſent*, nudum innuens aſſenſum, & vocabulum *Others* inſeruit. Alios nempè cum Epiſcopo Romano coniungens, quod Textus ne leuiter, quidem inſinuauit. Ita hoc in loco magnam, & præcipuam teſtimonij partem, in qua Romani Pontificis authoritas euidenter apparet inſigniter immutauit.

Nam illa verba *vuhoſe minde*, id eſt, *cuius voluntas ante alios cognoſci debuerat*, per quæ conſenſum aliorum Epiſcoporum cum voluntate Romani Pontificis, quaſi æqualis authoritatis coniungere auſus eſt, illa inquam verba nequiter immutantur, & à ſenſu Textus ſiue Græci, ſiue Latini violenter detorquentur. Græcus contextus, tam Zozomeni (quem Iuellus citat) quàm Theodoreti lib. 2. cap. 22. ſic ſe habet, *u propanton edi tin gnomin ecdexaſthæ*. Latina translatio illius loci, ita ſeſe habet. *Cuius ante omnia eos decebat expectare decretum*. Hæc ſunt verba Epiſtolæ, tam à Zoaomeno, quàm à Theodoreto relata. Hæc verba manifeſtè indicant Concilium Ariminenſe condemnatum fuiſſe, non tam quia Vincentius, & reliqui aberant, quàm quia Romani Pontificis, *decretum non expectabant*, vt decebat idque, *ante omnia*, id eſt, priuſquàm aliquid concludere tentaſſent. Hæc vera cauſa erat, cur Concilium Ariminenſe reiectum, & condemnatum erat, quia nimirùm decreto Summi Pontificis, quo acta illius confirmarentur, caruit, licèt eidem 400. Epiſcopi intereſſent (vt Nicephorus lib. 9. cap. 9. refert). Atque ita, vt videtis, ſuis armis iugulatur Iuellus, ad reliqua tranſeamus.

Iuellus.

Similiter Concilium Carthaginenſe, & Africanum pro legitimis habentur, etſi Epiſcopus Romanus ea approbare recuſauerit.

D. Stapletonus.

De Innocentio Pontifice Romano Sanctus Auguſtinus lib. 2. ad Bonifac. cap. 4. affirmat, quod [de vtroque Concilio Carthaginenſi ſcilicet, & Mileuitano, ſcripta ſuſceperat,] & Cæleſtinus Primus epiſt. 2. ad Epiſcopos Gall. cap. 3. ait, [Africanorum ſententias ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cùm probarent.] Et amborum Conciliorum Epiſtolæ ad Summum Pontificem confirmationem illorum Conciliorum petentes, & reſponſiones Summi Pontificis Innocentij ad vtrumque Concilium, inter Epiſtolas Sancti Auguſtini epiſtola 90. 91. 92. 93. 95. & 96. adhuc extant, & (quicquid coniectator Iuellus in contrarium garriat) præeminentiæ Summi Pontificis, & authoritatis in Epiſcopos Africæ illuſtre teſtimonium Lectori exhibent.

Imò ipſiſſimus Canon 22. de non appellando ex Africa ad Romam (quem Iuellus, & ſocij eius tanti faciunt) in hoc ipſo Concilio Mileuitano reperitur. Ex his facilè erit colligere, primò appellationes non fuiſſe inhibitas ſine Romani Pontificis aſſenſu, deindè data illa inhibitione non tunc ſimul vniuerſam Summi Pontificis authoritatem (vt Iuellus ſomniat) protinus eliminatam, ſed in reliquis omnibus integram, & libenter ſuſceptam fuiſſe. Auguſt. epiſt. 92. & 95. In teſtimonium huius rei acta Concilij ſui Innocentio Pontifici Romano vltro remiſerunt, deindè eidem literas dederunt, humiliter rogantes, vt Pelagium ſic in epiſt. 106. Aug. hæreticum ex Oriente Romam accerſeret.

Tertiò

Tertiò, S. Augustinus, Epist. 105. apertè fatetur, Innocentium summum Pontificem decreta illorum per literas suas Apostolicas confirmasse.

Quartò, post illud Concilium, & decretum à summo Pontifice editum, Roma *caput Orbis* à S. Augustino nuncupata erat. Sic idem S. August. ad Bonifacium summum Pontificem scribens, agnoscit, & fatetur, etiam post illud Concilij Mileuitani decretum, eum in *Episcopatus fastigio celsiore, fastigio speculæ pastoralis præeminere.* contra Epist. Pelagij lib. 1. cap. 1.

Postremò tam ab Innocentio, quàm à successore suo *sancto Papa Zosimo*, vt S. Augustinus cap. 3. & 4. eundem appellat, Cœlestinus, & Pelagius ad instantiam, & petitionem Episcoporum Africæ, condemnati erant. Atque iam tandem intelligit Iuellus, si benè, hæc omnia consideret, quid causa illius ex his Concilijs Africanis lucrata sit.

Iuellus.

Concilium Chalcedonense decreto suo statuebat, vt Episcopus Constantinopolitanus, gradu dignitatis Episcopo Romano proximus haberetur, & Metropolitanos Asiæ, Ponti, & Thraciæ consecraret. Hoc decretum Leoni Pontifici Romano multum displicuit, nec adduci potuit vnquam, vt illi assensum præberet. Concil. Chalced. act. 16. Nihilominus vim obtinuit, & adhuc in vsu viget.

D. Stapletonus.

Si vt ais (Iuelle) adhuc vim habeat illud decretum: tunc probabile est Turcam, qui hodiè in Vrbe Constantinopolitana omnia pro arbitratu suo moderatur, primatum illum in Asia, Ponto, & Thracia, quem Leo Pontifex noluit concedere, iam olim obtinuisse. Vide vt nil pensi habeat Iuellus, quam absona, & absurda effutiat, modò primatui summi Pontificis grauiter oblatrando tantillum incommodet. Sed quomodo probare potes, Leonem Pontificem nunquam præbuisse assensum? Principio quidem noluisse hæc facere, & Legatos suos illius nomine decreto huic restitisse vltrò fatemur; vt in Concilio Chalcedonensi fusè ostenditur: sed nunquam dedisse ostensum quomodo probas? aut quomodo probas, non obstante summi Pontificis resistentia, & contradictione, vires suas postea obtinuisse. Hæc probare contendis ex Liberato quem citas in hunc modum.

Iuellus.

Liberatus c. 13. de hac re sic scribit. [Cùm Anatholius consentiente Concilio primatum obtinuisset, Legati verò Romani Episcopi contradicerent, à iudicibus, & Episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est, & licèt sedes Apostolica nunc vsque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet.]

D. Stapletonus.

Hoc habet peculiare Iuellus, vt sibi perpetuò similis sit, id est, nequissimus. Ne semel à te ipso impetrare potes bone vir, vt verè, & sincerè citando testimonia te ipsum geras? Benè est: hoc saltem hinc licet conijcere: auctoritatem Pontificis Romani ab omnibus intra spatium 600. annorum à Christo scriptoribus adeò stabilitam, & confirmatam consistere, vt nullum testimonium contra eam à te afferri possit, quod non, aut malè vertendo, aut aliquid amputando, addendo, aut inserendo insigniter corrumpatur, & torqueatur. Videte hominem in flagranti delicto comprehensum. In hoc ipso Liberati testimonio vltimum verbum, tam à textu Latino, quam à versione Anglicana expressum planè abscindit. Vbi verbum illud, quodammodo, Iuelle? Quo consilio illud verbum amputasti? Sine dubio vnum illud vocabulum totam sententiam adeò attemperauit, vt quasi palato eius displicens abijci, & abscindi penitùs, mereretur. Asserit enim Liberatus in c. 13. primatum illum quo Constantinopolitanus Patriarcha reliquis præferebatur, licèt Sedes Apostolica contradiceret, *Imperatoris patrocinio quodammodo permanere*: quasi non iure, legitima auctoritate, & quieta possessione, sed *quodammodo*: nempè Imperatoris patrocinio, consisteret. Neque hoc mirum esse debet. Cùm enim Imperator statim post Concilium Chalcedonense in Oriente solummodo commoraretur, Occidentali Imperio per crebras Gothorum, Hunnorum, & Vandalorum incursiones decrescente indies, ab ipsis nempè temporibus huius Leonis ad Imperium Iustiniani sub quo Liberatus ipse vixit: Non mirum (inquam) si sedes Constantinopolitana, ad honorem loci in quo Imperator ipse maxima ex parte sedem figebat, *Imperatoris patrocinio* prærogatiuam illam etiam contra sedis Apostolicę sententiam *quodammodo* possideret. Hac enim in causa solummodo (vt in Concilio Chalcedonensi Legati palàm profitebantur) sedes Apostolica defensionem Concilij Nicœni suscepit, in quo prima post sedem Romanam prærogatiua Patriarchæ Alexandrino tributa erat, sibi autem, aut præeminentiæ suæ nihil adijciendum vendicauit: quippè, quæ (non obstante prærogatiua sedi Constantinopolitanæ tributa) semper primaria, & caput Ecclesiarum extitit. Nam in Concilio Chalcedonensi, etiam tum quando prærogatiua hæc sedi Constantinopolitanæ concessa erat, apertè pronunciabatur, *omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, secundùm Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Episcopo conseruari*. Hæc ergò prærogatiua, gratia, & patrocinio Imperatoris occupata nulla Canonis auctoritate suffulta erat.

Hæc non solùm contra sedis Apostolicę auctoritatem, sed contra Nicœni Concilij decreta vsurpata erat; quæ quidem decreta sedes Apostolica non solùm tunc temporis per vocem Leonis, sed postea per Gelasium, & alios Sanctos Pontifices eadem in causa subindè defensitabat. Conc. tom. 1. in tom. de vinculo anath.

Deindè huic Constantinopolitanæ sedis prærogatiuæ non solùm Legati Episcopi Romani, sed alij 400. Episcopi, qui ibi præsentes erant, apertè testiterunt. Nam cùm in Concilio illo adessent, vt ex actis illius constat, Episcopi 630. qui reliquis Concilij illius decretis subscripserunt, huic decreto de prærogatiua Constantinopolitana, vix tertia pars, imò solùm 212. Episcopi, vt subscriberent, adduci potuerunt.

Quare, nec inter decreta illius Concilij hodiè reponitur, & pro decreto Ecclesiastico multo post tempore agnitum non erat, sed, vt Liberatus ait, *Imperatoris patrocinio quodammodo suffultum.* Vide act. Concil. Chalc. 3. & 16. Hinc in sexto Concilio generali, longo post tempore Constantinopoli habito, exhibita erat petitio, vt sedes Constantinopolitana ante sedem Alexandrinam, & post Romanam posita, secundæ sedis prærogatiua potiretur. Quæ certè petitio ducentos post annos in illo Concilio generali, Distin. 22. nequaquam fuisse necessaria, si Ecclesia Constantinopolitana priuilegij illius legitima possessione toto illo temporis interstitio vsa fuisset. Sed quia prærogatiua illa suffulta nimirum *patrocinio Imperatoris quodammodo* perdurauit, qui toto illo tempore regiam ibi fixit, & propriam vrbem omnibus quibus potuit modis amplificare studebat, tùm quia nulla legitima sedis Apostolicæ auctoritate concessa erat, propterea in illo Concilio facta est rogatio, vt decretum de eadem secundo editum, auctoritate legitima confirmaretur. Conc. Chalced. anno 450. & 681. Hoc loco adijci etiam posset doctissimi Leonis sententia, contra Anatholium propter eam prærogatiuam eo modo in præiudicium Episcoporum Alexandriæ, & Antiochiæ vsurpatam. Adijci etiam posset schismarica præsumptio Achatij, & Anathemij Eutychianorum, quæ paulò post sequuta erat. Leo epist. 53. 54. & 55.

Postremò addi potest Antichristiana præsumptio Ioannis Constantinopolitani, quæ Gregorij temporibus contigit, qui totius Ecclesiæ vniuersalis Episcopus haberi, & esse affectauit. Multa alia asserri possent, sed hæc pauca sufficiunt, vt quàm parum hoc testimonium Liberati cap. 17. & 21. causam Iuelli adiuuet, omnes intelligant; saltem si integrum illud citasset, Lib. 7. cap. 194. nec eam partem amputasset, quæ teuera vim totam testimonij planè euacuat. Sed non nisi hisce artibus causa perdita, & desperata sustentari potest. Quid vlterius habes Iuelle?

Iuellus.

Quod dicto Hieronymi consonum videtur, quando ait, *auctoritas orbis maior est auctoritate vnius Vrbis*, Vrbem Romanam intelligens.

D. Stapletonus.

Hæc S. Hieronymi sententia nescio quomodo cum decreto quadrat, aut priuilegio aptari potest per potentiam Imperatoris contra sedis Apostolicæ auctoritatem in vsu suscepto. Sanctus Hieronymus illo in loco, non loquitur de auctoritate, quæ in materia fidei, aut doctrina versatur, in materia fidei inquam, quæ vniuersæ Ecclesiæ pariter communis est: sed de consuetudinibus quibusdam particularibus huic, aut illi Ecclesiæ, proprijs: & in huiusmodi casibus consuetudo vnius Vrbis, ne ipsius quidem Romæ, contra vniuersalem totius Orbis vsum præscribere, aut legem statuere potest. Quare Sanctus Gregorius ad postulata quædam S. Augustini Apostoli nostri respondens, in quibus de multis dubijs eundem instruit, & imprimis de variarum Ecclesiarum varijs quibusdam consuetudinibus sub vna, eademque fide, non ei præscribit Vrbis Romanæ vsum per omnia exactè, & necessariò imitandum esse: [Sed mihi placet, inquit, vt siuè in Romana, siuè in Galliarum, seu in qualibet Ecclesia, aliquid inuenisti, quòd plùs omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad finem noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Beda lib. 1. cap. 27.] Nihilominùs quod ad fidem attinet, idem S. Gregorius lib. 4. epist. 2. Ecclesiæ Romanæ primatum non dubitauit asserere, & in praxi ostendere: vt priùs à me declaratum est. Imò ipse Sanctus Hieronymus in Epistola tom. 2. ad Damasum Papam scribens, & in quæstione fidei sententiam illius requirens, his verbis eum alloquitur: *qui tecum non colligit, spargit*. Et rursùs. *Extra hanc domum* (Ecclesiam Romanam intelligens) *quicunque agnum comederit prophanus est.* Ita tandem S. Hieronymus cum Liberato optimè conuenit: sed contra Iuellum vtrumque directè militat. Considerate interim qualia testimonia selegit, quibus auctoritatem Sedis Apostolicæ Romanæ destruat. Iam tandem concludit.

Iuellus.

Ex his, quæ breuiter attigi, satis constare potest, Episcopum Romanum, nec præsidere solere, nec in conuocandis Concilijs, aut in decretis eorum approbandis, & confirmandis, quicquam auctoritatis præter eam, quæ reliquis Patriarchis communis erat, vnquam habuisse. Postremò Concilia benè consistere, & vim habere, etiamsi Papa eadem non approbet.

D. Stapletonus.

Imò ex his, quæ ego respondendo subieci satis euidenter cuiuis constare poterit, Episcopum Romanum per spacium 600. annorum à Christo ex parte in conuocandis Concilijs, semper in præsidendo, & principalem in Concilijs generalibus locum occupando, maximè autem in decretis eorum approbandis, & confirmandis, auctoritatem habuisse: Postremò nullum vnquam Concilium à summo Pontifice reprobatum, pro legitimo habitum esse, aut vim obtinuisse.

Ex his etiam, quæ attuli satis apparet, Canonem, in historia Ecclesiastica traditum, verè, & fideliter à Socrate relatum esse, verè, & fideliter à Socrate relatum esse, verè, & fideliter à D. Hardingo citatum, falsò, & impuden-

prudenter à Iuello impugnatum esse: Canonem intelligo, qui iubet (non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.) Rursùs ex his quæ attuli satis elucet, quor notoria, & splendida mendacia impudentissimus iste impostor in hoc Paragrapho de confirmatione Conciliorum accumulauerit, vtpotè qui contrà Catholicam doctrinam ne vnum quidem euidens testimonium verè, & sine impostura afferre adhuc visus sit.

Iuellus.

Existimo valdè difficile futurum, ex his, id quod D. Hardingus colligit, inferre, Episcopum scilicet Romanum vniuersalis Ecclesiæ caput extitisse.

D. Stapletonus.

Non dubito quin facile sit, id quod Dominus Hardingus colligit ex præmissis inferre. Papa præsidebat in omnibus Concilijs generalibus, Papa confirmauit omnia Concilia Generalia, idemque auctoritate sua aliqua Concilia annullauit. Sed in Concilijs Generalibus vniuersalis Ecclesia repræsentatur, sicut in Parlamento vniuersus Regni status. Ergo Romanus Pontifex eo tempore erat vniuersalis Ecclesiæ caput. Atque huic conclusioni necesse est, vt Iuellus subscribat, nisi velit, cùm res ipsa Sole meridiano clarior sit, de verbis & syllabis pueriliter litigare.

D. Hardingus.

Athanasius Episcopus Alexandriæ, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus sedibus suis pulsis per violentiam Arianorum, à Constantio Imperatore adiuti, ad Iulium Romanum Pontificem prouocabant, & auctoritate illius sedibus suis restituti erant. Ita Leo Papa Flauianum Episcopum Constantinopolitanum à Dioscoro excommunicatum, auctoritate sua absoluit.

Iuellus.

Falsum. 113. Imperator Athanasium restituit, non autem Papa.

D. Stapletonus.

Hoc quod Iuellus falsum appellat faciliè probari potest, non solùm per expressa verba Ecclesiasticæ historiæ, sed etiam ex ipsa ipsius Iuelli confessione in hoc contextu. Ipse enim inani diffluens verborum copia, & per multos errorum, & mendaciorum anfractus inutiliter discurrens, tandem in hæc prorumpit verba.

Iuellus.

Sed Hardingus respondebit, dicens, verba ipsa aperta sunt, quæ asserunt Iulium Papam restituisse Athanasium: verum est, & à nemine negatum.

D. Stapletonus.

Vide quàm benignus subito factus sit Iuellus, verum est, inquit, & à nemine negatum. Si verum vtique sit Iulium restituisse Athanasium: si verum sit eundem Iulium Romanum Pontificem fuisse. Quare hoc pro falsò subnotasti, dicens: *Athanasium Imperator restituit, non autem Papa.* Si à nemine negetur, quare tu solus negas? An quod ipse negas à nemine negari dici potest? Ergo ex tua sententia negare, & non negare, verum esse, & non esse verum, est & non est, inter se confundi, & commisceri videntur.

Iuellus.

Sed sensus illorum verborum hic est, Iulium pronunciasse eum liberum, & alienum esse à culpa, ac propterea dignum qui restituatur.

D. Stapletonus.

Vide quomodo Iuellus cæco conatu veritati iterum recalcitrat. Dudum dixerat verum esse, quod Iulius Pontifex Athanasium restituebat: iam asserit *pronunciasse eum innoxium aut alienum à culpa, ac propterea dignum qui restituatur.* Simili effugio in explicatione verborum sacræ Scripturæ impostores isti vtuntur. Nam vbi Christus Sacerdotibus ministris suis ait: *Quodcumque solueritis super terram erit solutum, & in cœlis*, hi boni viri affirmant, Sacerdotes non soluere, aut remittere, sed pronunciare solutos, aut dignos quibus peccata remittantur. Iuxta quam explicationem Christus dicere debebat. Quicquid *solueritis in terris* iam priùs *solutum est in cœlis*, non autem in futuro *solutum erit in cœlis*. Sed *sententia Petri in terris prior est sententia, quæ fit in cœlis*, inquit Ambrosius contrà Nouatian. lib. 1. & quod soluit in terris erit solutum in cœlis. Si Sacerdos declaret solummodo, & pronunciet solutum, tum cum qui sententiam audit, priùs solutum esse oportet. Simili modo hoc in loco Iuellus se gerit, cum historia expressis verbis affirmet *Iulium restituisse Athanasium*, ille ait, Iulium Pontif. solummodo pronunciasse Athanasium dignum qui restituatur. Quin age quomodo probas Iuelle Iulium Pont. solummodo pronunciasse Athanasium dignum qui restituatur? Quomodo ostendes hunc esse sensum Ecclesiasticæ historiæ: Sic tandem ais.

Iuellus.

Certum enim est, & D. Hardingus rectè nouit S. Athanasium per literas Iulij nequaquam fuisse restitutum.

D. Stapletonus.

Perge Iuelle audacter noli erubescere: enimuero qui contrà expressa Ecclesiasticæ historiæ verba adeò impudenter audet asseuerare, quidni audeat D. Hardingum, quod ille nouerit asserendo, pariter mentiri. Sed ad rem, contrà id quod affirmat Iuellus: certum

tum est, imò ipse Iuellus rectè nouit S. Athanasium per literas Iulij Pontificis restitutum fuisse: verba historiæ trip. lib. 4. cap. 15. hæc sunt. [Quorum criminationes cùm Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Concilij Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. At cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit:] Et paulò pòst. [Athanasius autem, & Paulus ad suas sedes reuertuntur: literasque Iulij Episcopis Orientis mittunt.] Ecce historia Ecclesiastica affirmat, Iulium Pontificem Athanasio, & Paulo Ecclesias suas restituisse.] Atque hoc fecit: [cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad eum spectaret:] & iterum historia Ecclesiastica ait: Athanasium, & Paulum Ecclesias suas recuperasse: [Literas Iulij Pontificis Episcopis Orientis] (quibus illi grauitèr commoti erant) [mittentes.] Atque ita certum est idque ipse Iuellus rectè nouit S. Athanasium per literas Summi Pontificis fuisse restitutum. Simili modo Theodoretus in Ephesino Concilio Episcopatu priuatus, postea pœnitentiam agens, & ad Sedem Apostolicam prouocans, à Leone Pontifice Romano restitutus erat, & virture eiusdem restitutionis ad locum capescendum inter alios Episcopos in Concilio Chalcedonensi act. 1. admissus. [Reuerendus Episcopus Theodoretus, vt pars Synodi ingrediatur, quia Sanctissimus Papa Romanus Episcopatum ei testituit, & Imperator decreuit eundem in Synodo adesse debere:] Atque ita locum habuit inter reliquos Episcopos, & pro Catholico Episcopo acclamatione omnium Episcoporum Orientis, adeoque assensu totius Concilij habitus est; etiamsi Episcopi Ægypti Dioscoro Patriarchæ suo adhærentes totis viribus reclamarent. Sic ergo Theodoretus, sic Athanasius, & Paulus Patriarchæ Orientales, non solùm pronunciantur digni qui restituantur, sed in virtute literarum Apostolicarum sedibus suis verè, & efficacitèr restituti sunt. Nihilominùs, quod semel asseruit id probabit sine dubio Iuellus idque à simili.

Iuellus.

Simili etiam de alijs legimus; Cassiodorus ait: *Maximus etiam Athanasio tum communionem tum dignitatem restituit*, id est, *dignum pronunciauit qui restituerentur*.

D. Stapletonus.

Primò hæc verba, *id est, dignum pronunciauit*, distincto charactere imprimi curauit quasi verba Cassiodori essent: atque hoc modo vna vice lectorem decepit. Tum Cassiodorus, lib. 4. cap. 34. in hist. trip. non vtitur verbo *restituit*, sed *præbebat*. Adeò difficile est Iuello, verba auctoris sui, vere, & sincerè referre: Rursùs hæc restitutio dignitatis, & communionis, quam Maximus Athanasio præbebat, nihil simile habuit cum restitutione à Papa Iulio facta. Papa enim per literas suas, & *per sedis propriæ prerogatiuam* (inquit historia) Athanasium restituit. Idem Athanasius iterum pulsus, & auctoritate Sardicensis Synodi restitutus, priusquam Episcoparum suum in Alexandria adiret, Hierosolymam pertransiens, Maximum illius vrbis Episcopum, qui dispositioni illius priùs consenserat, ibidem conuenit; vbi idem Maximus Concilij Sardicensis determinationi assensum præbens, cum Athanasio communicauit, eoque facto omnibus, qui in illa erant prouincia, Athanasium restitutum fuisse, satis euidenter indicauit. Sed hoc factum restitutioni illius, vt dixi, à Iulio Romano Pontifice factæ, nihil simile habet: Deinde simile, vt nosti, nihil probat, sed quod obscurum est illostrat: atque ita tandem sensus siue intentio Iuelli, quam contrà expressa historiæ verba colligit, omni probatione destituitur.

Postremò quod Iuellus pro falso reputat (nempè Iulium Pontificem Athanasium, & Paulum sedibus suis restituisse) satis euidenter comprobatur. Vt illud breuitèr attingam, quo Iuellus in contrarium affert: nempè quo probat non Pontificem, sed Imperatorem, Athanasium restituisse, nimis euidenter constabit, cum hac in re imperiti Lectoris patientia nimis intemperanter abuti. Nam Athanasius ter restitutus vt erat è sede Episcopali multoties pulsus, ita eidem sedi alio, atque alio modo iterum, atque iterum restituebatur, in histor. trip. 3. cap. 8. & 12.

Primò, ab Arianis per calumniam accusatus à Constantino Magno in exilium pellebatur, & eiusdem Constantini decreto, cum iam mortem appropinquare sentiret, sedi suæ redditus erat.

Secundò, missus est in exilium; causa fuit huiusmodi: vt hist. trip. lib. 4. cap. 6. Episcopi Orientis Ariani, Athanasij nomen ad Iulium Pontificē deferebant, Iulius Pontifex Athanasium accusatum ad se vocauit. Athanasius ad citationem statim coràm Summo Pontifice comparuit. Ariani interea Episcopum Arianum in absentis locum subrogabant, & conuenticulum Antiochiæ cogentes, Athanasium, & alios Episcopos Catholicos Episcopatibus exuebant; nec eo contenti scripserunt ad Iulium Pontificem rogantes, vt factum illorum approbaret. Iulius Pontifex rem attentiùs inspiciens, & causam ab initio examinans, Athanasium, Paulum, & reliquos innoxios repetit, quare continuò eos omnes per literas suas restitui iussit.

His hoc modo Summi Pontificis auctoritate restitutis. Primò Paulus Constantinopolitanus, à Constantino Imperatore in exilium iterum pulsus erat. Non ita multò pòst, Ariani nouam nescio, quam de annona retenta criminationem contrà Athanasium intentabant, & coràm Imperatore eundem accusabant. Vndè factum est, vt Imperatoris indignationem metuens Athanasius, vltrò fugam arriperet: & Comitante Paulo Episcopo Constantinopolitano Constantem Imperatorem in Occidente fratrem Constantij Imperatoris Ariani, adiret, qui per literas suas ad fratem, effecit vt sedibus suis restituerentur, & cum eo à quo pulsi erant, in gratiam redirent. Atque ita Athanas. alio, atque alio modo ter restitutus erat: primò ab ipso Imperatore, qui eundem iniustè accusatum in exilium truserat: Secundò coràm

Pontifice accuſatus, & prætextu auctoritatis Synodicę depoſitus à Summo Pontifice quaſi à iudice ſuperiore reſtituebatur. Tertiò Principis ſui indignationem ſubterfugiens, & fauori eiuſdem reſtitutus, Epiſcopatum pariter recuperauit. Quare ſi Iuellus veri indagator ſedulus, candidè agere voluiſſet, & lectorem inſtruere non decipere laboraſſet, rem totam vt eſt in hiſtoria, ingenuè & veraciter apperuiſſet, nec tanto artificio veritatem vnam amplificaſſet, vt alteram occultaret. Nam ex his, quæ dicta ſunt euidenter (ni fallor) apparet, Athanaſium bis pulſum ab Imperatoribus, ab iiſdem ſimiliter bis reſtitutum fuiſſe, & ſemel ab Epiſcopis Epiſcopatu priuatum, ab Epiſcoporum principe Pontifice Romano Epiſcopatui reſtitutum fuiſſe, ita demum in alio, atque alio caſu vtraque veritas optimè conſiſtit, nec opus eſt vt vnum verum ad alterum euertendum afferatur. Et vt luculenter appareat quot errores, & quantum falſitatis ſub his verborum inuolucris Iuellus occultauerit, ipſius verba conſideremus. Nam otioſo verborum apparatu probans Athanaſium ab Imperatore reſtitutum fuiſſe, quod vtcumque verum ſit, non impedit quo minùs illud conſiſtat, Pont. Romanum etiam in alio caſu eundem reſtituiſſe: vt rem adhuc amplius illuſtret, Theodoretum allegat, & ait.

Iuellus.

Et Theodoretus de ea re ſcribens hæc habet. *Magiſtratum, & primariorum ciuium coniuges obſecrant maritos, vt ſupplicent Conſtantio pro paſtore, qui reſtituatur Eccleſia ſua, ſeque niſi impetraſſent, deſertis ipſis, ad magnum illum Paſtorem deuenturas minantur.*

D. Stapletonus.

Animaduertite obſecro hominis impudentiam, modò nomina, & auctorum teſtimonia effundat, quid eruditi de ſcriptis eius ſentiant ſuſque, deque vt videtur, habet. Locus iſte quem è Theodoreto affert, non de Athanaſio, ſed de Liberio Pontifice Romano loquitur, quem Conſtantius Imperator Arianus propter conſtantem fidei Catholicæ propugnationem in exilium truſiſſet. Et illæ prorerum coniuges erant Matronæ Romanæ, quæ rogabant maritos, vt apud Imperatorem intercederent pro reditu Liberij Epiſcopi ſui, non Athanaſij Epiſcopi Alexandrini. Hæc vel mediocriter doctis ſatis nota ſunt, hæc eadem ſine dubio ipſe Iuellus ignorare non poteſt ipſa extat hiſtoria, lib. 2. cap. 17. & facile eam conſulere quiliber poteſt reperitur enim tam apud Theodoretum lib. 3. c. 18. vt Iuellus eam non notauit, quàm in tripartita Caſſiodori hiſtoria. Hæc tamen omnia Iuellus non ſolùm quaſi de Athanaſio dicta ad propoſitum ſuum trahit, ſed & textum Theodoreti impudenter immutat, & loco *tu pimenos*: Paſtoris Liberij, nomen Athanaſij inſeruit. Atque ita vt apud ſuos multiplici eruditione inſtructus videatur, quid afferat, aut quod affert quomodò applicet penſi haber.

Iuellus.

Similiter Epiſcopi quos Ariani cum Flauiano depoſuerant, ab Imperatore, non à Pontifice Romano erant reſtituti.

D. Stapletonus.

Hîc Iuellus iterum craſſiſſimè hallucinatur: illi qui Flauianum deponebant, & de quibus Leo ſcribit, Ariani non erant, ſed Eutychiani. Noli ampliùs Iuelle tranſcriptis fidere pagellis, ipſum Autographon adeundum eſt. Sed ad rem: quomodo oſtendis Epiſcopos illos non à Summo Pontifice, ſed ab Imperatore reſtitutos fuiſſe?

Iuellus.

Ipſe enim Leo ep. 39. hunc in modum ſcripſit ad Imperatricem Pulcheriam. *Clementia tua reduxit Catholicos Epiſcopos, qui de Eccleſijs ſuis iniuſta ſententia fuerunt eiecti.*

D. Stapletonus.

Teſtimonium hoc rectè probat, Imperatores Epiſcopos eos reſtituiſſe, ſed non probat Epiſcopum Romanum eos non reſtituiſſe. Quouſque tandem hac arte veteratoria vti pergis Iuelle? Dum quod verum eſt aliud verum afferendo euertere conaris? Ita ſeſe res habet. Sub Theodoſio II. Eutychiani præualeſcentes, Epiſcopos Catholicos è ſedibus ſuis eiecerunt. Martianus Pius Imperator huic in Imperio ſuccedens, hæreticos amouit, Epiſcopos verò Catholicos ſegibus ſuis reddidit. Ob hoc ſuum factum à Leone Pontifice laudatur, ſed hac etiam in re Summi Pontificis poteſtatem, poteſtate Imperatoria maiorem emicuiſſe, ipſiſſima epiſtola Leonis, quam Iuellus citat, ſatis luculenter oſtendit; ſic enim ſcribit: [Quoſdam ſanè Epiſcopos de his, qui rebus impijs videntur præbuiſſe conſenſum, reconciliationem repoſcere, & Catholicorum communionem deſiderare, tam noſtrorum, quàm fratris, & Coepiſcopi mei Anatolij, cui teſtimonium ferre dignemini, relatione cognouimus: quorum deſiderijs ſic præbemus effectum, vt correctis, & quæ malè ſunt facta, propria ſubſcriptione damnantibus, participata noſtrorum (quos miſimus) cura cum ſupradicto Epiſcopo, pacis gratia tribuatur.] Ex his colligitur Imperatorem, Epiſcopos adſedes ſuas reuocaſſe, Pontificem autem ſchiſmaticos reconciliaſſe. Et ſicue Impetator per ſæcularem qua vtitur, poteſtatem temporalem ſtatum Epiſcopis reddidit: ita Summus Pontifex per iuriſdictionem ſpiritualem vnitati Eccleſiæ eoſdem pœnitentiam agentes reſtituit. Hæc pariter vera ſunt, pariter in confeſſo ſunt, vnum eorum alterum non euertit. Sed vt pergamus, dum Iuellus Pontificem Nicolaum reijcit quod vixerit extra cancellos 600. annorum ab eo aſſignatos, vnum aut alterum inſigne mendacium extrà omnem probabilitatis aream aſſeuerat.

Iuellus.

Hoc satis notum est. Quando potestas Pontificis crescere, tum Imperatoris potestas cœpit decrescere.

D. Stapletonus.

Hoc manifestum mendacium est, calumniæ admixtum. Imperij Maiestas, vt omnes testantur historiæ sub Honorio in primis cępit inclinare; Nam ab illius temporibus, vsque ad Carolum Magnum Occidens totum ab Imperio paulatim auulsum erat, Eutrop. lib. 13. totum hoc contigit circitèr annum 400. antè annos à Christo nato sexcentos, quo tempore potestatem Summi Pontificis cœpisse crescere Iuellus imaginatur: sed antè illud tempus, Hunni, Vandali, Alani, Gothi, Longobardi Imperium inuaserant,& Italiam, Galliam, Hispaniam, & Africam occupauerant. Posteà Imperium in Oriente solummodo remansit. Quare si, vt Iuellus sentire videtur, potestas Summi Pontificis post sex ętates à Christo nato cœperint sese extollere, Imperium longè anteà cępit decrescere, quàm potestas Summi Pontificis cœpit crescere. Sed videamus si placet quam efficacitèr, & neruosè hanc suam assertionem probat, tum scilicèt crescere cœpisse Summi Pontificis potestatem, quando Imperium, siue potestas Imperatoris cœpit decrescere.

Iuellus.

Ob eam causam Platina coactus est asserere, *Iam Imperatores ciuilem potestatem, Pontifices sanctitatem perdiderunt.*

D. Stapletonus.

Hæc Platina scriptis mandauit vix centum ab hinc annis, idque in vita Hadriani II. quem doctum,& pium Pontificem fuisse idem Platina testatur. Is qui eodem tempore Imperium occupauit erat Ludouicus Secundus Princeps certè Pius, & magnæ potentiæ. Adeò vt necesse sit Platinam de tempore, quo ipse vixit loqnutum esse. Ergo Argumentum Iuelli sic sese habet.

Platina centum ab hinc annis de Imperij declinatione, & de Sanctitatis defectu in Pontifice conqueritur. Ergo mille ab hinc annis, vt potestas Pontificis creuit, potestas Imperatoris decreuit. Huiusmodi argumentis Iuelli fidem, in qua baptizatus erat, relinquere adductus est.

Iuellus.

Olim Imperator confirmauit Pontificem, hodie Papa Imperatorem confirmat.

D. Stapletonus.

Aliud erumpit mendacium: quod audactèr, vt videtis, asseritur, sed non omninò probatur, sine dubio, quicquid dicat, nunquam solidè probare poterit Iuellus, Summum Pontificem ab vllo Catholico Imperatore vnquam aliquando confirmatum fuisse, eo scilicèt modo, & confirmationis genere sine quo Pontifex esse non potuit. Quod Summus Pontifex hac tempestate Imperatorem confirmet: certè nouum inuentum non est: Nam à declinatione Imperij sub Honorio, idest, ferè 800. ab hinc annis, quando Carolus Magnus Imperium Occidentale primum obtinuit vsus iste inualuit. Nam Carolus iste à Leone III. Imperator factus erat, & tam is, quàm omnes ab illo tempore successores illius à Summis Pontificibus coronati sunt, sic Blondus decad. 2. lib. 1.

Iuellus.

Olim Imperatores vocabant Summos Pontifices ad Concilia, nunc contrario modo sese res habet. Nam Papæ Imperatores ad Concilia accersunt.

D. Stapletonus.

Quam falsa hæc sunt, priùs ostensum est, nullus enim Catholicus Imperator sine authoritate,& assensu Summi Pontificis Concilium conuocauit: Imò nec vllum vnquam Concilium sine Sedis Apostolicę approbatione ratum vnquam, & validum extitit, vt priùs etiam à me probatum est.

Iuellus.

Quod attinet ad restitutionem Athanasij, Iulius Pontifex pro eo Imperatorem rogauit.

D. Stapletonus.

Hoc apertum est mendacium. Ipse per literas suas non ad Imperatorem, sed ad Episcopos Arianos, qui in conuenticulo Antiocheno eum iniustè deposuerant, restituebat.

Iuellus.

Quod vt videtur magna instantia, & importunitate ab eo petebat.

D. Stapletonus.

Quæ, & qualis fuerit Athanasij ad Iulium Pontificem petitio, ex eo quod in causa illius Iulius Pontifex præstitit, satis elucescit. Quid tandem in causa hac præstitit? nempè S. Athanasium non per literas suas petitorias ad Imperatorem, vt Iuellus somniat, sed per proprias literas authoritatis suæ testes, Episcopatui suo reddidit: Sed videamus si placet quàm doctè Iuellus hoc, quod adeò audactèr asseruit, probat, sic ait.

Iuellus.

Sic enim scribit ad Liberium.

D. Stapletonus.

Videte hominis acumen: ex ijs, quæ ad Liberium scripsit, qui Iulio Pontifici in Sede Apostolica successit, petitionem Athanasij ad

ad Iulium Pontificem probare conatur. Sed verba Athanasij ad Liberium audiamus, verba eius hæc sunt,

Iuellus.

In epist. ad Liber. *Obsecramus te, vt salubri hortatu tuo, tam per te ipsum, quàm per vices tuas tenentes adiuuemur.*

D. Stapletonus.

Ecquid hic apparet? vbi vllum verbum gratiam, & fauorem Imperatoris ex parte Athanasij petens? Athanasius à Summo Pontifice, & deputatis suis, vt iuuetur rogat: De Imperat. ne verbum quidem. Et dicat mihi obsecro prudentia tua Iuelle: Literæ Liberij Pontificis ad Imperatorem siue petitoriæ, siue commendatitiæ cui bono? Quid epistolæ Pontificis ad Constantium, qui Arianus erat, & Liberium Pontificem Romanum perinde, ac Athanasium capitaliter oderat? Nam sicut Athanasium, ita eundem Liberium in exilium egit. Ipse Liberius in exilium ab Imperatore pulsus erat. Matronæ nobiles Romanę pro eo intercedere necesse habuerunt, & tamen Liberius rogabatur, vt pro Athanasio apud eundem, qui eum in exilio ex odio detinebat, intercederet. Enimuerò *non satis commodè diuisa sunt temporibus tibi Daue hæc.*

Iuellus.

Prætereà idem Athanasius quatenus Patriarcha Concilium particulare conuocauit, & Episcopos solicitauit, vt in Sozomen. lib. 4. cap. 8.

D. Stapletonus.

Quid tum posteà Iuelle? Meministi quid leges dicunt, *abundans cautela non nocet*: & vulgò dicitur, *de iure suo nemo plus quàm satis est, certiorari, aut securus esse potest.*

Iuellus.

Dixerunt enim Orientales Ariani in ep. ad Iulium: *Ecclesiastico canone cautum esse, ne quis semel depositus iterùm restitueretur, nisi in Concilio seipsum priùs purgasset.*

D. Stapletonus.

Quid dixerint Ariani nihil ad nos, qui non ab Arianis, sed à Catholicis Patribus originem ducimus, & ius nostrum deriuamus. Etsi tu Iuelle, & fratres tui insistatis in iure hæreticorum, & ab ijs causæ vestræ subsidia meructis, nos tamen reniti, & contradicere in ea re æquum est, qui non sic *Christum didicimus.* Episcopi Ægypti Eutychianæ hæresis in Concilio Chalcedonensi act. 4. strenui fautores, epistolæ decretali Leonis eidem Concilio directæ, iussi subscribere recusabant: nec sine causa, vt ijs visum est, nam pro facti sui defensione Niceni Concilij decretum allegabant, quo statutum erat, vt Episcopi Ægypti soli Patriarchæ Alexandrino subijcerentur: Sed Episcopi Catholici sine circuitione respondebant, *mentiuntur*, & inclamabant, *Ostendant quod dicunt.* Ita nos ad te Iuelle, & Arianos tuos, qui diciris extare Canonem, quo cautum est, *ne Episcopus semel depositus restituatur, nisi priùs se in Concilio purgauerit*, respondemus confidenter *mentimini*: Id nos vrgemus, vt decretum illud proferatis, & *ostendatis quod dicitis.* Hoc certò scimus hæreticos supremo tribunali semper recalcitrasse, & contrà Sedis Apostolicæ authoritatem ius aliquod comminisci solitos esse. Sic Donatistæ olim à Papa Melchiade ad Imperatorem prouocabant, sic Ariani, & Eutychiani contrà reuerentiam, & obedientiam Sedi Apostolicæ debitam, authoritatem Canonum obtendebant. Iura hæc, si libet, tu tuique Iuelle allegent, nobis Catholicis id non licet.

Iuellus.

Ac propterea S. Chrysostomus ab aduersarijs suis multum arguebatur, quod semel depositus sine authoritate Concilij Episcopatum recuperasset.

D. Stapletonus.

Durum Telum necessitas, quæ Iuellum pessimis omnibus, & perditissimis semper se adiungere cogit. Nempe haud aliter causa deplorata sustentari potest. Chrysostomus vir sanctus pariter, & doctus ab Episcopis Ægypti iniustè depositus erat. Quod ergo illi Episcopi in illo facto iniusto pro seipsis allegabant, ijs qui veritatem sincerè statuunt defendere, exemplo esse non potest, nec debet. Non mirum quod Iuellus, qui contrà Vicarium Christi schisma præfractè tuetur, eiusmodi argumentis vti cogatur. Lis ab Episcopis Ægypti S. Chrysost. intenta, & factum illorum, Innocentio Episcopo Romano tantoperè displicuit, vt excommunicationis vinculo innodari digni visi sint. Hoc superius vbi appellatio S. Chrysostomi examinata erat, ostendimus.

Iuellus.

Ac proptereà Flauianus iniustè pulsus ex Episcopatu, libellum de appellatione non Episcopo Romano soli, sed vna cum alijs Episcopis obtulit.

D. Stapletonus.

Hic Iuellus apertè fatetur Patriarcham Constantinopolitanum ad Episcopum Romanum prouocasse, sed excipiens ait, *non soli Episcopo Romano*, sed vnà cum alijs eidem oblatus erat libellus appellationem continens. Videamus quomodo probat hoc quod asserit.

Iuellus.

Veritas huius rei ex his verbis Leonis Pontificis ad Imperatorem Theodosium satis constat: *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lachrymis supplicant Sacerdotes, vt quia eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit,* gene-

generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.

D. Stapletonus.

Quid dicam? Certè cogor enunciare, Iuellum esse è numero eorum, de quibus Propheta pronunciat. *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Nam si verba Leonis integra recitasset, nec sententiam mediam fraudulentèr amputasset, vera assertio, & assertioni Iuelli planè contraria continuo apparuisset. Verba authoris Latina posuit, eadem verè reddidit Angliçè? locum in margine rectè, & verè indicauit. Ecquis hîc fraudem suspicari poterit? Certè nisi rectè nossem, quis, & qualis Iuellus sit, de adeundo autographo nequaquam solicitus, eidem textum alleganti fidem adhiberem. Verba Leonis integra in epistola 24. ita se habent. *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lachrymis supplicant sacerdotes, vt quia, & nostri* (Legatos suos intelligit in Ephesino Conuenticulo) *fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.* Hæc sunt verba Leonis in illa epistola integrè recitata. Ex his satis constat libellum appellationis non omnibus, & vniuersis Ecclesijs, & Sacerdotibus Italiæ, sed Legatis Summi Pontificis oblatum fuisse, qui illo Concilio Ephesino, in quo Flauianus depositus erat, & appellabat, præsentes intererant. Hoc verba contextus, quæ vt veritatem occultaret Iuellus è medio sustulit, satis testantur. Idem etiam ex epistola Valentiniani Imperatoris in præamb. Conc. Chalced. ad Theodosium clarè ostenditur, in qua asseritur Episcopum Constantinopolitanum libellum appellationis Leoni Papæ transmisisse. Sed demus tandem Summum Pontificem non solùm, sed adhibito consiliariorum,& iurisprudentium assensu, Episcopos restituere solere: quid exinde colligit Iuellus?

Iuellus.

In eiusmodi Concilijs Episcopus Romanus aliquando primus,& præcipuus reum, aut deponendum, aut restituendum pronunciauit.

D. Stapletonus.

Imò Episcopus Romanus in eiusmodi Concilijs non aliquando, sed semper primus, & præcipuus exeitit, & reum non solùm restituendum pronunciauit, sed authoritate sua de facto restituit Episcopos, *tanquam Curam omnium gerens, propter propria sedis prærogatiuam,* vt historia Ecclesiastica lib.4. loquitur.

Iuellus.

Sed inquit Iuellus, eiusmodi sententia non semper mandata erat executioni.

D. Stapletonus.

Ostende Iuelle quo in casu, & quando sententia Pontificis Romani caruit executione? Vt hæc probes, ais.

Iuellus.

Antiochenum Concilium Iulium Pontificem deposuit, nec propterea Iulius depositus erat.

D. Stapletonus.

Hæc non erat sententia à Summo Pontifice, sed contrà Summum Pontificem prolata: & qui hanc sententiam pronunciabant, Ariani erant: non mirum ergo si effectu caruerit. Quid sibi vult Iuellus? An rectè se habet, dum hoc modo argumentatur? Ariani non potuerunt deponere Pontificem, ergo Summus Pontifex Arianos, & similes schismaticos deponere non potest? Au non opus habet helleboro, qui huiusmodi effutit argutias?

Iuellus.

Concilium Basileense Eugenium Papam deposuit, ipse tamen nihilominùs Papa permansit.

D. Stapletonus.

Hoc rectè probat esse suprà Concilium: hoc rectè probat nullam contrà Pontificem Summum pronunciari posse sententiam, sed Pontificis Summi sententiam non semper executionem parere ex his probare nemo sanæ mentis tentabit. Hoc argumentandi genus non solùm ab omni veritatis, & honestatis specie, sed etiam à ratione, & communi sensu penitùs abhorret.

Iuellus.

Decretum Pontificum in eiusmodi casibus, sine authoritate Imperatoris parui momenti habitum est.

D. Stapletonus.

Fateor decretum Pontificum de Papa deponendo parui momenti semper fuisse habitum: & quid Imperatores per vim de facto præstiterint non disputo. Hoc scio Imperatorem nec creare, nec factum Episcopum deponere, vllo iure posse. Ac propterea Episcopi in Concilio Mileuitano decreuerunt cap. 19. *Placuit vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur, si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.*

Iuellus.

Propterea Athanasius ipse testatur: Imperatorem determinationi Concilij Sardicensis assensum suum adiunxisse, ac tum demum, vt ipse accersetetur iussisse.

D. Sta-

D. Stapletonus.

Absit, vt Imperatore sacris Concilijs assensum præbere, imò & decreta eiusdem executioni mendare recusent aliquando. Imò quando hæreticalia via ad obsequium fidei adduci non possunt, necessarium est, vt gladius sæcularis in subsidium iurisdictionis Ecclesiasticæ aduocetur, vt in hist. tripar. lib. 4. cap. 34. Huc vsque euagatus est Iuellus aliquid contrà sedis Apostolicæ potestatem afferre vehementer cupiens, sed quid effecit? ad cumulum mendaciorum multum adiecit, causę suæ imbecillitatem insigniter prodidit, fidem de suprema Summi Pontificis potestate haud mediocriter communiuit. Cùm enim sedes illa tot, & tam multiplicibus impetita machinis, tantoque impetu impugnata nequicquam imminuta vsque perduret, videtur quasi petra immobilis, & inuincibilis aduersùs quam portæ inferi præualere non poterunt, semper permansura.

D. Hardingus.

Quod attinet ad reconciliationem Præsulum Ecclesiæ tam Episcoporum, quàm Patriarcharum Episcopo Romano, 114. qua iure primatus illius agnoscitur, non opus habeo multa dicere, cùm res ipsa aperta sit.

Iuellus.

Falsum 114. Nam reconciliatio non est signum necessarium primatus, aut subiectionis.

D. Stapletonus.

Etiamsi verum esset: Reconciliationem ex se, & seclusis alijs omnibus non præbere sufficiens primatus huius argumentum, si tamen consideremus fuisse Prælatos principales, & præcipuos Patriarchas, qui Sedi Apostolicæ fuerunt reconciliati: si hæc eadem reconciliatio cum reliquis Argumentis primatum Sedis Apostolicæ euincentibus, puta, cum appellationibus, Episcoporum confirmatione, cum sententia excommunicationis ab eadem sede in omnes partes Orbis Christiani promulgata: Si cum Episcoporum restitutione, Conciliorum confirmatione, coniugatur, si inquam illa reconciliatio cum his omnibus coniunctim ponderetur, supremæ potestatis Sedis Apostolicæ in omnes alias necessarium sine dubio, & sufficiens argumentum suppeditabit. Nam sicut multæ circumstantiæ coniunctę sufficientem non numquam faciunt probationem, vbi singulæ seorsim nihil probarent: ita argumentum à reconciliatione alijs adiunctum Sedis Apostolicæ primatum satis efficaciter euincit. Rursùs si hæc reconciliatio non probet Sedis Apostolicæ primatum, debuisset Iuellus ostendere Episcopum Romanum alijs Episcopis, aut Patriarchis reconciliatum fuisse, sicut alij Sedi Romanæ petebant reconciliari: aut saltem rationem reddidisse, cur solus Episcopus Romanus nulli vnquam eo modo reconciliatus fuerit. Certè præter exempla hoc in loco à D. Hardingo allegata, de Episcopis Africanis Bonifacio II. & Alexandro Patriarcha Anthiocheno, Innocentio Episcopo Romano, reconciliatis: Legimus insuper Episcopos Orientis (qui tamen Patriarchatus, siue prouinciæ peculiaris Episcopi Romani partes non erant) Flauianum Constantinopolitanum iniustè deponentes, & Dioscoro Eutychiano nequiter consentientes non solùm Leoni Pontifici de facto reconciliatos fuisse, sed eandem reconciliationem vltrò, & instanter petijsse, & omnia à Summo Pontifice in illa reconciliatione præscripta, libentèr adimpleuisse.

Nam præter verba Leonis superiùs allegata in epist. 39. quæ de Episcopis affirmant, *reconciliationem ipsi deposcebant*, in epist. 40. subsequente, de eadem re, eodem quoque tempore ad Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum data sic scribit cap. 2. [De fratribus verò, quos & epistolis tuis, & Legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognouimus eo quod doleant se contrà potentiam, contraque terrores non tenuisse constantiam, sed alieno sceleri præbuisse consensum, cùm ita eos formido turbasset, vt in damnationem Catholici, atque innocentis Antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio: illud quidem quod præsentibus, & agentibus nostris constitutum est approbamus, vt suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti: sed cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum solicitudine volumus disponatur: quatenùs hi, qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quam tueri, pacis, & communionis nostræ vnitate lætentur: ita vt digno priùs anathemate, quæ contrà fidem Catholicam sunt recepta, damnentur.] Et paulò post, ne fortè quod notorios delinquentes adeò facilè receperat, nimis mitis, aut remissus haberetur, vlterius addit: [Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos, nec asperè igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temerè largienda: Quia sicut plenum pietatis est oppressis charitatem Dominicam redhiberi, ita iustum est omnia perturbationis authoribus imputari.]

Vno, aut altero post mense, cùm Legatos suos, qui huic rei remedium adhiberent, Constantinopolim transmisisset, aliam ad Imperatricem Pulcheriā mittit ep. quę est 45. in qua sic scribit; [Vnde quod facturum me alijs literis indicaueram, Episcopum, & Basilium Presbyteros fratres meos dirigere præparaui, qui dispositiones meas, fratris mei Anatolij deuotione sociata, secundùm eas, quas acceperunt regulas, exequantur. Sicut enim prędicti Episcopi scriptis, & clericorum eius suggestione patefactum est multa sunt, quæ indulgentius sunt curanda, multa quæ iustius coercenda: vt in causa tantæ perturbationis, nec distractio nimis sit aspera, nec remissio parum cautæ, cum aliud satisfacientibus, aliud pertinacibus debeatur.] Hucusque Leo Pontifex de reconciliatione Episcoporum Orientis, qui in Ephesino conuenticulo, & hæresim Eutychianam impij admiserant, & depositioni Flauiani iniustè consenserant.

Ex

Ex primis huius Epistolæ verbis satis constat, hos reconciliatos fuisse, & admissos non solùm ad communionem suarum Ecclesiarum, sed etiam ad communionem vnitatis Sedis Apostolicæ, & eandem cupidè expetijsse. Si hæc fuisset reconciliatio ordinaria, & non nisi inter æquales amicitiæ redintegratio, satis mihi visum est eosdem ad communionem suarum Ecclesiarum per Legatos Sedis Apostolicæ fuisse restitutos. Alia præterea reconciliatio cum Sede Romana minimè necessaria fuisset.

Rursùs, in verbis secundo loco allatis discreta quædam, & prudens cautela in concedenda reconciliatione adhibetur, quæ supereminentiam quandam in concedente, in parte reconciliata genus quoddam subiectiones præseferre videtur.

In tertia, & vltima citatione, videmus aliquos sub conditione satisfaciendi fuisse admissos, alios propter contumaciam repulsos esse. Et hæc omnia à Legatis Sedis Apostolicæ acta erant. Huiusmodi reconciliatio alios admittens, alios authoritate sua excludens, primatus, & supereminentiæ Sedis Apostolicæ in Episcopis Orientis, euidens suppeditat argumentum. Nam licèt ex lege charitatis æqualis æquali reconcilietur, tamen si secundùm regulas iustitiæ agere velimus, æqualis æqualem suum, qui ei reconciliari non vult, ius puniendi non habet.

Hæc ergo reconciliatio Episcoporum cum Sede Apostolica (qui propriè loquendo non sunt de Prouincia, aut Diœcesi illius) quorum alij admissi sunt, alij repulsi, euidens ministrat argumentum primatus, & superioritatis Episcopi Romani etiam in Episcopi extra propriam, & peculiarem illius Prouinciam, quod superioritatis, aut primatus genus in vllo alio Patriarcha ostendi non potest.

Contra talem reconciliationem ne verbum quidem profert, id solùm conatur ostendere, non omnem reconciliationem primatum probare. Quod certè Hardingus non affirmat, id solùm asseruit, illam reconciliationem, quæ ab Episcopis extra Romanam Prouinciam cum Episcopo Romano expetita, & inita erat, primatum Summi Pontificis, ab ijs qui eandem petebant, agnitum euincere. Sed de hac re plura in sequentibus. Consideremus quid Iuellus de hac re dixerit.

D. Hardingus.

Inter alios, qui vt Eudoxiæ Imperatricis maleuolentiæ satisfacerent, S. Chrysostomus depositionem, & auxilium machinati sunt, vnus erat Alexander Episcopus Antiochiæ, & Primas Orientis. Qui tandem pœnitentia ductus, quod facinus illud non assensu solùm, sed opere suo promouerat, Innocentio Papæ humiliter seipsum subiecit, & eidem reconciliari, atque ab eo absolui omnibus modis quæsiuit.

Quare Legatos suos Romam ad Innocentium misit, qui instrumentum Pœnitentiæ, & humilis submissionis solemni ritu offerentes, quicquid eidem iniungeretur, acceptarent. Qua humili supplicatione commotus Innocentius petitioni illius annuit, eundem in gremium Ecclesiæ admisit, atque ita reconciliatus erat.

Iuellus.

Falsum 115. historia hic multis oneratur mendacijs.

D. Stapletonus.

Quænam sunt illa mendacia? Nempè, quæ in Textu sequenti innuis.

Iuellus.

Nam in eo, quod de hac re prodidit Innocentius, nulla omninò mentio reperitur, aut instrumenti publicè exhibiti, aut acceptationis pœnitentiæ iniunctæ, aut subiectionis, & humilis alicuius submissionis.

D. Stapletonus.

Innocentius Episcopus cuidam Maximiano, qui & depositioni S. Chrysostomi ipse consenserat, & cum eodem Innocentio de reconciliatione Attici Episcopi Constantinopolitani diligenter agebat, litteras scribens, in epist. 16. tom. 1. & rationes attingens cur non Atticum Constantinopolitanum, perindè ac Alexandrum Episcopum Antiochenum, ad reconciliationem recipiendum iudicasset, aliquid de reconciliatione ab eodem Alexandro facta innuit, his verbis. [Communio suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, tam esse detersas, & profitenti conditiones pacis impletas, quod neque apud vos, neque apud nos (vt prædixi) Atticus, missis aliquibus suorum, vel dicere voluit, vel demonstrare completum. Quemadmodùm Antiochenæ Ecclesiæ frater, & Coepiscopus noster Alexander, digna Legatione, & prosequutus est, & probauit. Quibus omnibus vtique interesse dignatus, cognouisti, quemadmodùm singulatim omnia scriptorum nostrorum antehac de causa Beati Ioannis, quondam Episcopi, nostri discusserim, vt quæ illi in omnibus satis euidenter ostenderint, vniuersa quæ apud Antiochiam fieri debuerint fuisse completa, quorum amplexati pacem, vtique fidem fecimus, & magno tramite omnibus eandem postulaturis ostendimus, si modò quæ discussa sunt, atque completa, etiam ipsi se pro suo loco fecisse, vel complesse, aliquando monstrauerint, communionemque (vt isti) Legatione solemniter destinata, sibi rogauerint redhiberi.]

Ex his colligimus Alexandrum Episcopum Antiochenum [Legatione solemniter destinatam, communionem sibi redhiberi rogasse, & pacis conditiones impletas fuisse, & ita demum reconciliatum fuisse Alexandrum. Et quid hæc solemnis Legatio communionem, & restitutionem rogans? quid aliud inquam fuit, quàm solemne instrumentum pœnitentiæ?

Talia enim erat illis temporibus forma reconciliandi, simili modo Vrsatius, & Valens ab Arriana hæresi vnitati Catholicæ Ecclesiæ restituti, libellum pœnitentiæ obtulerunt. Conditionum pacis, & reconciliationis adimpletio, quid aliud erat, quàm pœnæ iniunctæ acceptatio? Nomen pœnæ sicut non reperitur in Innocentio, ita neque Hardingus illud habet, & quis dubitare potest, quin præmissa humili submissione hæc omnia acta fuerint, quandoquidem sine humili submissione pœnitentia consistere non potest, nec sine pœnitentia fieri potest reconciliatio? quandoquidem etiam *conditiones pacis complere*, humilem submissionem expressè exigat, qua quia Atticus caruit, caruit etiam reconciliatione, & ad tempus permansit suspensione implicatus, qua etiam (vt in alia Innocentius epistola apparet) ipse posteà ad communionem, & reconciliationem admissus erat Cassiodor. libr.4. capit. 11.

Hæc Alexandri Antiochiæ reconciliatio rectiùs apparebit, si diligens Lector, hoc in loco in memoriam reuocet, solemnem excommunicationis sententiam, quam contra Theophylum, & alios Episcopos in depositione Chrysostomi, ei adhærentes (inter quos erat Alexander, Innocentius iste promulgauit, in epist. 17. De qua vbi de appellationibus egi prolixius tractatum est. Hæc enim excommunicatio in illas angustias Alexandrum coniecit, vt reconciliationem quærere necessè habuerit. Quare Innocentius submissionem illius acceptans eidem his verbis respondet. [Quam grata mihi, quam pia, quam necessaria Legatio, à tua sanctitate frater charissime ad nos directa fuerit, gestorum ipsorum replicatione cognosces.]

Verbum subiectionis Iuellus ait non reperiri in Innocentium, in epist.15. & ego assero, nec reperiri in contextu Hardingi. Iurisdictio spiritualis, Iuelle, non requirit subiectionem, qualem sæculares Principes à subditis suis exigunt, sed vt S. Gregorius ait, [vbi culpa non exigit omnes ratione humilitatis æquales sumus.] Quare Innocentius lib.7. epist. 64. transacta cum eo reconciliatione Alexandrum hunc *fratrem charissimum*, & (quod tu pro solido contra primatum Summi Pontificis argumento vrges) [condiscipulum Sedis Apostolicæ] nuncupat, epist.15. & eodem tempore litteras suas mittens, primitias pacis nostræ easdem appellat. [Primitias inquit non amicitiæ,] ep.17. vt tu Iuelle falsissimè hoc in loco transtulisti, sed reconciliationis nobiscum factæ, epist. 15.

Ad eum modum Christus in sacra pagina *Pax nostra*, id est, reconciliatio nostra cum Deo nuncupatur Ephesin. 2. Ad eundem modum iste Alexander [conditiones pacis completas esse, digna Legatione prosequutus est, & probauit.]

Certè si hæc fuisset ordinaria reconciliatio, & redintegratio amicitiæ inter æquales, nec priùs ipse debuit ab Episcopo Romano excommunicari, nec tam digna, & solemni Legatione vti, nec tot conditiones interponere, nec conditionum adimpletionem, adeò expressa prosequutione probari opus foret. Hoc ergo modo reconciliatus erat Patriarcha Antiochenus, epist. 16. nec vt subditus Principi suo, nec vt æqualis æquali suo, sed vt membrum per sententiam excommunicationis priùs abscissum capiti suo spirituali, eo nempè fine vt sese adiungens Christi Vicario capiti suo, corporis Christi mystici membrum fieret.

Quod ad exempla attinet à Iuello allata, litteræ Africanorum ad Innocentium Papam, Concil. Afric. cap.68. de reconciliatione Ecclesiæ Alexandrinæ, cum Ecclesia Romana ad hanc Chrysostomi depositionem, de qua agimus, pertinent, & necessitatem eiusdem reconciliationis satis appositè probant. Sed Iuellus ait.

Iuellus.

Hæc reconciliatio instituta non fuit, vt Ecclesia Alexandrina, eidem vt capiti suo sese subijceret, & in hac subiectione deinceps viueret, sed vt ad inuicem reconciliatæ Ecclesiæ mutua pace fruerentur.

D. Stapletonus.

Ecclesia in huiusmodi subiectione, quam tu somnias, sub Episcopo Romano nunquam vixit, hæc loquendi formula à rebellibus hæreticis ad inuidiam conflandam introducta est. Quatenùs culpas contra fidem rectam, aut bonos mores commissas corrigere, & emendare Sedes Apostolica fategerit, in obsequio, & obedientia Sedis Apostolicæ Ecclesia semper vixit, haud aliter.

Ecclesiæ Romanæ, cum Alexandrina nulla hoc tempore lis erat, sed cum Ecclesia Alexandrina per Theophilum illius Sedis Episcopus Chrysostomus Constantinopolitanus iniustè deposuisset, & ob eam causam à Sede Apostolica excommunicationis sententia iustissimè percuteretur, boni, & timorati viri, Episcopi Africæ, non ad Ecclesiam Alexandrinam, quæ iustè excommunicata erat, [sed ad Sanctum Papam Innocentium,] qui eos excommunicauerat, litteras suas reconciliationem petentes direxerunt, & hoc saltem subsidij, & commodi testimonia ab ipso Iuello allata, causæ nostræ præstiterunt, Conc. Afric. cap.68.

Iuellus.

Sic teste Liberato cap.18. Petrus Moggus Asatio reconciliatus erat non tanquam superiori, sed vt fratri.

D. Stapletonus.

Petrus iste Moggus hæreticus erat, à Sede Apostolica, imò & ab ipso etiam Achatio (quem Iuellus Asatium nuncupat) etsi posteà eidem Achatio reconciliatus, excommunicatus erat, Liberatus cap.17. & 18. Vndè tam Achatius, quàm idem Petrus Moggus posteà ab Episcopo Romano Felice pariter excommunicati erant, vt in epist. ad Achacium.

Conspiratio hæc hæreticorum nobis exem-

exemplo esse non debet, nec potest contra Catholicam reconciliationem regulam firmare, si quis Petri Moggi, (qui Concilium Chalcedonensem anathematizauit) & huius etiam Achatij eidem per edictum contra Sedem Apostolicam ab Imperatore Zenone editum, consentientis, integram tragœdiam velit aspicere, & lamentabilem eiusdem catastrophen, Liberatum perlegat in 2. Tomo Concil. capit. 16. 17. & 18. editum, in quo primatus Episcopi Romani, quo in Patriarchas alios vsus est, euidenter apparet, & ex praxi illius euidenter colligitur, ipse enim alios excommunicauit, alij ad illum prouocabant, alij reconciliationem cum illa sede cupidè expetebant.

Iuellus.

Hoc etiam sensu Hormisda Episcopus Romanus ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum scribit, Act. 2. [Quandoquidem in communione, & in fide vnam colimus amicitiam, similem propterea curam, & studium suscipiamus.

D. Stapletonus.

Rectè, sed vide Iuelle quid sequatur, proximè sequentibus verbis sequitur, [quod sicut iam æquali affectu lætamur in Domino, quod Ecclesia Constantinopolitana Sedi Apostolicæ vnita sit, ita possumus (secundùm pia charitatis vestræ monita) de aliarum etiam Ecclesiarum reconciliatione prouidere.] Nam sub Ioanne huius Epiphanij prædecessore Ecclesia Constantinopolitana à schismate, quod fecerat Achatius, reuocata, Apostolicæ Sedi reconciliata erat, & in hunc modum Episcopi reconciliati, vt socij, & æquales scripserunt, nam nisi Episcopi, aut Canones violassent, aut aliquid contra fidem admisissent, Episcopus Romanus nulla in illos superioritate vti solet; sed vt videmus, per hos titulos, & loquendi formulas Iuellus illud improbare conatur, quod praxis Ecclesiæ manifesta, & cognita euidenter demonstrat, Cassiodor, lib. 7. cap. 23. & 25.

Id quod Iuellus pro exemplo reconciliationis ex Socrate affert, nihil ad rem facit. Nulla enim apparet reconciliatio aut facta, aut petita. Illi qui Liberium Pontificem adibant, aut renera fuerunt, aut saltem Catholici videri voluerunt, Multa mala illis ab Arianis illata erant, & horum remedium ab eo petebant. Ijdem etiam Valentiniano I. imperanti in Occidente libellum supplicem de eadem re eodem ferè tempore obtulerunt. Neque hoc io loco (vt euidens est) petebant reconciliationem, sed remedium aduersùs iniustissimam Arrianorum oppressionem, & vt fides Catholica contra eosdem defenderetur, & stabiliretur.

Iuellus.

Aliud exemplum reconciliationis habemus. Arsenij scilicet Episcopi Hipsilitæ, cum Athanasio Alexandrino, hæc reconciliatio, siue submissio Athanasio exhibita erat. Athanasius tamen non erat Episcopus Romanus.

D. Stapletonus.

Arsenius non fecit hanc cum Athanasio reconciliationem quasi cum æquali, habuit enim Athanasius primatem suum, & proprium Metropolitanum. Athanas. Apol. 2. Nam in ipsa sententia à Iuello allegata, sic statim sequitur. [Neque citrà tuam Metropolitani Episcopi sententiam, vllum de Episcopis, aut alio dogmate communi, & Ecclesiastico decretum edituros.] Hæc ergo submissio Arsenij non Episcopo Romano (fateor) sed tamen non æquali, sed superiori suo, & Episcopo Metropolitano proprio, id est, Athanasio, præstita erat. Atque ita vt videtis, reconciliatio Ecclesiarum, quæ in vsu erat, non vt redintegratio amicitiæ inter æquales (quod Iuellus comminiscitur) sed præmissa humili submissione, qua pars reconciliata superioritatem in reconciliante agnoscat, facta intelligitur. Postremò cum Alexander Antiochenus, & Atticus Patriarcha Constantinopolitano Innocentio Pontifici Romano, cum Episcopi Orientis Leoni, vt declaratum est, hoc genus submissionis præstiterint. Primatus Sedis Romanæ, & authoritatis super alias Ecclesias, & aliarum Ecclesiarum Patriarchas satis euidens indicium exhibuerunt.

D. Hardingus.

Cùm ergo ex vsu, & praxi Ecclesiæ supremam authoritatem, & primatum Pontificis Romani ostenderim, non erit, vt opinor necessarium vlteriùs ostendere, quomodò omnes quæstiones arduæ de fide, & Religione ad Sedem Romanam semper referri soleant.

Iuellus.

Falsum 116. Nam multæ quæstiones arduæ subortæ sunt, quæ ad Romam nunquam delatæ erant.

D. Stapletonus.

Quænam erant istæ quæstiones difficiles? Iuellus nullam nominat, An quod affirmat pro vero accipiendum est, quia ipse dixit? profectò toties in mendacio eum deprehendimus, vt tantùm ei tribuere merito negemus. Quàm facilè fuisset inter multas vnam saltem adduxisse? sed dum nulla adferatur instantia propositio vniuersalis vera permanet, nam vniuersalem probare propositionem impossibile est. Sed si adhuc persistere velit, & quod pro falso semel notauit, adhuc inter falsa numerare, adeat S. Augustinus, & videat Epist. 90. 91. & 93. inter opera eiusdem, & Innocentium Pontif. idipsum totidem ferè verbis asserentem mendacij pariter arguat, Concil. Carthaginen. Patres ab Innocentio petierunt, [vt statutis eorum mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas. Ad hos referibens, idipsum totidem ferè verbis, quod hoc loco Hardingus, affirmat. Verba enim eius hæc sunt, Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio non censetis esse

calcanda, quod illi non humana, sed diuina decernere sententia, vt quicquid de disiunctis, remotisque Prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perueniret, vbi tota huius authoritate iusta, quæ fuerit pronunciatio firmaretur.] Quibus verbis Innocentius affirmat controuersias in remotis Prouincijs agitatas, ad Sedem Romanam vndè firmitas sententiæ petenda est, referendas esse, affirmat etiam Patres illos aliquid decreuisse, & decretum illud non ab humana, *sed à sententia diuina emanasse*.

Simili modò idem Innocentius epist.93. inter epist. Aug. ad PP. Concil. Mileuitani in Africa eorum, quæ in illo Concil. acta erant, confirmationem similiter petentes, hæc verba habet. [Quid etiam actione firmastis? nisi scientes quod per omnes Prouincias de Apostolica fonte petentibus, responsa semper emanent? Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris authorem referre debere velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum Mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.] Hoc in loco (vt videtis) Innocentius idem, totidem ferè verbis, quod Hardingus asseruit, Mileuitanis PP. respondet. Pergat ergo Impudentia Iuelli, & sententiam Innocentij inter falsa etiam annumeret.

Si Iuellus (aut nomine illius alius quispiam) excipiat, & hæc ab Innocentio ambitiosè in fauorem authoritatis Sedis propriæ dicta affirmet, pro responsione sufficere mihi videtur, si in memoriam reuocemus, hunc Innocentium eum esse, ad quem doctissimus, & sanctissimus Patriarcha Constantinopolitanus S. Chrysostomus à Synodo 30. & amplius Episcoporum Episcopatu iniustè priuatus, prouocauit, quique Theophilum Alexandrinum facinoris illius authorem excommunicationis sententia percussit, hunc eum esse, (vt dicit Pallad. in vita Io: Chrysost. & Chrysost. in ep.1. ad Innoc. & Niceph. lib.13. c.34.) cui Alexander sanctus, & prudens Patriarcha Alexandrinus, à sententia excommunicationis, quam propter iniustam Chrysostomi depositionem incurrisset, absolutus, reconciliabatur, cui etiam Atticus, à Chrysostomo in Patriarchatu Constantinopolitano secundo similiter reconciliatus fuit Innoc. epist.16. tom.1. Concil. Ad quem Episcopi Africæ de reconciliatione Sedis Alexandrinæ, cum Ecclesia Romana scribere necessarium duxerunt. Idem epist.17. Conc. Afric. Can.68. Ad quem denique PP. Concilij Carthaginen. & Mileuitensis, inter quos S. August. vnus perhibetur, acta in ijs ab eo confirmanda transmiserunt, sic Aug. in ep.90. & 92. hęc inquam si in memoria habeantur, & ab æquo rerum æstimatore ponderentur, meritò prudenti cuiuis persuadere possunt, hanc authoritatem, & potestatem, quam in præcipuos Orientis Patriarchas publicè exercuit, quam etiam Episcopi Africani, palàm & expressis verbis agnouerunt, non ex affectu ambitionis, sed ex iure, & ordine Sedi Romanę debito emanasse.

Nihilominùs si hæc quæ à me allata sunt, dictum illud Innocentij, quod Iuellus inter falsa annumerat, non satis efficaciter probent. Accedat S. Augustinus, & arbiter inter nos adueniat, quidque sentiat de his litteris, quæ verba illa continent, apertè pronunciet. S. Augustinus in ep.106. de hæresi Pelagiana, quæ in duobus illis Concilijs condemnata erat, ad Paulinum scribens, de litteris duorum illorum Conciliorum ad Sedem Romanam missis sic pronunciat. [Missæ sunt de hac re ex duobus Concil. Carthaginensi, & Mileuitano relationes ad Apostolicam Sedem.] Eæ nimirùm erant litteræ, ad quas Innocentius respondebat, & in responsione ad illas litteras hæc verba Innocentij à me allegata continentur, de Responsis ab Innocentio Aug. paulò post hæc habet. [Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.] Videte iudicium S. Augustini de responsis Innocentij, quæ ad illa duo Concilia direxit. Et quandoquidem verba superiùs allegata in illius verbis continentur, nempè quæstiones omnes dubias ad Sedem S. Petri referri, & solutiones ab Apostolico fonte emanare, palàm est S. Augustin: sentire, Innocentium dum illa protulit verba, non aliud quàm ius, & fas exigit, & Apostolicæ Sedis Episcopum decuit, loquutum esse, ita loqui alium quemlibet Episcopum, nec fas esset, nec conueniret; cùm ergo quod Hardingus asseruit, ab Innocentio tantæ authoritatis Episcopo, tot abhinc annis in duabus distinctis Epistolis apertè affirmetur, & doctissimi Sancti Augustini calculo approbetur, & laudetur, sera nimiùm adueniet sapientia tua Iuelle, quæ tribus hisce testibus contradicit, & insignis deprehenditur impudentia, dum hæc inter falsa annumerat.

Verba Innocentij, cum verbis Hardingi si conferas, inuenies vtriusque assertionem non solùm sensu, & energia, sed ipsis pænè verbis, & terminis eandem esse, nisi quòd hic Latinè, ille Anglicè scripsit, & obiter notandum, eiusmodi ferè esse omnia mendacia, quæ singularis Iuelli innocentia, & probitas Hardingo attribuit, nempè effata, & decreta SS. Patrum ab Hardingo prolata falsa esse incipiunt. Imò etiamsi eiusmodi decretum sit, quod [non humana, sed diuina decreuere sententia,] vt Innocentij verbis vtar. Si Iuellus hæc apud S. Augustinum fortè legisset, certè minùs insolens, & superbus sententiam tali fultam authoritate inter falsa connumerauit, præsertim cum cuiusuis antiqui Doctoris sententiæ stare, & subscribere publicè è suggesto pollicitus sit, si nihil tale legerit vnquam, sed hanc Hardingi sententiam vt Papisticam, & omni authoritate destitutam temerè existimauerit, hoc documento id saltem intelligit, se nondum omnia cognouisse, & sicut in hac re planè hallucinatus est, ita non pudeat in reliquis ignorantiam ingenuè conteri. Deus optimus à quo omne donum optimum, veram humilitatem ei instillet, qua duce ex hoc schismatis, & hæresis labyrintho facilè inueniet exitum.

Iam tandem vt de exemplis à Iuello allatis, Marcellini, Dulcitij, Bonifacij, Euodij, & aliorum, qui quæstiones ad S. Augustinum ab eo consilium petentes direxerunt, aliquid dicam, vno verbo respondeo propositas fuisse quæstiones illas, vt consilium, & instructionem

ctionem non vt decisionem, & finale determinationem reportarent. Nec de omni genere dubiorum, & quæstionum: sed de ijs tantùm quæ finalem decisionem postulant hoc in loco disceptatur, nec adeò præcisè à nobis asseritur hæc vniuersalis propositio, vt veritas illius in singulis particularibus à nobis exigi debeat, sed cum vt in plurimis, & in rebus maximi momenti, locum habeat, Primatum Sedis Apostolicæ satis euidenter declarat: sed pergit Iuellus dicens:

Iuellus.

S. Ambrosius permultos ex ijs, qui cum Rom. Pontifice egerant post ad ipsum retulisse de rebus suis solitos esse scribit quo sibi persuasum pleniùs esse posset.

D. Stapletonus.

Quis dubitat quin sapientum doctorum iudicium etiam re decisa, & definita, prudentes omnes audire cupierint? sed hoc nec decreti robur, nec auctoritatem facientis decretum nullo modo enervat. Id saltem efficit, vt desiderium alijs Adæ familiare, cognoscendi plerumque plus quam necesse est, aliquando plus quàm expedit palam innotescat. Quod ex Leone allegatur in epist. citata non reperitur, vtinam Leonis iudicio stare vellet Iuellus, certè si ex illius scriptis, quanta tot ab hinc sæculis fuerit Sedis Romanæ auctoritas experiri dignaretur, supremam Sedis Apostolicæ auctoritatem in vniuersa Christi Eccles. agnoscere cogeretur: vt posteà clarius elucescet.

D. Hardingus.

Denique quomodo vniuersus Orbis ab ea quasi à perenni fonte lucem mutuarit.

Iuellus.

117. Falsum: Nam lucem suam ipsa Roma mutuò accepit à Græcia.

D. Stapletonus.

Ita Ariani in rescripto suo ad Iulium Pontificem. Sed illud vt opinor nullo Catholico scriptori vnquam in mentem venit, vt in hist. tripart. lib.4.cap.16. De hac re fusè egimus suprà fals. 32. & 37. nam hæc assertio iam tertiùm falsitatis notatur: vsque adeò Iuellus mendacio delectatur, aut saltem falsum falso addere pro gloria, & honore habet; sed hoc inane, & friuolum commentum est, quo scriptor (quod sciam) multus, grauis, & doctus vti adhuc dignatus est.

D. Hardingus.

Leo Apostolicæ Sedis dignissimus Episcopus in Concil. Chalcedon. vbi ex omnibus Orbis Christiani partibus 630. Episcopi aderant, vniuersalis Episcopus, & vniuersalis Patriarcha salutatus erat. Hoc in illo Concilio expressis verbis reperitur, & à S. Greg. etiam in tribus distinctis epistolis ad Mauritium Imperatorem, ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, & ad Anastasium Antiochenum apertis verbis affirmatur.

Iuellus.

118. Falsum. In nullo Canone vlla huius rei mentio facta est.

D. Stapletonus.

In nullo Canone? Quasi exprimi non possit in toto Concilio, nisi in aliquo Canone expressè habeatur? Acta illius Conc. Chalced. 105. folia occupant, Canones eiusdem etiam duplici editione impressi non nisi tria folia implent: extrà Canones ergo satis loci est, vbi quod quæritur lateat. Eludis Lectorem Iuelle, eludis, dum nihil haberi in Conc. præter Canones expressos, insinuas. Cùm ipse etiam in hoc 4. articulo multa attuleris, quæ in nullo Canone expressa reperiuntur: An quæ à Iuello ex illo Concilio allata sunt, nec in Canone vllo expressa reperiuntur, propterea inter falsa numerabimus? Apage nugacissimè: altercandi ansas non ædificationem Lectorum aucuparis. Occasiones quæris ripandi eique oblaterandi, qui superbiam tuam, & iactantiam omnibus patefecit, & insolentissimam prouocationem neruosè refutauit. Hoc te pungit, hæc te male torquet aliquid contrà prouocationem illam, expressè, & in terminis audire, hoc excruciat. Sed consideremus quam doctè, & dextrè replicando ex his salebris te expedias.

Iuellus.

Pro breui ergo responsione Hardingus iam tandem repetit 630. Episcopos, qui in Concilio Chalcedonensi titulum hunc Leoni Pontifici dabant, & vniuersalem Episcopum eundem appellabant, atque hoc ter apud Sanctum Gregorium tribus diuersis in locis reperitur.

D. Stapletonus.

Breuis hæc est Iuelli replica: sed in ea vtcunque breuis est verba Hardingi falsò relata sunt, eo fine dubio hue, vt posteà effusius nugas agat: Respice, si placet, Beneuole Lector, ad verba Hardingi priùs allata. Non dicit datum fuisse eiusmodi titulum in illo Concilio, sed Leonem eo nomine fuisse salutatum. Et quid, inquies, hic discriminis? Certè nisi cum litigatore contentiosè res esset, hoc aut illo modo loquamur, haud multum interest: sed aduerte animum, & videbis quanto conatu de lana caprina digladiatur.

Iuellus.

Hic Christiane lector, vt obiter moneam hoc vnum (vt spero) vel me tacente considerabis. Si nomen vniuersalis Episcopi in Concilio Chalcedonensi anno Domini 488. habito Romano Pontifici datum fuerit, tum certè, tam ex concessione ipsius Hardingi, quàm attestante Concilio Episcopus Romanus nomen illud ante non habuit: Alioquin quomodo

do potuit Concilium dare quod ipsum non habuit, aut ipse Pontifex id quod priùs habuit ab eo Concilio accipere? Profectò hoc modo dona dare nugatorium, & puerile mihi visum est.

D. Stapletonus.

Vide obsecro operosam logomachiam. An non in verbo dandi doctam adinuenit argutiam? An temerè, otiosè, & sine causa immuratum D. Hardingi contextum putabimus? Non existimo: Nam etsi Iuellus multa admisceat falsa, sine lucro, & commodo suo vix quicquam in hoc genere peccat. Quod ad rem attinet: Quid si nomen illud Concilium non dederit? Quid si nomen illud à Concilio datum Hardingus non afferat? Certè quicquid horum dixeris argumentum hoc Iuelli mole sua ruit: sed pergamus, & quid ex his vlterius inferat, attendamus.

Iuellus.

Ita ex integro numero 600. annorum, quos in prouocatione poposcimus, D. Hardingus anno 488. nobis vltro concedit.

D. Stapletonus.

Lente, lente Iuelle: sine hospite, vt aiunt expensarum rationes computas. Hardingus nihil tale concedit: hanc grauem considerationem obiter, vt ais, apponendam censuisti, quid contrà rem ipsam afferre possis videamus.

Iuellus.

Antequam vlterius progrediamur, videamus quantum huic Concilio Chalcedonensi ipse Papa tribuat.

D. Stapletonus.

Dum his otiosis præfationibus, & præambulis, tam diù immoreris, ecqua spes est superesse aliquid, quod contrà rem ipsam proferat? Adeone desperatè impudens factus es Iuelle, vt huic Concilio Chalcedonensi tot abhinc annis, & tanto tam doctissimorum, quàm sanctissimorum Episcoporum concursu celebrato, obmurmurando, litem audeas intendere? An per ipsius Pontificis verba auctoritatem huius Concilij, huius inquam Concilij doctissimi, sanctissimi, & celeberrimi, imminuere te posse existimas? Concilium hoc celeberrimum, tam per Legatos suos præsentes, quàm per epist. suas Leo Pontifex confirmauit, vt idem in ep. 47. auctoritate Sedis Apostolicæ habitum fuisse idem Concilium Gelasius Pontifex palàm testatus est. Papa Simplicius, Petrum Alexandrinum, Papa Fælix, Acacium Constantinopolitanum, Papa Gelasius, vt idem in tom. 1. de Anathemate Anastasium Imperatorem, eo quod Concilium hoc Chalcedonense reijciebant, excommunicauit. Gregorius Papa, vt idem in lib. 1. epist. 24. & lib. 7. epist. 5. quatuor generalia Concilia, vt quatuor Euangelia honorari iussit. An tu Iuelle seriò hæc facis, dum Pontificem aliquem te posse afferre existimas, qui hoc Concilium, vel obliquè improbet? Certè etsi nihil aliud difficile videatur homini, cui mendacij defensio necessariò incumbit, tamen an in hac re aliquid, vel ad speciem probabile afferre poterit Iuellus, vehementer addubito: videamus tamen quàm impudenter in incepto persistat.

Iuellus.

Papa Gelasius ait: Apostolica Sedes, id aliqua ex parte non probauit: quia in eo aliqua per inordinatam præsumptionem acta erant.

D. Stapletonus.

Ad hæc verba Gelasij Acta Concilij Tarraconensis in tom. de vinculo Anathem. in margine adnotalti. Concilium Tarraconense sub Fœlice Tertio ante tempora Papæ Gelasij celebratum erat: nec in actis illius Concilij Chalcedonensis. Hæc ergo huc vsque splendidum continent mendacium. Verba Gelasij, quæ tu videris intimate, inter decreta Gelasij reperiuntur: itaque Amanuensis, siue Scriba tuus, qui significauit ea in Concilio Tarraconensi haberi, decepit te Iuelle. Atque hoc argumento id solùm doces, nempè quàm parum solicitus sis, quid scribas, aut quid legendum populo apponas. Profectò si integrum Gelasij locum perlegisses hoc modo verba illius allegasse, & te ipsum hæreticis Eutychianis adeo apertè adiunxisse, si qua modestiæ scintilla superfit, puduisset: Ita se res habet. Casum intellige lector: in illo Concilio Chalcedonensi Act. 16. Eutychiani damnati erant: Ad finem etiam eiusdem Concilij, non ex consensu omnium, neque adeo tertiæ partes Episcoporum, aliquorum tamen suffragijs (vt priùs declaratum est, sed Legatis Summi Pontificis publicè, & appertè reclamantibus) Episcopus Constantinopolitanus proximus dignitate Romano Pontifici constitutus erat; & contrà expressa Niceni Concilij decreta, in Canone 6. quæ Romani Pontificis Legati vrgebant, & acerrimè defendebant, Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno præferebatur: Concilium hoc posteà, ad Leonem Pontificem scribens humiliter rogat, vt hoc priuilegium Ecclesiæ Constantinopolitanæ ipse dignetur confirmare: hoc ex literis illius Concilij Chalcedonensis Act. 3. insertis euidenter apparet. Nihilominùs Leo Pontifex in rescripto ad Concilium, reliqua quæ ad fidem Catholicam spectabant, auctoritate sua confirmans hoc priuilegium nullo modo approbare voluit: vt erat, priuilegium hoc (teste Liberato cap. 18. ep. 59.) *fauore Imperatoris quodammodo fultum obtinuit*: Sed ita contigit. Ecclesia Constantinopolitana, paulo pòst sub Acatio eius verbis Episcopo in hæresim Eutychianam incidit, qui ob eam causam vnà cum Petro Moggo Episcopo Alexandrino à Papa Fœlice Gelasij prædecessore excommunicationis sententia percussus erat. Fautores Acatij huius, Gelasium Fœlicis successorem arguebant, & excommunicationem Acatij calumniabantur, dicentes, non debere Acatium (etsi Eutychianus erat) propter eam opinionem, virtute Concilij Chalcedonensis condemnari, quandoquidem idem

idem Concilium non erat ex omni parte à Sede Apostolica approbatum. Hanc ergo exceptionem, siue obiectionem, quam fautores Acatij Eutychiani in causa hæresis adinuenerunt, hanc inquam Iuellus è Gelasio selegit, vt probet eundem Pontificem hoc Concilium Chalcedonense neutiquam approbasse. Sed ipse Gelasius vt erat eruditus, & eloquens, ita ad hos Acatij Patronos doctè, & eleganter respondit, eademque responsio Iuello, quia à partibus eorum stare videtur, rectè accommodari potest: Initium loci illius intercisum, & imperfectum est, verba tamen apertè incidant omnia, quæ determinata erant in Concilio spectantia ad fidem, *à toto Concilio indubitanter admitti*: Alia autem in eodem Concilio, *per incompetentem præsumptionem prolata, vel potius ventilata*, non autem vt Iuellus refert *acta*, vel conclusa, quibus Legati Sedis Apostolicæ ibidem apertè restiterunt; à Sede Apostolica nequaquam fuisse approbata. Et ratio sequitur in Gelasio, *quia quæ priuilegijs vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet*.

Nam in Concilio Nicæno decretum reperitur, vt post Episcopum Romanum Patriarchæ Alexandriæ, & Antiochiæ dignitate proximi sint. Episcopus Constantinopolitanus tunc temporis ne Patriarcha quidem constitutus erat. Hoc ergo illud erat, quòd sedes Apostolica nequaquam approbabat: Hinc doctissimus Leo in Epistolis suis 61. 53. 54. & 55. ad vniuersum Concilium Chalcedonense, ad Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, ad Martianum Imperatorem, ad Pulcheriam Imperatricem, denique in literis suis ad Maximum Patriarcham Antiochenum epist. 62. illegitimam illam prærogatiuam sedis Constantinopolitanæ penitùs improbat, & reijcit, eo solo nomine, quod canonibus Nicæni Concilij contrarietur, & in literis suis ad Maximum Antioch. hæc habet verba, vt in Ep. 62. [Quicquid præter speciales causas Synodum Conciliorum ad examen Episcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam definitum, nam quod ab illorum regulis, constitutioneque discordat Apostolicæ Sedis nunquam obtinebit consensum.] Ratio huius necessaria est, & efficacissima, quam Leo etiam in Epistola sua vrget dicens; *Vniuersa pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua Canonibus reuerentia intemerata seruetur*. Atque ita tam Gelasius, quàm Leo generale Concilium Chalcedonense in omni te spectante ad doctrinam fidei approbatunt, & confirmarunt: licèt priuilegium Ecclesiæ Constantinopolitanæ in præiudicium aliarum Ecclesiarum concessum, & Nicæni Concilij canonibus repugnans, iustissimè reprobarent. Addit tamen vlterius Iuellus.

Iuellus.

Leo Pontifex totum Concilium ambitionis, & temeritatis accusat.

D. Stapletonus.

Cùm Leo Pontifex multa scripserit, adnotasse debuit Iuellus in margine, quo in loco hæc verba, quæ citat inueniantur, sed cùm res ipsa falsissima sit, minimè mirum est, si hoc genus officij facilè omiserit. Leo in Ep. 55. non totum Concilium, sed aliquos, qui intererant, puta Anatholium Episcopum Constantinopolitanum cum quibusdam alijs ambitionis accusat. Itaque de hac re aliquotum tantummodo præsumptione arrepta potius, quàm impetrata loquens, eam *quorundam consensum* appellat, & rursùs, Leo. in ep. 62. *quorundam Episcoporum consensum*, & in alia Epistola 62. *quorundam surreptionem*; Et cùm omnes qui huic intererant Concilio numerum 630. attigerint, huic priuilegio Constantinopolitano solum 212. subscripserunt, vt ex actis illius Concilij euidenter constat, vt in act. 16. Ad eundem modũ Iuuenalis Episcopus Hierosolymit. in Ephesino Concilio per aliquorum Episcoporum assensum iurisdictionem Palestinæ, Patriarchæ Antiocheno eripere conabatur: vt Cyrillus Alexandrinus in Epistolis suis ad Leonem conqueritur; sed sedes Apostolica conatibus illius sedulo restitit, & acta planè rescidit. Sicut ergò factum illud Iuuenalis primum Concilium Ephesinum haud infirmat: Ita nec insolens conatus Anatholij Concilij Chalcedonensis auctoritatem vllo modo imminuit.

Iuellus.

Et sententia S. Hieronymi 32. quæst. 2. in casu Matrimonij *inter raptorem, & raptam* contra omnes illos 630. Episcopos, & totius Concilij determinationem recipitur.

D. Stapletonus.

Falsitas Iuelli insignis hoc in loco apparet, sed malitiæ, an ignorantiæ eam attribuam nequeo statuere.

Quæstio à Gratiano exposita hæc est, [An raptori rapta nubere possit, Patre assensum præbente?] Primò auctoritate Concilij Chalcedonensis 26. quæst. 2. & aliorum probat, eiusmodi personas non debere matrimonio coniungi: addit tamen, [Raptor, & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum, vitia autem cum per pœnitentiam purgata fuerint nomina eorũ abolentur.] Nam, & adulter, vbi semel egerit pænitentiam, ampliùs adulter non est, posita pro fundamento hac distinctione, multa affert testimonia, quibus probet illas personas post debitam satisfactionem licitè posse matrimonium contrahere: inter alios testes S. Hieronymum citat. Qui de tribus generibus matrimoniorum legitimorum loquens secundo in loco hoc numerat. [Virgo in ciuitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata, si voluerit Pater eius, dotabit eam iste vir, quantum iudicauerit Pater, & dabit pretium pudicitiæ eius.] Soluta dote, quam aliàs Pater virginis dare debuisset, is qui intulit vim satisfacit, & illatam iniuriam compensat, & ex sententia S. Hieronymi culpa sublata est per-

peracta pænitentia, & qui rapuit raptam licitè sibi potest copulare: non vt raptor, & rapta contra Concilium Chalcedonense: sed vt sponsus, & sponsa. Culpa illa priore persolutæ dotis satisfactionem abolita, & hoc modo tam S. Hieronymi, quàm Concilij Chalcedonensis auctoritas optimè saluatur: Si leges allegare velis Iuelle, faxis prius legum verum sensum addiscas. Instrui cupit lector, noli illius abuti credulitate, nec legibus marginem onerare, quæ nihil ad rem faciunt: fraus hæc est Iuelle, quanto in ea peritior es, tanto nequior, tanto maius animæ tuæ damnum accersis.

Iuellus.

Tanti faciunt Concilia quoties adlibuerit.

D. Stapletonus.

Crimen quod ipse admisit, in alium per artem præuentionis Iuellus transfert. Ipse, qui quantum potuit in Chalcedonense Concilium venenum euomuit, qui Gelasium priùs peruersissimè retulerat, qui Leonem apertè mentitus fuerat, qui decreta inscitè allegauerat, ipse tandem Catholicos calumniando, acclamat. *Tanti faciunt Concilia, quando ijs adlibuerit*: Cùm ergo ex ijs, quæ priùs dicta sunt hæc calumnia detegatur, pergamus.

Iuellus.

Sed lex ait: *Rationi contrarium est, vt idem voluntatem defuncti in parte approbet*, & nempè quatenus pro se facit, *& ex alia parte eandem reijciat*, vbi contra eum facere videtur.

D. Stapletonus.

Hoc saltem rectè factum est, quod glossam tuam legi apposuisti, nam euidenti indicio est, legem ipsam pro te nihil facere, eam partem Concilij Chalcedonensis, quæ ad illegitimam prærogatiuam Ecclesiæ Constantinopolitanæ spectabat, quam Leo Papa primò, & post eum Gelasius improbabant, nihil, aut contra Sedis Apostolicæ primatum, aut pro eodem facere constat; repugnabat tamen Canoni Concilij Niceni, qui od Episcopi Romani piè, & iustè propugnabant. Nam vtcunque priuilegium illud consensu aliquorum Episcoporum à Commissarijs Imperatoris concessum, obtinuerit: ipsi tamen Commissarij eam sententiam pronunciantes, hæc verba expresè, & in terminis protulerunt. *Ex his, quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum secundùm canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo confirmari*. Conc. Chal. act. 16.

Post quæ verba statim sequitur priuilegium, quo Ecclesia Constantinopolitana Ponto, Asiæ, & Thraciæ præficitur. Ex his, etiam satis apparet quantum Iuellus tribuat generalibus Concilijs; sed, æternæ Veritati laus, etsi is virulentum halitum, quantum potuit, efflauit; Catholica tamen veritas inconcussa permanet. Illud sapientis habeto in memoria Iuelle.

Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere. Illud etiam recogita, quomodo non multis abhinc annis, etiamsi infelix hoc schisma Angliam peruaserat: quatuor tamen prima generalia Concilia inter quæ hoc Chalcedonense vnum est, publico Parlamenti decreto approbata fuerint. Imò in principio professionis fidei christianæ in Anglia nostra; cùm adhuc tota ad fidem plenè non esset conuersa, maiores nostri duxerunt necessariù, quinque generalium Conciliorum auctoritatem, quæ ante suam ætatem celebrata erant, & inter, quæ hoc Chalcedonense vnum est, in Synodo prouinciali plena stabilire, & confirmare: Beda libro 4. cap. 17. & Seuerus Episcopus schismaticus Antiochiæ, linguam suam iussu catholici Imperatoris Iustini meritò passus est abscindi, quia blasphemias contra hoc sacrum Concilium ineffrænatè eructasset. Niceph. lib. 1. c. 2. Hæc tu Iuelle exempla consectaris, illa deseris, dum impudentem prouocationem audacia præcipiti pergas defendere.

Iuellus.

Sed respondebit Hardingus, *vt est, qualemcunque fidem hoc Concilium mereatur: Certum est, nomen vniuersalis Episcopi Leoni dedisse.*

D. Stapletonus.

Ne metuas Iuelle; de fide, & auctoritate Chalcedonensis Concilij nequaquam dubitabit Hardingus. Nihil tale aliquid respondit adhuc, nec respondebit vnquam. Tu tamen ea verba distincto charactere imprimi fecisti, quasi non solùm ita aliquando esset responsurus, sed etiam quasi iamdudum respondisset, adeò effrons, & impudenter mendax es, non solùm verba sanctorum Patrum, quæ lector imperitus non aspicit, mendosè, & fallaciter referendo, sed etiam verba Hardingi apertè falsificando, cuius contextus integer cuiuis legenti in libro tuo sese offert: Sed tu fortasse imaginaris lectorem tibi fidem adhibiturum, nec velle vlterius, vtcunque facilè sit, ipsum Hardingi contextum consulere, aut aspicere: Ingenuè profiteor me Iuellum initio pro homine probo, & fideli habuisse: Nnuc tamen, quia deprehendi te Iuelle, verba illius subindè immutare, & aliter, ac sunt ab eo scriptis mandata, referre: cœpi paulatim de fidelitate tua dubitare: Sed bone Deus quando tandem ad rem ipsam deuenies, Iuelle?

Iuellus.

Et quid si totum hoc penitus falsum sit? Quid si in illo Concilio eiusmodi titulus, nec datus, nec oblatus quidem fuerit?

D. Stapletonus.

Vno verbo dicam: nempè si hoc ostenderis, S. Gregor. lib. 4. ep. 32. & 36. mendacem, & tui similem probabis. Qui totidem verbis, & expresè affirmauit titulum illum fuisse ei oblatum: verbum illud datus, vt prius

prius ostendi, non ponitur ab Hardingo. Sed videamus quomodo hoc quod asseruisti, probare poteris.

Iuellus.

Certè integrum Concilium Chalcedonense, tum impressum, tum scriptum extat, & facilè inspici potest.

D. Stapletonus.

Si totum illud Concilium integrum extet, nec tale aliquid in toto illo Concilio reperiatur, tum certè S. Gregorius qui id in illo Concilio haberi asseruit, reuera mentitus est. Sed pluris est apud me, quod S. Gregorius affirmat, quàm quod Iuellus: Id demum restat, vt Iuellus probet Concilium illud integrum extare, & nihil in eo desiderari, atque ita S. Gregorium reuera mendacij arguet: Alioquin non S. Gregorium, sed Iuellum mentitum esse meritò præsumetur. Certè ipse Gregor. in lib. 5. ep. 14. ait: [Sancta Synodus Chalcedonensis in vno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsata est.]

Iuellus.

Quid est quod Hardingus, nec locum, nec Canonem, nec ipsa verba proferat? saltem, quidnini margine subnotet, vbi tale reperiatur testimonium?

D. Stapletonus.

Ne sæui tantopere Iuelle, si placet: ipse S. Gregorium testem attulit, id tribus distinctis Epistolis asserentem: Et Gregorij testimonium tibi satis esse debere iure optimo existimabat. Non putabat equidem præsertim S. Gregorium testem afferens, te hanc rem adeò iniquo animo accipere, aut ab eo rationem adeò rigidè exigere voluisse; Quid ergo respondes ad testimonium S. Gregorij? video ablubescere Iuello nugas agere paulisper, agendum, audiamus quid dicat.

Iuellus.

Fortasse respondebit, hunc canonem ab aliquibus hæreticis combustum esse, quod priùs de Concilio Nicœno affirmauit.

D. Stapletonus.

Non Hardingus, sed ipse Athanasius, vt tu ipse priùs confessus es, ait: canones Niceni Concilij ab Arianis combustos esse: De hoc Concilio accepisti, quid S. Gregorius pronunciet lib. 5. ep. 14. Vno in loco ab ipsa Ecclesia Constantinopolitana falsificatum fuit.

Iuellus.

Vtcunque mirum esset dictu, si assereret, ex toto Concilio solas sex lineas combustas esse, idque in omnibus per vniuersum orbem exemplaribus saluis reliquis omnibus partibus Concilij.

D. Stapletonus.

Iuellus cum vmbra sua litigat, nihil tale imaginamur: tota hæc res in ipso Concilio reperietur, imò ipsum Iuellum statim audies confitentem.

Iuellus.

Alioqnin verba per quæ Papa titulum suum vendicat negligenter perderentur, idque in ipsa Roma, imò in ipsa Pontificis Bibliotheca: Cùm tamen verba, quæ Papa reprobat, & condemnat integra supersint.

D. Stapletonus.

Mera hæc est calumnia. Ex his verbis vniuersalis Episcopi, Pontifex non vendicat titulum suum: In hoc articulo Iuellus laborat multum, nec tamen vllum proferre potest Pontificem, qui aut seipsum ita nominauit, aut ab alio eo nomine salutari petierit, & tamen titulum hunc quem nullus vnquam Pontifex vsurpauit, aut petijt aliquando, pro fundamento primatus summi Pontificis ponit. Scire cupis Iuelle. In quo fundatur Summi Pontificis primatus? Sanctus Gregorius initio huius articuli id clarè significauit. In verbis nempè Saluatoris nostri ad S. Petrū, cuius successor est Romanus Pontifex, primatus eius fundatur: Matth. 16. & Luc. 22. & Ioan. 21. Ex Concilijs generalibus Niceno & Sardicensi stabilimentum accepit. Continua praxi Ecclesiæ agnitum fuit: Ex appellationibus ad illam sedem, ex confirmatione Conciliorum, ex reconciliationibus, & confirmationibus Episcoporum, &c. non solùm à 900. annis superioribus, sed à primis 600. annis à Christo: sicut in hoc articulo contra mendacissimam tuam replicam solidè, & euidenter comprobatum est. Eadem potestas à Sanctis Patribus agnita, & decretis Imperatorum confirmata fuit, his innititur fundamentis summi Pontificis suprema potestas. Hæc fundamenta, nec tu, nec fratrum tuorum quispiam sine manifestissimis, & impudentissimis mendacijs, qualia in hoc articulo non pauca admisisti, concutere potest.

Iuellus.

Hardingus intra spatium 600. annorum à Christo hoc vnicum habet Concilium, cui inniti potest, & tamen ne hoc quidem reperiri potest.

D. Stapletonus.

Hic aliud erumpit splendidum mendacium. Nam, & Nicænum, & Sardicense vtcunque intra spatium 400. annorum à Christo primatum Sedis Romanæ astruunt, his assertio Hardingi innititur, imò ipsum nomen vniuersalis Episcopi ipse Iuellus in Concilio Chalcedonensi statim deprehendit. Sed inanem hanc iactantiam condonemus ei paululum.

Iuellus.

Sed Sanctus Gregorius testis adest satis locuples.

D. Stapletonus.

Quod fœlix, faustumque sit, Iuellus tandem aliquando in se reuersus ad rem ipsam accedit. Agedum; quid tandem ait Sanctus Gregorius?

Iuellus.

Ipse affirmat 620. *Episcopos in Concilio Chalcedonensi congregatos Pontificem Romanum Episcopum vniuersalem nuncupasse.* Falsitas hæc ad Lectorem decipiendum inuenta est.

D. Stapletonus.

Tum sine dubio hoc, quod adeò audacter affirmas, ita se habere probabis: Audiamus rationem tuam Iuelle.

Iuellus.

Nam Sanctus Gregorius non ait Concilium illud Pontificem Romanum eo nomine salutasse, intitulasse, proclamasse, aut vocasse.

D. Stapletonus.

Huiusmodi Nomenclatura: salutare, intitulare, proclamare, abeat quo velit, nec ad tuam prouocationem, nec ad responsionem Hardingi pertinet: Sed tu Iuelle negas Pontificem Romanum appellatum fuisse vnquam, Episcopum vniuersalem,& hoc illud est quod Hardingus ex S. Gregorio lib. 4. ep. 32. & 36. probare intendit. Quid tu contrà hæc replicando ais?

Iuellus.

Solùm ait: Nomen vniuersalis Episcopi à Concilio Chalcedonensi Pontifici Romano oblatum erat.

D. Stapletonus.

Itane? hæc vltrò adeò liberalitèr concedis? An non tu idem ipsus es, qui dudum hoc negabas, dicens: *Quid si eiusmodi titulus in illo Concilio nec datus, nec oblatus fuerit?* Iam oblatum fuisse eiusmodi titulum ipse vltrò fateris. Eademque opera, & mendacem te esse arguis, & immemorem. Sed ad rem: verba S. Gregorij tandem agnoscis: Quid ad ea respondes? ais

Iuellus.

S. Gregorius ait, obtulisse separatos eum eo nomine appellare, sed re ipsa ita compellasse, non ait. Itaque hac in re Hardingus authoris verba parum fidelitèr refert.

D. Stapletonus.

Intellige lector S. Gregorium de hac re pluribus in locis agere: Ergo licèt Iuellus inuenerit locum vnum, in quo non asserit expressis verbis Episcopos Romanos à Concilio Chalcedonensi vocatos fuisse vniuersales; Alibi tamen apertè, & expressè illud habet: In ep. quadam Greg. quæ est 38. l. 4. ad Ioannem Constantinopolitanum apertè id affirmat his verbis. *Numquid non sicut vestra sanctitas nouit, per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deseruio, vniuersales oblato honore vocati sunt?* Perpende hæc Iuelle, simulque in memoriam reuoca quid, & quanta cum fiducia ad D. Pauli è suggesto promisisti: audactèr asseruisti, & spopondisti: *Si ex illo Concilio generali proferre possint Pontificem Romanum, per sexcentos integros à Christo annos vniuersalem Episcopum appellatum esse, ego me manus daturum, & in contrariam sententiam iturum spondeo: & velle subscribere promitto.* Vides S. Gregorium, quem ipse testem satis locupletem appellat, quem venerabilis Beda lib. 2. cap. 1. histor. Anglorum, Apostolum Angliæ nostræ indigitat, quia fidei Christianæ prædicatores ad nos misit: quem Ecclesia vt vnum è quatuor Doctoribus veneratur: vides inquam, hunc pium, & doctum Ecclesiæ Patrem planè edicere. *Numquid non sicut vestra sanctitas nouit per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deseruio, vniuersales oblato honore vocati sunt?* Responde? placetne promissis stare? placetne vt promisisti ad nos accedere, & subscribere? Quid facturus sis Iuelle facilè est iudicium: Sed quod promisisti, vt facias Incunctantèr, tua causa, ex animo precor. Interea Lector attentus facilè intelliget, te non modò parùm fidelitèr retulisse, sed apertè mentitum esse authorem allegatum, ideit, S. Gregorium; pariterque apertum est, D. Hardingum non malè retulisse, sed quod author citatus expressis verbis asseruit, asseruisse. Sed accipiamus verba Sancti Gregorij prout à te Iuelle allegantur: ita se habent: *Nomen vniuersalis Episcopi Pontifici Romano per Concilium Chalcedonense oblatum erat*, verba illius non sunt, vt tu ais: *Obtulerunt se paratos nomine illo eum appellare*: Ergo Iuellus etiam hoc loco parùm fidelitèr authoris verba retulit.

Sed vnum à Iuello scire vehementer cupio, quando venerandum Concilium illud nomen Episcopo Romano obtulit, quomodo id factum est, viua voce, an in scriptis? Si in scriptis, tum inscripserunt eum vniuersalem Episcopum, idest, in scriptis eum ita compellabant. Si voce tantùm illum titulum obtulerunt, tum certè coram Legatis (nam ipse ibi præsens non erat:) verba illa protulerunt inquam, & planè eloquuti sunt. Nam non potest Iuello in mentem venire, vt opinor, assurrexisse omnes Patres, & astitisse hiantes, & magno conatu quasi parturientes illum titulum, sed priusquam illum edere, & effari potuerunt Legatos iussisse eos ora claudere, nec pati voluisse animi sui indicia vlteriora proferre: Nisi hoc, aut aliquid huius-

iusmodi accidisset, nescio quomodo verum esse potest, quod Iuellus affirmat, *Obtulisse se Patres paratos eum eo nomine compellare*: Quare verum esse debet, quod Hardingus refert. Pontificem eo nomine reipsa compellabant, idque aut viuæ vocis oraculo, aut in scriptis: Nam quomodo nomen, aut titulus cuiquam offerri possit, quod nec voce profertur, nec scriptis mandetur? Ego, profiteor ingenuè, nequeo imaginari.

Iuellus.

Sed S. Gregorius addit *nec Leonem, nec vllum alium suorum prædecessorum nomen illud insolens, superbum, & impium etsi à Concilio illi oblatum, acceptare velle, aut pati se illo nomine salutari*: Episcopi Romani titulo illo vtcumque oblato, nunquam vti voluerunt, ergo non vtendo, eundem perdere debent.

D. Stapletonus.

Optima propositio: Rectè ais: *Episcopi Romani titulo illo nunquam vsi sunt: ergo*, inquis, *non vtendo amittere debent*. Esto vt vis. Nomen illud Iuelle non defendimus Pontifex id non requirit, semper illud euitauit, & recusauit. Sed quia inconsiderata tua prouocatio eo nos vocauit, ostendimus Summum Pontificem ab alijs ita fuisse nuncupatum, quod ipse etiam vltrò fateris dicens

Iuellus.

His non obstantibus, verum id est, quod Hardingus ait: *Leo in Concilio Chalcedonensi sic appellatus erat: loca satis nota sunt, & negari non debent.*

D. Stapletonus.

Vide bone Lector; hic idem qui dudum pro falso id notauit in margine, qui de canonibus deperditis, & sex lineis combustis, & alijs importunis interrogationibus nos insolentissimè exagitauit, hic, inquam præterea hac nugarum procella, iam tandem vltrò verum fatetur, & ait: *His non obstantibus verum est, quod Hardingus ait, &c.* Imò præter Sancti Gregorij testimonium ipsa Chalcedonensis Concilij loca indicabit, in quibus Romanus Pontifex vniuersalis Episcopus nominatur, nec nominatur solùm, sed etiam salutatur.

Iuellus.

Ita salutatur in tribus diuersis epistolis, quarum altera ab Athanasio Presbytero, altera ab Ischyrione Diacono, tertia à Theodoto quodam, qui etiam Diaconus erat, ad eundem data fuit.

D. Stapletonus.

Aduertite: Audiuistis Iuellum apertè confitentem, confitentem inquam Pontificem Romanum in tribus epistolis, quæ actis Concilij Chalcedonensis repertæ sunt, Episcopum vniuersalem salutatum fuisse: Audiuistis hæc,

sed an putatis manus daturum? an subscribere paratum esse arbitramini? Ipse vltro apertis verbis fatetur Summum Pontificem appellatum, & salutatum esse vniuersalem Episcopum in tribus epistolis Concilio Chalcedonensi insertis; Quod Concilium, vt ipse Iuellus fatetur anno Domini 488. celebratum erat: Quid ergo? fatebitur ingenuè, quod res est? an errorem suum recognoscet? minimè gentium: Ne per somnium quidem, vt videtur, illud cogitauit aliquando, animaduertite quæso, videbiris quo artificio è vinculo publicæ promissionis elabitur; ait enim

Iuellus.

Sed opinor Hardingum ostendere non posse ex tota illa 630. Episcoporum caterua, vel vnum ita salutasse, aut nominasse Summum Pontificem.

D. Stapletonus.

Quid tum posteà Iuelle? an postulatio tua Londini ad D. Pauli crucem facta, ad hos 630. Episcopos Chalcedoni congregatos directa erat? Prouocationis tuæ tenorem recognita: An hæc conditio verbis prouocationis tuæ annexa erat? Imò ni fallor amplissima ea fuit, & liberalissima: [Si quisquam eruditus aduersarius siue vniuersi simul aduersarij vllam luculentam, aut ex antiquo aliquo, aut Catholico Patre, aut ex vetusto aliquo Concilio, aut è Sacrosanctis Dei Scripturis sententiam vllumue Ecclesię primitiuæ exemplum in medium proferre possint, vnde liquidò, clareque constet, Romanum Pontificem vnquam per sexcentos integros à Christo annos vniuersalem Episcopum, aut vniuersalis Ecclesiæ caput appellatum esse, ego me manus daturum, & subscribere velle spondeo.] Ecce non solùm Concilium generale attestante S. Gregorio, sed etiam Catholicus Sacerdos, & Diaconi duo in Ecclesia primitiua Leonem Pontificem Romanum *Episcopum vniuersalem* nominabant, salutabant, & inscripserant, siue intitulabant, hoc claré, & euidentèr probari ipse confiteris dicens: *loca ipsa satis nota sunt; negari non potest*. An post omnia libet resilire, quia qui Papam ita salutabant non erant Episcopi? Ecquis adeò hebes est, vt non intelligat, elusile te nobile Auditorium, dum tanta confidentia eam prouocationem bis è suggesto proposueris, quam nec ausus es, nec in animo habuisti vnquam efficaciter persequi? An fortè decretum Parlamentarium nuper editum animum tibi addidit? an omnium ora obturauit, & effecit, vt tibi soli quidlibet effutire liceat? Nam dic obsecro, Iuelle, Sacerdos, & Diaconi, qui in Ecclesia primitiua vixerunt: an non viri Christiani erant? An testimonium illorum minorem meretur fidem, quia sacris initiati erant? Si hæc locum non habeant, aliud testimonium in eodem etiam Concilio relatum, aliud inquam sese offert testimonium cuiusdam viri probi, qui nec Sacerdos erat, nec Diaconus, sed fidelis tamen Christianus, & in libello supplici Summo Pontifici, & Concilio Chalcedonensi act. 3. oblato, eodem vtitur titulo, & tenore verborum, quo Diaconi illi,

illi, & Athanasius Sacerdos vtebautur. Titulus libelli hic est. *Sanctissimo, & Beatissimo vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ vrbis Romæ Leoni, & sanctissimo Concilio secundùm voluntatem Dei, & diuina mandata in Chalced. ciuitate congregato, à Sophronio Christiano.* An satis ad palatum tuum sapit hoc exemplum Iuelle? Hoc sine dubio è primitiua Ecclesia exemplum est, nec pauperis Diaconi, nec Sacerdotis peregrini (vt tu eos contemptui, & vt Pseudoepiscopum scurram decer, appellas) sed laicus, fidelis Christianus, & vt videtur vir nobilis. Nam in supplicatione Summo Pontifici, & Concilio exhibita, in qua *Dioscorum* Tyrannicum Patriarcham Antiochenum accusat: hoc addit. Non defuisse alios multos, qui eadem contrà *Dioscorum* libenter proferrent, *nisi quod siue pro paupertate, siue pro timore eius tyrannidis non sunt ausi.* Ex quibus verbis facilè colligitur hunc Sophronium nec inopem fuisse, nec eius conditionis, vt ei tyrannis *Dioscori* posset nocere.

Et quia Iuellus hoc exemplum, quod de Concilio Chalcedonensi attulimus tantopere extenuet, & nullius momenti illud esse velit, quia nullus Episcopus Pontificem eo nomine compellauit: multum cupio vt vnam, aut alteram breuitèr expediat quæstionem. Primò, vbi S. Greg. testetur, quod etiam ipse Iuellus fatetur, Chalcedonense Concilium nomen *vniuersalis Episcopi*, Leoni Pontifici Romano obtulisse, imò, & prædecessores suos ab illo Concilio eodem nomine fuisse appellatos; senserit, nec ne Episcopos in illo Concilio congregatos illud nomen obtulisse, eumque eo nomine appellasse, an non? Si non intellexerit Episcopos, tum aut Imperator, aut illius consiliarij, aut Clerici, Episcopis inferiores, obtulerunt illud nomen, & prædecessores illius eo nomine compellabant. Hoc si dicat tum certè dici non potest Concilium id fecisse. Nam Concilium constat ex Episcopis non ex magistratu laico, & Clericis inferioris ordinis, ac propterea in hoc ipso Concilio acclamatum erat, *Synodus Episcoporum est, non Clericorum*, act. 1. Si ergo ab Episcopis illius Concilij nomen illud oblatum fuerit, quomodo ab ijs offerri potuit, nisi aut viua voce, aut in scriptis nomen expresserint? si ab illis Episcopis, qui corpus erant, & ipsa substantia Concilij, Episcopus Romanus eo nomine appellaretur, tum certum est, & euidens Episcopos illius Concilij, aut titulum hunc eidem viua voce indidisse, aut in literis eo nomine eundem designasse, aut inscripsisse. Atque ita ex S. Gregorij testimonio euidens est Concilij Chalcedonensis Episcopos 630. numero, aut viua voce, aut in scriptis Pontificem Romanum nomine *Episcopi vniuersalis* compellasse, act. 3. Vndè etiam necessariò sequitur Iuellum debere huic sententiæ, si promissis stare velit, statim subscribere.

Rursùs, dicas mihi Iuelle; Quando libelli supplices Athanasij Sacerdotis, Theodori, & Ischyrionis Diaconorum, & Sophronij hominis laici toti illi Concilio publicè oblati iussu Episcoporum nominatim Paschasini Summi Pontificis Legati, Pergamij Episcopi Antiochiæ in Pisidia, Petri Episcopi Corinthi, Mariniani Episcopi Siunadæ, & Patricij Episcopi Tyanæ, & communi reliquorum omnium suffragio exscripti actis eiusdem Concilij insererentur: An non obsecro, eadem opera, eoque nomine ab Episcopis accepti, & approbati erant? Certè nisi approbati vix legi in Concilio, multò minùs exscribi, & monumentis Concilij inseri debuerunt, aut potuerunt: Cùm ergo libelli illi lecti, exscripti, approbati in perpetuam rei memoriam monumentis insererentur: An non & titulus etiam, & integer literarum tenor approbatus censeri debet? Certè si titulus *vniuersalis Episcopi* Pontifici Romano attributus, aut blasphemus, aut inauditus, aut eniquam iniurius tunc temporis fuisset habitus, an putabimus tot sanctos Episcopos aliquid eiusmodi non dico iubere scribi, & inter acta Concilij reseruari, sed vel publicè legi, pari vnquam aliquando voluisse? An non potiùs si iuxtà cum Iuello sensissent, & Sacerdotem, & Diaconos, & hominem laicum acritèr increparent, quod titulum eiusmodi, & inusitatam inscribendi formam temerè vsurpare ausi fuit? Cùm ergo non modò non improbaretur ab Episcopis, sed expresso illorum mandato actis illius Concilij insereretur, & inter perpetuò duratura monimenta seruaretur, & eo nomine approbetur; infertur necessariò Episcopos titulum approbasse, & exemplum allatum authoritatem habere, & pondus nec posse futili hoc effugio euitari.

Postremò: Responde Iuelle: An putas illos tres supplicantes Alexandriæ, tum primum ex suo cerebro titulum illum libellis suis inscripsisse, & Pontificem Romanum *Episcopum vniuersalem* primos omnium appellasse? An non potiùs existimandum est petitionem Instituentes in solemni instrumento Episcopo Romano, & toti Concilio exhibito, titulum debitum, & approbatum diligentèr, & accuratè examinasse, & obseruasse? vbi quæso accuratiùs obseruantur tituli Magistratibus debiti, quàm in litibus, & libellis supplicibus ipsis Magistratibus exhibitis? & quid quæso euidentiùs, & efficaciùs titulum magistratibus debitum euincere potest, quàm stylus, & tenor vsitatus supplicum libellorum, qui ipsis Magistratibus in manus publicè exhibentur? An tituli illi in causis, & actionibus priuatis curiosè, & diligentèr obseruantur, & in celeberrimo Orbis Christiani consessu in Concilio generali negliguntur? Quin potiùs ex hoc Ecclesiæ primitiuæ exemplo euidentèr constat, Summum Pontificem *vniuersalem Episcopum* communitèr, & iure, priùs fuisse nuncupatum; aut saltem totius sacrosancti illius Concilij assensu nomen illud eidem fuisse concessum; & licèt ipsi Pontifices Summi metuentes præposterum sensum, quem ex illo nomine æmuli Sedis Apostolicæ possent elicere, nunquam titulum illum vsurpare voluerint, ab alijs tamen priùs fuisse eo nomine vsitatissimè salutatos dubium non est; Ac propterea primitiuæ Ecclesiæ exemplo suffragari debet Iuellus, & vt publicè pollicitus est ingenuè subscribere.

Iuellus.

Iuellus.

Ergo Hatdingus vbi(lectorem rectiùs vt admoneat) hanc notam margini inscribit: *Episcopus Romanus mille abhinc annis vniuersalis Episcopus, & caput Ecclesiæ nuncupatus fuit*, veriùs, & rectiùs sic notare potuisset. *Verba Gregorij mendaciter allegata: Concilium falsatum: vnicus hic canon deperditus reliquis omnibus intactis; Sacerdos peregrinus, & duo pauperes in suis pro possessionibus, & legatis, priuatis petitionibus, Leonem vniuersalem Episcopum nominabant, sed ex 630. Episcopis, qui Concilio tunc præsentes intererant, & suffragia dederunt, ne vnus quidem ita eundem nominabat.* Hæc Hardingus veriùs, & rectiùs margini infetuisse potuisset.

D. Stapletonus.

Enimuerò si Impudens iactantia locum habere poterit Iuellus facilè palmam reportabit. De duobus Atheniensibus nobilibus memoriæ prodirum est, Plutarc. in Pericle, & Thucidide, hunc corporis viribus, illum eloquentia antecelluisse; cùm ergo singulari certamine in arenam spectante populo descenderent, Pericles à Thucidide, qui robustior erat, semper in terram deiectus erat, ea tamen celeritate sese erexit in pedes, vt adhibita, qua pollebat, linguæ volubilitate se superiorem fuisse, & Thucididem à se deiectum esse, spectatoribus(qui contrarium oculis apertè cernebant) persuadere solebat. Similem, vt videtur, de eloquentia dicam, an impudentia sua Inellus spem concepit, & cum in hac temeraria, & insolentissima prouocatione necessarijs, & euidentibus argumentis subscribere coactus, planè prostratus succumbat, lectoris intuitum nihilominùs eludere, & superiorem esse se posse probare, inaniter sibi ipsi persuadet. Hinc verba S. Gregorij malè retulit, vel potiùs plane mentitus est, hinc vniuersos Episcopos in illo magno Concilio congregatos ore hianti Legatos Summi Pontificis intuentes, fingit ne verbum quidem ausos mutire, quam illi nomen *vniuersalis Episcopi* Leoni offerunt. Ne scilicet si quis eorum fuisset elocutus, Inellus continuò prostratus in terram iacuisset: huic Gregorium ita loquentem introducit, *Concilium obtulit titulum illum, sed nullus eo nomine ipsum reipsa compellauit.*

Rursùs multa memorat de canonibus deperditis, de solis sex lineis combustis, & quod solùm hoc nomen non reperiatur in Concilio.

Tertiò, quod priùs negauerat argumentis necessarijs coactus fateri, & ostendens vltrò Summum Pontificem in ipso Concilio ita Intitulari, salutari, & appellari, totam historiam, & exempli vim eleuare sperat; quia nimitùm, erant duo pauperes Diaconi, & Sacerdos extraneus, vt puta extra Angliam natus (nam alio nomine non video cur vllum in Orbe Christiano Sacerdotem extraneum appellaret:) Rursùs quod nullus Episcoporum, qui aderant Papam eo nomine compellabat, cùm tamen prouocatio ab eo facta non ad illos 630. Episcopos, nec ad vllos Episcopos potius quàm ad Sacerdotes, aut Diaconos directa erat, nec ad illos, quàm ad hos magis spectabat: Et Diacouorum, & Sacerdotis libelli supplices in quibus ille titulus continebatur, & totus renor, & contextus literarum, ab illis Episcopis approbatus, & iussu eorundem exscriptus, imò inter acta Concilij ad perpetuam rei memoriam relatus erat.

Postremo, & vltimo In loco addit hoc in priuatis litibus, vbi de legatis, & rebus suis recuperandis agebant, contigisse, quasi litigantibus, falsò & assentatorio titulo, aut tenore literarum quem iudices minimè approbant, impune vti liceret: An hoc causam eorum iuuaret? An non potiùs noceret plurimum? Cum tot, tamque sancti, & docti Episcopi, qui iudices Illorum futuri essent, ex omnibus Orbis Christiani partibus vndique confluxissent. Qui (vt probabiliter conijcere fas est)nec per pietatem suam ad illam assentationem taciti conniuere, nec per eruditionem ignorare potuerunt. Quis & qualis titulus ad Romanum Pontificem iure pertineret? Et certè si titulum sublimiorem, quam par esset, supplicantes Leoni adscripsissent, in magnum illorum præiudicium redundaturum, quis non videt? nisi fortè Iuellus sibi mentiens, audeat asserere, aut vniuersum Concilium studio assentandi seductum, aut incredibili ignorantia occæcatum fuisse se Solum recta via incedere, & quasi Aquilam in pubibus omnia euidenter perspecta habere. Quare marginalis nota D. Hardingi vera est, que innuit Pontificem Romanum mille abhinc annis vniuersalem Episcopum iutitulatum, salutatum, & nominatum fuisse, proinde, & huic veritati Iuellus necesse habet subscribere:

D. Hardingus.

Multi sancti Martyres, Episcopi Romani se ipsos *Episcopos vniuersalis Ecclesiæ* solebant nuncupare, quod re ipsa idem sonat, quod Episcopi Chalcedonenses intellexerunt.

Iuellus.

Falsum 119. Hæc enim nomina non idem sonant, vt statim constabit.

D. Stapletonus.

Nomen hoc Episcopi vniuersalis, & Episcopus vniuersalis Ecclesiæ eo sensu quo Episcopi Chalcedonenses vniuersalem Episcopum intellexeruut, reipsa idem sunt, quomodo aliter se habere ostendis?

Iuellus.

Si vniuersalis Episcopus, & Episcopus vniuersalis Ecclesiæ vnum, idemque sonent. Quomodo verum esse potest quod Gregorius ait: in lib. 4. ep. 32. & 36. *nullus prædecessorum meorum in illud nomen vnquam consentire voluit?* aut quo modo nomen vniuersalis Episcopi tantopere culpare poterit, cùm nomen Episcopi vniuersalis Ecclesiæ (vtpote quod satis nouit à prædecessoribus suis vsurpatum) nequa-

nequaquam ei displiceat? quomodo inquam possunt hæc cohærere? Si vtrumque nomen pro vna, eademque re indiscriminatim accepisset? Breuitèr si hæc duo nomina, vt Dominus Hardingus sibi persuadet, vnum, idemque sonent, quo modo fit, vt vnum eorum impium, alterum non item, vnum arrogans, alterum nequaquam, vnum blasphemum, alterum non sit blasphemum?

D. Stapletonus.

Magna hæc verborum congeries vnum astruit argumentum: Sed hæc omnia ad id quod obijcit D. Hardingus nihil respondent. Sanctus Gregorius nomen vniuersalis Episcopi reprehendit, sed non reprehendit nomen Episcopi vniuersalis Eccl. Ergo in sensu Sancti Gregorij, vtrumque nomen S. Gregorio idem non sonat: concedo. Sed vt Patres Concilij Chalcedonensis illa nomina intellexerunt, idem sonant. S. Gregorius in lib. 4. ep. 34. ita interpretatus est, & intellexit nomen vniuersalis Episcopi, quasi nomen illud omnes alios Episcopos excluderet. Propterea de Ioanne Constantinopolitano, qui nomen illud vsurpauit, ait: *Despectis omnibus solus conatur appellari Episcopus.* Et in hoc sensu nomen illud insolens, superbum, impium, blasphemum, imò ipsum Antichristi nomen erat.

Sed in hoc sensu Concilium nomen hoc non obtulit Leoni. Quis enim sibi persuadere potest tot pios, & doctos Præsules, aut tam impios fuisse, vt tale sacrilegium admittere, aut tam latnos, vt se ipsos Episcopatus honore priuare animum inducere velint, eo scilicet animo, vt vnum aliquem immodicè efferant; eumque vniuersalem, & vnicum totius Orbis Episcopum efficiant? Ergo sine dubio aliud per illa verba intellexerunt, quàm insolens Patriarcha Constantinopolitanus vsurpauit, aliud quàm S. Greg. & prædecessor illius Pelagius adeo acerbè, & acriter increpabant, & condemnabant: Illi enim haud alio sensu Pont. Rom. Episc. vniuersalem, quàm Episc. vniuersalis Ecclesiæ eundem nuncupabant. Act. 13. & 8. Quo nomine, & titulo in illo Concilio subinde nominatur: nempè in subscriptionibus Legatorum suorum Appellatur inquam, aut Cathol. Episc. aut Episcopus Catholicæ Ecclesiæ (hoc enim Iuellus existimat nomen vniuersale significare) aut supremus, & præcipuus Episcopus, qui vniuerso Orbi Christiano præest: Quo sensu Concil. Chalcedonense Leonem Pontificem Romanum vniuersalem Episcopum esse intellexit, & confitebatur. Quod certè facilè probari potest non solùm ex omnibus actis Concilij illius in condemnatione Dioscori, & Eutychetis, sed etiam ex verbis literarum, quas ad eundem Leonem pro confirmatione eorum, quæ in Concilio acta erant, direxit. Verba epistolæ à Concilio Chalced. in act. 3. ad Leonem missæ hæc sunt. *Si vbi sunt duo, aut tres congregati in nomine eius, ibi se in medio eorum fore perhibuit Christus, quantam circa Sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & patriæ, & liberis, suæ confessionis notitiam prætulerunt? quibus tu quidem* sicut membris caput præeras, *in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens.* In his verbis, vt videtis, vniuersum Concilium in quo 630. Episc. congregati erant, Leonem Pont. Rom. *caput suum* appellant. Hoc ergo sensu, vt erat caput eorum nomen vniuersalis Episc. obtulisse eidem facilè est intelligere; nempè vt nomen illud, in vniuersa Christi Eccl. primatum, aut Principem Episc. denotat, non in illo insolenti, & impio sensu, quo diù post hoc Conc. Ioan. Const. nomen illud vsurpauit, & S. Greg. pariter cum prædecessore suo Pelagio vehementer increpabant, hic ergo sensus huius nominis, & nomen hoc in hac notione, & acceptione, qua Conc. Chalced. illud vsurpauit, reipsa videtur coincidere cum titulo Episc. vniuersalis Ecclesiæ. Non autem in eo sensu quo S. Gregorius nomen idem accepit. Quid eandem effecit Iuellus? probauit scilicet nomina hæc, vt ea accepit sanctus Gregorius, diuersa esse. At quis hoc negat? Sed diuersa esse in notione, sensu, & acceptione Concilij Chalcedonensis, quod Hardingus negauit, hoc nondum probauit. Ita per totum ferè discursum monet quidem, sed otiosè, replicat, sed aberrans à scopo.

Cùm autem Iuellus ad vberiorem probationum suarum cumulum adiecerit: alios etiam Patriarchas Episcopos vniuersales fuisse nuncupatos, an non, & ignorantiam priorem, & inconsideratè prouocationis inanitatem apertè propalauit? Nam si eodem nomine alij etiam Patriarchæ fuerint appellati, & (ipso fatente Iuello) Pontifex Romanus omnium Patriarcharum primus semper extiterit, quomodo dubitari potest, quin, & Pontifex Romanus eodem etiam nomine fuerit salutatus? si hoc priùs nouerit, qualis, & quàm vana facta est prouocatio, quæ in illo insistit titulo, qui reliquis cum Episcopo Romano communis est? Quem nullus Romanus Episcopus expetiuit, quo nullus vnquam vsus est? Si post futilem illam prouocationem adhibita diligentiori disquisitione hoc resciuerit, deponat fastum Iuellus, & quia in priore apertè deceptus erat, ne pudeat in posteriore ignorantiam agnoscere. Et sicut ex ipsius Iuelli liberali concessione satis constat, Ioannem, Epiphanium, & Thetasium Patriarchas Constantinopolitanos, titulo vniuersalis Episcopi fuisse salutatos: Cùm inquam Iuellus hoc vltrò confessus sit, confiteatur vicissim, & ingenuè agnoscat Leonem Pontificem Romanum hoc titulo insignitum, & vniuersalem Episcopum salutatum fuisse in quatuor epistolis diuersis, idque non cuiusquam Romani, aut ad prouinciam Romanam pertinentis assentatorio suffragio, sed quorundam è Patriarchatu Alexandrino aduenantium, & in præsentia totius magni Concilij Chalcedonensis per libellum supplicem litem mouentium: in quo nihil proferri solet, nisi quod verum, & legitimum est præsertim in re, & negotio eiusmodi, quod nullo modo causæ suæ prodesse, sed nocere plurimum poterat omnes illos nimirùm illustrissimos Præsules ad indignationem prouocando, præsertim si in eiusmodi sensu, quem Iuellus imaginatur titulum vniuersalis Episcopi Pontifici Romano tribuissent. Confiteatur inquam Iuellus ingenuè, & errorem suum priorem agnoscens: subscribat.

D. Har-

D. Hardingus.

Idem etiam titulus (Episcopus scilicet vniuersalis Ecclesiæ) post Nicænum Concilium à Fœlice, & Leone, & alijs multis intra spatium annorum à Iuello præscriptum, id est ante 600. annos à Christo nato agnitus, & vsurpatus fuit.

Iuellus.

Falsum 120. Nam Hardingus ipse dudum confessus est, Leonem Pontificum nunquam se ipsum eo nomine nuncupasse.

D. Stapletonus.

Imò manifestum hoc, & impudens mendacium est. D. Hardingus priùs asseruit, [Reuera nec ipse Leo, nec vllus prædecessorum suorum vnquam se ipsum nuncupauit eo nomine, aut titulo, vt Sanctus Gregorius ait,] intelligens nimirùm nomen *vniuersalis Episcopi*, vt ex totius contextus tenore satis euidenter ostenditur. Sed in hoc vltimo loco non loquitur de nomine, aut titulo *vniuersalis Episcopi*, sed de nomine *Episcopi vniuersalis Ecclesiæ*. Quid opus est in his explicandis tempus otiosè conterere? ipse contextus Domini Hardingi extat, tum in replica ipsius Iuelli, tum in duabus alijs editionibus eiusdem Libri. Quicunque contextum perlegere dignabitur Iuellum, aut turpiter cæcutijsse in hac re, aut ignorantiam malitiosissimè affectasse inueniet.

D. Hardingus.

Quisquis in Lectione antiquorum Patrum, vel mediocriter versatur inueniet sine dubio illud nomen (*Caput Ecclesiæ intelligit*) sæpissimè Sancto Petro primo Romano Episcopo, & consequenter Sancti Petri successoribus, aut expressè, & in terminis, aut saltem vocibus æquiualentibus attributum.

Iuellus.

Falsum 121. Solus enim Petrus ita appellatur, qui tamen tunc quando eo nomine appellabatur non erat Episcopus Romanus.

D. Stapletonus.

Quid hoc est? An affirmare audet Iuellus Sanctum Petrum non fuisse Episcopum Romanum? An delirium Patris sui Lutheri renouabit, asserentis Petrum nunquam fuisse Romæ? Iuellus ait: *Petrus tunc non erat Episcopus Romanus*. Quid quæso hæc sibi volunt? An id dicere voluit, Petrus non fuit Episcopus Romanus, quando Patres id scripserunt, & cum illo nomine designabant. Quis adeò delirus est, vt hoc somniet?

Si tunc temporis significet tempus, quo hìc in terris Petrus dixit, bone Deus, quot testimonijs impudens illius os obturare possem? S. Hieronymus in Cathalog. vir. illustr. tom. 1. lib. 3. cap. 3. apertis verbis affirmat. *Petrus Romæ 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit*. Irenæus, Optatus, & S. Augustinus, vt idem in epist. 165. lib. 2. Episcopos recensentes, qui Sedem Romanam vsque ad sua tempora occupauerant S. Petrum primo in loco ponunt, & vt primum Romanum Episcopum recensent S. Petrum Romæ passum esse Egesippus, Eusebius, & Epiphanius testantur lib. 3. de exci. Hær. An his omnibus tam doctis, tam antiquis Patribus audet Iuellus contradicere? Iosephus Historicus probatissimus ait, in lib. 2. cap. 14. & 15. & S. Hier. lib. 1. contra Appionem. *Illud veritatis certè signum esse, si de eisdem rebus eadem omnes conscribant*. Contra hos omnes, vel vnum afferat testem, vel vnum inquam, afferat testem ante Apostatæ Lutheri tempora, qui contrarium affirmauit.

Certè plusquàm mirum mihi visum est, quod hoc adeò confidenter affirmans, & huic assertioni, quasi fundamento subnitens, nihil tamen afferre voluit, quo illud comprobet, de hac re multa (scio) afferre potuisset ex historia fratrum suorum Magdeburgensium si fabulas illas in medium attulisse operæ pretium duxisset. Itaque quod asseruit propria authoritate maluit strenuè, & confidenter asseuerare, quàm adeò impudens mendacium ineptè probare. Sed quia Iuellus affirmat solùm Petrum fuisse caput Ecclesiæ, nec existimet assertionem suam, id asserendo, vlla ex parte infirmiorem esse, vnum, aut alterum argumentum, quod ex eo formari potest breuiter apponamus.

S. Petrus à Sanctis Patribus caput Ecclesiæ (vt ipse Iuellus fatetur) appellatus erat. At

S. Petrus erat Episcopus Romanus intra spatium annorum à Iuello assignatum, id est 600. annos à Christo.

[Ergo Episcopus Romanus intra primos sexcentos annos à Christo caput Ecclesiæ nuncupatus erat.] Sed quia Iuellus solùm S. Petrum ita appellatum fuisse affirmat. Idem de alio Pontifice, qui intra spatium 400. annorum à Christo vixit probare placet, idque ipsius Hardingi argumento, quod Iuellus in replica sua seriò reprehendit, quia non sit in modo, & figura, verba S. Ambrosij in 1. Timoth. cap. 3. hæc sunt, [cum totus Mundus sit Dei, tamen Ecclesia domus Dei appellatur, cuius Rector hodiè est Damasus.] Ex his verbis formo hoc argumentum in modo, & figura.

[Qui regit domum Dei, de qua S. Paulus ad Timothæum loquitur, is vniuersalem regit Ecclesiam, sed asserente S. Ambrosio Damasus Papa rexit domum Dei, de qua apud S. Paulum mentio est. Ergo Damasus Papa, teste S. Ambrosio, vniuersalem rexit Ecclesiam.] Minor constat ex verbis è Sancto Ambrosio allatis. Maior euidens est ex verbis S. Pauli 1. Timoth. 3. quæ hæc sunt, [hæc tibi scribo (fili Timothee) sperans me ad te venire citò, si autem tardauero, hoc

modo

modo fcripſi, vt ſcias quomodo oportceat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.]

Ecce, hæc domus Dei, de qua Apoſtolus loquitur, eſt illa Eccleſia, quæ etiam columna, & firmamentum veritatis eſt. Sola autem vniuerſalis Eccleſia, nulla autem particularis eſt einſmodi, nam multæ Eccleſiæ particulares errauerunt, ſed Eccleſia vniuerſalis, nec errauit vnquam, nec poſſibile eſt, vt erret. Hæc eſt colnmna, hæc eſt fundamentnm veritatis: aduerſùs hanc *porta inferi non præualebunt*.

Cùm ergo vtraque propoſitio ſit vera, & euidens altera è S. Paulo, altera ex Ambroſio, eruditiſſimo, & ſanctiſſimo Epiſcopo, Commentaria in eundem S.Pauli locum ſcribente, concluſio hæc neceſſariò infertur. Damaſus Papa non ſolùm ſuam Diœceſim, aut Prouinciam Romanam ſolùm, ſed vniuerſalem Eccleſiam rexit. Si Rector non ſit caput, velim vt Iuellus nos doceat, quid caput alicuius Reipublicæ deſignet, ſi Rectorem eiuſdem Reipublicæ non deſignet. Eo tandem deuenimus? Eccum tibi Iuelle, quod poſtulatio tua petijt. Habes intra præfixum à te annorum ſpatium, ſaltem in vocibus, & terminis æquiualentibus *Caput vniuerſalis Eccleſiæ*.

Habes Epiſcopum Romanum eo titulo inſignitum. Si ergo Iuellus ſeriò, ex ſtudio veritatis inueniendæ, & propter Dei honorem prouocationem ſuam ad Diuum Paulum è ſuggeſto obtulerit, vt virum probum decet, promiſſis ſtare, & S. Ambroſio affirmanti debet ſubſcribere. Sin de vocabulis, & formulis loquendi, argutus nugiuendulus voluerit altercari, tùm certè nimis innoteſcet vniuerſo Mundo quales, & quàm inanes nugarum quiſquilias iſti purpurati Simij non ſolùm ad Clepſydram garriant, ſed prælo etiam committant, & omni poſteritati legendas tranſmittant.

Leo in litteris generalis Concilij Chalcedonenſis, vt in Act.3. Epiſcoporum, qui ibi aderant capue illorum inſcribebatur, vt priùs dictum eſt.

Sed generale Concilium vniuerſalem repræſentat Eccleſiam,& qui ibi adſunt conſtituunt corpus, vtpotè præcipuæ partes eiuſdem Eccleſiæ. Hinc ſequitur Leonem ab vniuerſo Concilio *Caput vniuerſalis Eccleſiæ* appellatum eſſe.

Ergo non ſolùm Sanctus Petrus, ſed Leo etiam, & Damaſus alij duo Pontifices, ita appellati erant. Quare Iuellus debet ſubſcribere.

D. Hardingus.

Theodoretus in Epiſtola, quadam ad Leonem, Eccleſiam Romanam reſpectu Primatus Epiſcopi Sedis illius *Orbis terrarum Præſidentem* appellat.

Iuellus.

Falſum 122. in falſa tranſlatione conſiſtit.

D. Stapletonus.

Conſulo Textum, & inuenio te probare hoc falſum eſſe his verbis.

Iuellus.

Replicabit fortè aliquis Theodoretum appellare Eccleſiam Romanam, *tis icumenis procathimenis*, quæ verba Hardingus mendaciter tranſtulit Præſidentem, aut in Orbe terrarum Imperium habentem. Nam rectè nouie vocem Græcam *procathimen* ſignificare in ſuperiore loco ſedere, nec infert neceſſariò dominium, aut Imperium in alios.

D. Stapletonus.

Inaniſſimum nugatorem te eſſe oſtendis Iuelle, & merum Grammaticaſtrum, dum hoc modo replicam inſtituis, rectè nouimus eam Græcam *procathimen*, quàm Latinum *Præſideo*, aliquando ſignificare primo in loco ſedere; ſed & tu etiam benè noſti idem vocabulum dominium, & authoritatem alibi deſignare vt Ignatius in epiſtola ad Roman. An non vox Anglicana *Præſident* à verbo præſidere deriuatur, & deducitur, quæ authoritatem, & gubernationem potiùs, quàm primùm accubitum deſignat? An præſes Walliæ, nihil aliud poteſtatis, & authoritatis habet, quàm primo in loco ſedere? Sed quod Theodoretus Romanam Eccleſiam appellans *tis icumenis procathimenim*, eminentiorem intelligat prærogatiuam, quàm primo in loco accumbere, aut ſuperiore in loco ſedere, ac proptereà te tranſlationem Hardingi nugaciſſimè reprehendere, Theodoreti contextus ſatis euidenter oſtendit.

Theodoretus Epiſcopus Cyri Epiſtolam ſuam ad Leonem Papam, hoc modo exorditur, ipſe in epiſtola ad Leonem in fine libri ſui. [Si Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus, ad magnum Petrum eucurrit, vt ijs qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant ab ipſo afferret ſolutionem, multò magis, nos qui abiecti ſumus, & puſilli, ad Apoſtolicam veſtram Sedem currimus, vt Eccleſiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus, vobis enim per omnia primos eſſe conuenit, multis enim quibus ſuperiores eſtis ornatur veſtra Sedes, alias enim vrbes ornat, vel magnitudo, vel pulchritudo, vel multitudo eorum qui inhabitant. Nonnullas autem ijs priuatas dona quædam illuſtrant ſpiritualia, veſtræ autem redundantem bonorum copiam dedit, is qui eſt bonorum largitor. Ea eſt enim omnium maxima, & præclariſſima, & quæ præeſt Orbi terrarum, & eorum qui inhabitant, abundat multitudine. Accedit his quod hoc quoque, quod rerum potitur peperit Imperium, & propria ſua appellatione, eos quibus imperat, impertijt. Præcipuè autem, & inſigniter eam exornat fides, & fide dignus teſtis diuinus Apoſtolus, qui clamat, fides veſtra annunciatur in vniuerſo Mundo.] Roman. primo.

Hæc

Hæc Theodoretus in laude Vrbis Romæ, nec tam in laude ipsius, quàm Ecclesiæ, & Sedis Episcopalis ipsius Vrbis, hæc enim verba non de Vrbe, sed de ipsa Ecclesia Romana, dicta esse ipse Iuellus confitetur, dum illa verba, *quæ præest Orbi terrarum*, in hæc verba *Ecclesiam Orbis terræ primariam mutauit*.

Nam Orbis terrarum primaria Ciuitas eo tempore erat Constantinopolis, potiùs quàm Roma, quæ propterea appellata erat *noua Roma*. Tum etiam ex petitione Theodoreti in hac Epistola Leoni data optimè constabit, an Ecclesiam Romanam *Orbi Præsidentem* propter loci solius eminentiam nuncupabat. Theodoretus à Dioscoro Alexandrino in Conuenticulo Ephesino Episcopatu suo iniuriosè priuatus (qua de re sæpè mentio facta est in prioribus) in Epistola sua ad Leonem Pontificem Romanum multa exponens, primò iniustam Dioscori sententiam, tum quod annos plurimos, quos in illo Episcopali officio egerat (nam 26. annos in eo diligenter Deo seruierat) ambitum iurisdictionis suæ (Prouincia enim illi subiecta octingentas Parœcias habuit, erat enim Archiepiscopus, & Metropolitanus,) deindè magnum studium, laborem, & curam populum sibi commissum ab hæresi Marcionis, quæ ibi tunc temporis grassabatur, præseruandi (ab illa enim ad Fidem Catholicam mille animas reuocauerat) hæc inquam omnia Summo Pontifice particulatim repræsentans, petitionem instituit, & ait. [Et post tot sudores, & labores ne in ius quidem vocatus, sum condemnatus, ego autem Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustum vestrum & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem,] & paulò post libros quos scripserat percensens partim contra Hæreticos, partim Sacram Scripturam explicando, quorum pars magna, ad hunc vsque diem superest petitionem suam repetit, & ait.

[Sed supplicationem meam quæso ne respuatis, nec miseram meam canitiem despiciatis, quæ post tot labores affecta est contumelijs, ante omnia autem rogo, vt sciam à vobis an in iniusta hac depositione me opporteat acquiescere, an non? vestram enim expecto sententiam, & si iudicatis me stare iusseritis, stabo, nec vlli deinceps homini molestiam exhibebo. Sed quod flecti non potest Dei, & Seruatoris nostri expectabo iudicium. Mihi autem, vt Dominus Deus est testis nec honor curæ est, nec gloria, sed tantum scandalum quod factum est. quod multi ex simplicioribus, & maximè qui ex diuersis hæresibus à nobis capti sunt, Sedem eorum qui nos condemnarunt attendentes, existimabunt nos fortasse Hæreticos, vt qui quod sit rectum, perfectumque dogma videre nequeant.]

Hæc Theodoretus in supplicatione, & appellatione ad Leonem Pontificem, cùm ipse tamen Episcopus esset Cyri in Oriente, nec Romano, sed Antiocheno Patriarchæ, (si propriam spectamus Prouinciam) immediatè subiectus. Ex hac illius appellatione, & ex restitutione ad Episcopatum à Leone facta, quæ hanc subsequuta est appellationem (vt ex Concilio Chalcedonensi priùs declaraui) Act.1.Fals.548. & ex integro Theodoreti contextu euidens est, ex his inquam omnibus satis manifestum est, Theodoretum cum Ecclesiam Romanam *Orbi terrarum Præsidentem*, aut quæ præest Orbi terrarum nominaret, non intellexisse accubitum primum, sed authoritatem, & primatum in alios Episcopos eiusmodi certè, ad quam etiam à Patriarcha suo, imò à Concilio Episcoporum licitè posset prouocare. Pergit nihilominùs Iuellus, & ait.

Iuellus.

Meliùs vertisse potuisset *Ecclesiam Orbis primariam*, & hæc translatio cum Constitutionibus Iustiniani optimè cohæreret.

In quibus illa præeminentia, sedendi scilicet in loco superiori in Concilijs, & publicis consessibus speciali priuilegio Episcopo Romano conceditur.

D. Stapletonus.

Ad Constitutiones Iustiniani, quæ ad hanc spectant prærogatiuam priùs responsum adhibui Fals.99. vbi incredibilem Iuelli falsitatem, qua corrumpendo Iustiniani Constitutiones vsus est, patefeci. Iam verò huius loci translationem cuiuis æquo rerum æstimatori dijudicandam relinquo, perlegat per otium, & ponderet totum Epistolæ Theodoreti contextum, causam, & finem scribendi consideret, tum demùm æstimet, & iudicet, an translatio Hardingi falsa sit, (vt Iuellus notauit) inueniet potiùs ni fallor, id quod ipse Iuellus affert [de præeminentia sedendi in Concilijs, & alijs publicis consessibus,] planè falsum esse vtporè in alia falsitate, quæ in Constitutionibus Iustiniani vertendis cernitur, fundatum, quod etiam vniuersum scopum, & intentionem authoris Theodoreti in epistola ad Leonem prorsùs euacuat.

D. Hardingus.

Quid aliud est Ecclesiam Romanam, Ecclesiam principalem, aut primariam appellare (habita nempè ratione Episcopi illius loci, & non aliter, vbi etiam figura dictionis adhibetur) quod Irenæus, & Cyprianus faciunt, & Præsidentem, aut eiusmodi, quæ Orbi terrarum præest, vt S. Leo loquitur: quid aliud est inquam his vti vocibus, quàm Episcopum Romanum caput Ecclesiæ vniuersalis appellare?

Iuellus.

Falsum 123. Leo enim nihil tale habet.

D. Stapletonus.

Hoc quod pro falso notatur facilè euincitur esse verum, eademque opera apertè conuincitur Iuellus. Ecsi promissis stare velit, cogitur subscribere. Leo enim in epist. 84. ad Anastasium Thessalon. expressis verbis Sedem S. Petri caput vniuersalis Ecclesiæ appellat, verba eius hæc sunt. [Ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluit, vt nihil vsquam à suo capite dissideat.] I nunc Iuelle, perfrica memoriam, expiscare si potes alium sensum, & ostende si hæc verba aliud sonant, quàm quod Sedes S. Petri sit caput vniuersalis Ecclesiæ.

Ratio autem, & causa, quare vniuersalis Ecclesia ad Sedem Petri recurrit, hæc est præcipua, vt nihil vsquam à capite suo dissideat, quod si ita se habeat, An non Sedes S. Petri eiusdem Ecclesiæ caput est? si hic locus S. Leonis rem ipsam non satis euincat, alium accipe. Leo post finitum Concilium Chalcedonense ad Theodoretum scribens in epist. 63. hæc habet verba, [quæ nostro priùs ministerio definitrat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodijsse ostenderet, quod priùs â prima omnium Sede firmatum, totius Christiani Orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordent.]

His verbis S. Leo iterùm Ecclesiam Romanam [Orbis Christiani, & vniuersæ fraternitatis in magno Concilio generali Chalcedonensi congregatæ, caput] appellat. Si fortè hoc ipsius Pontificis testimonium in hac causa parui momenti videatur. hoc loco iterùm in memoriam reuoca (candide Lector) ipsius Concilij Chalcedonensis verba, quibus hunc Leonem caput suum appellant Episcopi. Quæ verba à me superiùs Falso 119. allata fuerunt. Sed quia Iuellus, adeò audacter affirmat, Leonem nihil tale habere, quale de vniuersali hac Sedis Romanæ authoritate in hoc Orbe Christiano asseruimus, eccum tertium locum ex eodem S. Leone idipsum apertè asserentem.

Idem in Concione, Leo Serm. 1. in die Nat. Sancti Petri, & Pauli, habita de Vrbe Romana loquens, habec hæc verba: [Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt sis gens sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis, & regia, per sacram Beati Petri Sedem caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs ius imperij tui terra, marique protuleris, minùs tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.]

Hæc S. Leo, quem Iuellus ausus est asserere nihil tale, aut ne verbum illum habere, quod probet Ecclesiam Romanam per Sedem Sancti Petri caput Orbis effectam esse: [& religione diuina quàm dominatione terrena latiùs præsidere.] Et ob hanc eandem causam longè ante Leonis tempora Prosper, de vocatione gentium lib. 2. cap. 16. ait. [Romam per Apostolici Sacerdotij principatum ampliorem factam esse arce Religionis, quàm solio Potestatis.]

Sic ergo, vt vidistis Leo Pontifex, Prosper, Irenæus, Sanctus Cyprianus, & Sanctus Chrysostomus, quos Hardingus allegauit, vnanimiter appellant Sedem Romanam, principalem, siue primariam Ecclesiam, arcem principalioris potestatis, caput Orbis Christiani, & magistram Mundi. Sed Leo apertiùs, & expressiùs reliquis omnibus eam *caput vniuersalis Ecclesiæ* appellat, vt ex verbis illius, quæ ad longum citaui, colligi potest.

Iuellus, vt ad hæc loca respondeat, idem de Sancto Paulo affirmat aie. Qui vna cum Sancto Petro Romæ passus est. In cuius authoritate quis succedere potuit, nisi Episcopus eiusdem loci, qui præter cæteros Apostolos erat vas electionis, quem Leo *consortem gloriæ Petri* appellat, cuius etiam priuilegia, & prærogatiuæ authoritatem Sedis Romanæ corroborant, nollo modo eandem eneruant. Ser. 1. In Natiuit. Petri, & Pauli.

D. Hardingus.

Sanctus Augustinus etiam in alio loco, lib. quæst. vetust. & noui testam. quæst. 75. ait: [Saluator quando pro se, & Petro exsolui iubet, pro omnibus exsoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant, omnes causa magisterij. Ita post Saluatorem in Petro omnes continentur, ipsam enim constituit caput omnium.

Iuellus.

Falsum 124. S. Augustinus testimonium malitiosè falsificat, nam S. Augustinus habet *caput eorum*, non *caput omnium*.

D. Stapletonus.

Fateor vno excepto inter omnia, quæ Iuellus notauit, hoc quod iam taxat, maximam speciem falsi præsefert. Dum tamen hoc malitiosam S. Augustini falsificationem appellet, & peccat contra charitatem, & manifestè falsum ipse profert. Nam quomodò potest hac in re vlla species malitiæ, aut affectatæ falsitatis apparere, vbi ex mutatione quæ fit, nihil commodi, aut lucri causæ accrescit? Integram benigne Lector S. Augustini sententiam considera, & videbis euidenter S. Augustinum asserere, *Petrum caput esse omnium*. In eadem sententia asseris: *Sicut in Saluatore erant omnes, ita in Petro omnes continentur*.

Atque vt hoc probet addit. *Ipsum enim Christus constituit caput eorum*; quorum obsecro caput, nisi omnium ex sensu, & sententia S. Augustinus de omnibus enim loquitur, non de aliquibus, & vt probet omnes in Petro contineri Petrum appellat caput eorum, quorum obsecro? nisi omnium. Cùm ergo ees ipsa vera sit, esto, per errorem verba fortè, nonnihil immutentur, certè voluntaria, & malitiæ adiuncta falsitas nulla committitur, an aliud omninò falsi sese ingesserit nequeo statuere. Nam lapsus calami, & error à falso differt.

D. Har-

D. Hardingus.

Probaui similiter ex multis testimonijs, haud exiguę auctoritatis id quod Iuellus negauit, Episcopum nempè Romanum intra spatium 600. annorum à Christo, *vniuersalem Episcopum* fuisse salutatum, sæpè etiam *caput Ecclesiæ*: non solùm in terminis æquiualentibus, sed etiam expressè.

Iuellus.

Falsum 125. nam excepto Petro isti tituli nondum probantur cuiquam tribui.

D.Stapletonus.

Primò. Sed Petrus erat Episcopus Romanus, vt probauimus. Ergo de his titulis quod prouocatio Iuelli postulabat, probatum est: ergò huic sententiæ Iuellus debet subscribere.

Secundò. Rursùs titulum vniuersalis Episcopi Leoni Episcopo Romano fuisse tributum, tam ex testimonio S. Gregorij,quàm ipsius Concilij Chalcedonensis probatum est, ergo Iuellus debet subscribere.

Tertiò, in testimonium vltimo in loco ex *Victore* allato Ecclesia Romana *omnium Ecclesiarum caput appellatur.*

Si inter omnes Ecclesias, puta simul sumptas, & vniuersalem Ecclesiam, vlla intercedat differentia: aut si Ecclesia Romana vlla alia ratione caput sit, quàm respectu Episcopi sui, hoc tua Iuelle profunda sapientia nos edocere debet. Sin, quod ego pro comperto habeo, nulla possit excogitari tum eccum tibi aliud ex Ecclesia primitiua exemplum, nam historia **quam Victor** conscripsit res complectitur, quæ circa annum ab incarnatione quingentesimum, & paulò post mortem S. Augustini acciderunt: in qua historia Episcopus Romanus *caput vniuersalis Ecclesiæ* nominatur. Atque ita tandem hic alius titulus alteri Episcopo Romano præter Petrum attribui probatur.Ergo Iuellus debet subscribere.

Quartò, Damasus, vt priùs ostendi, à S. Ambrosio Rector domus Dei; de qua Apostolus Paulus loquitur, nuncupatur: Quod perindè est, ac si eum caput vniuersalis Ecclesiæ nominasset. Rursùs ergo Iuellus, aut fateri debet meras se nugas egisse, dum pronocationem ad crucem D. Pauli tanta ostentatione efsutiret, aut fidem suam liberam, ingenuè, & vt virum probum decet, subscribere.

Quintò, Leo Episcopus Romanus ab vniuerso ConcilioChalcedonensi act.3.caput Ecclesiæ vniuersalis nuncupatus erat, dum Patres in illo Concilio congregati, qui tum vniuersalis Ecclesiæ personam repræsentabant, eundem *caput suum* nuncupabant. Leo ep.63.ad Theod. De se ipsis in literis suis ad eundem ita scripserunt; *quibus tu quasi caput membris præeras.* Et in eodem Concilio act. 4. 6. & 8. sæpè appellatur Papa, & *Episcopus vniuersalis Ecclesiæ*: Ergo auctoritate Concilij Chalced. Papam caput suum agnoscentis victus, & conuictus, debes subscribere.

Sextò, Iustinianus. Cod.de sum.Trin. & fid. cath. tit. 1. Ioannem Secundum tunc temporisRomanum Episcopum *caput omnium sanctarum Ecclesiarum appellat.*

Eccum alium Episcopum Romanu præter S. Petrum eodem nomine insignitum, ergo iam tandem debes subscribere.

Septimò, doctissimus Leo confitetur: *vniuersalis Ecclesiæ curam ad Petri Sedem confluere, vt nihil vsquam à capite suo dissideat.*

Gregorius in lib. 2. ep. 54. similiter Sedem Apostolicam Romanam *caput omnium Ecclesiarum* appellat.

Octauò, propter Sedem Petri Pastoralis honoris caput appellat, vt in secunda editione responsionis, quam Hardingus contra Iuelli prouocationem edidit, allegatur. Caput pastoralis honoris, quid aliud, quàm caput omnium Pastorum in Ecclesia Dei denotat.

Athanasius in Epistola sua ad Marcum Pontificem, quam Epistolam Iuellus frustra conatus est refutare, Sedem Romanam Matrem appellat,& caput omnium Ecclesiarum.

Certè caput omnium Ecclesiarum, & caput vniuersalis Ecclesię si sonum verborum spectes, differunt, sed re ipsa eadem sunt: his ergo testimonijs tot numero, & tam euidentibus inter temporum limites à te præscriptos, si prouocatio tua adhuc tibi probetur assensum præbe, & intrepidè subscribe.

Has posteriores probationes quas Hardingus in secunda editione replicationis suæ protulit, placuit Iuello prorsus dissimulare. Contra testimonium Victoris sic replicat.

Iuellus.

Quod ad Victorem attinet, eius testimonium auctoritatem non habet, aut Scripturæ sacræ, aut alicuius Conc. aut Doctoris Ecclesiæ: nec describit ordinem, & praxim primitiuæ Ecclesiæ.

D. Stapletonus.

Hæc vltima sententiæ pars manifestè falsa est, eo solummodò fine adinuenta, vt incommodum quoddam subterfugiat, id est, ne subscribat, & veritatem, vt par est agnoscat: Nam si historia Victoris aliquas res gestas in Ecclesia primitiua contineat, tum testimonium ex eodem Victore allatum in quo Ecclesia Romana *caput omnium Ecclesiarum* appellatur, esset sine dubio exemplum quoddam contra Iuelli prouocationem, vtpotè è primitiua Ecclesia petitum,atque ita Iuellus, nisi apertè velit præuaricari cogeretur subscribere. Vt hoc incommodum declinaret, visum est ei tutissimum vim huius testimonij auctorem extenuando eludere, quia scilicet praxim Ecclesiæ primitiuæ non contineat: sed siste te paulùlum Iuelle, haud ita effugies.

Nec enim ita abuti lectoribus fas est. Nam cùm in prouocatione tua postules aliquod testimonium; *vnum saltem exemplum è primitiua Ecclesia.* Ita postea te explicas, vt primitiuæ Ecclesiæ notionem ad annos 600. à Christo extendas intra limites sexcentorum annorum omnia exempla admittens.

Iam verò Victor scribit historiam temporum suorum praxim continentem, historiam nempè de persecutione Vandalica ab Arianis hæreticis inflicta, quæ immediatè post mortem S. Augustini contigit, vt in vita illius à Possidonio conscripta videre est. Nam superstite adhuc S. Augustino, & in lecto decumbente Vandali ciuitatem Hypponensem, cuius ipse Episcopus erat obsidione cinxerunt, Episcopus autem, haud ita multò post nempè anno Domini 400. è viuis migrauit. Ergo Victor scripsit historiam res gestas continentem intra limites Ecclesiæ primitiuę, quibus ipse Ecclesiam primitiuam delineauit, vt in ro.1.ope. Aug. Ergo exemplum ex Victore allatum ad ea pertinet tempora.

Et Iuellus non nisi malitiosè, & improbè illud negat, quia, quod virum probum decet, subscribere nondum apud se statuit.

Iuellus.

Nec satis constat qualem mereatur fidem, aut quando vixerit.

D. Stapletonus.

Vbi sese offert occasio ab omnibus doctis allegatur, solus Iuellus de fide illius dubitat. Nec sine causa, nempè quia contra eum faciat. Quod non satis constat, quo vixerit tempore parum hoc refert. Nam & idem de multis probatis auctoribus ignoratur: qui tamen apud doctos non paruam fidem promeriti sunt.

D. Stapletonus.

Nec Episcopum Romanum caput vniuersalis Ecclesiæ appellat, solùm ait: *Roma est primaria, aut caput omnium Ecclesiarum*, quod ex nostra parte non negatur.

D. Stapletonus.

Videte obsecro: vt dictum Eugenij pij Episcopi Charthaginensis extenuaret, quomodo Iuellus illud immutauit, & verba illius apertè falsauit. Nam Eugenius iste Præsul Catholicus coram Obado duce, qui sub Hunnerico Ariano Rege Vandalorum, stipendia meruit, in ius vocatus, vocauit Ecclesiam Romanam, Episcopum Romanum intelligens, *caput omnium Ecclesiarum*. Non dicit, *The head I he head Churche of all' others*, sed caput omnium Ecclesiarum. Inter hæc duo multum interest, vt exemplo constabit, verbi gratia Ecclesia Cantuariensis est aliarum omnium, *The head Churche*, idest Ecclesia præcipua, aut principalis respectu totius Angliæ: Nulla enim Ecclesia æqualem habet iurisdictionis ambitum; nihilominùs Ecclesia Cantuariensis non est caput omnium Ecclesiarum in Anglia, nam præter multas Ecclesias particulares, quæ ab eiusdem iurisdictione exemptæ sunt, etiam intra ipsam Cantuariensem Prouinciam, Archiepiscopus Eboracensis cum tota Prouincia eidem subiecta Ecclesiæ Cantuariensis nequaquam subijcitur. Vt finem faciam animaduertite quomodo pro legitima, & iusta replica, contra authentica, & probata testimonia, fidem auctorum eleuat, verba contextus immutat, tempora in quibus hæc scripta erant, mendosè computat, & multifaria accumulans falsa veritatem obruere se posse sperat, studioso lectore miserè abutendo, & populum Dei cupientem instrui perfidiosè decipiendo: Deus optimus maximus animo tuo Iuelle studium veri, & gratiam, quæ falsa retractes, & corrigas, instillet.

Conclusio.

Hæc ergo Christiane Lector, ex amore veritatis, & zelo honoris diuini elaboraui, vt notas falsitatis, & mendacij quibus Iuellus in peiore parte replicæ suæ per tres priores articulos Hardingum aspersit, eluerem: falsa Hardingo obiecta ad numerum creuere 125. quæ omnia vno excepto in ipsum Iuellum regressi, & in omnibus ex parte illius admissum, esse falsum, imò plerumque calumniæ admixtum euidenter ostendi. Tandem quam pleuè in hoc quarto articulo Iuello responderim ex conclusione, quam ipse opponit statim elucebit: ad finem articuli sic concludit.

Iuellus.

Iam tandem, vt omnia, quæ in hoc articulo continentur, succinctè considerationi vestræ subijciam: Primò, Hardingus de industria eiusmodi attulit testimonia sub nomine Anacleti, Athanasij, & aliorum sanctorum Patrum, quæ ipse satis nouit supposita, & ficta esse, & quæ per manifestas absurditates, & apertas contradictiones sese satis produnt, & omni colore, ac specie veri destituuntur.

D. Stapletonus.

Epistola S. Athanasij ad Marcum, cui Iuellus absurda, & contradictiones imputat in responsione mea defenditur, & ab ijs quæ obijciuntur, immunis ostenditur. Testimonium Anacleti art. 4. fol. 26. & seq. ab ipso Hardingo defenditur in confutatione primi articuli Iuelli. Reliqui Patres quos somniat Iuellus carent nomine, & ita ab onere respondendi liber sum.

Iuellus.

Ad confirmationem causæ suæ, trahit Canones Concilij Nicœni, & Chalcedonensis, 556. cùm tamen ipse satis intelligat, eiusmodi Canones, nec vspiam extare hoc tempore, nec vllibi vnquam repertos fuisse.

D. Stapletonus.

Canones Concilij Nicęni à D. Hardingo citati mille abhinc annis à Summis Pontificibus Iulio, & Zozimo citati erant, & authoritas eorum contrà omnia argumenta, quibus Iuellus Pontificem falsarium esse conatur ostendere, sufficienter asseritur. Quod ad canones Concilij Chalcedonensis attinet: Iuellus Hardingum rotundè mentitur, nullos enim citauit.

Iuellus.

Iuellus.

Verba S. Gregorij detruncauit, & contrà propriam scientiam mutilauit, vt commodiùs lectorem falleret.

D. Stapletonus.

Fusè ostendi sententiam S.Gregorij non fuisse mutilatam, aut detruncatam, sed plenè, & perfectè allatam. Quod sequitur in contextu S. Gregorij, non pertinebat ad rem quam in manibus habebat, propterea non potest dici omitti, aut amputari: Et ea sententia, quam Iuellus ait de industria, & malitiosè ab Hardingo quasi è medio orationis amputatam esse, eam partem, quæ ab Hardingo allegatur, immediatè sequitur, non autem fuit in medio eiusdem sententiæ, vt Iuellus tam in loco, quàm alibi plusquam impudentèr mentitus est.

Iuellus.

Antiquos Patres, Irenæum, Cyprianum, Ambrosium, Cyrillum, Augustinum, Theodoretum, Hieronymum, & alios violentèr torquet, & contrà mentem, & sententiam suam pronunciare facit.

D. Stapletonus.

Iuellus subnotauit falsa ex tribus tantùm Patribus ab Hardingo mendosè, vt ait, allegatis, Cypriano, Theodoreto, & Sancto Augustino, sed in his omnibus candidè, & sincerè egisse eundem superiùs probatum est. Si alij etiam Patres adeò malè multati sint, quidni priùs accusationem instituebat? quidni illa etiam falsa iudicabat? Ecquis in animum inducere potest, vt credat Iuellum, qui curiosiùs multò, quàm veriùs tot subnotauit falsa (omnia enim ferè mendacissimè retulit) adhuc habere plura, quæ præ amore, & animi erga nos propensione placuit omittere? Tum certè nequeo non exclamare. O miserum, & infœlicem Iuellum, qui tot, tamque studiosè pro falsis se legit, nec vllum adhuc, adeò infœliciter dimicatum est, falsitatis verè arguere potuit. An potiùs, aliquid prudentiæ suæ vt tribuamus, existimandum est, optima eum, & falsò simillima sublegisse, & si plura notasset iacturæ amplius, & infortunij eidem impendere verisimillimum esse? Hanc ergo ambitiosam nominum nudam accumulationem (nudam appello, quia omni colore probationis destituta est) vt meram calumniam relinquo.

Iuellus.

Quod attinet ad appellationes, totius Orientis gubernationem, excommunicationes, ordinationum approbationes, Conciliorum confirmationes, Episcoporum restitutiones, & reconciliationes: vniuersum ordinem, & praxim Ecclesiæ apertè mentitus est.

D. Stapletonus.

Appellationes à præcipuis Orbis Christiani Patriarchis ad Sedem Romanam fuisse delatas: Episcopos Orientis Pontifici Romano fuisse subiectos: Summum Pontificem reliquorum Episcoporum ordinationem approbasse, Concilia confirmasse: Alios Episcopos, & Patriarchas Orientis Sedi Romanæ fuisse reconciliatos, fusè satis in superioribus probatum fuit, & tota Iuelli replica, quæ in his rebus occupata est ad longum, & pars post partem refutata est. Quod attinet ad excommunicationes, & restitutiones Episcoporum, si quid falsi in ijs periudè, ac in cæteris Iuellius subnotasset, eæ etiam quæstiones similitèr exagitatæ fuissent, sed in illis quæstionibus D. Hardingus adeò sincerè, vt videtur, & candidè sese gessit, vt quod conserperet in ijs, nihil reperiret, etsi, ne nihil videatur dixisse, D. Hardingum praxim Ecclesiæ minùs fidelitèr retulisse iactabundus oblaterat: Certè plusquam mirum est, quod cùm Iuellus reliqua omnia, quæ pro falsis habet, adeò curiosè, & rigidè computet, hac vna in re ne vmbram quidem falsi deprehenderc, & notare dignatus sit.

Iuellus.

Omnia cùm fecerit: licèt multum sudauerit, neutrum splendidissimorum titulorum, quos diligenter quæsiuit, & ostendere pollicitus est, adhuc præstitit.

D. Stapletonus.

Vtrumque titulum D. Hardingus inuenit, & probauit, alter in Concilio Chalcedonensi, & in quatuor distinctis supplicationibus quater exprimitur, paritèrque à Sancto Gregorio palam agnoscitur. Alter titulus in Victore reperitur, Iustiniano, Prospero, Athanasio, & in Concilio similiter Chalcedonensi: sed hæc omnia negare Iuellus debet, quid ita? Quia vt subscribat, sibi ipsi persuadere non potest: Sic enim concludit, & huic articulo finem imponit.

Iuellus.

Quare vt concludam, debeo subscribere, & rescribere quod scripsi priùs, quod licèt D. Hardingus multum laborauerit, licèt cum amicis habito Concilio quicquid potuit præstiterit: hactenùs tamen reperire non potest, aut in Scripturis, aut in Concilijs antiquis, aut in vllo antiquo Patre Catholico Episcopum Romanum intrà spatium 600. à Christo annorum, aut vniuersalem Episcopum, aut caput vniuersalis Ecclesiæ fuisse nuncupatum.

D. Stapletonus.

Hoc demum hæresis habet, hic genuinus hæreseos fructus. *Hæreticus*, inquit Apostolus, *suo iudicio condemnatus est*: Ipse Iuellus rectè nouit Leonem in Concilio Chalcedonensi in quatuor distinctis libellis vniuersalem

lem Episcopum nominatum fuisse. Ipse inquam rectè nouit, ipse enim nuper asseruit: *Verum est quod Hardingus dixit: Leonem in illo Concilio Chalcedonensi ita nominatum fuisse. Loca satis nota sunt, & negari non possunt:* Nihilominùs iam, vt videris, rursùs negat aliquid eiusmodi ostensum esse, aut eo titulo vnquam nominatum fuisse. An non iste suo ipsius iudicio condemnatur? Rursùs negari non potest, & ipse Iuellus bene nouit, Eugenium Episcopum Carthaginensem Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum appellasse: & Anglicè rectè dicitur: *Head of the vniuersal Churche*, idest caput vniuersalis Ecclesiæ, vt Victor in historia sua lib. 12. de Pers. vanit. habet, ipsum testimonium nullo modo negare potuit: quare in replica sua ad illud respondens: primò verba authoris nonnihil immutat, tum historiæ authoritatem eleuare conatur, vt priùs dixi, & cùm nihil nisi mentiendo, & cauillando in contrarium afferre poterit, eò tandem labitur, vt apertè neget tale aliquid vnquam allatum esse. Et quid est obsecro si hoc non sit suo ipsius iudicio condemnari? Etsi Iuel. non sit, quis vnquam mortalium suo ipsius iudicio condemnatus fuit? Cum ergo in hac nostra replica, & mendaciorum tuorum refutatione hęc omnia fusè explicem, & vehementiùs vrgeam, premi te plurimum Iuelle omnes facilè vident: & licèt facetè dicas te subscribere, & rescribere, idest, quod priùs dixeras iterùm scribere. Spero tamen quàm primum ad te ipsum redeas, velle te seriò manus dare, & re vera subscribere, aut si sensu tuo faceto rescribas, idest, iterum te ad scribendum accingas, honestiùs te ipsum liberare, & expedire. Quicquid egeris falsitates tuæ notoriæ, & inexcusabiles sunt, faxit Deus, vt eas ingenuè agnoscas, & ab ijs post hac diligentèr caueas.



THOMÆ



THOMÆ VVALDENSIS ANGLICI

Carmelitæ Theologi præstantissimi,

Doctrinale Antiquitatum fidei Ecclesiæ Catholicæ.

TOMVS PRIMVS.

DE DEO CHRISTO, Petro, Ecclesia, &c.

Thomas Vvaldensis ab oppido Natalitio cognomen istud accepit, alioquin à familia progenitorum Netterus ei cognomentum fuerat, Ioanne, & Methilda parentibus in Anglia natus Londini fratrem Carmelitarum institutum amplexus est, & sub Sancta illa disciplina regulari iugum Domini didicit ab adolescentia portare. Facta debito tempore professione solemni illud studium ità fęliciter cucurrit, vt iuxtà Prophetæ vaticinium Carmelum reddiderit paradisum Domini. Positis intra priuatos Monasterij parietes solidæ Doctrinæ primis fundamentis ad sublimiora capessenda missus est Oxoniam, vbi ità Musas coluit, & adeò neruosam industriam ad acumen ingenij adiunxit, & absoluto discendi cursu docendi potestatem tum in Philosophia, tum in Theologia acceperit, & insignia supremi Magisterij communi senatus Academici suffragio solemniter collata cum honore gestauerit. Sed non solùm priuata studia optimè gessit; sed homo vtilitati publicæ natus super candelabrum poni debuit, vt regibus ipsis, & populis, & Patribus Ecclesiæ Catholicæ affulgeret. Anno Domini 1410. ab Angliæ Rege Henrico IV. missus perhonorifica legatione functus est ad Concilium Pisanum, quod de tollendo schismate, & de vnitate Ecclesiæ reddenda sub Alexandro Papa Quinto conuocatum erat. Ibi exposita primùm aduentus sui causa coràm Summo Pontifice, Cœsare, totoque Concilio perorauit, disputauit, de pace, & concordia ineunda conciones habuit, & multum ad vnionem Ecclesiasticam conciliandam laborauit, multum etiam effecit. Admirandum hominis ingenium, & multiplicem doctrinam plerique mirabantur, inimici etiam commendabant; erat enim optimis quibusque naturæ dotibus imbutus, & omni genere Diuinarum, humanarumque disciplinarum insigniter instructus, Græcæ etiam, & Hebraicæ linguæ valdè peritus, Philosophus acutus, Concionator præcellens, quæ volebat apud Auditores plerumque efficiebat. Porrò reuersus in Angliam Ordinis sui in Patria factus est Prouincialis vigesimus tertius, quod munus ad quadriennium, prudenter, fideliter, sollicitèque administrauit. Cumque iàm dedisset magnum specimen sui in grauibus negotijs tractandis consilij in dirigendis prudentiæ, in expediendis dexteritatis Rex, Henricus Quintus eum sibi adiunxit, vt esset in ijs, quæ rempublicam concernebant intimus

mus à consilijs, & in ijs, quæ ad moderamen suæ conscientiæ spectabant à confessionum secretis. Et quoniam erat vir inuicti, & implacabilis Spiritus in hæreticos anno Domini 1415. ab eodem Rege missus est ad Concilium Constantiense, quod habitum est præcipuè contrà Hussitas, aduersùs quorum errores iam multum laborauerat. Nam quoscumque deprehendit à regia Catholicæ fidei via deflectentes hos vel conuertendos, vel penitùs euertendos, & nulla ratione ferendos iudicauit. In his refutandis strenuam semper operam nauauit, contra hos pœnè quotidie disputauit, conciones frequentes habuit, multos etiam libros scripsit. Alijs etiam doctis viris suasit contra tales nocte, dieque docendum, disputandum, concionandum, declamandum, scribendum, vt vel tandem resipiscerent, vel nullam quietis horam agnoscerent, & si minus ratione flecti nollent, importunitate saltem cogi ad veritatem cognoscendam possent. Anno Domini 1419. missus est Orator ad Vladislaum Poloniæ Regem, & Michaelem in Prussia Magistrum Equitum Ordinis Teutonici Generalem pro componendo inter eos pace. In qua legatione Viennam transiuit, vbi multa ab Hebræis se didicisse testatur, quæ ad Sacramenrum pœnitentiæ, & confessionem auricularem confirmandam spectant. Multa in illo itinere Apostolici viri officia, & excellentissimi Theologi in varijs occasionibus oblata piè, & sapientèr præstitit. Tribus Angliæ Regibus percharus extitit, Henricis videlicèt Quarto, Quinto, & Sexto. Ex quibus Henricus Quintus in sinu eius animam afflauit, cui viuens semper animæ statum commiserat. In magna etiam gratia fuit apud Henricum Sextum Quinti filium, eique adhuc penè puero fuit à Sacris confessionibus. Pro cuius posteà coronatione solemni Parisijs peragenda missus in Galliam Rotomagi diem clausit extremum. Vnum hic ex Lelandi Cathalogo adnotare operæ pretium erit, quod videlicèt tot selectissimorum Auctorum libros pulcherrimè literis Romanis descriptos Carmelitarum Bibliothecę reliquerit, quot illo tempore duobus ad minimum aureorum millibus æstimabantur. Sed proh dolor, hos, & alios literarios thesauros hæresis inimica veritatis disperdidit, & antiquitatis capitalis hostis collectos magno sudore Auctores paruo tempore diuisit. Notissimus etiam fuit Summis Pontificibus, Martinus enim Quintus, cui & dedicauerat, & subiecerat opera sua contrà Vuiclephistas misit breue approbationis, & laudis; quod tamen Auctor noluit imprimi suis primis operibus, & quoad potuit, celauit. Scripsit quamplurimos libros, ex quibus non modo magnam vtilitatis, sed & gloriæ messem collegit. Edidit autem inter alia exactissimum opus contrà Vuiclephistas, Hussitas, & omnes sui temporis hæreticos. Cui titulum fecit Doctrinale antiquitatum Catholicæ fidei, quod Romam misit ad Martinum Papam V. vt à Sede Apostolica examinaretur, approbaretur, atque examinatum, & approbatum maiore cum auctoritate prodiret in lucem vti factum est. Vniuersum Opus quatuor tomos continuit, sed quartus adhuc non fuerat absolutus, quando tres primi approbati in publicum emanarunt. De quarto, (quem dubium est perijsse) scribit ipse in quadam epistola ad dictum Martinum Papam, quod agat de ieiunijs, indulgentijs iuribus, & immunitatibus Ecclesiasticis, de fide quoque, & perfidia tres priores tomi excussi sunt Parisijs in Gallia, Salmanticæ in Hispania, & tandem annò Domini 1571. Venetijs in Italia apud Vincentium Valgrisium. Et omnia eius scripta inueniri dicuntur Oxonij in noua Bibliotheca publica partim MM. SS. partim Venetijs impressa. Sunt autem opera infrascripta. In Genesim librum vnum. In Exodum librum vnum. In Leuiticum librum vnum. In Sapientiam librum vnum. In Epistolam D. Pauli ad Romanos librum vnum. In Acta Apostolorum librum vnum. In primam S. Petri Canonicam librum vnum. In Magistrum sententiarum libri quatuor. Quæstiones ordinarias liber vnus. Lecturas ordinarias librum vnum. Determinationes librum vnum. De Veritate Euangelica librum vnum. Doctrinalis tomi primi libros quatuor. De Sacramentis Ecclesiæ contrà Vuiclephum tomus secundus, & liber vnus. Doctrinis varijs, & peregrinis M. S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. De Sacramentalibus tomus tertius liber vnus. De Indulgentijs, ieiunijs, &c. tomus quartus. Et hoc totum doctrinale, vti & pleraque contrà Vuiclephum, eiusque sectatores habentur MM. SS. Oxonij in publico, & in Collegio Merton. Cantabrigiæ in publico, & in Collegio S. Benedicti, item in priuata Baronis de Lumleio De Corpore Christi librum vnum. Dialogos de fide libros septem. De paupertate Christi librum vnum. De præscientia, & prædestinatione librum vnum. De-

fen-

fensorium pacis libros duos. Sermones coram Rege librum vnum. Sermones ad Clerum Oxonienfem librum vnum. Sermones in funere Regis librum vnum. De Diuinatione ad Principes librum vnum. De Religione perfectorum librum vnum. Fasciculum zizaniorum Vuiclephi librum vnum. Responsa in Concilio Pisano librum vnum. Coram Sigismundo Cœsare Orationes librum vnum. Ad Concilium Constantiense librum vnum. Epistolarum centum sexaginta quatuor librum vnum. Collationes solemnes librum vnum. Propositiones ad Principes librum vnum. Grauamiua fratrum contrà Oxonienses librum vnum. In remediarium conuersorium librum vnum. De re Grammatica librum vnum. Summulas Logicales librum vnum. Sophismatum Strophas librum vnum. De Prædicabilibus librum vnum. De decem prædicamentis libros tres. Introductiones naturalium librum vnum. Quæstiones naturalium librum vnum. In Physicam Aristotelis libros octo. In eiusdem libros de cœlo, & mundo libros quatuor. De generatione, & corruptione libros vnus. In Meteora libros quatuor. In libros de anima libros quatuor. Quæstiones de anima librum vnum. In eius Metaphysicam libros duodecim. In eius Ethica libros decem. Lecturas, Epistolas, Ambasiata, & alia plura opuscula. Rotomagi tandem in Neustria obijt in Domino, & ibidem in Ordinis sui Monasterio sepultus dicitur tertio die Nouembris anno 1430. dum in Anglia simul, & Gallia rerum potiretur Henricus VI. & Vualdensis non solùm ponitur inter illustres Angliæ Scriptores, sed inter eiusdem viros Apostolicos. Laudant eum doctissimi Auctores; Andreas Vega Ordinis S. Francisci de obseruantia Doctor Salmanticus in opusculis suis de iustificatione quarta vocat eum insignem Vuicleffi impugnatorem, & vberrimum, fontem ex quo hauserunt bonam argumentationum suarum partem poenè omnes, qui contrà sectam Lutheranam scripserunt. Similia scribunt Alij Trithemius Abbas in suo Scriptorum Ecclesiasticorum Cathalogo, Sixtus Senensis in sua Bibliotheca, & Nicolaus Aurificus Carmelita Senensis in eius vita. Alphonsus à Castro testatur ità eum omnes errores Vuiclephi impugnasse, ità fidem Orthodoxam defendisse, vt ex multis, qui in vtroque laborauerunt, nemo vberiùs, & neruosiùs, solidiùs vtrumque præstiterit. Raphael Volateranus in libro vigesimo primo suæ anthropologiæ de Ordine Carmelitarum disserens, quod ad eruditionem spectat, numerat inter doctissimos. Ioannes Baptista Rubeus Rauennas Doctor Theologus, & Ordinis Carmelitarum Generalis scribit vnam, & alteram epistolam, quæ in quibusdam editionibus primo tomo doctrinalis Vualdensis præfiguntur, maximè in editione Veneta in quibus epistolis Doctrinam, & pietatem Thomæ summoperè laudat, Ordinis Fratribus commendat, eumque tamquam virtutum omnium exemplar omnibus ad imitandum proponit, & innumeri alij eius elogia aceumulant. Extat eius vita scripta à Nicolao Aurifico Carmelita Senensi, & plura dicit Ioannes Pitseus Anglus S. Theologiæ Doctor in primo tomo Relationum Historicarum de Rebus Anglicis. Cum autem Vuiclephus inter varios errores, & articulos hæreticos enumeratos in Constantiensi habuerit errorem circa Primatum Petri, & circa successionem Romani Pontificis in primatu Ecclesiastico, ideò Vualdensis contrà ipsum scribit, & validè eum confutat, quæ capita in nostra Bibliotheca Pontificia collocamus.

PROLOGVS EIVSDEM

In secundum librum, qui est de corpore Christi, quod est Ecclesia, & de membris eius varijs.



TV es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. Ad Tit. 3. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris æterni, quando migraturus à sæculo sicut Ioannem cap. 19. catum suum gloriosæ Matri Virgini voluit commendare tutorem, Ita sponsæ suæ Ecclesiæ fidissimum Petrum curatorem exhibuit. Benè duobus primis inter Apostolos duo prima subiungens pietatis officia illi Matrem Virginem, huic sponsam virginem deputauit in curam; gratus in vtrumque Iesus Christus filius, atque sponsus. At vt vberiora viderentur gratitudinis fœdera, & curatorum ad commendatitias suas iunctura cognatorum, tàm secundùm personam, quàm vocabulum, seipsum transtulit in vtrumque. De primo dicens Matri, Mulier, ecce filius tuus: & accepit eam discipulus in suam. De secundo eidem principi, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Petra autem erat Christus; & matris filius erat Christus. Filius ergo Ioannes erat Christus; & petra Christus Petrus, Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram, non super arenam fugacem, & tremulam, sed super firmam petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 7. quæ cum venti hæreticorum perflauerint, & irruerint in domum illam, non cadit: quia fundata est super firmam petram. Ambrosius de Petro dicit, lib. de incarnatione Verbi cap. 4. tom. 2. in fine. & cap. 5. in principio. Hic est, inquit, Petrus, qui respondit pro cæteris Apostolis, immò præ cæteris, & ideò fundamentum dicitur; quia nouit non solùm proprium, sed & commune seruare. Huic astipulatus Christus, reuelauit, inquit, tibi Pater. Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est; quia portæ mortis ei non præualebunt. Hæc Ambrosius. Ita est, quod portæ mortis fidei Petri præualere non possunt; flumina enim sunt, sed Petrus fundatur in petra; sed & hæreticorum venti cum flauerint, blasphemando, plus petram solidant, quàm confundant. Venti enim illorum per portas inferorum aspirant; sed portæ inferi non præualebunt. Hieronymus in comment. Matth. 16. libro suo secundo, tom. 9. Ego, inquit, portas inferi vitia reor, atque peccata; vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducantur ad tartara. Hæc ille. O Christe Iesu, quis vmquam portas contigit inferorum, & horrendæ doctrinæ Witcleff blasphemias non gustauit? Quis sic draco flumina scandalorum post pennatam mulierem euomebat Ecclesiam? Legite Christi Sacerdotes, qui mihi non creditis, vos ipsi legite in libris eius, Antichristianos Papas, Pseudo-cardinales, Cæsareos clericos, Pontifices, & Prælatos, filios diaboli, & diabolos incarnatos, diabolos laruatos, diabolos non domesticandos in filios. Legite in libris Witcleff mendacia fratrum, & necromantica monachorum. Legite ibi petulcos clericos, & lasciuos, armigeros, Luciferinas fraudes; & instinctus diaboli, glomerationes, & fœdera, merdàs, & stercora. Breuitèr nusquam legetis Gentilis, & Sarrazeni, vel fabulantis Iudæi, Talmud, aut alicuius execrabilis scriptoris volumina cum tanta nausea, horrore, vel cholera; quæ ideò quantum Christianæ benignitati repugnant, quis fidelis ignorat? Sed ideò noui in petra domum tuam fundari Domine Iesu, vt patiens sit doloris. Et re vera quilibet fidelis, & constans de domo tua dicit ad te. Psal. 26. Dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me. Anxietas est manere constanter in petra in Ecclesia: sed palea ventilata granum exaltatur cum gloria. Anxietatis autem nostræ, & disputationis assiduæ pro Christi membris, & Ecclesia, capitula quamplurima subsequentur præsumpti textus secundùm verba ordine conseruato.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Deo Christo, Petro Ecclesia, &c.

CAPVT PRIMVM.

Quod Petrus Apostolus fuit omnium Apostolorum Princeps, & Caput Ecclesiæ.

SVMMA.

1 *Instar Herodis, Witcleff Ecclesiam decollare est conatus.*
2 *Idem etiam asserebat dissensionem fuisse inter Doctores sui temporis de Petri primatu.*
3 *Si D. Aug. timuit vocare Christum hominem Deum, cum hoc non sit manifestum ex Scripturis, multò magis metuendum est asserere hominem aliquem esse Ecclesiæ militantis caput: dict. Witcleff.*
4 *Ex verbis Christi probatur Primatus Petri.*
5 *Quòd in Petro figurabatur Ecclesia, & vtrumque genus fidelium, firmi scilicet, & infirmi.*
6 *Petrus non dicitur Apostolorum primus primitate vocationis, sed auctoritate prælationis.*
7 *Petrus non est Apostolorum Princeps senectute, sed potestate.*
8 *Petri præfecturam probari posse Scripturæ testimonio, negabat Witcleff.*
9 *Confutatur hæc falsa positio, probaturque Ecclesiæ veritas.*
10 *Reducitur Witcleff. ad contradictionem.*



Beatissimi principis Apostolorum Petri cum intercessione cōmunis Ecclesiæ conemur laxare cathenas, & vice Christi capiti nostro vices reddamus secundi huius libelli post Christum ipsi dedicantes exordium. Huius namq; sæculi Herodes Wit-
1 cleff cùm occidisset Iacobum, Act. 12. totum scilicet cœtum Paparum supplantantium hæreses exurgentes, videns quia placeret Iudæis, confessoribus sectæ suæ, proposuit apprehendere, & Petrum. Rectè verò, vt sicut primus Herodes tot occidit Innocentes, vt tandem veniat ad Christum: ita secundus Herodes Iacobum percutit, vt tandem Vicarium Christi proscribat.

Porrò iam tertius Herodes Witcleff omnem cœtum Paparum exterminat, vt tandem recta linea Petrum decollet: sed quid est decollat, si Petrus illæ sus currit à carcere? quia non vitat reatum, qui totum complet conatum. Sed quid interest si Petrum non decollet, qui eum rationem capitis habere non finit, sed abnegat, & non Petrum solum, sed totam istam decollat Ecclesiam? Quod dicit hoc in libello suo de Christo, & Antichristo cap. 5.

Witcleff. Incipiendo à radice, supponendum est vt fides, quòd Christus fuit caput istius Ecclesiæ, vt sæpe dicit Ephes. 1.
2 Apostolus, sed de primatu Apostolorum est apud modernos dissensio.

Primò tamen videndum est vtrum fundari posset in fide Scripturę, quòd Christus fuit caput Ecclesiæ: & videtur quòd non. Decursis autem motiuis, quæ soluentur in posterum, tandem definiendo
3 concludit. Si ergo Augustinus timuit vocare Christum hominem Deum, ex hoc quòd eius sensus non est patulus ex Scriptura: quantò magis timendum est vocare Christianum aliquem caput Ecclesiæ, ne fortè blasphemetur in Christum, cum hoc nomen ex Trinitatis consilio, tanquam illi proprium est seruatum? Videtur autem modernos philosophos philocaptos esse frontosos ex hæretica cæcitate: quia ponunt Petrum, & Papas generaliter (quorum quosdam verisimile est esse diabolos) esse caput Ecclesię totius militantis, imò precipiendo Angelis esse caput Ecclesiæ triumphantis. Hæc Witcleff.
4 Auct. Audio istum primò de primatu Petri, vt videtur, ęgrè ferre, sed seruemus ordinem Christi, & ex confessione eius primatia, primatum Petri discamus. Ego, inquit, dico tibi, quia tu es Petrus: & quid hoc? est ne aliquid magni pretij esse Petrum? Remunerasti ne Domine Iesu Petrum confitentem nudo vocabulo te filium Dei, & primò omnium Apostolorum te totum sinceriter profitentem? Et existimant aliter oues Petri, oues singulæ gregis tui: scilicet, vt suprà omnes Coapostolos primus à petra primatum teneat in congregatione, qui primus fuit in cognitione. August. tom. 10. namque dicit inde verbis Domini secundùm Mattheum sermone 13. Tu es, inquies, Petrus, & super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti, dicens, Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Sequitur. Ideo ergo Petrus à petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens, continuò pòst paululum, audito iam quod beatus esset, iam audito quòd Petrus esset, iam audito quòd suprà petram ędificatus esset: postquam audiuit futuram Domini pas-

fionem, expauit. Et benè infrà. In illo ergo vno Apostolo, id est Petro in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo
5 figurabatur Ecclesia vtrumq; genus significandum fuit, id est firmi, & infirmi,quia sine vtroque non est Ecclesia. Hæc August.

Auct. Iam andisti de primatu Petri, vt cognominatus à petra, Petrus eo ipso claruit principatu Apostolatus, eo ipso in
6 ordine Apostolorum primus, non quidem tempore quem Andreas frater eius præcessit vocatione: non ergo primus, nisi auctoritatis prælatione primus: quod etiam manifestauit, quòd appellatur Princeps. Sic enim sancti Patres Ecclesiæ singulos Apostolos Ecclesiarum Principes: solum autem Petrum principem Apostolorum, vel Prælatum appellant. Hæc ille.

Vndè Hieron. tom. 1. libro de viris illustribus, cap. 1. Simon Petrus filius Ionæ, prouinciæ Galilææ, vnico Bethsaida, princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ per 7. annos, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Asia, Cappadocia, & Bythinia, secundo anno Claudij Neronis ad expugnādum Simonem Magum pergit Romam. Hęc ille.

Chrysost. tom. 5. lib. 2. Dialogorum, cap. 1. alloquens Basilium dicit, Ito nunc, & ambigito vtrum te benè seductum debeas arbitrari, qui constituendus es super omnia bona Domini tui? & hæc administrans in qua Petrum cernis assumptum, qui cum in hoc ministerio eligetur, cæteris prælatus Apostolis est. Ioan. 21. Petre quippe, ait, amas me plus his? Hæc ille.

Auct. Vbi habes Apostolum Petrum ex electione sua cæteris Apostolis esse prelatū.

Item Isidor. in lib. de obitu, & ortu sanctorum Patrum, cap. de Simone Petro. Simon, inquit, filius Ionæ, frater Andreæ, ortus vico Betsaida prouinciæ Galilææ, quæ est iuxta stagnum Genesareth. Et infrà. Non immeritò Apostolorum princeps est, & confessor primus filius Dei, & discipulus pastor humani gregis, petra Ecclesiæ, clauicularius regni, amator Domini, atque negator: confitendo laudatus, negando lapsus: lachrymando purificatus, confessione probatus, passione coronatus: cui nomen ex opere datur, titulus ex merito potestatis imponitur. Hæc ille.

Auct. Videat hic terginersator Witcleff,
7 qui dicit, Petrum ita esse Prælatum Apostolis quasi seniorem, nō quasi ex hoc potestatem habentem, quod Isidorus hic dicit: titulus ex merito potestatis imponitur: quis titulus nisi quem docuit in principio dicens, non immeritò est princeps Apostolorum? sed de hoc statim latiùs.

Eusebius quoque Cæsariensis lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 14. de principatu Petri super Apostolos cæteros ait. In ipsis Claudij temporibus clementia diuinę prouidentiæ probatissimum omnium, & Apostolorum maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito primum, & principem Petrum, ad Vrbem Romam, velut aduersùs humani generi communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quendam, & magistrum militiæ suæ, scientem diuina prælia gerere, & diuina castra ducere. Hæc ille.

Auct. Vide quantum senior iste Pater magnificauit Petrum Apostolum, & eum non solùm primum, & principem, sed Apostolorum maximum, & probatissimum sublimauit. Expectat scio aduersarius Petri, vt caput Ecclesiæ Petrum esse probemus: sic enim limitauit, vt primò dicere mus de capite.

Witclef. Primò, inquit, videndū est vtrùm
8 posset fundari in fide Scripturæ, quòd Petrus fuit caput Ecclesiæ, & videtur quòd non. Quantùm, inquit, ad tria nomina Petri, patet secundùm interpretationem Hier. quòd nō sonant, quòd Petrus sit caput Ecclesiæ alicuius. Petrus enim dicitur agnoscens, siue discalcians Simon dicitur obediens, Cephas verò est nomen tertium à Christo ipsi impositum Ioan. 1. Et interpretatur potens, siue firmitas, nomen Syrum, non Hebræum, sed rogo quid sonat interpretatio alienius istorum nominum, vt Petrus sit caput Ecclesiæ? Hæc Wiclef. cap. iam supradicto.

Auct. Expediamus fragile argumentum, monstrando ei quomodo ab vsurpata Scriptura præceps cecidit in peccatum gram-
9 maticæ. Nam vt de nomine Petri Cephas, dicamus, magnus sanctus Pater Isidorus Etymologiarum suarum lib. 7. cap. 9. de Apostolis loquens, dicit de Petro. Cephas dictus est, eo quòd in capite sit constitutus Apostolorum. Cephalin enim Græcè, caput dicitur, & ipsum nomen in Petro Syrum est. Hæc ille.

Auct. Ecce quòd iam in Simone Syro nesciuisti Cephas dici caput, cur neglexisti Grçcum consulere, & tamen cum sis grammaticus famosus, miror si non audisti acephalon dici capite destitutum, & rem cephalicam inter alias capitalem. Isidorus etiam in libro de ortu, & obitu sanctorum Patrum cap. de Simone Petro, exponens tria nomina Petri, dicit. Eius prima vocatio nominis Bar-Iona legis directa generatio est, Petrus in Christo Ecclesiæ fundamentum est, Cephas Corporis Christi principatus, & caput est. Simon Ioannis virginitatis generatio incorrupta. Hæc ille.

Auct. Ecce quòd Cephas est Petrus, quia caput est, & principatus omnis militantis Ecclesiæ, quia omnis Christi Corporis: vide tu si sumpsisti hoc argumentum ex fundamento Scripturæ, & habe ex Scriptura cephalicum Petrum caput Ecclesiæ. Nec obuiat, sed prodest quòd Cephas Syro sermone dicitur firmus.

Idcircò enim vulgariter dicitur, cuius caput infirmum cætera membra nutant, quasi totum robur corporis sit firmitas capitis. Ex abundanti verò inferamus, quòd Petrus nō caput solùm, sed & caput erat Ecclesiæ secundùm optimam partem capitis, puta vertex eius vbi capilli colliguntur, & versantur, secundùm Isidorum. Chrysost. tom. 3. enim homilia finali super Ioannem dicit, tractans hunc textum, Simon Ioannis diligis me plus his? Eximius, inquit, Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum,

rum, & vertex collegij, propterea, & Paulus Io:21. Gal.1. ascendit eum tunc videre præ alijs simul, & ostendens ei quoniam oportet eum audacem esse de reliquo, & negatione delera committit ei præsidentiam fratrum, Hæc ille. Auct. Hic habemus Petrum verticem collegij Apostolorum, & ei commissam præsidentiam super illos. Item idem Chrysostomus homilia 69. super eodem Euangelio Ioannis, Exprobrat ideo Iudam quòd ante Petrum elegit discubitum, probans hoc ex textu dicente, quando autem venit ad Petrum. Chrysost. Mihi, inquit, videtur proditorem lauasse, deinde ad Petrum venisse: nam quòd & alium aliquem ante ipsum lauit, manifestum est ex eo quod dicit, quando autem venit ad Petrum: sed non est vehemens accusator Euangelista. Sequitur. Si verò Petrus primus erat, decuit primum recubuisse, videmus tamen proditorem stultum existentem, ante verticem recubuisse. Hæc ille.

Auct. Vertex ecce erat Petrus Ecclesiæ, quando Paulus in complementum debiti ascendit videre magistrũ: & Iudas infamatur stultitiæ quòd supa caput suum locom elegit in cena, tamẽ Coapostolus erat. Idem quoque Chrysostomus tom. 5. in Dialogo lib. 2. cap. 1. ad verticem quippè Apostolorum loquens, Petre (inquit Christus) amas me? quod professo eo, addidit. Si diligis me, pasce oues meas. Hæc ille. Et idem Chrysostomus, tom. 3. in vocabulo capitis, quòd tu tantopere detestaris, ipsum Petrum laudat in libro suo de laude Pauli, Homilia 6. Paulus, inquit, cum mortem timeret, nec ipsam quidẽ recusabat gehennam propter desideriom Christi, & cum formidaret interitum, tamen cupiebat resolui. Non autem hic solus talis fuit, sed ille quoque ipse qui fuit Apostolorum caput, qui sæpe dixerat se esse pro Christo paratum animam tradere, & tamen mortem vehementer horruerat. Audi quid ei Christus loquitur. Ioan. 21. Cum senueris, cinget te & ducent quò non vis. Hæc Chrysostomus.

Auct. Vbique sancti Patres Cephas esse Petrum libenter sicut Christus eum ordinauit admittunt caput Apostolorum, & Ecclesię verticem: quem procax Vvitcleff, & eius clientes ab officio capitis damnabili teme-
10 ritate propellunt. Et putas ne quòd in pęnam perfidiæ suæ coactus est Vvitcleff per occultas venas primariæ veritatis alibi fateri qualiter meotitus est hiccine, rectè in libello suo nefando de dotatione, quem supplementum trialogi alias appellauit, planè affirmat ab institutione Christi fuisse Petrum caput Ecclesię? Dicit enim Christus Ioan. vlt. Petre amas me? pasce oues meas. Quòd quia Petrus perfecit excellentius, fuit constitutus caput Ecclesiæ. Hæc ille, ibi cap. 5. circa medium.

Auct. Quid putas ergo eum indubiè veritatem habere, qui talis est verborum propriorum, tam apertus falsarius, qui in forma discipuli traditoris falsè fatetur testari in Petrum. Matth. 27. Peccaui, tradens, inquit, sanguinem iustum?

CAP. II.

Quod omnes Apostoli erant honore, & potestate pares: & tamen Petrus caput omnium auctoritatis potestate, & honore precellens.

SVMMA.

1 *Hæreticorum ratio, qua Petri primatum negare conantur.*
2 *Quòd Vvit. hæresim Iouinianam suscitauit.*
3 *Si in Ecclesia tolleretur ordo, tolleretur, & Ecclesia.*
4 *Inter Apostolos fuerunt aliqui maiores, & honoratiores, & vnus fuit auctoritate, & iurisdictione cæteris superior.*
5 *In Ecclesia cur caput constitutum sit.*
6 *Ioannes cur non fuerit Apostolorum caput.*
7 *Ioannes tempore Christi erat Iuuenis.*
8 *In negotijs sæcularibus iuuenis præficiendus est, in spiritualibus verò senior.*
9 *Non humana electione in Ecclesia princeps suffectus est, sed diuina.*
10 *Quæ sint principiantis conditiones, secundùm Arist.*
11 *Cur huiusmodi conditionibus vsus non fuerit Petrus initio nascentis Ecclesiæ.*
12 *Quare Dominus modò iubet, vt Apostoli virgam ferant, modò verò prohibet.*
13 *Romanam Sedem vtraque via; idest, & Christi dispensatione, & Apostolorum consensu, alijs praeesse, concluditur.*

INsistit acriter contrà primatum prædictum Petri eius aduersarius capitalis in loco iam tacto cap. 6. Vvitclef. Videtur
1 inquit, probabile quòd omnibus Apostolis Christus dedit plenitudinem potestatis ad ligandum, & soluendum, & faciendum quodcumque Prælati officium in Ecclesia militante, vt patet Matth. 18. & Ioan. 20. Et recapitulando subiungit. Erubescant ergo hæretici, dicentes, quòd Petrus habet cæteris Apostolis excellentiorem potentiam, quia est Episcopus Romanorum. Hæc Vvitcleff. Auct. Non causaliter hoc, sed assertiuè dicit, nisi idioticè sapiat, cum tota distingoat Ecclesia primatum eius papalem à Præsulatu Romano, Cum ante Romanam Sedem fuerit Petrus primus, & verum caput Ecclesiæ. Intelligit ergo simpliciter hæresum esse, quòd Petrus habeat cæteris Apostolis excellentiorem potentiam: Sic enim concludit in fine capituli. Vanum ergo est vobis ex talibus verbis Petrum simpliciter anteferre. Hæc ibi.

Adamus, & nos quòd Cyprianus dicit, omnes Apostolos pares fuisse, & potestate, & honore. Addamus, & quòd Hieronymus dicit, super omnes Apostolos ex ęquo fortitudo solidatur Ecclesiæ. Et quid inde concludis? ergo omnes simpliciter sunt æquales? Nullus maior, nullus minor, sed omnes pares, & potestate, & honore? Scio quid conaris vlterius, quòd omnes etiam Sacerdotes Ecclesię sunt ęquales, quia ęqualiter cum Petro, non Petrus solus, sed

cla-

claues Dominicas tota suscepit Ecclesia, vt Augustinus tom. 9. exponit super Ioannem Homilia vlt. Et suscitasti hæresim
2 Iouiniani iam mortuam, contrà quam insudat Hieronymus versus finem libri secundi, qui eius nominis titulum portat, contrà Iouinianum, ex multiplici loco scripturæ probans in ordinibus Ecclesiæ veram distantiam gradualem. Hieronym. tom. 2. Quid, inquit, sibi volunt in descriptione templi 7. & 8. gradus? Quid rursum in Psalterio post elementa 118. Psalmi, quibus mysticum erudimur alphabetum, per 15. gradus vsque illuc peruenimus, vt possimus canere, Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri? Sequitur. Cur Leuitica tribus in terra partem non accipit, sed Dominus pars eius est, & inter ipsos Leuitas, & Sacerdotes, ad Sancta Sanctorum vbi Cherubin, & propiciatorium est Pontifex solus ingreditur? Quare reliqui Sacerdotes lineis tantùm vtuntur vestibus, & non habent indumentum auro, iacincto, coccin, purpura, byssoque contextum? Inferioris gradus, Leuitæ, & sacerdotes, & plaustra, & boues accipiunt, maioris ordinis ipsi gestant arcam Domini humeris suis. Si tollis ordinem, tabernaculum, templum, Ecclesiam tolle. Si omnes, qui à dextris sunt, corpus vnum, & vt vulgò dicitur Euphonia, nequicquam Episcopi, frustrà presbyteri, sine causa Diaconi sunt. Hæc Hieronymus.

3 Auct. quid facis Witcleff, si tollis ordinem, tollis Ecclesiam. Hęc tantùm contra primatum Petri proficis, quod moliris: sed sine causa Episcopi, sine causa presbyteri fiunt, si Episcopi ad presbyterium statuatur æqualitas, maioritas abscindatur. Sed redeamus ad argumentum in specie. Apostoli omnes acceperunt æqualiter potestatem, ergo sine causa Petrus præfertur. Quid igitur? inter eos nullus maior, vel potior in honore? Scio tamen Augustinum dicere in expositione sua super epistolam Pauli ad Galatas 2. to. 4. tractautem hunc Textum.

De his autem qui videntur esse aliquid.
4 August. Petrus autem, & Iacobus, & Ioannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in Monte Dominus ostendit, in significatione Regni sui, cùm ante sex dies dixisset, sunt hic quidam de circumstantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in Regno suo, Matth. 16. Hæc August.

Auct. Habes iam tres honoratiores in Apostolis, qui erant in honore æquales. Hieronymus tom. 2. etiam libro secundo contra Iouinianum respondendo ad quartam propositionem, ait.

Loquitur enim de humilitate Sanctus Paulus, Ego sum nouissimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, 1. Corinth. 15. quia persecutus sum Ecclesiam Dei, Gratia enim Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed ampliùs omnibus laboraui illis, non ego autem sed gratia Dei, quæ in me est. Verùmtamen in eo quòd se humiliat, ostendit posse Apostolos alios minores, alios esse maiores. Et qui vtique vas electionis dicitur, & cunctis ampliùs laborauit, non est iniustus Deus, vt obliuiscatur eius, & dispar meritum æquali mercede compenset. Hebr. 6. Hæc Hieronymus.

Auct. Et hic habes quosdam maiores inter Apostolos, minores alios, non quidem merito virtutis, sed meritò potestatis, is enim qui infertur, plus omnibus laborauit. Et si scire volunt fideles, omnes Apostoli erant Apostolatus sui potestate equales, sed in hac idemptitate potestatis fuerant auctoritate disformes, aut nonne in militia Rex, & omnes milites pares fiunt, sed auctoritate sola, & non militia Rex milites antecedit? Ita omnes Apostoli Apostolatus honore, & potestate sunt consortes, vnus autem Petrus auctoritatis iurisdictione prælatus.

Et ne nouum videretur quod dico, testatur antiquus Præsul Anacletus Quartus à Beato Petro secundùm calculum Augustini, secundùm allegatum Iuonis in tertio suo decretali, sic dicens Anacletus. Hic, inquit, ligandi, soluendique potestatem primus accepit à Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit.

Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt, qui & iubente Domino in toto Orbe dispersi Euangelium prædicauerunt. Hæc ille.

Auct. Ecce quòd omnes Apostoli cum Petro pari consortio honorem, & potestatem nacti, Petro quem suum Principem esse volebant, fuerunt auctoritate subiecti. Beatus verò Hieronymus tom. 2. hanc secutus sententiam lib. 1. contra Iouinianum. At dicis, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligi-
5 tur, vt capite constituto, schismatis colletur occasio.

Sed cur non Ioannes electus est virgo?
6 Ætati delatum est, quia Petrus Senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer progressæ ætatis oneribus præferretur, & magister bonus, qui occasionem iurgij debebat auferre discipulis, vt dixit eis, Ioan. 14. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium fit, in præficiendo adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur inui-
7 diæ. Vndè autem sciamus Ioannem fuisse tunc puerum, manifestissimè docent Ecclesiasticæ Historiæ, quòd vsque ad Traiani Imperium vixerit, id est, post passionem Domini lxviij. anno dormierit, quod & nos in lib. de viris illustribus breuiter perstrinximus. Hæc Hieronymus.

Auct.

Auct. Quòd plana sententia responsiua Witcleff, omnibus dedit Christus plenitudinem potestatis concedit Hieronymus, & ex abundanti, quòd cuncti claues Regni Cœlorum acceperunt, & quòd ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur. Sed tamen inter duodecim vnus eligitur, ad quid? Vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Hic dolet Witcleff scio, quia Petrum audit caput constitutum Ecclesiæ, sed eo inuito Petrus, & caput est, & occasio schismatis tollitur eo ipso. Et ne vsurpet auctoritatem, ipse vnus eligitur ex duodecim.

Sed à quo, nisi ab illo qui dixit eisdem: Nos vos me elegistis, sed ego elegi vos? Ioan. 15. Elegit forsitan ipse primò, & ad auctoritatis executionem cæteri electum posteà compellebant. Et hoc est, quòd hic Hieronymus intulit de autore electionis Petri, Magister bonus, inquit, qui occasionem iurgij debebat auferre. Magister ergo bonus materiam iurgij inter discipulos abstulit, quando senem Petrum Ioanni iuueni prælegit.

Sic enim dicit Chrysostomus de eo to. 3. Homilia finali super Ioannem. In
8 sæcularibus, quidem iuuenis vtilis, qui senuit verò inutilis est. In meis verò non ita est, ait Christus; sed cùm superuenerit senectus, tunc virtus clarior, tunc virilitas illustrior. Hæc ille. Auct. Materiam verò prædicti iurgij, quam electio vnius capitis à communitate discipulorum debebat auferre, puto eundem Hieronymum in commentario suo explanare super epistolam Pauli ad Titum 1. super hunc Textum, Oportet Episcopum sine crimine esse. Hieron. tom. 9. Antequam, inquit, instinctu diaboli diuersa studia fierent in religione, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur, 1. Corinth. 1.

Postquam verò vnusquisque eos quos baptizauerat putabat suos non Christi, in toto Orbe decretum est, vt vnus ex presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et benè infrà. Paulatim, vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispensationis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel lxx. elegit cum quibus populum iudicaret. Hæc Hieronymus.

Auct. Planè ecce S. Hieronymus docet Ecclesiam quomodò propter seditiones fidelium dirimendas, vnus ex presbyteris toti superponitur Orbi. Nec glorietur hic præceptor noster Witcleff, quòd ele-
9 ctione humana, & non delegatione Christi habeat ille Prælatus tantam potestatem Ecclesiæ, quinimmò confundatur, qui dixerit talem potestatem non euenisse Prælatis nisi ex donatione Cæsarea penè quadringentis annis post Christum, cum videat hìc Hieronymus dicere, quòd tempore Apostolorum Petri, & Pauli fuit consensus fidelium inter ipsos presbyteros, illa generalis prælatio constituta.

Quòd si in tempore primitiuæ Ecclesiæ Prælato tali fideles egebant quando etiam Apostoli coruscabant, quid iactat Witcleff propter perpendicularem Christi residentiam superCœlos non oportere alium loco Christi iam præferri fidelibus, maximè cùm dicat Mundum semper delapsum ad peius?

Tertiò videat quilibet ex prædictis, an tempore illo non fuit Sanctus Petrus, cæteris omnibus prælatus Apostolis, non quidem senio tantùm, aut honore, vt fingunt, sed auctoritate, & potestate regentis, cùm dicitur sine exceptione, quòd vnus ex presbyteris superponeretur cæteris, & quòd ad illum vnum de derimendis litibus, & dissensionibus supprimendis, omnis solicitudo deuoluitur. Nescio an sine omni potestate coactiua prædicta possent expleri.

Quare non turbentur fideles putantes ex prædictis potestatem principatus Beato Petro tunc primo ab hominibus, non autem à Christo esse collatam. Sed sciant
10 multas conditiones ratione principatus principanti contingere, prout docet Aristoteles 7. Politicorum, pura directionem contractuum forensium, aspectum ad ædes, & strata publica.

Postremò verò cæteris difficiliùs non minùs tamen necessarium alijs, damnandorum querelas, & relegandorum actio-
11 nes. Et quidem in initio nascentis Ecclesiæ dum adhuc tenera fides erat, & infans, quasi modò genitus, non debuit, nec decuit antequam ablactatus esset infans vim grandem in paruulos exercere Prælatos. In hoc ergo coactionis articulo principatus Petri dormiuit pro tempore, qui tamen in constituendo Canones, in definiendo fidei veritates, vigilauit instanter.
12 Sic enim secundùm vnum Euangelistam Matth. 10. virgam ferrè decuit, & secundum alium Luc. 10. non ferre, quia virgam Ecclesiasticæ potestatis secundùm aliquid sui nunc ferre, nunc omittere; secundum exigantiam temporis, Pastor debet. Mar. 6.

13 Sed si quis planè cupit videre quomodo Romanus Pontifex, & Episcopus vtraque via, quam supradixit Hieronymus scilicet, & Christi dispensationis instinctu, & succedente Apostolorum consensu eminentiam cœpit habere etiam in ipsos Apostolos, & singulos Christianos, Instituta, vel Annalia Constantini non legat, sed Anacleti Papæ, qui secundùm calculum Augustini tom. 2. in epistola ad Generosum, tertius Beato Petro successit, decreta retractet, quòd in annoso illo libro decreta Pontificum appellato continet quinque capitula, in Capitulo quarto sic habetur. Anacletus. Hæc, inquit, Sancta Roma-

na,

na, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut Ipse Beato Petro Apostolo dixit, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cœlis. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis. Et sequitur infrà. Indè namque inter se Beati Apostoli statuerunt, vt Episcopi singularum scirent gentium quis inter eos primus esset, quatenùs ad eum potior eorum sollicitudo pertineret.

Nam & inter Beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est principium, & caput teneret Apostolatus, qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Et non solùm hoc in nouo Testamento est constitutum, sed & in veteri fuit. Vndè scriptum est, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, id est primi inter eos fuerunt. Psalmo 98. Hæc ibi.

Auct. Occidit hæc sententia magnum mendacium Witcleff, quòd scilicet talis eminentia non incubuit alicui post Christum. Occidit & mendacium districtius magistri eius audacter dicentis, quòd etsi per commissum humanitus factum forsan steterit ista maioritas, non tamen per Christi statuentis arbitrium.

Deiecit, & scripturam Witcl. delinquentis grammaticè de interpretatione Cephas, quòd dicit hic caput, vt diximus. Nec tamen Apostolicus iste à paritate Apostolorum recessit, sed nec à discretione, & maioritate inter eos abstinuit. Inter beatos Apostolos, inquit, quædam fuit discretio, licèt erant omnes Apostoli secundùm formam huius antiqui Pontificis.

Melchiades Papa successor eius primatum Petri inter compares suos Apostolos sic describit: in decreto suo, cap. 1. Episcopos, quos sibi Dominus elegit, & Columnas Ecclesiæ esse voluit: quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem, suo iudicio reseruauit, atque priuilegium Beato clauigero Petro sua vice solummodò commisit, quæ eius prærogatiua iustè succedit sedi futuris hæreditanda, atque tenenda temporibus, quoniam inter beatissimos Apostolos fuit, quædam discretio potestatis. Et licèt par cunctorum electio foret, beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret. Hæc illes

CAPVT III.

Ad rationes Vuitclef de scripturis: in quibus Paulum Petro non inferiorem reddit.

SVMMA.

1 *Ratio Vvitclef ponitur, qua Paulum Petro non esse inferiorem, conatur ostendere.*
2 *Quàm malè arguerit, arguendo argumento negatiuo.*
3 *Paulus contulit Euangelium suum cum tribus Apostolis, sed magis cum Petro.*
4 *S. Marcus tantùm Petri auctoritatem scripsit, & retulit Euangelium suum.*
5 *Secunda Vvitclef hæresis ponitur, videlicet, quòd Petrus cum cæteris Apostolis nihil Paulo contulerunt.*
6 *Petrus non modò contulit Paulo Euangelium, verùm etiam eum de fide securum reddidit, gentiumque Apostolum consecrauit.*
7 *Paulus nihil Petro maiori suo derogauit, tametsi eum charitatiuè correxerit.*
8 *Petrus, sicut in Apostolatu primus fuit, ità etiam in humilitate.*
9 *Hanc Petri præfecturam, compluribus Patrum testimonijs comprobat.*

Assumit sibi testimonia scripturæ Apostolicæ, vndè principem Apostolorum humiliet, cap. 6. prædicti sui libelli de Christo, & Antichristo, dicens.

Witclef. Non consueuerunt cæteri Apostoli de suis prouincijs S. Petrum, ac si ab illo Papalis potestas necessariò emanaret. Sed Paulus dicit signanter, quòd illi, qui videbantur aliquid esse, nihil sibi contulerunt. Deus, inquit, personam hominis non accepit: Gal. 2. mihi autem, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed è contra, & cætera. Istam autem benedictam fidem historicam Spiritus sanctus in Euangelio Pauli secundùm istam formam inseruit ad confundendum superbiam, & hæresim sequentium prælatorum. Hæc Witcleff.

Auct. Sequamur, & nos vestigia vulpis huius, vt eum de fouea sua cautius expellamus.

Arguit primò ab auctoritate præsumpta negatiuè: qui modus secundùm petitos Theologos rarò est validus, tutus nunquam. Non, inquit, consulerunt cæteri Apostoli de suis prouincijs S. Petrum. Quos autem Apostolos, cæteros nuncupat, dubitare fas est: Vnum tamen de cæteris maximum S. Paulum sumamus, de quo & ipse postmodum accipit argumentum. Ipse audeo dicere de principe Apostolorum Petro super prædicatione sortis suæ sumpsit consilium. Sortis suæ dico, ne cùm Vvitcl. dicam prouinciam, quia cùm cæteri Apostoli prouincias gentium delegerint, Paulo tota simul, & nulla pars traditur specialis. Vndè Isidorus lib. de ortu, & obitu sanctorum Patrum. Paulo cum cæteris Apostolis nulla sors propria

tia-

traditur, eo quòd in omnibus magister, & prædicato religitur. Nam ficut Petro, & reliquis, Apostolatus circumcisionis est traditus, ita Paulo præputij in gentibus Hæc ille.

Auct. Iste namque Paulus post annum tertium conuersionis suæ ascendit videre Petrum, & neminem Apostolorum tunc vidit nisi Iacobum fratrem Domini. Mansitque ibi diebus 15. deinde post annos 14. peragratis partibus Syriæ, & Ciliciæ, iterum ascendit Hierosolymam assumptis secum Barnaba, & Tito: non quidem proprio capite ductus, sed in reuelatione iussus ascendere, conferre cum eis Euangelium, quòd post prædicauit in gentibus. At si petas cum quibus eis? respondet Paulus textus ibidem, Gal. 2. cum his, qui videbantur aliquid esse: quos postea nominat Petrum, Iacobum, & Ioan-
3 nem. His verbis Scripturæ, patet quòd Paulus cum Petro, & cum cæteris Apostolis tractauit Euangelium prędicandum in gentibus, non tamen cum his tribus æqualiter, sed cum Petro magis, à quo securè prędicandi Euang. tota Pauli pendebat auctoritas. Ne scilicet, vt ipse dicit, in vacuū curreret, aut cucurrisset. Sic enim dicit B. Hieron. tom. 2. in epistola ad August. quæ incipit, Tres simul epistolas. Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit, Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus 15. Rursumque in consequentibus: Post annos 14. ascendi iterum Hierosolymam cum Barnaba assumpto, & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & exposui eis Euangelium, quod prædico inter gentes: ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum: statimque sequitur. Seorsum autem his, quæ videbantur columnæ Ecclesiæ, seu aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem, Hæc Hieron.

Auct. Vide quàm planè mentitus est Vuitcleff dicens: Nullum cæterorum Apostolorum consuluisse SanctumPaulum, cùm dicit Scriptura secundùm expositionem Hieronymi, quòd Sanctus Paulus accepta reuelatione ad Petrum ascendit, vt sic haberet quo S. Euangelium securius prædicaret. At quamuis dicat Hieronymus nisi Petri, & qui cum eo erant, tamen quòd auctoritas Petri solius petebatur à Paulo, exprimit post dicens, Tantæ Petrus fuit auctoritatis, vt Paulus, & cætera: sicut & Magnus Pater Chrysost. hom. vltima super Io. tom. 3. iam dixit superius. Eximius erat Apostolorum Petrus: os discipulorum, & vertex collegij: propterea & Paulus ascendit eum tunc videre præ alijs. Hæc Chrysost. super Ioan.

4 Auct. At B. Marcus Euang. tantùm sub auctoritate Petri probatum, & visum scripsit, & retulit suum Euangelium. Vndè Hieron. tom. 1. lib. de viris illustribus, c. 8. Marcus, inquit, discipulus, & interpres Petri iuxtà quod Petrum audierat referentem, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quod cùm Petrus legisset probauit: & Ecclesijs legendum sua auctoritate contradicit, sicut scripsit Clemens. Hæc ille.

Auct. Planè ergo falsum est quod ipse dicit, nullum cæterorum Apostolorum consuluisse cum Petro de suis prouincijs.
5 Sed non stemus hic. Videamus quid infert posteriùs.

Vvit. Paulus, inquit, dicit signanter, quòd illi, qui videbantur esse aliquid, & Columnæ Ecclesiæ, nihil sibi contulerunt.

Auct. Si bene arguat ex hoc ipso auctoritati Petri præiudicare proponit, quod etiam sub infert dicens posteriùs.

Vvitcleff. Patet secundò, quòd isti tres principales Apostoli non contulerunt sensum, vel notitiam Euangelij S. Paulo. Hæc Vvitcleff.

Auct. Sed quomodo, quòd ex isto auctoritatis eminentiam auferat S. Petro, iam agnoscerent? Aut quommodo intelligis, quòd isti nihil illi contulerant? An S. Petrus nihil contulit, quando collatione facta sui Euangelij, ipsum reddidit de fide securum. An etiam Petrus cum alijs duobus nihil ipsi contulit, quando in Apostolum gentiū consecrauit iussu Christi dicentis, Act. 13. Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Et indè Hierony. de viris illustribus cap. 5.

Cumque ad prædicationem eius primò Sergius Paulus Proconsul Cypri credidisset, ab eo quòd eum fidei Christi sublegisset sortitus est nomen, & coniuncto sibi Barnaba multisque vrbibus peragratis reuertens Hierosolymam, à B. Petro, Iacobo, & Ioanne, gentium Apostolus ordinatur. Hæc Hieron.

Auct. Intelligas ergo Petrum cum alijs Apostolis Paulo nihil contulisse, id est non obiurgatum Paulum ab eis fuisse, non reprehensum alicuius, quod iam in gentibus prędicauit.

Sic enim exponit Haymo ipsum textum in loco suo super epistolas Pauli; dicens. Quòd putabant aliqui, quòd reprehensores mei essent: non solùm non fuerunt reprehensores, sed è contrario laudatores, & fautores extiterunt prædicationis meæ. Hæc ille.

Auct. Assumpsit autem hanc expositionem ab Augustino tomo 4. super epistolam ad Gala. vbi hoc ipsum exponit, dicens. August. Non ergo inuenti sunt in aliquo dissentire ab illo: vt cùm ille profectum Euangelium se accepisse diceret ille negarent, & aliquid tanquam imperfecti addere vellent, sed è contrario pro reprehensoribus imperfectionis approbatores perfectionis fuerunt, & dederunt dextras societatis. Hæc August.

Auct. Quomodo ergo suadere, vellet Petrum non esse excellentiorem cæteris Apostois, quia Paulo nihil cōtulit reprehensionis, huc vsq: forma non patuit Orthodoxis. Cōmemorat item quomodo Paulus Petrū reprehenderit de obseruatione simulata legalium: quod si velit ex hoc colore Petrum à principatu deijcere, & æquare illi Paulum,

lum, sciat à veris Ecclesiæ Pastoribus nihil auctoritatiuę potestatis imminui, quòd subditorum suorum interdum increpationibus humiliter sint subiecti, spontè pro-
7 strati. Nihil ergo derogauit Paulus maiori suo Petro, quòd eum charitatiuè correxerit: in nullo Petrus minuit potestatem, quia minoris correptioni ex humilitate succubuit. Non ergo Paulus par Peero, quia legitimus reprehensor: nec quia humiliter sustinens Petrus indè desinit esse maior, imo significans Petrus maioritatem suam simul, & humilitatem esse coniunctas, 2. Pet. 3. postmodum epistola sua secunda Pauli auctorizat, & defendit epistolas tanquam maior mitis, & prælatus spontè deiectus etiam illas in quibus eum Paulus commemorat reprehensum: sicut notat locum illum Scripturæ Sanctus Gregorius Tom. 2. homil. 18. super Ezechielem, Idem, inquit, Apostolorum primus cùm multa discipulos admoueret, atque à quibusdam detrahi Pauli scripta agnosceret, dixit: Sicut charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficiliora intellectu, quæ indocti, & instabiles depranane sicue, & cæteras scripturas ad suam perditionem. Ecce Paulus in epistolis suis scribit Petrum reprehensibilem, & ecce in epistolis suis Petrus asserit Paulum in his quæ scripsit admirandum. Certè enim nisi legisset Petrus Pauli epistolas, non laudasset. Si autem legit, quòd illic ipse reprehensibilis diceretur inuenit. Amicus ergo veritatis laudauit etiam quòd reprehensus est, atque ei, & hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter, quàm debuerat sensit, seque etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sectator minoris sui, vt etiam in hoc præiret: qua-
8 tenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset etiam primus in humilitate. Hæc Gregor.

Auct. Attendat Vvitcl Petrum Maiorem; Paulum minorem fratrem, & hoc non potestate Apostolatus in qua fuerunt omnes æquales: Qua propter dicit Hier. to. 9. in annotionibus suis super illud ad Gal. 2. Qui operatus est Petro in Apostolatum, &c. In nullo, inquit, sum inferior illo, quia ab vno Deo sumus in vno ministerio ordinati. Hæc ille.

Auct. Cùm exprimit ministerium Christus illud, limitat paritatem, sed ideò Paulus in ministerio æqualis est minor frater in comparatione culminis. Attendat iterum duplicem Petri primatum, dicente Gregorio, quatenùs, qui primus erat in Apostolatus culmine esset etiam primus in humilitate. Aliter ergo Petrus humilitate primus, aliter culmine Apostolatus primus, quia dicit Vvicleff Petrum non habuisse excellentiam maioritatis, nisi maioris humilitatis.

Sed quid ampliùs de laude maioritatis Petri? Idem Gregor. tom. 2. Vbi priùs, quòd idem affirmat, videbimus. Pensate, inquit, fratres charissimi in quo mentis vertice stetit, qui epistolas laudauit, illas in quibus se scriptum vituperabilem inuenit: quæ illa tanta esse mansuetudo potuit: quæ quies animi, quæ soliditas mentis, atque imperturbatæ cogitationis. Ecce à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apostolatum vocatus est, non quod claues Regni cœlestis accepit: non quòd peccata quæcunque in terra solueret, essent soluta, & in cœlo. Mat. 10. 16. & 14. Non quòd in mari pedibus ambulauit, non quòd paralyticos in nomine Iesu iubendo erexerat, non quòd ægros corporis sui vmbra sanauerat, non quòd mentientes verbo occiderat, non quòd mortuos oratione suscitauerat: Act. 9. 5. & 9. ne ergo increpationis verba dedignanter audiret, omnia dona, quæ acceperat, quasi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret. Quis rogo vestrum si, vel extremum signum fecisset à minore fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Et infra. Sunt verò nonnulli, qui non Petrum Apostolorum principem, sed quendam alium eo nomine, qui à Paulo est reprehensus, accipiunt. Qui si Pauli Apostoli studiosiùs verba legissent, ista non dicerent. Hæc Gregorius.

Auct. Ecce quòd vbique minorem fratrem Paulum appellat: Petrum maiorem, & Apostolorum principem Petrum, qui tanta se humilitate depressit, vt quasi à memoria sua omnia dona, quæ acceperat, repulerit. Sed nunquid donum humilitatis? Non, sed primatum, & Apostolatus clauium potestates quas prædixit, ve quid ista? Vt vnum fortiter humilitatis donum teneret. Aliud est ergo donum primatus Apostolici, aliud humilitatis in persona Petri. Sed primum à se penè repulit, vt secundum fortiùs custodiret.

De hoc etiam similiter ait Beda exponens textum illum Petri prædictum: sicut charissimus noster Paulus, exponendo eandem canonicam. Ecce, inquit, primus Apostolorum quasi oblitus sui prioratus, & datarum sibi clauium Regni cœlestis, datam Paulo sapientiam miratur, quia nimirum moris est electorum, vt aliorum magis, quàm suas mirentur virtutes, per quas se ad profectum excirent. Hæc ille.

Auct. Hic primum Apostolorum Petrum appellat, & prioratus sui penè oblitum decernit. Qua ratione? Quia sic Paulum glorificat. In comparatione ergo Pauli, Petri prioratum accepimus, in comparatione autem Petri, Pauli posterioritatem quæramus. August. to. 4. in expositione ep. ad Gal. tractans dictum illud Apostoli. Quemadmodum gentes cogis iudaizare. Huc, inquit, accedit quòd firmitas & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, Amas me, pasce oues meas, Ioan. 21. obiurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissimè substinebat. Hæc ille.

Auct. Hic habes Paulum posteriorem pastorem. Iungantur ista sibi, & habebis posteriorem Apostolum Paulum, & priorem Pauli Petrum.

Nec

Nec fugam capiat Vvitcleff in prioritate temporis. Cùm ex illa præferri non debuit aliquis Apostolorum Paulo. Et idcircò semel ait Paulus adGalathas 2.quòd non est acceptor personarum Deus, sicut exponit Hier. tom.9. hoc idem in annotationibus suis, Deus, inquit, personam hominis non accipit, id est non mihi cura est, quòd cum Domino ambulauerunt, quia neque tempus præiudicat fidei,neque persona labori. Hæc ille.

Auct. Sed nec hoc supponamus ignorasse Bedam, non latuit Augustinum, quòd prioritas temporis, vel senij,vel familiaritatis, vel reuerentiæ personalis non arguerct condignam prioritatem, vel posterioritatem inter coæquales Christi Coapostolos, sed præsidentia potestatis.

CAPVT IV.

Quod Petrus præferri debet Iacobo Hierosolymorum Episcopo.

SVMMA.

1 *Iacobus maior fuit Petro,d. Vvitcleff,& qua mouebatur ratione.*
2 *Reijcitur hæreticis positio, probaturque rei veritas.*
3 *Petrum Iacobo maiorem esse,probatur ratione.*
4 *Confirmatur Catholicorum ratio.*
5 *Cuiusdam Scripturæ loci verus sensus exponitur, quem in sui fauorem Vvitcleff malè intelligendo, sumere poterat.*

CVm ergò satisfecit iste quantum in ipso erat, ne eminentior esset Petrus Paulo, Iam breui verborum classe Sancto Iacobo Petrum substernit,dicens prædicto libro de Christo,& Antichristo cap. 6.

Vvitcleff. Patet, inquit, secundò 1 quòd isti tres principales Apostoli non contulerunt sensum, vel notitiam Euangelij Sancto Paulo, sed quod Iacobus, qui erat Episcopus Hierosolymitanus, vbi Christus fuit Episcopus, à Deo in hoc Euangelio Simoni antefertur. Hæc Vvitcl.

Auct. Et est vna rationum improbantium prælationem Sancti Petri: Vbi autem in epist. ad Galat. fuit Petro Iacobus antelatus, non mihi occurrit; nisi fortè loca literarum vires habere perpendat, quia dicitur ibi. Cùm agnouissene gratiam, quæ data est mihi, Iacobus,Cæphas,& Ioannes, qui videbantur esse columnæ &c. nisi quia primò recitatus est Iacobus,quàm Cephas, maioritate Iacobum arguat anteferri. Sed ò tunc pauperem Theologum, periuriosum magistrum, & inopem rationum, qui in tantam egestatem cecidit motiuorum, vt præcipitaturus Sanctum Petrum de cathedra capitali, ab ipsa grammatum positione vindicae argumentum. A Deo, inquit, in hoc Euangelio Iacobus, Simoni antefertur. Quomodo? cùm sic scribitur. Iacobus, Cæphas, & Ioannes.

2 Sed si vis, audi loquentem Deum,& ponentem ordinem inter Apostolos,Matt.10. Apostolorum, inquit, nomina sunt hæc, Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, vbi Iacobus tuus à B. Petro occupat nonum locum. Et credis ne ipsum sine causa sic exorsum, primus Simon quod dicitur Petrus, & subscripsit cœtum Apostolorum nullum scribens sibi secundum,nisi quòd omnes fuerunt secundi futuri Petro, etiam ad omnes retinente primarum? Hieronymus enim tom. 9. de hoc loco in commentario suo dicit, Ordinem Apostolorum,& meritum vniuscuiusque, illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Hæc ille.

Auct. Lucas 6.inspirr Pauli discipulus, instinctu Dei dicit. Elegit. 12. ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit. Simonem quem cognominauit Petrum,& Andream &c. Idem etiam act.primo. Ad Cœnaculum ascenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioannes, &c. Si scribendi ordinem in postpositione Petri notaueris, etiam frequenti antepositioni Petri quandoque præstes assensum. Et si omninò de Euang. hoc loco contenderis, non quidem in ordine scribendi,sed ordine faciendi,ab ipso Paulo non nisi post Petrum Iacobus visitatur. Gal. 2. Post annos tres, inquir, ascendi Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus 15. Occasionaliter autem infert Iacobum, dicens. Alium autem Apostolorum neminem vidi, nisi Iacobum fratrem Domini. At si fine viribus, nec ipsum dictionum ordinem esse conijcias, placet, vt Spiritus sanctus Iacobum ante alios Apostolos quandoque velit inscribi, quem primò omnium Apostolorum statuit Episcopum sancti loci: quod non ab re est, cum ideò, & fratrem Domini voluit appellari. Sic enim dicit Hier. in epist. & habet Anselmus in glossa super hunc locum, Frater, inquit, Domini Iacobus dicitur propter mores egregios, & incomparabilem fidem, sapientiamque non mediam, & quia primus illi Ecclesiæ præfuit, quæ prima in Christum credens congregata est ex Iudæis. Hæc ille.

Auct. Particulariter ergo censeo Iacobum cæteris proponendum, interdum ob reuerentiam sacri loci, cui particulariter præsidebat, Petrus generalius præfertur, cui generalis præsidentia indulta est, dicenre Chrysost. tom.3. super Ioannem homil. 87. declarans in principio quomodo omnes alios Apostolos præteriens Iesus soli Petro de pastu ouium loquebatur, eò quòd erat vertex Apostolorum.

Chrys. Si verò, inquie, dixerit quis, qualiter ergo Iacobus thronum assumpsit Hierosolymorum? Illud vtique dicam, quoniam hunc, idest, Petrum Orbis terrarum inthronizauit magistrum. Hæc ille. Et homil. 73. tractans quomodo Petrus multories contradixit Christo, Multus, inquit,amor contradictorem eum fecit Christi, sed sobrium facit eum de cætero, vt non in his quæ post contingerent, talia patiatur, cùm Orbis terrarum dispensationem suscepit. Hęc ille. Auct. Huius auctoritatem sequebatur Bern. dicens ad Eugenium lib.2. Denique Iacobus, qui videba-

tur Columna Ecclesiæ vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille. Nam dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre quis se vltrò ingerat Petri prætogatiuæ? Hæc ille.

Auct. Quid ergo antelatum Simoni Beatum Iacobum esse contendas? Non erat Sanctus Paulus ralis intrusor, vices tibi gratiarum non faciet, quòd eum antecedere diseris Sanctum Petrum, qui Petro cedere iustum duxit, qui Petri prærogatiuam augere maluit, qnàm auferre.
3 Huc etiam in probationem generalis prælationis Petri accedit, quòd cum maior non benedicitur à minore, sed secundùm regulam Apostoli Hebr. 7. sine contradictione, quod minùs est à maiore benedi-
4 citur, Sanctus Iacobus à Beato Petro, adiunctis illi Iacobo, & Ioanne germanis consectatur Hierosolymorum Episcopus. Vndè Anacletus successor Clementis in decretis suis cap.1. distinct. 75. Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica, ab omnibus qui in eadem Prouincia fuerint Episcopis sunt celebrandæ, qui simul conuenientes, scrutinium diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus precibus celebrent, & manus cum Euangelijs, qui prædicaturi sunt imponentes Dominica die hora tertia orantes. Et infrà. Porrò in Hierosolymitanorum Ecclesia primus Archiepiscopus Beatus Iacobus, qui dicebatur iustus, & secundùm carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne, Episcopus est ordinatus. Hæc ille.

Et Anicetus in decretis capitulo primo allegans idem decretum Anacleti. De ordinationibus, inquit, Episcoporum quibus nos consulere voluistis olim in scriptis Sancti prædecessoris nostri Anacleti, quædam iam decreta reperimus. Scimus enim Beatissimum Iacobum, qui dicebatur iustus, qui etiam secundùm carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis, Hierosolymorum Episcopum esse ordinatum, si autem non minùs, quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit Episcopus ordinatus, patet profectò, & formam instituente Domino non minùs, quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere. Hæc ille.

Auct. Et Clemens in 6. disputat. sui lib. idem dicit. Quod si dicas, nihil ampliùs hìc dici pro Petro, quàm pro duobus reliquis Iacobo, & Ioanne, iam liceat argumento tuo vti, quod in his omnibus Petrus alijs antefertur, & hoc non à se, sed à Sancto Spiritu habuisse, in Scripturis, dicente de eo Mattheo 17. Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem. Et iterùm Matth. 26. Assumpto Petro, & duobus filijs Zebedei. Et Marci 5. Non admisit quemquam sequi eum nisi Petrum, Iacobum, & Ioannem, & Marci 3. Primò Simoni Petro nomen imposuit, & deindè alij vocabulum Bonargetis, & vix locus est, vbi primò non præponitur Petrus alijs, ergo regulariter maior est Pe-
5 trus. Quod si hæc ratio nostra communis æstimetur, adijciatur hoc pondus, quod in electionibus, consecrationibus, famosis Concilijs semper Petrus præcellit. Num Petrus Apostolus erat? quis ei Apostolorum manus imposuit? Petrus Romæ primus Episcopus extitit, quis vnquam Apostolorum eum hactenùs consecrauit? Paulus autem segregatur, & Barnabas in Apostolatum, non tamen quousque essent Beati Petri, & aliorum manuum impositione protecti, Matthias ad Apostolatum eligitur, vbi Petri primò auctoritate, simul & exhortatione omninò dispensatur, Iacobus Episcopus ordinatur, sed cum & ipse esset Apostolus, Petri tamen primò benedictione perfunditur.

Quod si nihil ampliùs auctoritatis Petro conuenit quàm cæteris, cur ipse in pontificationem Antiochiæ, & demùm Romæ aliorum non est institutioni subiectus? Profectò cum causa perquiritur, non alia restat, quàm illa prædicta Apostoli, quòd sine vlla contradictione, quod minùs est à maiore benedicitur, & quia in hoc Euangelio Pauli gloriaris. Petro Iacobum anteferri, nouerit subtilis scrutator huius Euangelij, Beatum Petrum in hoc ipso loco, & Iacobo, & Paulo, & vniuersis Apostolis fuisse Principem, & Prælatum.

Quod enim dicit hic Paulus ascendisse se cum Tito, & Barnaba exponere eis Euangelium, ad concilium Apostolorum ascendit, de cessatione legalium, quod habetur clarè, Act. 15. Quis autem, & quantus erat in prædicto Concilio Sanctus Petrus planè scribit Hieronymus tom. 2. in epistola ad August. inter epistolas 10. breui sermone totam cingens historiam. Cùm multo post tempore Paulus, & Barnabas venissent Antiochiam, & congregata Ecclesia retulissent, quanta fecisset Deus cum illis, & quòd aperuisset Deus gentibus ostium fidei, quidam descendentes de Iudæa docebant fratres atque dicebant.

Nisi circumcidamini secundùm legem Moysi, non potestis salui fieri. Commota ergo seditione non minima aduersùs Paulum, & Barnabam, statuerunt ascendere, & ipsi qui accusabantur, & ij qui accusabant ad Apostolos, & ad presbyteros Hierosolymam super hac quæstione. Cùmque Hierosolymam peruenissent, exurrexerunt, quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant in Christo, dicentes. Oportet circumcidi eos, & præcipere illis, vt seruent legem Moysi, & super hoc verbo, cùm magna quæstio oriretur, Petrus solita libertate, Act. 15. Viri, inquit, fratres vos scitis, quia ab antiquis diebus in vobis elegit Deus per os meum audire gentes Verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda illorum. Nunc autem quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare

rare

tare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari quemadmodum, & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam eius Iacobus Apostolus, & omnes simul presbyteri transierunt. Hæc non debent esse molesta Lectori, sed & mihi, & illi vtilia, vt probemus ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum, immò ipsum Principem esse huius decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Denique tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epistola sua scribat. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum. Hæc Hieronymus.

Auct. Nonne iam habetis Petrum in generali Concilio Apostolorum Principem definire sententiam, & Iacobum, & omnes in definitione præcedere? At si præsidens ibi, & primus non esset, procax esset, eò quòd in absolutione diffidij, & in definitione sententiæ, singulis præueniret. Sed Hieronymus dicit se probasse, non ignotasse Beatum Paulum, quod Beatus Petrus huius decreti Princeps tunc es-
6 set. Leuiter ergo Scripturas intelligunt, qui dicunt Beatum Iacobum in prædicto Concilio decreti Iudicem, & Auctorem pro eo quod diceret subsequenter. Propter quod ego iudico non inquietari eos, &c. Cùm ista non fuerit sententia noua, sed consensio in primam. Ideò dixit singulariter, ego iudico.

Et ideò Hieronymus supradixit in sententiam Petri, Iacobus, & omnes simul presbyteri transierunt, sed vt mos est Ecclesiæ in modernis Concilijs, definitam Papæ, & Prælatorum sententiam, vnum ex minoribus in aduocatione, Statutum toti Ecclesiæ promulgare. Ita fas est intelligere Iacobum tunc fecisse. Pro certo autem verum est Petrum huius tunc fuisse Principem, & auctorem decreti. Vndè ibidem infra. Hieronymus. Nulli, inquit, dubium est, quin Petrus Apostolus sententiæ huius, cuius nunc præuaricator arguitur, primus auctor extiterit, causa autem præuaricationis timor est Iudæorum. Hæc ille.

CAPVT V.

Quòd Petrus fuit vniuersalis Magister post Christum, & caput Ecclesiæ.

SVMMA.

1 *Petrus non simpliciter, sed humilitatis virtute cæteros antecelluit, vt dictus Vvitcl.*

2 *Petrus (secundùm eundem) non personaliter, sed figuratiuè petra illa erat, de qua dixit Christus.*

3 *Probatur in Petro Magisterij eminentia, Sanctorum testimonijs.*

4 *In Ecclesia duplex caput inuenitur, vt docet Vvitclef.*

5 *Reducitur hæreticus ad con traditionem.*

HIs visis, incipit Vvitcleff, sophisticare cum Petro. Coactus enim, sibi videtur ex Scripturis, & assertionibus Sanctorum Patrum, vt quandam excellentiam illi super alios largiatur sed dum timet excessum, subtrahit quod est iustum. In prædicto enim libro de Christo, & Antichristo cap. 6.

Vvitclef. Redeundo, inquit, ad primum, patet logicis quod Petrus alios in aliquo excedebat, cùm notum sit quod verbū Christi singulariter dictum Petro, fuit exemplar, & doctrina sequenti Ecclesiæ militanti. Sed si fuit Petri excellentia simpliciter super alios, hoc fuit ex Dei gratia, & propter
1 meritum humilitatis, quæ floruit excellentius in hoc Petro. Petrus enim dicitur æqualiter fuisse firmus in fide. Sequitur. Vanum est ergo vobis ex talibus verbis Petrum simpliciter anteferre. Hæc ille.

Auct. Vult dicere quòd Petrus habuit quandam præeminentiam humilitatis, secundùm quam figurauit caput Ecclesiæ Christum, & sic fuit Princeps Ecclesiæ secundùm illam virtutem, Paulus secundùm aliam, Ioannes secundùm tertiam, non tamen fuit generalis magister Ecclesiæ. Hoc enim exponit Vvitcleff tractatu 2. de sermone Domini in Monte cap. 18. Hinc, inquiens, dicimus ad sensum Catholicum quòd Ecclesia Christi fundatur supra firmam petram Ecclesiæ, quæ est Christus, cùm ipse dicat, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam
2 meam. Non intelligendo quod Petrus erat personaliter illa petra. sed quod Petrus figuratiuè dicebatur, à petra quæ est Christus, super quam petram est Ecclesia Catholica erigenda.

Sicut autem Petrus habuit quandam figuram præminentiæ huius capitis, & fundamenti Ecclesiæ, sic Iacobus, qui fuit tanquam Christus Episcopus Hierusalem, & Ioannes, qui sicut Dominus perpetuò virgo mansit, & breuiter quicunque Apostoli, vel Sancti habent quandam dignitatem per quam figurant singulariter caput suum, & ad hoc quod referunt sententiam huius non est inuentus similis illi. Hæc ille.

Auctor. Videtis qualiter implicat se, qualiter fugiat veritatem. Quid hoc est ad potestatiuum principatum Ecclesiæ, quo per claues sibi datas dignos admittat, & indignos à regno secludat? Aliud est disputare de merito, aliud de ministerio, aliud de potestate, aliud de veritate. Non (inquit) aliam præeminentiam habuit Petrus. Sed quomodò ergo, Petrus magister Ecclesiæ secundùm humilitatem? Sed quomodò Paulus secundùm charitatem, plus enim omnibus laborauit? Maior ergo Petro, Paulus, sicut charitas maior cæteris virtutibus vniuersis. Ideò dixi, inquit, vanum est ex talibus verbis Petrum simpliciter anteferre. Procul, procul sint ab Ecclesia Dei hæc superstitiosa phanta-
3 smata. Sectemur ergo certiores magistros Ecclesiæ, qui de magisterio Petri secundùm Scripturas Sanctas nos doceant veritatem.

In

In Euangelio Matth. 17. legimus, quòd postulatus Christus solutionem tributi, Petrum ad os piscis delegat. Aperto ore eius, inquiens, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te. Ambrosius exponit, quia pensa didragmæ erat solutio capitis. Non enim nisi à capite familiæ exactum est tributum illud. Cùm ergo solus Christus caput esset collegij, quid in solutione tributi annexuit sibi Petrum? Quod si Petrum in solutione coniunxit, quia secundùm quandam virtutem præcellere debuit, & figurare Christum caput, cur ergo non misit, & Iacobum, qui sacri loci pastor futurus erat, & secundùm hæc, vt dicis figuratiuus capitis? Cur non Ioannem, qui etiam in eminentia castitatis figuraturus erat idem caput Christum? Fictiones ampliùs non expecto, ad instructiones fidelium me conuerto, doctas nos egregius Augustinus, quam prærogatiuam contulit Christus Petro in censu dictæ didragmæ. Mouet enim ipse quæstionem hanc, cur Saluator tantùm pro se, & Petro soluit didragmam, libro de quæst. noui, & veteris Testamenti quęst. 69. & soluit Augustinus tom. 4. Saluator, inquit, cum pro se, & Petro dari iuber didragmam, pro omnibus soluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici.

Nam inter cætera dicit discipulis, Vigilate, & orate ne intretis in tentationem, & Petro dicit Luc. 22. Ecce Sathanas expostulauit, vt vos ventilet tanquam triticum, ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua, & tu tandem conuersus confirma fratres tuos. Quid ambigitur? pro Petro rogabar, pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt de cæteris taceam. Manifestum est in Petro omnes contineri, quia & alio loco dicit. Ioan. 17. Ego pro his rogo, quos dedisti mihi, & volo, vt vbi ego sum, & isti sint mecum. Hæc Augustinus.

Auct. Benè dicta sententia, quæ sic seruauit alta Scripturæ, primò habes, quòd in Petro post Christum sunt omnes causæ magisterij, quemadmodùm in Saluatore. Plenus ergo, & non partialis magister Ecclesiæ Sanctus Petrus. Partialis est magister, qui solùm de humilitate, vel fide magisterium obtinet, non secundùm omnes causas magister iste si magisterium innocentiæ non Petro, sed Ioanni. Magisterium patientiæ non Petro, sed Paulo. Magisterium abstinentiæ non Petro, sed Iacobo reseruauit. Si ergo secundùm omnes causas magister est Petrus, magister ergo est omnis fidei, innocentiæ, castitatis, parsimoniæ, charitatis, tolerantiæ, & nulla erit virtus cuius custos, cuius magister non fuerit Sanctus Petrus. At quicquid Petro negaueris post Christum, Christo negasti.

Sic enim Augustinus iam dixit, sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. In tribus enim consummatur Christi magistratus officium. Quia aut Sanctis exhortationibus allicit, qualiter & turbas, & Apostolos docuit, Ioan. 2. aut verberibus terret, sicut vendentes eiecit, aut prostratis indulget, sicut Magdalenæ, Luc. 7. Petro, & adulteræ, Ioan. 8. Hanc autem tripertitam etiam Christus super Ecclesiam vniuersam, & Apostolos Petro contulit potentiam magistralem docendi, puniendi, & indulgendi, & in his consistit materia potestatis.

Forma verò quemadmodùm dixit Augustinus sicut, & in Saluatore cuius magisterium fuit minoritas, cuius dominatio seruitus, & cuius præcellentia, ministrare. Ne putent infirmi, Petri magisterium esse ad modum sæculi, quod Christus sibi constituit in sensu didragmæ, qui fuit tunc error discipulorum, Christi, vt in commentario suo super illud Matth. 18. In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, notat Hieronymus tom. 9. Post inuentum staterem, post tribura reddita, quid sibi vult repentina Apostolorum interrogatio, in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes.

Quis putas maior est in Regno Cœlorum? Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum ex æqualitate precij, arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus. Ideò interrogabant, quis maior est in Regno Cœlorum. Vidensque Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, voluit desiderium gloriæ humilitatis contentione sanare, Matth. 18. & aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum, Luc. 9. Hæc Hieronymus.

Auct. Error ergo discipulorum in materia prælationis Petri, & maioritatis Ecclesiæ fuit desiderium gloriæ, cùm non sit gloriæ, sed iachtymæ potiùs rata maioritas, prælatio est, maioritas est, præcellentia est, etiam aliquale dominium est, sed prælatio humilitatis, vt paruuli, maioritas obsequij, qui est maior vestrum erit omnium seruus præcellentia ministerij, & qui præcessor tanquam ministrator. Luc. 22.

Et verè dominium tantummodò seruitutis, reges enim gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Et Bernar. Papam alloquens Eugenium lib. 2. Si regnare sine Deo iuuat, habes gloriam, sed non apud Deum, at si tenemus interdictum, audiamus edictum. Qui maior est vestrum, inquit, fiat sicut minor, Luc. 22. & qui præcessor est, tanquam ministrator, forma Apostolica hæc est, Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Quæ & commendatur ipsius exemplo Legislatoris, qui secutus adiungit, Ego autem in medio vestrum sum tanquam qui ministrat. Quis se iam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriæ præsigniuit? Merito Paulus in eo gloriatur dicens, 2. Corinth. 11. Ministri Christi sunt, & ego, & addit vt minùs sapiens dico, plus ego. Sequitur. O præclarum ministe-

nisterium. Quo id gloriosius principatu? Si gloriari oportet forma tibi sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria. Parua ne tibi illa videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria sanctorum? Clamat Propheta; Psal. 138. Mihi autem nimia honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Hæc Bernardus.

Auct. Nec vos prætereat, quò minùs audiat noster Vvitcleff Augustinum dixisse superius quando Christus constituit Petrum esse caput Apostolorum. Et quid refert, quòd non fuerit caput totius Ecclesiæ militantis, si caput fuit totius Ecclesiæ, principium constitutum, quo ipse dixit contra in sæpè dicto libello, de Deo, Christo, & Antichristo; capitulo 5.

Vvitclef Supponit, inquit, oppositum horum deliramentorum, videtur esse sanum catholico, nec concedere de Petro, nec de aliquo Christiano, quòd sit caput alienius Ecclesiæ, sed hoc tanquam proprium Domino reseruare. Hæc ille.

Auct. Non existimo hoc sibi proprium Dominum reseruasse, cùm per Apostolum suum Paulum caput mulieris virum voluit appellari, & non minùs caput viri Christum, sed & caput Christi Deum, primæ Corinth. 11. Et Hieronymus tom. 2. in annotationibus suis, Vir vt liber non debet habere velamen, cuius caput est Christus. Mulier debet esse velata, vt ostendatur quia humilis esse debet, & subiecta. Hæc ille.

Auct. Quòd si sint tria capita subordinata, Deus Christi, Christus viri: Vir mulieris: nec Deo prædicat, quòd vnus sit caput omnis Ecclesiæ mulierum quamuis communitèr acceptes, quòd vir sit temporaneum caput eius. Quare præiudicat Christo ne sit caput totius Ecclesiæ militantis permanens, & æternum, quamuis Petrus post Christum, post Petrum alius sit caput subordinatum Christo temporaneum, & firmitatis conditione coniunctum, de quali etiam capite dicto Pontifice scribit Apost. ad Hebr. 5. Qui condolere possit his qui ignorant, & errant, quoniam ipse circundatus est infirmitate? Quid etiam, quòd mens hominis caput eius dicitur per totam militantem, & triumphantem Ecclesiam? Numquid hoc Christo præiudicat, qui sibi nomen capitis reseruauit?

Aug. to. 3. in fine c. 6. dicit de Trinit. c. 9. Si enim mentem rectè dicimus principale hominis idest tanquam caput humanæ substantiæ, cùm ipse homo cum mente sit homo, cur non multò congruentius; multòque magis verbum cum Patre, quòd simul est Deus, caput est Christi, quamuis Christus homo nisi cum verbo, quod caro factum est, intelligi non possit? Hæc ille. Et diffusius de hoc duodecimo de Trinitate cap. 7. Et Gregorius homil. 7. tom. 2. super Ezechielem. Non immeritò enim per caput mentem intelligimus: quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Hæc ille.

Auct. Videas iam insutis ratiunculis quasi fecisti, si mens præstet corpori motum, & sensum, quòd si non, nisi mediante spiritu animali, quid impedit quòd sanctus Petrus non potuit esse caput Ecclesiæ, & omnis successor eius legitimus, si spiritualem sensum, & motum gregis Christi præstiterit ipse, & quidem non ipse sed gratia Dei cum ipso.

Certè beatus Hieron. 1. Cor. 15. dicit, quòd benignissimus Magister Christus, nihil sibi in vocabulis proprium reseruauit, tractans hunc textum Abdiæ. Ascendent Saluatores Montem Syon. Hieron. tom. 6. Quomodo lumen Dominus lucem appellat Apostolos suos, & dicit, Vos estis lux Mundi, & ipsa petra Petro donauit, vt petra sit: bonus quoque pastor, eis pastorum largitus est nomina, & quodcumque dicitur, seruis tribuit, vt dicantur: sic ipse Saluator Apostolos suos Mundi voluit esse Saluatores, qui ascenderunt speculam Ecclesię. Hæc ille.

Auct. Noli ergo ad tuam inuidiam metiri Dominicam charitatem: neque enim lucis, neque petræ, neque capitis, neque Saluatoris nomen, & quod maximum est, neque Dei vocabulum sibi proprium reseruat vt fingis, sed consentiente Hier. quodcumque dicitur seruis tribuit, vt dicatur benignus Dominus profluus gratiarum. Sed vt redeamus ad locum vnde discessimus, miror valde si tamen non nesciam in multiloquio non deesse peccatum, quomodo dicat iste, sanum non esse vero catholico concedere de Petro, nec de aliquo Christiano, quòd sit caput alicuius Ecclesiæ: cùm tamen ipse concesserit nescio, an

4 non sanè duo capita citra Christum, vnum scilicet simplex: alterum aggregatum totius Ecclesiæ militantis, in lib. de Ecclesia, & membris eius libro 2. cap. 11. vbi postquam Christum caput dixerit. 2. modo.

Vvit. Tertio, inquit, propinquius proposito conceditur, quòd omninò in humano genere viante est vnum caput, vel capitaneus per quem oportet residuum regulari, qui est totum genus capitaneorum, quiquibus Deus adhoc excellenter sua bona distribuit, sed oportet continuè esse vnam personam simplicem ante electionem humanam ad hoc à Domino ordinatam: Deus autem perficit talem licèt mundo absconditè, qui sine superbia, aut verborum strepitu plus prodest Ecclesiæ. Hæc Vuitcleff.

Auct. Dignus ergo Doctor Vvitclenistarum, qui tam leuiter contradictionem affirmat, & seipsum planè probat esse mentitum. Aut nonne Apostolum vidisti dicentem primæ Corinth. 12. Non potest dicere oculus manui opera tua non indigeo? Aut iterum caput pedibus, Vbi caput Sacerdotem plebis dicit præpositum: pedes autem personas subiectas. Vndè Hieron. tom. 9. in annotationibus suis in eodem loco. Hic Sacerdos est caput, infirmi pedes Ecclesiæ. Hæc ille.

Auct. videtur ergo sanum omni catholico si sic videtur sanum Apostolorum expositori eius Hieronymo concedere de aliquo Christiano, quòd sit caput alicuius Ecclesiæ, quod iste dedocuit. Veruntamen quid impedit scilicet Petrum omnium Apostolorum principium, & columnam, ne dici possit caput vniuersitatis fidelium: cùm pri-

primus Angelus non impediatur quin dici possit caput, & principium creaturarum? August. enim tom. 3. sic habet super Genes. 1. ad literam in eo libro qui dicitur imperfectus cap. 3. tractans hunc textum, in principio fecit Deus cœlum, & terram. Ipsa, inquit, prima creatura intellectualis potest dici principium, iis quibus caput est quæ fecit Deus. Cùm enim rectè appelletur principium, caput in illa gradatione Apostolus, mulierem tamen non dixit caput alicuius, nam & virum dixit caput mulieris, & caput viri Christum, & caput Christi Deum: ita Creatori creatura subnectitur. Hæc ille.

Auct. Ecce quòd ratio principij est sufficiens ratio capitis in illo ordine.

CAP. VI.

Quòd Petrus est fundamentum Ecclesiæ post Christum, & petra suprà quam fundatur Ecclesia: & quòd primus Romæ fuit Episcopus.

SVMMA.

1 *Petrus dicitur petra Ecclesiæ tantum figuratiuè, d. Hæreticus.*

2 *Destruitur falsa hæc positio, ostenditurque rei veritas.*

3 *Ecclesia fundatur super Christum, & super Petrum: & quomodo.*

4 *Ecclesia etiam fundata est super duodecim Apostolos.*

5 *Obijcit auctor contra seipsum, & soluit.*

6 *Iaspis ille lapis primus de quo Io. in Apoc. meminit, Petrum significabat.*

7 *Petrus, est post Christum fundamentorum fundamentum.*

8 *D. Paulus ore proprio (vt testatur Dionysius) Petrum fundamentum Ecclesiæ appellauit.*

Ad vlteriorem fundationem sacrorum Auritituum, & Ministrorum Ecclesiæ descendere properantes, occurrens Vvitcl. & magister eius Guilielmus, obliquijs, & mendacijs in primum Petrum passim coniectis stare compellunt. Credimus enim, clarum non posse generare processum turpe, vel anceps principium. Isti enim certatim, quod possunt faciunt, ad excludendum Petrum à primi pastoris officio: cùm dicat de eo Gregor. tom. 2. Homil. 7. super Ezechielem. Benè primus bonus pastor admonet, dicens, Omnium finis appropinquat. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Hæc ille.

Auct. Hoc tamen concorditer faciemus, ne Papa posset prima via potestatem suam arguere sibi cœlitus esse commissam, nec voluit ipsum esse aliqualiter super quam spopondit Christus se fundaturum Ecclesiam: vndè vt reuoluamus, quod supra de eo posuimus secunda parte de sermone Domini in Monte cap. 28. Dicimus, inquit,
1 quòd Ecclesia Christi ad sensum catholicum fundatur suprà petram Ecclesiæ, quæ est Christus, cùm ipse dicat Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Non intelligendo quòd Petrus erat personaliter prima petra, sed quòd Petrus figuratiuè dicebatur à petra, quæ est Christus super quam petram est Ecclesia catholica erigenda. Hæc ille.

2 Auct. Reuera fides Petri docet oppositum, quòd scilicet Petrus erat personaliter prima metaphorica, super quam immediatè post Christum tota fundaretur, & erigeretur Ecclesia. Dicat Hieron. dicant sancti Patres Ecclesiæ in fide Petri tutissimi præceptores: an non Petrus fuerit illa petra, & per hoc fundamentum Ecclesiæ, super quòd Christus suam fabricam exorsus est? Hier. tom. 5. dicit super illud Hierem. 16. Mittam eis multos venatores. Non solùm, inquit, Christus petra, sed Petro Apostolo donauit, vt vocaretur petra. In cuius sensibus requiescentes, rectè dicuntur esse translati de petra. Hæc ille. Idem etiam Hieron. tom. 9. in Commentario Matth. 16. tractans hunc textum: Et ego dico tibi quia tu es Petrus. Sicut, inquit, ipse lumen Apostolis donauit vt lux Mundi appellentur, & cætera, quæ ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christum. Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei, Ædificabo Ecclesiam meam super te. Hæc ille.

Auct. Ecce quod supradixi Petrum esse personaliter illam petram metaphoricam, cui dixit Dominus. Ædificabo Ecclesiam meam super te. Strictam ergo nimis fecit suppositionem illam logicam personalem, quæ non se extendit ad theologicam veritatem. Idem quoque Hieronymus ibidem tractans hunc textum. Vade retro me Sathana. Marc. 8. Prudens lector inquirat quomodo post tantam beatitudinem, beatus es Simon Bar-Iona: Et tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: nunc audiat, Vade retro me Sathana. Subdit, sed consideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem Ecclesiæ super eum in futuro promissam, non in præsenti datam, Ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam. Hæc ille.

Auct. Sed valdè huic aduersari videtur, quòd August. exponit non super petram Petrum, sed super petram Christum ædificasse Christum suam Ecclesiam. Vndè super Ioannem tract. vlt. August. tom. 9. Non, inquit, à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut Christus non à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideò quippè ait Dominus. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus. Tu es Christus filius Dei viui. 1. Cor. 10. August. tom. 10. Super hanc, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam, petra enim erat Christus. Hæc ille. Idem de verbis Domini sermone 13. Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti dicens, Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam, super me ædificabo te, non me super te. Hæc ille.

Auct.

Auct. Sed hac expositione non obstante, August. enim perpendit iuxta literæ veritatem, prædictam explanationem esse acceptam, & formosam Ecclesiæ: idcircò admittit ad electionem lectorem lib. retractationum cap. 21. dicens. Aug. tom. 1. Dixi quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum. In versibus beatissimi Ambrosij vbi de gallo gallinaceo ait. Hoc canente, ipsa petra Ecclesiæ culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei viui. Ac sic Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, nec dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus. Harum autem sententiarum duarum quæ sit probabilior, eligat lector. Hæc August.

Auct. Mihi verò neutra expositio reijcienda videtur, sed super Christum petram
3 primò, & principaliter ædificatur Ecclesia secundùm istam secundam. Secundariò verò secundùm formam quandam vicariam super Petrum petram, iuxtà expositionem priorem. Et idem Augustinus tom. 8. super Psalmum 69. Petrus, qui paulò antè confessus fuerat Filium Dei, in prima confessione appellatus erat petra super quam Ecclesia fabricaretur, paulò post dicente Domino de futura passione sua ait, Matth. 16. Absit Domine propitius tibi esto. Hæc ille.

Auct. At in quo dubitaremus hoc dicere, cùm secundùm Apostolum Paulum non
4 solùm super Petrum, sed super omnes Apostolos, imò & Prophetas sit Ecclesia Christi fundata? Estis, inquit, ad Ephesios 2. ciues, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, vbi Christum ratione fundamenti præcellenter instituit. In ipso, inquit, summo angulari lapide Christo Iesu & tamen Apostolorum cœtum ad ipsum inscripsit dicens: super fundamentum Apostolorum, quos tamen in ratione fundandi primò descripsit: quia scilicèt sunt priora, & immediatiora nobis, quamuis tamen posteriora simpliciter.

Et quantum ad vocabulum petræ, dicit Ambrosius super Lucam lib. 6. cap. 11. to. 5. Magna Christi gratia, quæ omnia propè vocabula sua donauit discipulis suis. Ego sum, inquit Ioan. 8. lux mundi, & id tamen quo ipse gloriatur, discipulis suis nomen indulsit. Ioan. 6. Vos estis lux mundi huius. Ioan. 14. Ego sum panis viuus: & nos omnes vnus panis sumus. Hierem. 2. Ego sum vitis vera. 1. Cor. 10. Et tibi dicit, Plantaui te vitem fructuosam, omne semen verum. Petra est Christus: bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus, & iam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit Petrus, quòd de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Hæc Ambrosius.

Ad idem etiam Hieronym. in commentario tom. 6. Amos tractans hunc textum. Timot. 6. Numquid currere queunt in petris equi? Petra, inquit, Christus est, qui donauit Apostolis suis, vt ipsi quoque vocentur petræ, dicens. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Qui in istis petris fuerit, aduersariæ potestates, quæ appellantur equi, persequi eum non poterunt curribus præpediris, & per singulas petras corruentibus. Hæc Hieronymus.

Et Origenes homil. 11. super Hieremiam tom. 1. Si consideres, inquit, quid ibi petra dicatur, & foramen petræ intelliges, & cæteras petras petrarumque foramina. Quæ est igitur petra? Dominus Iesus Christus; 1. Cor. 10. bibebant enim de spirituali consequente eos petra, Psalm. 39. & super petram statuit pedes meos. Sequitur.

Quæro alias petras, & alias cauernas. Venio ad chorum Prophetarum, atque Apostolorum, & dico, quia omnes imitatores Christi petræ sunt, vt petra est ille, qui docuit. Hæc ille.

Auct. Ergo omnes Apostoli petræ sunt, præcipuè tamen Petrus, in quo omnes petræ primò nomen sumpserunt, vt liquet ex iam dicto Hieronymi. Donauit, inquit, Apostolis, vt ipsi vocentur petræ. dicens, Tu es Petrus. In cuius etiam fide tanquam in tutissima petra fundauit Christus Ecclesiam: dicente Augustino super canonicam Ioannis homilia 10. tom. 9.

Augustinus. Videte, quæ laudes persequantur hanc fidem, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quid est super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? super hanc fidem, hoc est id quod dictum est, Tu es Christus filius Dei viui. Super hanc, inquit, petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc ille.

Auct. Ecce vna est fides Apostolorum, & tamen hanc prærogatiuam Petrus assequitur, vt fidei suæ petra fundet Ecclesiam. Nihil ergo est quod quidam obijciunt, quòd murus ciuitatis Ecclesiæ duodecim habeat fundamenta secundùm Apocalypsim Ioannis 21. Et sunt duodecim fundamenta, duodecim nomina Apostolorum scripta & agni. vbi nulla præcellentia fundandi Petro assignatur. Sed nec agno secundùm illam seriem nisi vna cum illis duodecim ascribitur gloria fundamenti. Nomina, inquit, duodecim Apostolorum, & agni.

At si arguerem cum nostro Vviteleff, quòd in hoc passu Scripturæ, agno cœtus Apostolicus anteferrur, ergo magis haberet fundandi præconium, saltem sufficit, quòd ex Scripturis sanctis, quàm sit argumentum friuolum videatis. Sed & ductu eiusdem textus, qui mysticus omninò est, etiam mysticè, Petrus est prælatus. Nam consequenter cum duodecim fundamenta nominetenùs percurrit, fundamentum, inquit, primum Iaspis.

Hieron. enim in libello, quem de duodecim lapidibus inscripsit. Iaspis, inquit, viri-

viridis, quia super quem fuerit phantasmata non timet, significat fidem qua viridescuot Sanctorum animæ in prata æterna, & tettores dæmonum expelluntur. Hæc ille.

Auct. Cùm ergo fide Petrus omnes præcesserit: ita vt in eius fide fundaretur Ec-
6 clesia ipsa, Prælatio Iaspidis in ordine lapidum, præponit Petrum in ordine Apostolorum: omnes ergo Apostoli fundamen-
7 tum, sed post Christum, Petrus fundamentorum fundamentum, & omnis Ecclesiæ fundamentum.

Vndè Ambrosius, lib. 4. tom. 5. super Lucam, c.8. de turbatione loquens nauiculæ Petri, Quemadmodùm turbari, inquit, poterat cui is præerat in quo Ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turbatio, vbi modica fides. Idem in decretis, dist. 50. cap. fidelior. Idem etiam lib. 1. Homiliatum, Fidelior factus est postquam se perdidisse Petrus defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quàm amisit: tanquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui se interrogationis tentatione mutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Deoique pro soliditate Ecclesiarum deuotionis petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus: Petra enim eò dicitur, quòd primus in nationibus fidei fundamentum posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Hæc Ambrosius.

Auct. Ecce Petrum omnium firmamentum, & pro soliditate Ecclesiarum petram dictum, & quod primò posuit in nationibus fidei fundamentum, & quod totam contineat molem operis Christiani.

Et vetus Pater Origenes tom.2.homil.5. super Exod. Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino. Matth. 14. Modicæ fidei quare dubitasti?

Auctor. Quòd si adhuc antiquiorem auctoritatem expectes, B. Dionysius fate-
8 tur, audisse se dicere Apostolum Paulum ad B. Petrum cum à se discederent versus mortem.

Dionys. Areop. Pax, inquit, tecum fundamentum Ecclesiarum, pastor ouium, & agnorum Christi. Et Petrus ad eum. Vade in pace prædicator bonorum, mediator & dux salutis iustorum. Cùm autem elongassent sese abinuicem, secutus sum magistrum meum Paulum, non in eodem loco, sine vico occiderunt eos, & ita attende miraculum, vide prodigium: nam præsens fui in tempore separationis eorum: post mortem autem eorum, vidi eos inuicem manu ad manum, intrantes portam vrbis, & indutos vestes luminis, & coronis claritatis, & lucis ornatos. Hæc Dionysius in epistola ad Timotheum de morte Apostolorum Romæ.

CAPVT VII.

Quòd Petrus Romæ fuit: quo etiam tempore, & quanto Præsul Romanus fuit.

SVMMA.

1 *Quæ fuerit ratio Vvitcl. ac Magistri eius, qua Petrum nunquam Romæ fuisse, probabat.*

2 *Destruitur eorum ratio, Sanctorumque testimonijs, veritas manifestatur.*

3 *Petrus, & Paulus anno post ascensionem Domini 38. Romæ martyrio coronantur.*

4 *D. Petrus sedit Romæ annis 25.*

5 *Petrus quarto Claudij anno postquam Antiochenam fundauerat Ecclesiam, Romam venit.*

6 *Quòd etiam ex Scripturis sanctis constare potest, Petrum fuisse Romæ.*

HIc locus est, quo ad erubescendum inuitemus Vvihelmum nostri Vvitcleff magistrum, & præcipuum in materia præceptorem, dicentem B. Petrum nunquam fuisse Romæ, oec ibi prædicasse: ideòque nec ibi fuisse Episcopum, sed Pau-
1 lum magis. Scriptura, inquit, sancta non docet hoc in actibus, sed legenda quædam apocripha,& omnium mirabilium hoc ad-
2 mirandissimum esse fatetur. Mira certè proteruia quòd seductus est ad rantum, vt cæcam tatlunculam suam præponat tàm extensæ famæ omoium sæculorum, quæ successiuè durauit, & scribitur omnium Doctorum codicibus, & memorijs populorum. Lucas, inquit, noo commemorat in Actibus. Quid tum? Nec Ioannes Christi alumnus in Euangelio suo natiuitatem Christi carnalem: nec quisquam Euangelistarum redemptionem primorum parentum, oec totum nouum testamentum Beatæ Virginis virginitatem perpetuam: & nonue ista magis necessaria fidei Christianæ, quàm prædicatio Petri Romæ? Sed si credas Patribus, Petrus Romæ fuit saltèm quando se mutuò salutarunt Petrus,& Paulus, secundùm Dionysium iam citatum.

Eusebius insuper lib. 2. Ecclesiasticæ historiæ cap. 14. & idem Niceph. lib. 2. hist. cap.35. In ipsis, inquit, Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ probatissimum omoium, & Apostolorum maximum fidei magnificentia, & virtutis meritò primum,& principem Petrum ad vrbem Romanam velut aduersus humani generis communem perniciem repugnaturum deducit ducem quendam, & magistrum militiæ suæ scientem diuina prœlia gerere, & virtutum castra ductare. Iste adueniens ex Orientis partibus, vt cœlestis quidam negotiator, mercimonia diuini lumiois aduexit, & salutaris prædicationis verbo, primus in Vrbe Romana Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit. Hæc ille.

Et cap. 17. Inferens Philonem, Quem sermo, inquit, tenet, temporibus Claudij Impe-

Imperatoris Romam venisse, & Petrum Apostolum vidisse, atque eius adhæsisse colloquijs. Hæc ille.

Auct. Vide laudes huius annosi Patris Eusebij, qualitèr B. Petrum omnium Apostolorum probatissimum, maximum, meritò primum, & Principem appellat, rotiusque militiæ Christianæ magistrum.

Idem Eusebius etiam in cap. 15. dicit. Hierapolites Episcopus nomine Papias, quòd Petrus in prima epistola sua, quam de Vrbe Romana scribit meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babylouiam nominauit, cum dicit. 1. Petr. vlt. Salutat vos ea, quæ in Babylone est Ecclesia, Et Marcus filius meus. Hæc Eusebius.

Auct. Hic ergo habes vtrumque,& quòd Romæ fuerit, vbi ipse prædicauit primitus verbum Dei, secundùm quòd huic dicto Eusebij astipulatur Pater Hieron. tom. 2. contrà Iouinianum in fine libri inuectus. Nulla fuit alia in toto Orbe prouincia,quę reciperet præconium voluptatis, in quam coluber tortuosus irrepit, nisi in qua Petri doctrina super se petram fundauerat Christus. Hæc ille.

Auct. Et ex Scripturæ habes testimonio, quòd Romæ fuerit, quando in epistola sua ipse se commemorat, epist. ipsam Romæ scripsisse: ibi. 1.Pet.5. Salutat vos ea,quæ in Babylone est Ecclesia, idest Roma secundùm Papiam, & Bedam in expositione eiusdem canonicæ.

Beda Babyloniam, inquit, tropicè Romam dicit, Et infrà, Patet quia priusquàm Marcus Alexandriam de Roma ad euangelizandum mitteretur, epistolam aoteà scripsit. Tempore autem Claudij principis, & Petrus, & Marcus Romam venerunt, & ipse Marcus descripto Romæ Euangelio suo, Alexandriam missus est. Vndè colligitur, quòd epistolam hanc dum quæritur vbi, vel quando Petrus scripserit, locus erat Roma: tempus Claudij Cæsaris. Hæc Beda tom. 2.

Idem super primum textum eiusdem epistolæ. Sanctus, inquit, Presbyter Hieronymus de his loquens ait, quòd Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia, & Bithynia, quarto Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit. Hæc ille.

Auct. Et quia vt putatur, historiam illam Simonis Magi calumoiaris sine fide, & non nisi in antiqua legenda conscriptam, B. Ambrosius in magnum argumentum causæ suæ,de fide Ecclesiæ eam assertissimè producit, contrà Auxentium hæreticum lib. 5. epistolarum, epistola 32. tom. 3.

Ambrosius. Idem, inquit, Petrus victo Simooe cum præcepta Dei populo semioaret, doceretque castimoniam, excirauit animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper discederet. Et quamuis esset cupidus passionis, contemplatione tamen populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum, & conseruandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muros egredi cepit, Et videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait. Domine quo vadis? Respondit Iesus, Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Hæc Ambrosius.

Auct. Iam si non antiquæ legendæ, saltem credas Ambrosio: putauit enim contrà immanem Arianum hæreticum illum Auxentinm beuè historiam valere. An non potest ille lapis te frangere, qui fregit Auxentium? Quanto etiam tempore, & quoto anno Romam Petrus venit, & sedit ibi Episcopus, notat ibidem Beda super actus Apostolorum tractans hunc textum. Et statuerunt vt ascenderent Paulus, & Barnabas.

3 Beda. Scimus, inquit, Petrum, & Paulum Apostolos anno post ascensionem Domini 38. idest vltimo Neronis, passos fuisse

4 martyrium. Et Beatum Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse Cathedram 25. anni, & 14. non 38. sed 39. faciunt. Sequitur ergo vt B. Paulum eodem 14. anno post Domini passionem, quo eum Hierosolymis alloquitur Paulus, quarto Claudij Cæsaris Romam venisse credamus. Simulque, nisi fallor, ex hac positione Paulum eodem, quo Dominus passus est, & resurrexit aono ad finem venisse probatur. Hæc ille.

5 Auct. Hic ergo habes, quòd annus 14. Pauli quem ipse ad Galath. 2. commemorat, fuit annus aduentus Petri Romam,qui fuit quartus Claudij.

Sic etiam idem Beda calculum agitat lib. suo de temporibus, Claudio, inquit. agente annos 4. menses 6. dies 28. Petrus Apostolus cùm priùs Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam pergit: ibique 25. annis Cathedram tenet Episcopalem, idest vsque ad vltimum Neronis annum, Marcus verò Euangelium, quod Romæ scripserat, Ægypto Petro mittente, prædicat. Hæc ille.

Auct. Quotiens ergo habet æmulus Petrum fuisse Romæ tot annis Episcopum? Paulum verò non anno vno? Marcus etiam de Roma vbi scripsit Euangelium Petro mittente Euaogelium detulit in Ægyptum. Nonnè ergo Petrus Romæ tunc fuit,quando illinc Marcum misit in Ægyptum? Et Petrus Romæ occubuit eodem die quo Paulus: Nonne ergo Petrus aliquando Romæ fuit?

Vndè Ambrosius tom. 3. in sermone Apostolorum Petri, & Pauli, & est in numero sermonum, sexagesimus sextus. Non sioe causa factum putemus, quòd vno die, vno loco, vnius tyranoi, Apostoli tolerauere senteotiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent. Vno loco, ne alteri Roma deesset. Sub vno persequutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persequutor decretus est pro virtute. Hæc ille.

Et Augustinus lib. 1. contrà Iulianum cap. 5. de Occidentali Ecclesia loquens. Puto ergo, inquit, eam partem Orbis debere sufficere,iu qua primum Apostolorum suo-

suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesie præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Hæc ille.

Auct. Primus ergo Apostolorum S. Petrus Romæ erat, cui Ecclesiæ Innocentius
6 Papa præsidebat. Erubescat igitur idem præceptor noster Vviclefl quod de Scripturis sanctis iactat haberi non posse Petrum vmquam Romæ fuisse, cùm ipse Petrus de Roma primam scribens epistolam, Salutat vos, inquit, Ecclesia, quæ est in Babylone electa. tropicè Romam Babylonem appellans, vt exponit ad literam vetus Pater Papias Hierapolites, & discipulus eius Beda. Et insuper in prologo Marci ipse Beda in tom. 1. magistrum quem imitatur allegat.

Beda. Dat, inquiens, testimonium Hierapolites Episcopus nomine Papias, qui & hoc dicit, quòd Petrus in epistola sua prima, quam de Vrbe Roma scribit meminerat Marci. In qua tropicè Romam Babyloniam nominarit, cùm dicit, Salutat vos ea, quæ in Babylone est Ecclesia, & Marcus filius meus. Hæc ille.

Auct. Beatus verò Hieron. tom. 1. Hanc literalem expositionem affirmat libro suo de viris illustribus cap. 8. Petrus, inquit, in prima epistola sua sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans. Salutat vos, inquit, ea, quæ est in Babylone Ecclesia collecta: & Marcus filius meus. Hæc ille.

Auct. Cognoscere etiam potuit ex Scripturis, si eas vidisset, Romanos per S. Petrum ad fidem Christi esse conuersos, & prædicationibus suis quotidianis hortatos diù antè aduentum Pauli, quia antequam epistola illa Pauli ad Rom. 1. venit, eum tamen antequam ipse veniret præmisit epistolam, dicente textu, Desidero videre vos, vt aliquid impertiat vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos. Vbi patet Paulum confirmasse in illis fidem, quam Petrus instituit.

Vnde Hieronymus tom. 9. In annotationibus super eodem verbo, Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare se velle Paulus dicit, Non quòd minùs accepissent à Petro, sed vt duobus Apostolis testantibus, atque doctoribus, eorum roboraretur fides. Hæc ille.

Auct. Credat iam Vvilhelmus de Scripturis haberi, quòd Petrus Romæ fuit, vel dicat mendacem esse Hieronymum, qui hoc iam de Scripturarum sensu probauit.



EIVS-

EIVSDEM AVCTORIS.

. ARTICVLVS TERTIVS.

De membris Ecclesiæ Iesu Christi secundùm professiones suas, & Officia seriatim.

CAP. XXIX.

Quòd ex Petro post Christum tota successione fluxit Ecclesia, quasi membrum de membro secundùm Apostolum.

SVMMA.

1 *Colligit ex membris Christi, iniustos in Ecclesia militanti, cum iustis vsque in finem sæculi fore permansuros.*

2 *Immissio Petri in mari quomodò pulchrè figura fuerit eius vniuersalis præfecturæ.*

3 *Quæ fuerit Vvit. sententia circa Petri vniuersalem præsidentiam.*

4 *Petrum omnium Apostolorum fuisse Principem, aperte concluditur.*

AVCTOR.



Ecclesia magna ergo est hæc quam non supra seipsum tantùm Christus erexit successorem suspicans, & pauescens cum Herode feroci, Matth. 16. sed velit nolit Vvitcleff, etiam supra petram Petrum fundauit eandem, & indè contingit, quòd ex his qui in agro, sicut & de alijs in lecto, & molendino relinquendi quidam ad gehennales flammas Cathedras occupant prælaturæ. Petrus enim erat, qui dixit Christo. Exi à me Luc. 5. quia homo peccator sum Domine, Christus enim erat agnus fine macula, qui innocentia suorum natalium tollere potuit peccata sordentis Ecclesiæ.

Passurum ergo se Petrus fortè præsensit flagitiosa vasa iræ in corpore suo futuro, & tenebras membra, quæ lucem Mundi sustinere non possent, & indè quasi stimulatus expressit Christo. Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Et quanquàm tunc bona essent de præsenti iustitia, alioquin enim nec de Petri corpore essent. Vndè Augustinus tom. 9. Super Ioannem tract. 50. Iudas malus, corpus malorum significat, quomodò Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ, immò corpus Ecclesiæ, sed in bonis, nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Matth. 16. Hæc ille.

Auct. Si ergo super seipsum tantùm sine successionis respectu fundasset Christus Ecclesiam, potuit esse quòd eius membra non nisi electa fuissent, quia verò post primam iustitiam impeccabilem etiam super hominem peccatorem immundum, & negatorem veritatis fundationem eius Christus instituit, fides ostendit, quia iustos præferens, non propter hoc
1 peccatores renuit. At quia alibi argumentaris, quæ communicatio Christi ad Belial, 1. Corinth. 6. aut lucis ad tenebras? Hoc ipso tuo argumento iam vsus est Petrus, dicens. Exi à me, quia homo peccator sum Domine.

Sed Christus non exiens, sed ampliùs expectans in nauicula, & argumentum tuum confutat, & lucem eum tenebris, & filios Christi, cum filijs Belial facto præcinit conmansuros. Nam quid est, Exi à me, quia homo peccator sum, nisi quia ego peccator, tu innocens, ego tenebræ, tu lux, ego nisi tua gratia filius Belial, tu tua natura, & Christus, & filius Dei viuentis? Exi ergo à me, quia homo peccator sum Domine.

Sed quid ait Christus? Noli timere, ex hoc eris hominea cupiens. Luc. 5. Et certè ex hoc, non enim est nauicula tua, vt me tantùm capiat, vt solos meos, aut solos tollat electos. An vis æquare remigantem adhuc vndis tuam nauiculam Regno Cœlorum, vbi soli regnabunt electi? Ex hoc eris homines capiens, ex hac fluctuum cimba congregare potes dispersos, potes ad portum ductare perdendos. Matth. 28.

Non ergo ego recedo, sed tu succede dicturus sum aliter, quia ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummat io-

mationem sæculi. Tunc finaliter exiturus sum Petre, quando sum dicturus, Ite maledicti in ignem æternum Matth.25.

Dum autem tu remigas, noli (consulo) nimis esse iustus. Ecclesia.7. Suscipe peccatores, copatere miseris, mitis esto ad omnes. At ipsi annuerunt socijs, qui erant in alia nauicula, vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, forsan verbo, non facto, ordo est præposterus. Quid est, quod Petrus, Iacobus, & Ioannes socijs annuerunt, vt venirent, & soli Petro dictum est à Christo, Ex hoc eris homines capiens, nisi quia primus, & caput cæterorum etiam Iacobi, & Ioannis futurus est Petrus, & tamen omnes sub Petro, vel vnà cum Petro congregarent Ecclesias? Est enim omnis nauicula Christi Ecclesia, sed ad nauiculam Petri, & ad eius Ecclesiam Christi nomine congreganda.

Vndè Ambrosius tom.5.super Luc.lib.4. cap.vlt. Vocantur, inquit, socij ad adiumentum, qui erant in alia naui. Quæ est illa alia nauis? fortè Iudæa ex qua Ioannes, & Iacobus alleguntur? Psal.113. Facta est Iudæa sanctificatio eius. Hi ergo de synagoga ad Petri nauem, huc est ad Ecclesiam conuenerunt, vt implerent ambas nauiculas. Omnes enim in nomine Iesu genu flectunt, siue Iudæus, siue Græcus, omnia est in omnibus Christus. Sed mihi cumulus suspectus est, ne plenitudine sui naues pæne mergantur. 2. Corinth.11. Oportet enim, & hæreses esse, vt probentur boni 1. Corinth. 11. Possumus tamen,& aliam Ecclesiam intelligere nauem alterius, ab vna enim plures Ecclesiæ deriuantur. Hæc ille.

Auct. Geme iam mi Vvircleff, quòd tu sic imples Christi nauiculam simul, & Petri, vt pœnè mergatur, sed tolero ego eum dicat Pater Ambrosius 1.Corinth.11. Oportet hæreses esse, vt probentur boni. Sed ad rem esse dignoscitur, quòd alia nauis alia sit Ecclesia, quia ab vna plures esse deriuantur. A qua, nisi ab illa quæ cæteris annuit, vt venirent? Et nonne illa est Petri de qua dixit Iesus, ex hoc eris homines capiens?

Beatus etiam Bernardus post medium sic loquitur de nauicula vna Petri, lib. 2. ad Eugenium. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore, Ioan.21. quodque iucundius erat in corpore rediuiuo, sciens Petrus quòd Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alijs nauigio peruenientibus. Quid istud?

a Nempè signum singularis Pontificij Petri, per quod non vnam nauem, vt cæteri quique suam, sed ipsum sæculum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est, nauis Ecclesia. Indè est, quòd altera vice instar Domini Petrus gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ populi multi. Itaque cùm quisque cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis facta ex omnibus, ipsa vniuersalis, Ecclesia toto Orbe diffusa. Hæc Bernardus.

Auctor. Quàm synceriter, quamque subtiliter enucleat Pater Bernardus eminentiam summi Sacerdotis, & fastigium Christi Vicarij, ab ipsis medullis Euangelij rutilantis. Signum est dicit singularis Pontificij Petri, quòd non vnam nauem, sed mare sæculi gubernandum accepit, & quasi adhuc Petrum alloqueretur ad successorem Petri verba conuertens. Cùm quilibet cæterorum, inquit, habeat suam, tibi vna commissa grandissima nauis, facta ex omnibus ipsa vniuersalis Ecclesia, ac si Petrum in successore palparet, vel successorem Petri crederet ipsum Petrum.

Et reuera vbi causa omninò par est, non refert, quanta sit personarum distantia. At quantum rogo hoc confert Petro, quod iussu Christi potestatem suam adhuc seruet in omnibus successoribus sedis suæ, qui in semetipso gessit totum corpus Ecclesiæ? sic enim Augustinus dixit supra, Petrus habet corpus Ecclesiæ, immò corpus Ecclesiam. In Christi tamen corpore membrum est Petrus, de quo cætera membra dependent, dicente Apostolo, 1. Corinth. 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Si vos, id est omnes credentes, estis corpus Christi.

Vndè ergo membra, & de quo membro, nisi quòd vnusquisque fidelis aliquod membrum est, & hoc dependenter per prælatos de primo membro Petro, & tamen omnes simul vnum membrum in Christo.

Vndè Haymon in expositione sua super illum Textum. Sicut, inquit, de humero procedit cubitus, & manus, & digitus, de coxa tibiæ, pedes & articuli, sic sunt subditi membra de membro, id est pendentes ex sibi prælatis. Hæc ille.

Auct. Quomodò ergo in Ecclesia primùm Christi fluunt membra inferiora de primis, immò infima de supremis videndum etiam. Ac primò de fundatione, & progressu Pontificum Romanorum de Coapostolo, & capite suo Petro, sed maximè Iesu Christo, primò tamen omnium videatur, quid de præfato Christi Vicario in scriptis suis senserit noster Vvircleff.

Hic, inquit, dicit vocaliter tanquam hypocrita, quòd sit immediatus Christi Vicarius, hìc in terris, & ratione propinquitatis sequelæ, habet vltra mortales cæteros præeminentiam potestatis. Istud mendacium plus Ecclesiam inficit militantem, quàm mendacium Pontificum, & Pharisæorum in tempore Christi infecerat, tum quia diabolus non audebat in Christi præsentia mouere ipsos ad tantam superbiam, tum etiam ex victoria,& Christi præeminentia super diabolum, falsissimè vendicat Romanus Pontifex, quòd superat non solùm prælatos legis veteris, sed etiam eunctos Christi Apostolos, quia vt dicit in ipso colligitur Vicaria potestas Domini Iesu Christi.

Hæc

Hæc Witcl. 2. tract. de serm. Domini in monte, cap. 7. & propter hoc consequenter dixit, vt habet conclusio ter damnata 6. Genus humanum specialiter in Europa profundatur in ista hæresi nimis cæca, quia oportet totam militantem Ecclesiam duci per regimen Antichristi: sentit enim quamuis inuolutis verborum versutijs, quòd nullus sacerdotum præfigendus esset humanitus toti Ecclesiæ citra Christum: sed quicunque in synceritate foret vitæ perfectior, ille eo ipso esset Vicarius Christi propinquior: sic habet etiam conclusio ter damnata, cap. 21. Patet luce clarius, quod quicunque est humilior Ecclesiæ seruitor, & in amore Christi quoad suam Ecclesiam amantior, est in Ecclesia militante maior, & proximus Christi reputandus Vicarius. Et in lib. de Ecclesia, & membris eius, lib. 2. cap. 12. Genus humanum habet triplicem finem intrinsecum: primus est species humana gratia cuius est quodlibet eius indiuiduum ordinatum; Secundus finis, & medius est media Persona in Trinitate: scilicet Verbum Domini incarnatum, quod est caput totius humani generis, & naturæ Angelicæ, cùm sit optimus homo possibilis, docens efficacissimè quomodo electionem acquiremus: vt patet in lege Euangelij.

Sed tertiò propinquius proposito conceditur quod continuò in humano genere viante est vnum caput, vel Capitaneus per quem oportet residuum regulari, qui est totum genus Capitaneorum quibus Deus, ad hoc excellenter sua bona distribuit, sed oportet continuè esse vnam personam simplicem ante electionem, vel auctoritatem humanam ad hoc à Domino ordinatam. In ciuilitate autem auctorizat humana electio, sed non in priori regimine Euangelico, vel diuino. Deus autem præficit talem licèt mundo absconditο, qui sine superbia, aut strepitu verborum, & maioritatis contemplatione plùs prodest Ecclesiæ, hæc Witcleff.

Auct. Hæc omnia recitare membratim non decreui superfluum, vt omnes fideles periti viderent arbusculum positionis eius phantasticæ ad radices vsque, & nihilominus, vel me imputare ipsi non suum: & quoniam, vt ipse desipuit, & vbi satis vigilanter dixit inuenerim. Istud iam caput absconditum quod ipse dicit à Christo præfectum nunquid habet ab æquo corpus suum absconditum, aut ad modum galli siluestris, vel huppupę dormientis capite sub axellis inflexo, & alis abscondito totum reliquum corpus turbidas exponit ad auras: conuenientius dicet primum, vt sic Rogatistarum Patrum suorum Ecclesiam absconditam ipse defendat per caput eius absconditum quod prouidit. Vndè August. tom. 2. epist. ad Vincentium inter epist. 48. contra occultam Donatistarum Ecclesiam agens, dicit.

Nempè hoc est totum quod nobis persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas, qui Catholici rectè appellandi sunt ex obseruatione pręceptorum omnium diuinorum, atque omnium Sacramentorum, vt vos esse solos in quibus inueniat fidem cum venerit filius hominus. Da veniam. Non credimus. Licèt enim, & hoc audeas forsitan dicere, vt in vobis possit inueniri fides quam se in terra non inuenturum Dominus dixit, non vos in terra, sed in cęlo esse deputandos. Luc. 18. Nos tamen Apostolus ita cautos reddidit, vt etiam Angelum de cęlo nobis aliud euangelizantem, quàm quod accepimus, anathema esse debere perceperit. Quomodo autem confidimus ex diuinis literis nos accepisse Christum manifestum, si non indè accepimus, & Ecclesiam manifestam? hęc ille.

Auct. Ita nempè bonum est Vvitcleuistas coniungere capu t suum absconditum immanifestę Rogatistarum Ecclesię, quo & ipsi corrigendi conueniant, vt vbi sit corpus, illuc congregentur, & aquilę, Matt. 24. aut saltem hoc caput incertum Rogatistarum sibi corpus associet. Sic enim ait Gregorius 7. tom. 2. regist. Caput suum potius membra sequi dicunt, & quocunque iuerit comitari; hęc ille.

4 Auct. Et breuiter concludamus quod priùs incepimus, dicentes Beatum Petrum Apostolum omnium Apostolorum Principem fuisse, & vbi cęteris super quasdam particulares Ecclesias cura incubuit ad ipsum vniuersalis Ecclesię, idest vniuersarum Ecclesiarum localium pręsidentia pertinebat.

Ideò Gregor. tom. 2. in registro lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Augustum, quę incipit, Pijssimus. Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica, sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo, totius Ecclesię cura commissa est. Ipsi quippè dicitur, Petre amas me? pasce oues meas. Ioan. 21. Ipsi dicitur, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non pręualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cęlis. Ecce claues regni cęlestis accepit, potestas enim ligandi, & soluendi ei tribuitur. Cura ei totius Ecclesię, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur: hęc ille.

Auct. Sensibilis Homo erat Petrus, & mundo non absconditus, sed sensibiliter Mundo apparens, sicut & Christus Dominus, & primum caput Ecclesię: cur ergo talis mundo absconditus datur? Iam caput nostrum, & Petri successor: & mundo non fuit sic absconditus Petrus eius pręcessor, nec Christus huius præexistentiæ primus auctor.

CAPVT XXX.

De regulari, & publica successione Summorum Pontificum, tam in lege veteri, quàm in noua.

SVMMA.

1 *Quomodo Vvitcleff conatus sit regularem successionem in Christi Vicariatu diuellere.*

2 *Successio Summorum Pontificum in veteri Testamento ostenditur, vbi Aaron nostri Sacerdotij figuram gessit.*

3 *Quemadmodum Deo curæ fuit de Aaronici Sacerdotij successione, ita & multò magis de Christiani Pontificatus propagatione.*

4 *Petrus cùm se morti vicinum agnosceret, Summi Pontificatus potestatem exuens, ea Clementem diuina auctoritate induit.*

5 *Si verborum proprietates strictius considerentur, potius dicemus Clementem Petro accessisse, quàm successisse: quod quidem rarò postea euenit.*

6 *Pontifices noui Testamenti ex genere carnis, & sanguinis eliguntur, sed pro meritis.*

AVCTOR.

QVod verebatur Christus, iam accidit. Lucæ. 11. Nemo, inquit, accendit lucernam, & in abscondito ponit neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

Noster Witcleff, igitur nemo est, qui caput Ecclesię sic abscondit sub modio quod tantùm dicit prodesse: & facit, vt qui ingrediuntur cæcutiunt, siuè palpant, lumen autem eius non videt. Totum autem absconditum est, totum immanifestum, & caput Ecclesiæ, & corpus Ecclesiæ. Totum in fornace latebras fouet incognitas. Corpus Ecclesiæ si non nisi prædestinatorum vniuersitas fuerit quid magis immanifestum, quid magis occultum, quid soli Deo secretius significat? Aut fallitur August. redarguens Donatistas de immanifesta Ecclesia, aut iste falsè finxit Ecclesiam totam in corpore immanifestam, & capite militantem: sed ab conditum prædicat, & derogat manifesto, vt ipse in manifesto errare posset impunè, nec vlli vellet regulariter obedire: & idcircò detestatur capitum successionem, cùm tamen secundùm Apostolum plures facti sint sacerdotes. Idcircò quòd morte prohiberentur permanere. Inter conclusiones eius ter damnatas est conclusio 185.

1 Witcleff. Credere debet Catholicus, quòd Imperator, nec vniuersalis Ecclesia, nec Deus de potentia absoluta ordinare potest, quòd eo quo quis succedit post Petrum vocatus in facie Ecclesiæ Romanus Episcopus, vel Papa eo ipso sit caput, vel pars Ecclesiæ, cui obediendum est.

Auct. Non obtendat aliquis Witcleuista, vel quis Catholicus falsa pietate seductus velum excusationis tam aperto flagitio, quòd sic, vel sic intelligat, scilicet, quod quis non legitimè succedat, vel tale quid aliud, termini plani sunt, & centiformis hęresis sobole impregnati: sed quod est patulum capiamus, regularem enim successionem in Christi vicaria pro posse diuellit. Sic enim declarat intentum suum conclusio ibi sequens, cap. 88.

Witcleff. Non promisit Deus, inquit, quod quicunque in officio pastorali Petro Romæ successerit gaudebit dignitate, vt sit Ecclesiæ caput.

2 Auct. Videmus ergo si sic neglexerit Deus officium primæ Sedis, vt nec pro successione eius prouidere dignum duxerit Ecclesię suæ certificos pręsidentes. Vt enim ab ipso fundamento sumamus exordium, sacerdotis officium in Aaronitica primo cœpit esse familia: vndè Rabanus lib. de instit. cleric. cap. 4. Initium quippe Sacerdotij Aaron fuit in veteri Testamento, & Melchisedech primò obtulit sacrificium, & post hoc Abraham, vel post hunc Abraham, Isaac, & Iacob: legitur, & à Noe altare ædificasse, & super illud Domino holocaustum obtulisse: sed isti spontanea voluntate non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. In nouo autem post Christum Testamento, ordo sacerdotalis à Petro cæpit. Ipsi enim primùm datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Hic ergo ligandi, atque soluendi potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ predicationis adduxit: hæc ille.

Consimiliter quoque Magnus Isidorus lib. 2. de orig. offic. cap. 5. sic rem elucidat. Quod est, inquiens Sacerdotij fundamentum, vel quo Auctore pontificalis ordo adoleuit in sęculo? initium, quidem sacerdotij ab Aaron fuit, quamquam, & Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, & Isaac, & Iacob, sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. Genes. 14. & 21. Cęterùm Aaron primus in lege sacerdotali nomen accepit primùsque pontificali stola insulatus victimas obtulit, iubente Domino, ac loquente ad Moysen.

Accipe, inquit, Aaron, & filios eius, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cùmque laueris Patrem cum filijs suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est linea tunica, & superhumerali, & rationali quod constringes baltheo, & pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. Exod. 29. Filios quoque eius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque baltheo Aaron, & filios eius, & impones eis mitras: eruntque sacerdotes mei religione perpetua. Exod. 28. & 29. Quo loco contemplari oportet Aaron summum Sacerdotem, idest Episcopum fuisse, & filios eius presbyterorum figuram ministrasse.

Fuerunt enim filij Aaaron, & ipsi sacerdotes quibus meritò astare debuissent Leuitæ, sicut summo sacerdoti: & hoc fuit inter Aaron summum sacerdotem, & filios eiusdem Aaron, qui & ipsi erant sacer-

dotes,

dotes, quòd Aaron super tunicam accipiebat proderem stolam sanctam, & coronam auream, mitram, & brachiale aureum, & superhumerale, &c. quæ memorata sunt. Hæc ille.

Auct. Non sine magno fructu recitauimus hæc dicta, Patris Isidori, vnde & nosse poterimus fundamentum primi sacerdotij, & quomodo Pontificatus nostri summi primus Aaron figuram expressit: cui successit figuraliter in noua lege primus Petrus post Christum. Sed quia de primo, & summo pontificatu quantum ad eius originem diximus, iam de eius successione, & continuo processu in hac mortali carne, dicamus. Habet enim lex Domini num. 20. locutus est Dominus ad Moysen dicens, Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eo quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eum in montem Hor. Cumque nudaueris patrem veste sua, indues eam Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyses, vt præcepit Dominus, & ascenderunt in Montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset se vestibus suis, induit eas Eleazarum filium eius. Hæc de successione summi Pontificatus figuralis gerenda Deus instituit: quid ergo de successione veri Pontificis in noua lege Deus efficiet? Beatus enim August. tom. 4. de quæstionibus numerorum quæstione 42. dicit, quòd Sacerdotium illud, & sacrificia nullam partem tenent hodie fidei Christianæ, nisi quòd in vmbris futurorum, atque signis acta sunt. Cùm verò ambobus fratribus, idest Aaron, & Moysi dicitur vt appouantur ad populum suum, manifestum est non esse in illos iram Dei, quæ cœperat à pace sancta societatis æternæ. Vndè manifestantur non solùm officia, sed etiam mortes eorũ futurorũ fuisse signa. Hæc ille.

Auct. Iam videmus quòd Sacerdotium illud Aaroniticum esset à Christianorum secta prophanum, nisi quia sit vmbra Sacerdotij, & Pontificij Christiani. Manifestantur, inquit, non solùm officia, sed & mortes eorum signa fuisse futurorum: sic etiam sacrificia, & holocaustomata, & ritus, & festi dies, & quæcunque alia solum in figura contingebant illis, nobis autem in veritate succedunt. Si ergo non tunc Deo cura fuit de hominibus, quid tantopere curabat de successore habendo summi Pontificatus Aaronici: si non magis foret solicitus Episcopum de successione Summi Pontificii Sancti Petri? An figuram volebat veritati præferre, & succurrere, voluit potius ne occumberet Sacerdotium Iudæorum, & magnum pontificatum, quem ipse primò post seipsum dedicauit in Petro patietur occumbere? Quis ista putaret, nisi quod in hoc loco tantum, sed etiam nisi priùs Eleazaro commendauit de Thuribulis seditionis fieri lamiuas ductiles in altaris ornamentum, hoc idem de successione Pontificatus insinuat.

Vndè August. tom. 4. in quæstionibus numerorum, quæstione 30. Hoc loco cur non ad Moysen, & Aaron sicut in superioribus Dominus locutus sit, sed ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron hęc mihi causa interim occurrit: Quoniam qui erat de progenie Sacerdotum, idest de quo genere esse deberent. Vndè illi ex alio genere, quia sibi vsurpare sacerdotium ausi sunt cum horrendo, & admirabili supplicio perierunt, non ad Aaron qui summus iam Sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus qui ei succedere debeat, & secundo iam Sacerdotio fungebatur: vt eo modo seriem ordinis commendaret, quæ in successionibus Sacerdotum esse deberet. Sequitur. Hoc ergo modo voluit per Eleazarum Deus non Sacerdotium, quod iam erat in Aaron, sed successionibus sacerdotalis
3 progeniei commendare. Hæc August.

Auct. Pluris vt fideles veraciter credunt, Pontificij successio debet esse Christiani, vt non totum obierit cum Sancto Petro, sed ad Eleazarum mysticum transferatur. Reuera moriturus Aaron veste spoliatur, qua
4 vestitur Eleazar Pontifex subrogandus: & moriturus Petrus se exuit summi potestate Pontificis, qua Clementem instituit ad formam, & ritum legitimi successoris sicut refert idem Clemens in epist. ad Iacobum Hierosolym. Episcopum in princip. libri dicti decreta pontificum, Audite, inquit, me, & fratres, & conserui mei, quoniam sicut edoctus sum ab eo qui misit me Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat. Clementem hunc Episcopum vobis ordino: cui soli meæ prędicationis, & doctrinæ cathedram trado. Qui mihi ab initio, vsque ad finem comes in omnibus fuit: & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit: Qui in omnibus tentationibus meis socius extitit fideliter perseuerans. Quem præ cæteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studijs deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, scientem ferre nonnullorum (etiam ex his qui in verbo Dei instituuntur) iniurias. Propter quod ipsi trado mihi traditam à Deo potestatem ligandi, atque soluendi: vt de omnibus de quibuscunq; decreuerit in terris, hoc decretum sit, & in cęlis. Ligabit enim quod ligari oportet: & soluet quod expedit solui, tanquã quiad liqui dum Ecclesiæ regulam nouerit. Hæc ille.

Auct. Secundùm hanc penè formam verborum Hieron. lib. de gestis Roman. Pontif. ex Damaso lib. 1. Beatus Petrus, inquit, Apostolus, & Princeps Apostolorum Antiochenus filius Ioannis, prouinciæ Galilææ primum sedit cathedram episcopatus in Antiochia annos septem, hic Petrus ingressus est vrbem Romam, Claudij Cæsaris temporibus, ibique sedit cathedram Episcopatus annos 25. menses 2. dies 3. sequitur. Hic ordinauit Episcopos, Linum, & Cletum, præsentialiter omne ministerium sacerdotale in Vrbe Roma populo, vel superuenientibus exhiberent. Beatus autem Petrus vacabat ab ordinatione, prædicatione sua populum erudiens, & infrà. Hic beatum Clementem Episcopum constituit, ei cathedram, vel Ecclesiam om-

omnem disponendam commisit, dicens. Sicut mihi gubernanri tradira est à Domino Iesu Christo ligandi, arque soluendi potestas: ita tibi ego committo, vt ordines dispositores diuersarum causarum per quos actus Ecclesiastici prosequentur, & tu minimum curis sæculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem, & prædicare populo vacare stude. Hæc ibi.

Auct. Phantasma ergo est de quo turbantur plurimum magistri quomodo scilicet potuit Petro Clemens succedere forma posteris Pontificibus inconcessa, non aduertentes quomodo lux suam vmbram adæquet, claritas typum suum appellet, & figuram suam aptè describat veritas responsalis. Sulus Aaron adhuc superstes Pontificatum subrogat successori. Solus Petrus superstes adhuc denat illum Clementi. Cæteri legis Pontifices prædecessore suo mortuo, vel expulso, subintrant: singuli quoque Pontifices leges Christi. Sed duo iubente hoc tantum in primo Pontifice legis completum est, vt aliquando daretur regula successionis seruandę, eam ipsam causam in hoc facto perpendere in primo Pontifice gratiæ. Vestem suam exiuit Aaron, potestatem suam Petrus. Sic enim dicit Hieron. to. 9. in annotationibus epistolarum Pauli 1. Cor. 11. super hunc textum, Mulier velamen debet habere super caput. Velamen, inquit, signum potestatis esse declarat. Hæc ille.

Auct. Velamen ergo vestis suæ Petrus Clementi, vt Aaron successori suo distribuit, quando ligandi, atque soluendi de quibuscunque decreuerit potentiam tradidit. Videtis iam quomodo se inuicem osculentur lux, & vmbra, veritas, & figu-
5 ra. Si tamen verborum proprietates strictius lector attendat, Eleazarum Aaroni, & Clementem Petro accessisse, quàm successisse, diceremus potius: eo quòd vterque possessori suo incolumi coniunctus est, quamuis protinus obituro. Qualiter Paulinus in epist. ad Romanum, de Augustino dicit, inter epistolas Augustini 36. tom. 2. & in operibus D. Paulini epist. penultima. Non tantùm hoc scribimus gratulandum, quòd Episcopatum Augustinus acceperit, sed quia hanc Dei curam meruerunt Africanæ Ecclesiæ, vt verba cœlestia Augustin. ore perciperent, qui ad maiorem Dominici muneris, gloriam nouo more prouectus, ita consecratus est, vt non succederet in cathedra Episcopo, sed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesię Episcopo, Coepiscopo Augustinus est. Hæc ille.

Auct. Vides, quod dicit nouum morem iustum esse, sic enim dixi, aur raro posteà contigisse, vel nunquam. Vtrùm tamen cùm vixerant Petrus, & Valerius Pontificatus suos illis accessoribus concedebant, non tamen cedebant ex toto: qualiter Aaron amittendo Sacerdotium cessit filio: quæstio noua est, & dictis impertinens. Nota tamen, quòd propter hæc dicta de Summo Petri Sacerdotio, à primo sacerdotio gratiæ Christus non excluditur, nec sic est omniuò Summus Pontifex Sanctus Petrus. Christus enim Rex, & Sacerdos Pontifex factus est in æternum secundùm ordinem Melchisedech, secundùm Apostolum: Heb. 7. Petrus tamen Pontifex, & vtique temporalis, & ideò quantùm ad hoc secundùm ordinem Aaron, quia solùm Pontifex, non Rex erat. In hac mensura posuit Christus Petrum, & singulos successores cùm diceret, Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Et secundum hoc Petrus pontificatus gratiæ primitias celebrauit.

Vndè Isidorus lib. 2. de origine offic. c. 5. in princ. In nouo Testamēto post Christum sacerdotalis ordo à Petro cœpit. Ipsi enim primùm est datus Pontificatus in Ecclesia Christi: sic enim loquitur ad eum Dominus, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hic igitur ligandi soluendique potestatem primus accepit: primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit: siquidem & cæteri Apostoli cum Petro pari consortio honoris, & potestatis effecti sunt, qui etiam in toto Orbe dispersi Euangelium prædicarunt. Quibusque decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum Mundum in sedibus Apostolorum,
6 qui iam non ex genere carnis, & sanguinis eliguntur, sicut primus secundùm ordinem Aaron, sed pro vniuscuiusque merito quod in eum gratia diuina contulerit. Hæc ille.

Auct. Ecce quanta diligentia succedendi seruata est, ne Apostolica auctoritas per totum Orbem careret hærede. Vbi iam ille absconditus tuus, quem tu sine auctoritate Christi caput Ecclesiæ præfecisti? Illa dico simplex persona Mundo, vt incognita, tibi soli reuelata, de qua vt omnes scimus, Christus non meminit quando Petrum non in abscondito, sed palam coram Apostolis fecit caput Ecclesiæ, Matth. 16. Et Ioan. vlt. Petrus ergo ille non erat, Matthæus ille non erat, cuius electio publica celebrabatur in strata. Nullus insuper Apostolorum absconditus ille fuerit quorum quilibet in manifesto electus audiuit Christum dicere, Matth. 5. Vos estis lux Mundi.

Postremò omnes. Apostolicæ ministrationes de occulto in publicum processerūt. An non Matthias coram centum viginti hominibus, à cœtu Apostolorum assumitur? Actor. 1. 6. 13. & Ioan. 18. Stephanus insuper, & socij eius coram omni multitudine Diaconi ordinantur. Paulus, & Barnabas toti Ecclesiæ publicè à Spiritu sancto reuelantur in opus Apostolicum transferrendi. Et in occulto locutus sum nihil, dixit Iesus. Et hanc formam statuendi caput Ecclesiæ Sanctus Petrus sequitur, vt supra legitur in Clement. ep. Clemens. Cùm hæc dixisset, inquit, in medio coram omnibus manus mihi imposuit, & in cathedra sua ingenti verecundia fatigatum, sedere me compulit. Hæc ille.

Auct. Et si ille absconditus tuus, vt iactas plus profecit Ecclesiæ, plus ergo Petro, plus Stephano, plus Barnaba, & Paulo, qui vt nubes volabant in aera regionum, &

quasi

quasi columbæ ad fenestras : & mendacem fecisti Paulum, 1. Cor. 15. Plus omnibus laboraui.

CAP. XXXI.

De serie veneranda Romanorum Antistitum, succedentium sancto Petro.

SVMMA.

1 *Clementem immediatè Petro successisse, & non Linum, neque Anacletum, compluribus test. comprobat.*

2 *Eorum sententia qui secus dicere audent, quo modo veniat intelligenda, exemplo Scripturæ aperitur.*

3 *Pontificum genealogia cur describatur.*

AVCTOR.

NOllem insuper multum vexare catholicos super immediata successione Clementis, audientes aliquos præponere illi Linum, quidam præponunt non Linum, sed vt Eusebius, Anacletum: dum tamen de immediata institutione eius à Petro dubium nullum restet: quòd ea ratione successerit, cuncti prædicant Orthodoxi.

Hieron. enim tom. 2. contrà Iouin. lib. 1. de virginum professione, auctores inducens. Horum, inquit, typus est spado ille Reginæ Candaces, in Act. 8. Apost. qui ob robur fidei viri nomen obtinuit. Ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cuius Paulus meminit scribens epistolas. Omnem penè sermonem suum de virginitatis puritate contexit. Hæc ille.

Auct. Vbi de successione eius non fixisset Hieronymus tam specialem notam, si non, vt quidam existimant, de immediata eius successione intenderet, & hæc frequentior dicto Latinorum. Vnde idem Hieron. to. 1. de illust. viris cap. 15. Clemens de quo Apostolus Paulus ad Philippenses 4. ait: cum Clemente in cæteris cooperatoribus meis quorum nomina sunt in libro vitæ, quartus post Petrum Romæ Episcopus: siquidem secundus fuerat Linus, tertius Anacletus, siuè Cletus: tam etsi plurimi Latinorum secundum dicunt post Petrum fuisse Clementem. Hæc ille.

Auct. In decretis verò Pontificum sub decreto Ioannis Papæ antecessoris Magni Gregorij ad hoc idem agitur. Ioannes Papa. Petrus, inquit, princeps Apostolorum auditores sibi asciuit Linum, & Cletum, non tamen Pontificij potestatem, aut ligandi, vel soluendi normam eis tradidit: sed successori suo Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & potestatem pontificalem tradente illi Petro tenere promeruit. Linus vero, & Cletus ministrabant exteriora. Princeps autem Apostolorum Petrus verbo, & orationi insistebat. Linum namque, & Cletum nihil legitur vnquam egisse ex pontificali potestate ministeriove, sed quantum eis à beato Petro præcipiebatur, tantum solummodo agebant. Hæc ille.

2 Auct. Non sis præceps interpres, sed intellige pontificatum, summum præsulatum illius Ecclesiæ sanciri, & quòd notarij ob reuerentiam primi Apostoli collaboratores inscribunt communi Patrum catalogo: duos æquo passu renumerantes in vno, vt laudem eius oneris episcopalis sentirent in parte, quam secundùm veritatem non merebatur in toto. Imitantes morem notarij euangelici Lucæ 3. qui ob Christi reuerentiam Heli Patrem Ioseph inscripsit; qui non secundùm veritatem germinis, sed ad eius parentelam vsu tantùm legis accessit, & dignum fuit vt tam regia soboles neminem sineret tam affinem perenni nota carere. Nec magis errat in Lino, dicens quòd successit, quàm errabat Lucas in Heli quòd genuit, vel alioqui Christi progenitor fuit.

Ideo Hieron. huic consonans lib. de gest. Rom. Pontif. ex Damaso, c. de Clemente. Hic, inquit, ex præcepto Beati Petri, suscepit Ecclesiæ pontificatum gubernandũ, sicut ei fuerat à Domino Iesu Christo cathedra tradita, vel commissa: tamen in epist. quæ ad Iacobum scripta est qualiter ei à Beato Petro commissa est Ecclesia reperies: Ideo Linus, & Cletus ante eum scribuntur eo, quòd ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum, sint Episcopi ordinati. Hæc ille.

Auct. Plures igitur inter Romanos Pontifices numerantur: quia in illa Ecclesia ministrabant episcopalia vice Petri, non quia illi Ecclesiæ præsidebant: sicut è contrario multis certis de causis ab illo numero excluduntur, qui tamen realiter præfuerunt: quòd si aliter sapitur, cur annumerantes Linum omittunt Clerum: & è contrario. Sufficit enim sanctis scriptoribus vnum eorum inscribere, vt ipso vocato statim recordemus de socio. Autumet aliud qui vult. Non leuiter credam Augustinum vel falsò, vel frustra Romanos calculasse Pontifices. Et tam accurata diligentia descripsisse per nomina, atque loca præsules inuicem succedentes in epistola sua ad Generosum inter epistolas 165.

Augúst. tom. 2. in princ. ep. Si, inquir, ordo Episcoporum sibi inuicem succedentium considerandus est, quantò certius, & vero salubribus ab ipso Petro numeramus, cui totam Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait; Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Sother, Sotheri Eleutherius; Eleutherio Victor, Victori Zepheriuus, Zepherino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutichianus, Eutichiano Caius, Caio Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Melchiades, Melchiadi Siluester, Siluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Syricius

Syricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Sed ex transuerso, ex Africa ordinatum miserant qui paucis præsidens Aphris, in Vrbe Roma Montensium, vel Cutsupitarum vocabulum propagauit. In istum autem ordinem Episcoporum qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Athanasium, qui nunc eandem cathedram tenet, nullus traditor inuenitur. Sed & si quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil noceret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens ait de Præpositis malis, Matth. 23. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Vt certa sit fidelis spes, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipatur. Hæc August.

Auct. Hoc certissimum compendium credimus Augustini quodque sine magno fructu non duxit ad publicum, hoc vnum interim notemus de multis quod ipse significauit. In ordinatione, inquit, successionis, nullus Donatista Episcopus inuenitur, testor Christum; sed nec aliquis Witcleuista. Quid inde? Notam ergo infamiæ, & suspitionis doctrinæ vitiatæ incurrunt Donatistæ, quòd inter Romanos Pontifices, nec vnum merebantur habere tutorem vel patrem. Quid ergo dicemus de Witcleff. qui totam penè illam progeniem simul spernit, & cathedram maximè vero à sancto Vrbano, & deinceps qui primus consuetudinem induxit dotationis immobilis? Sed dicamus, nos omnes fideles,
3 & filij Romanæ matris Ecclesiæ, quòd sicut recitata genitorum series in genealogia Christi certificum genuit argumentum de veritate, ita series succedentium in Romana Sede Pontificum, idipsum semper docendum certissimum efficit argumentum cunctis fidelibus de veritate doctrinę.

Sic etiam August. Scribit de seipso intra metas sanæ fidei hac forma retenta contrà epistolam fundamenti cap. 4. alloquens Manichæos. Certè quippe, inquit turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas, tutissimam facit. Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis, multa sunt alia quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata: spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Io: 21. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem episcopatum, successio Sacerdotum. Hæc August.

Auct. Quid dicis mi Witcleff, quem ista successio non tenet? & ideo discurris vagus, & profugus super terram: successio Sacerdorum prædicta renuit August. Et ne dicas in parte ipse dixit: Gen. 4. ab ipsa Sede Petri, vsque ad episcopatum præsentem, Et quis nunc præsens Episcopus? Anastasius forsan, is suprà fixit cathalogum, Siluestrum ergo non excipit, & deinceps, Marcum, Iulium, Liberium, Damasum, & Syricium, qui omnes sicut in præsulatu Romano, ita in dotatione Cæsarea successerunt. Sed nec sanctum Vrbanum, Pontianum, Anterum, sanctum Fabianum, Cornelium, Lucium, Stephanum, Sixtum, Dionysium, Felicem, Eutitianum, Caium, Marcellum, Eusebium, Melchiadem, qui omnes dotem probabant, quam non solemniter abundantem sicut ex Cæsare posteri præceperunt. Quid si recitaremus alios à tempore Athanasij, vsque ad Magnum Gregorium succedentes? Certè nec per omnes simul noster Witcleff tenebitur. Hos enim omnes vnam personam agregatam nuncupat Antichristi. In mendacissimo illo libello de sermone Domini in Monte tractatu 2. cap. 29.

Witcleff. Nos, inquit, qui tantum suspecti sumus de hæresi, debemus planè ex patulo sensu Scripturæ probabiliter dicere sensum nostrum, intendendo illi grammaticæ vulgari, quam habet Ioannes dicens, in 1. & 2. Antichristi facti sunt multi: sic videlicet, quòd quilibet persona simplex aggregata, quæ est notabiliter contrà Christum, secundùm fidem Scripturæ Antichristus dicitur, & isto supposito cum fide conuersationis Christi, & ex conuersatione Papæ videtur fidelibus cognoscentibus antecedens, quòd Papa sit patulus Antichristus, & non solùm illa simplex persona, quæ plus stabilit plures leges contrarias legi Christi, sed multitudo Paparum à tempore dotationis Ecclesiæ Cardinalium, Episcoporum, & eorum complicum aliorum. Illa est enim Antichristi persona composita monstruosa. Hæc ibi. Et notantur inter conclusiones damnatas, conclusione 5.

Auctor. Sed benè dixit, nos qui tantum suspecti sumus de hæresi debemus hoc dicere, imò vos plani hæretici, vos falsi Christi prænuncij, vos aduersarij Iesu Christi: sed demens est omnis, qui talem sibi Doctorem assumit: Apoc. 14. characterem in fronte sua gerentem testis blasphemantis. Ioan. 10. Sed filij Christi, & sponsæ Ecclesiæ Augustinum potius, Gregorium, & cæteros pios Patres prædictos sequitur: non audientur voces alienorum. Hos enim prædictos, Patres constitutos fateamur Ecclesiæ, & Principes super omnem terram. Sicut, & per totum Mundum sacri Antistites Apostolum locis accedunt, qualiter dicit Augustinus tom. 8. exponens de hac re illud propheticum, Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, in Psalm. 44. Genuerunt te, inquit, Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi Patres. Sed nunquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? Philip. 1. Et si vnus ipsorum dixit, Cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magis optimum: remanere in carne necessarium est propter vos.

Dixit hoc quidem, sed quandiù hic manere potuit? Nunquid vsque ad hoc tempus? Nunquid vsque in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit, pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est pro Patribus tuis, &c. Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati

sunt

sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodiè enim Episcopi, qui sunt per totum Mundum, vndè nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres eos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non te ergo putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es.

De prole tibi creuit paternitas, pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. Sequitur. Hæc est Ecclesia Catholica. Filij eius constituti sunt super omnem terram Principes, filij eius constituti sunt pro Patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis. Templum suum Deus, qui vbique collocauit, fundamenta Prophetarum, & Apostolorum vbique firmauit. Filios genuit Ecclesia, Constituit eos pro Patribus suis Principes super omnem terram. Hæc Augustinus.

Auct. Si ergo durante tanto cœtu paparum à Sancto Vrbano vsque ad præsentem Antistitem, non est deserta Ecclesia, sed ipsa mater nostra filios suos constituit Principes super omnem terram in sedibus Patrum, vel est cedentibus nouerca, & non vera mater, quæ præposuit nobis tam Antichristum longæuum, vel Vviteleff noster maledictum matris incurrit, qui tam scandalosum mendacium de matre confinxit.

CAPVT XXXII.

Quod Romana Sedes tenet primatum super omnes Ecclesias.

SVMMA.

1 *Negat Vviteleff Romanæ Sedis super vniuersas alias eminentiam.*
2 *Vviteleff negans Romanæ Sedis eminentiam, ipse pestilentiæ Cathedram ascendit.*
3 *Omnes ferè hæreses contra Romanorum Pontificum potestatem insurgunt.*
4 *Arrij sectatores, quomodò rebellionem Summo Pontifice Romano moliti fuerint.*
5 *Abbas Ioachim, Petrus Ioannis, & quàm plurimi, eadem peste infecti fuere.*
6 *Sicut Chore, Dathan, & Abiron contra Aaron Pontifice seditiosè egerunt, ita isti contra Summum Pontificem.*
7 *Romanæ Sedis eminentiam, non paucis Sanctorum Doctorum auctoritatibus defendere, tuerique nititur.*

AVCTOR.

Eminentia autem auctoritatis firmissimæ, & casti cuiusdam honoris per singulorum Præsulum Romanorum, cathenam successiuam concreuit ex traduce, quam quotidianus canis noster mordere blasphemis dentibus non veretur, eractatu suo secundo de Serm. Domini in Monte cap. 22.

Vviteleff. Quidam, inquit, volunt fundare vt fidem, quòd Episcopus Romanæ
1 Ecclesiæ præemineat capitaliter super omnes alios Episcopos sicut Christus dominatus fuit super cunctos suos Apostolos, & talem maioritatem inter Archiepiscopos, & Episcopos reperies in multis Regnis Christianissimis, & ista superba hæresis fecit dissensionem nimirùm in Ecclesia militante. Et cap. 27. super illud Euangel. Matth. 24. Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco Sancto, &c. Dicit, inquit, prædictus fidelis, tanquam sibi probabile, quòd Christus intelligit per hæc verba Papam, siue Romanum Pontificem. Ipse enim est radix totius huius malitiæ, quoniam mendacijs à sequela Christi degenerat. Ipse est abominatio desolationis in abstracto, cùm ex sua antiqua malitia sit in diaboli peruersitatem induratus.

Est autem abominatio, quia sicut veritas, quæ est adæquatio rei ad primum intellectum est summè consolabilis, sic mendacium super eadem veritate in homine fingente se esse summum Christi Vicarium, nedum est summè abominabile, sed abominatio in abstracto. Et infra. Stat autem in loco Sancto, intelligendo per locum, qui secundùm logicos est sedes argumenti, sedem auctoritatis summæ. Cùm non solum innuat se facere posse omnia quæ Christus potuit, sed multa quæ Christus non potuit. Et sic secundùm Apostolum quo ad duplicem naturam extollitur supra Christum, quia certum est, quòd Christus non potuit in illa opera taliter conuersando.

Considerando ergo eminentiam illius peccati supra Luciferinam superbiam, videtur quòd istud peccatum attingit vsque ad summum gradum malitiæ in peccando, & illa statio, & succedens sessio videtur notare illam inflexibilem superbiam in Romano Pontifice induratam. Et finaliter concludit. Quis ergo foret Antichristus, nisi diabolus taliter exaltatus? Hæc ille. Et notatur inter conclusiones tet damnatas, conclusione octaua.

Auct. Audistis iam seditiosum istum quomodò contra Cathedram Petri, & eminentiam eius quam successoribus suis Sanctus Petrus instituit, Scripturas quas
2 peruertit instaurat, quam autem Cathedram iste turbulentus Doctor teneat, scire vellem, an non Cathedram illam pestilentiæ, quam Psalmista Psal. 1. despexit? Augustino videtur, quòd sic, tangenti cum Textum, in Libro de quæstionibus noui, & veteris Testamenti, ea parte in qua de vtroque mixtim, cap. t 10. tom. 4. de talibus erigentibus contra Romanam Cathedram disputanei.

Augustinus. Nam ordinem, inquit, ab Apostolo Petro cœptum, & vsque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum seruatum perturbane, ordinem sibi sine origine vendicantes, hoc est corpus sine capite profitentes. Vndè congruit etiam eorum Sedem Cathedram pestilentiæ appellare. Nec ideò enim

enim impunè erit, quia sub Dei nomine agunt. Constat enim suas illos causas sub Dei nomine agere. Non enim zelo Dei hoc agunt, sed sibi locum volentes defendere, cum sciamus Chore, & ducentos quinquaginta viros per præsumptionem Deo offerentes, hiatu terræ absorptos esse, Nume. 16. & Osiam Regem cùm Deo illicitè obtulisset, lepra fronte percussum 2.Par.26. Hæc ille.

Auct. Ecce quàm planè ordinem succedentium Episcoporum per traducem conseruatum à Sancto Petro Augustinus commendat, perturbantes illum ordinem Vvitcleuistas obiurgat, quia volunt ponere ipsum sine origine, & corpus sine capite, id est sedem sine Antistite, an putas sine Christo? Non, quia minùs tunc publicè mentirentur, sed quia sine mortali capite statuere vellent Ecclesiam, Augustinus insequitur.

Præsul ergo Romanus secundùm eum est caput Ecclesiæ, vel erit corpus sine capite, dicentes autem oppositum suas causas dicit agere sub nomine Christi, sicut hic Vviteleff dicens Papam se exaltare supra Christum, sed nec per hoc transibit impunè, quia super Cathedram sedet pestilentiæ, & rectè. Pestilentia enim ordinem nullam seruat, sed irregulari quodam volatu postquam per aliquot annos, aut dies dormierit, terræ plagam insilit, & rursùs inficit inseparato veneno, & iterùm per tempus mortua iterùm conualescit.

Est ergo Catholica Cathedra, quæ fidem suam sanam, & mores paternos, sine interpollatione constituat ex traduce, ea verò est cathedra pestilentiæ, quæ linea successionis abrupta, vel per censuras Principum, vel Catholicorum Pontificum post diù latuerit, iterùm pullulat, rediuiuitque. Sic enim huius pestis principes contra primatum Ecclesiæ, Augustinus Chore commemorat, & Clientes, qui quasi ore Vvitcleff loquentes contra principes suos, & Moysen, & Aaron dixerunt. Numè.16.

Sufficiat vobis, quia omnis multitudo
Sanctorum est, & in ipsis est Dominus,
Cur eleuamini super populum Domini?
Sed huius pestilentiæ capitibus ab Inferno
consumptis, Numeri, decimo sexto. In
3 Ecclesia modò Christi istorum imitatio-
ne, omnes penè hæreses principales con-
tra Romanorum Præsulum potestatem
insurgunt, dicentes cum patre suo Cho-
re, Cur eleuamini super populum? Sic
4 enim Arij sectatores contra eam pestilen-
tem rebellionem comminantur intentam
tempore Iulij Papæ, si nollet cum eis dam-
nare catholicos sicut eius decreta testan-
tur in decretis Pontificum. Epistola
enim eorum hæc est.

Atriani, Domino beatissimo, & honorabili Patri Iulio Apostolicæ Sedis venerabili Episcopo, Eusebius, Theognius, Theodorus, & Berynthus, vnà cum reliquis Fratribus, & Coepiscopis nostris in Antiochia congregatis, & infra. Sunt namque à nobis, & maximè à totius Orientis Episcopis damnati, Anastasius, Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus, Aucitus, Asclepius, Gazelucianusque Adriopolis pro certis criminibus, quibus aduersarij sunt apud nos inscripti, quæ per præsentes huius Epistolæ latores, omnia sub certa relatione vestræ innotescere non omittimus sanctitati, quibus agnitis, si nostris placitis, magis quàm eorum machinationibus consentire, & ordinatos Episcopos in damnatorum loco confirmare eligitis, pacem vobiscum, & communionem habere volumus, si verò aliter egeritis, & eis ampliùs, quàm nobis consentire iudicaueritis, contraria celebrabimus; & vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisque fauere volumus; sed per nos quicquid meliùs elegerimus, agere. Hæc ibi.

Auct. Exemplum autem istorum volauit
5 ad posteros, & iam tardis diebus Abbas
Ioachim, & post eum Petrus Ioannis ca-
peste tanguntur.

Vndè Guido Carmelita libello de hæresibus, maledicta eius describens, Sextum, inquit, capitulum continet primò, quòd Ecclesia Romana est carnalis synagoga Sathanæ. Secundò quòd Ecclesia Romana destructa est in statu tertio, sicut synagoga destruebatur in statu secundo. Hæc ibi.

Auct. Et istius Petri Ioannis, Vvitcleff auctoritatem assumit iam supra de abominatione desolationis, appellans eam ibi sententiam magistralem. Huius etiam pestis sectator erat Gerardus Sagarellus de Parma.

Vndè Guido. Primus error vbi supra, quòd tota potestas collata Ecclesiæ à Christo est omninò euacuata propter malitiam prælatorum, & ipsa Ecclesia Romana est meretrix Babylon apostatans à fide Christi. Hæc ille.

Auct. Hæretici quoque Valdenses hanc sibi blasphemiam colligebant.

Vndè Guido. Vndecimo loco, isti damnant totum statum Romanæ Ecclesiæ in se, & in suis membris, duodecimo dicunt, quòd Sancta Romana Ecclesia est domus mendacij. Hæc ille.

Auct. His ergo, & similibus alijs de-
ridendis Doctoribus assurgit noster Vvit-
cleff, & Sagarellinæ Scholæ se spondet
6 discipulum. Hi ergo Patriarchas suos
reuerenter extollunt Chore, Dathan, &
Abiron, Nume. 16. sic seditiosè agentes
contra Summum Pontificem legis Chri-
sti, sicut illi contra Aaron Summum Pon-
tificem legis Mosaicæ, & Textum verbo-
rum non perdunt, sed dicunt, Cur Romani
Pontifices eleuamini super populum Do-
mini, Omnis multitudo Sanctorum est, &
in ipsis est Dominus, ea scilicet auctori-
tate, & potestate vestræ non impari.
Qui enim est humilior, & Ecclesiæ seruien-
7 tior, ipse est Papa, & caput Ecclesiæ. Sed
saltem auctoritate ipsa, quam spernunt ipsi
intereunt, iustis absorbentur sententijs, &
descendunt in infernum viuentes Psal.54.
Non enim per ipsos stat summum legis
Ponti-

Pontificium Christi, nec propter eorum fremitus,& garritus hæreticos subuertetur. promittente Christo (Matth. 16.) quòd portæ inferi non præualebunt aduersùs Ecclesiam S. Petri.

Vndè senior, & Sanctus Pater Cyrillus. exponens ipsum textum Matthæi decimosexto. Petro, inquit, dictum est, Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Secundùm hanc Domini promissionem, Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretici circumuentione immaculata manet super omnes Præpositos, & Episcopos, & super omnes Ecclesiarum primateus, & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima,& auctoritate Petri: & cùm aliæ Ecclesiæ quorumdam errore sint verecundatæ: stabilita inquassabilitèr ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum. & nos necessitate salutis non decepti superbia, neque vino superbiæ inebriati, typum veritatis, & Sanctæ Apostolicæ traditionis vnà cum ipsa confitemur, & prædicamus. Hęc ille.

Auct. Audite hæc omnes Vvitcleuistæ,& gentes seditionis hæreticæ. Status Summi Pontificis ex ipsa Saluatoris pollicitatione dependet, & idcircò regnat super omnes Præpositos Orbis terræ, & omnium ora decreti sui terribili fulgore contundit:quę quidem omnia verissima diceretis,nisi vino inebriati essetis consummatæ superbiæ.

Coincidit huic sententiæ Cyrilli, beatus vir Athanasius Alexandrinus epistola sua ad Marcum Papam, & habetur in decretis Pontificum. Quia, inquit, inimici Sanctæ Dei Ecclesiæ, & maximè Ariani à quibus quotidiè terimur, oppugnamur, & opprimimur, præfata 70. Nicæni Concilij capitula, quæ de præfata Synodo Iubente Domino nostro Alexandro decreto omnium Episcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitaui,atque transcripsi, sunt igne combusta: optamus, & à vestræ sanctæ sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est caput,& mater omnium Ecclesiarum,& ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per pręsentesLegatos mereamur: quatenùs vestra fulti auctoritate, nostrisque precibus roborati, illæsi à memoratis æmulis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & matris euadere, nobisque commisso gregi seruire valeamus. Vsque huc verè nouimus Apostolatus vestri cor, gratia sancti Spiritus intantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis: quanto magis nobis, qui licèt exigui, ordinis vestri cum simus vobis, quia obedientes cum omnibus vobis, & sumus, & semper esse volumus. Hæc ille.

Auct. Item ex eodē volumine in decreto Damasi Papæ c. 1. Damasus. Scitis fratres charissimi firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum Sanctorum Sacerdotum, & omnium Episcoporum Apostolicam sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum. Matt. 16. Tu es enim (sicut diuinum veraciter pronunciat verbum) petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, quę Episcopi intelliguntur, confirmatę sunt. Tibi & claues regni cœlorum commissę, atque ligare, & soluere potestatem, quę in cęlis sunt,& quę in terris promulgaui. Tu prophetatorum hominum, & membrorum meorum, maximèque discipulorum meorum existis Princeps, & doctor Orthodoxę atque immaculatę fidei,Cuius vice hodie ex gratia Dei pro Christo legatione fungimur, 1. Cor. 5. & omnes sanctę huius sedis Pręsules huius vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Hęc ille.

Auct. Hac insuper dictione vsus est Gregorius tom. 2. In registro suo scribens ad Eulogium Syracusanum Episcopum, Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur,cui veritatis voce dicitur, Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum? Cui rursùm dicitur. Luc. 22. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos? Iterùmque, Ioan. 21. Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas. Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola Apostolorum principis Sedes in auctoritate conualuit. Hęc ille.

Auct. Prudentèr valdè Gregorius induxit Romanam Ecclesiam sublimem factam auctoritate Pontificis sui Petri. Et licèt omnes essent Apostoli, ipse tamen erat Princeps Apostolorum, & ex principatu sedes eius super omnes Ecclesias auctoritate conualuit.

Beatus item Augustinus tom. 6. consimiliter Apostolicam istam Sedem culmen auctoritatis obtinuisse confirmat libro suo de vtilitate credendi, versus finem, idest, cap. 17. Cùm, inquit, tantum profectum, fructumque videamus: dubitabimus nos Ecclesiæ eius credere gremio, quę vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustrà hęreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio,partim Conciliorum grauitate,partim etiam miraculorum maiestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primatum dare, vel summę profectò impietatis est, vel pręcipitis arrogantię. Nam si nulla certa ad sapientiam, salutemque animis via est, nisi cum in eis rationi pręcedit fides: quid est aliud ingratum esse, opi atque auxilio, quàm tanto labore pręcicatę auctoritati resistere? Hęc ille.

Auct. Conuincit ergo se pręcicta familia diuinę opi ingratam, quę tantę sedis auctoritati pręstitit obicem: & quia ipsi semper placuit denegare primatum,summę impietatis, aut pręcipitis arrogantię se docuit esse ream. Cur ergo contrà Romanum primatum insurgit? cur sic irasceris audiens, quòd Episcopus Romanę Ecclesię pręemineat capitalitèr super omnes alios Episcopos? Sanctissimi Christi Pontifices hunc primatum in vniuersa Ecclesia confessi sunt, B. Augustinus Episcopus fuit: & huic primatui non inuidit, sed eum humillimè recognouit. Vndè ad Bonifacium Papam scribens lib. 1. contrà duas epistolas Pelagianorum cap. 1. in principio,

Augustinus, tom. 7. Neque, inquit, dedignaris,

gnaris, qui non alta sapis, quamuis altiùs præsideas, esse amicus humilium, & amorem prætendere impensum. Et infrà. Cùm verò non deficiant inimici fremere, (inimici scilicet gratiæ Christi) ad Dominici gregis caulas, ad diripiendas tanto precio redemptas oues aditus vndecumque rimari: communisque sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præmineas celsiore fastigio, specula pastorali, facio quod possum pro mea muneris particula, quantum mihi Dominus adiuuantibus orationibus tuis donare dignatur, vt pestilentibus, & insidiantibus eorum scriptis, medentia, & munientia scripta prætendam, quibus rabies qua furiunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à ledendis alijs repellatur. Hæc Aug.

Auct. Ecce Papa Bonifacius secundùm confessionem sincerissimam Augustini, non alta sapuit, quamuis altiùs præsidebat, esse amicus Augustini humilis Antistitis: & omnes Episcopi habent aliquid commune, quamuis Papa in eo Episcopatus officio præemineat celsiore fastigio specula pastorali: omnes æqualiter Episcopi, sed inter omnes, & super omnes Romanus Episcopus celsitudinem habet fastigij, & secundum locum præeminet in specula pastorali.

Vndè & idem insuper Augustin. tom. 7. lib. 1. contrà Iulianum cap. 2. Postquam in testimonium fidei induxit Hireneum Lugdunensem tempori Apostolorum vicinum, Cyprianum Carthagiuensem primatem, Rericium Augustudensem, Olimpium Hispanum, Hylarium Pictauensem, & Ambrosium Mediolanensem Episcopos. Tandem Innocentium prædicti Bonifacij prædecessorem Romanum inducens, Iulianum alloquens, Sancto, inquir, Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de re sapit, quàm quod isti, in quorum te conuentum si tamen prodesset, introduxi. Cum his etiam ipse confidet, & si posterior tempore, prior loco. Hæc Aug.

Auct. Quid ergo inflatur superbus hæreticus contrà præeminentiam primæ Sedis? Humilis Augustinus cum Romanum Innocentium in conuentum tantorum primatum, & Episcoporum induxit cum his, inquit, ipse considet, & si posterior tempore, prior loco: sede maior, præstantior dignitate. Non est noua ista præeminentia, quæ tunc temporis Augustino, & sanctis Patribus fuit fine omni dubitatione certissima.

CAPVT XXXIII.

Quòd præeminentia potestatis Papalis est in Chrysti lege fundata: non ex potestate Cæsarea deriuata.

SVMMA.

1 *Potestas Papa(d. Hæreticus) non est à Christo nisi ironicè, sed à potestate Cæsarea.*
2 *Papa potestatem à Christo habuisse originem, multis auctor. comprobat.*
3 *Hæresis Vuitel contrà Sanctæ sedis præeminentiam, vndè occasionem sumpserit.*
4 *Quàm impiè opinatus sit Vuit. & quòd sua met ratione iugulari potest.*
5 *Quosdam Cæsares dedisse potestatem Ecclesiæ: & Phocam capitalitatem Romani Pontificatus statuisse, quomodo sit intelligendum.*
6 *Quòd Vuicl. in hac materia peius errauit, quàm Guillelmus eius magister.*
7 *Concilium Nicænum, in quo vniuersi Orbis Episcopi conuenerunt, confirmauit Romani Pontificis super alios præeminentiam.*

RVrsùm contrà primatum Petri frameam suam acuunt Vvitcleuistæ, tamen annuente Deo, semper defecerunt frameæ in finem: & dicunt hunc primatum non à B. Petro, sed à Constantino Cęsare deriuari: & sic potuisse fieri, vt doctores sequentes, eum extollerent forma prædicta, vndè de Christo, & Antichristo, cap. 7.

1 Witclef. Constat primò ex fide, quomodo potestas, quam exercet Papa fuit à potestate Cœsarea deriuata, nec habet fundationem in fide Scripturę, nisi vt loquar ironieè ex isto, Lucæ 22. Reges gentium, &c. Rom. 13. Ideò si non sit potestas nisi à Deo, patet quòd maior potestas falsè vendicata sit potestas sophistica, & sic à diabolo vsurpara. Hæc Witeleff.

Auct. Nec est vis distinguendi plurimam potestatem, & præeminentiam in prędictis quia habet vtrosque terminos quasi pares. Idcircò inter conclusiones damnatas, est conclusio 111. Certum videtur ex Chronicis, quòd non à Christo, sed à Cœsare Constantino Romanus Episcopus accepit, vel vsurpauit potestatem. Et conclusio proxima est, quòd ex fide Euangelij ista preeminentia Papalis cępit ortum, est ęquè falsum, sicut ex prima veritate error illis est exortus. Hæc ibi.

Auct. Hoc modo finiuntur errare, qui se mendacijs assuefaciunt, vt aliquando cadant in publico, & quantitatem peccari sui singuli deprehendant. Toro fermè tempore, quo sub persecutione principum tyrannorum Christi premebatur Ecclesia, Romani Pontifices vendicabant sibi primatum, qualiter de Anacleto Papa legimus, qui secundùm computum August. & Hieron. ex Damaso, successit immediatè Clementi, quartus à Petro, an. Dom. 103.

Nam & is decreto suo tertio, Anacletus, inquit, seruus Iesu Christi in Sede Apostolica à Domino constitutus à Sancto Petro Apostolorum principe presbyter ordinatus, omnibus Episcopis, & reliquis Christi sacerdotibus salutem, & demùm cap. 3. Hæc, inquit, Sancta Romana Ecclesia Apostolica, non ab Apostolis, sed ab ipso Salnatore nostro primatum obtinuit: sicut Beato Petro Apostolo dixit, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Et tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romana Ecclesia, quam vt memorarum est, Beatissimi Petrus, & Paulus suo

martyrio consecrarunt. Hæc Anacletus ibi.

Auct. Istum si iam fuisset tam propinquus Constantino, quàm fuit proximus S. Petro, poteras habere de dotis fauore suspectum. Sed quomodo rogo mi Witcleff, in Ecclesia Romana primatum suum, & potestatem præeminentiæ vsurpauit aliquis Papa auctoritate Cæsarea Constantini, quam iam successisse comperimus à diebus veteris Anacleti? Adhuc audi, quàm audax scribat ibidem cap. 4.

Anacletus. Si, inquit, causæ difficiles inter vos ortæ fuerint, ad huius Sanctæ Sedis apicem eas quasi ad caput referte, vt Apostolico terminentur iudicio: quia sic velle ab eo, à quo ita constitutum esse dictis testimonijs declaratur. Hæc verò Apostolica Sedes caput, & cardo (vt factum est à Domino, & non ab alio) est constituta; & sicut cardine ostium regitur, sic huius Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur. Hæc ibi.

Auct. Iuxtà quod habetur in libro Decretorum, iuxtà illud decretum præsulis Anacleti, non Principis Constantini Romani Sedes vendicat sibi ab antiquo rationem capitis super omnes locales Ecclesias, non quidem ab ipsis Apostolis, sed sic à Domino instituta. Demum ad Alexandrum pergamus, secundum ab isto: sextum à Petro, secundùm Hieronym. & ipse quidem in decreto, in suo procemio decreti, sic ait.

Alexander Primus Pontifex vixit anno Domini 122. rursum insuper est ad huius Sanctæ, & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispensationes causarum, & omnium negocia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso quoque dicente principi Apostolorum Petro, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Hæc ille.

Auct. Iam benè commemorat Alexander antiquam prærogatiuam suæ Ecclesiæ sibi dispensatam à Christo, iuxtà quod Anacletus suprà testatur.

Insuper Sixtus Papa successor eius, in decreto cap. 1. Sixtus, inquit, vniuersalis Ecclesiæ Apostolicę Episcopus, omnibus Episcopis salutem in Domino. Et in cap. 2. Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licentèr hanc Sanctam, & Apostolicam appellet Sedem, & ad eam quasi ad caput habeat suffugium. Ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur: & infrà, Ab hac enim sancta sede ab Apostolis tueri, defendi, & liberari Episcopi iussi sunt: vt sicut eorum dispositione ordinante Domino sunt primitus constituti, sic huius Sanctæ Sedis eius dispositioni eorum causas, & iudicia seruauerunt, futuris temporibus sint ab omnibus aduersitatibus semper liberi. Hæc ille.

Victor quoque Papa an. D. 197. sic scribit in decreto suo, c. 3. Culpâtur, inquit, vt scriptum est fratres, qui aliter contrà Episcopos indicare præsumunt, quàm Apostolicę Sedi fieri placuit. Et quis est, qui iudicat eum, quem Dominus sibi, & huic Sanctæ Sedi reseruari voluit iudicandum? Hęc ille.

Item Zepherinus Papa XIII. an. D. 197. à B. Petro secundùm August. Decreto suo primo c. 8. Iudicia namque Episcoporum, maioresque Ecclesiæ causæ à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli, & sancti successores eorum cum alijs Episcopis statuerunt, sunt terminandæ: quia licèt in alios transferatur Episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est, Matth. 16. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cęlis, & reliqua priuilegia, quę soli huic Sanctę Sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolicorum, eorumque successorum, alijsque plurimis cum eis concurrentibus habentur inserta. Hęc ille.

Item Calixtus Papa, & martyr, an. D. 214. immediatus precessor Vrbani secundùm Hieron. Decreti sui, cap. 1. Nulli, inquit, dubium est, quin Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenùs conuenit deuiare: Io. 6. & sicut Filius Dei venit facere voluntatem Patris, sic & vos voluntatem impleatis matris vestrę, quę est Ecclesia. Quicquid igitur sine discretione iustitię contrà eius disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit. Hęc ille.

Item Dionysius Papa VII. antè Siluestrum, secundùm Hieron. an. D. 267. in salutatione sui decreti, Dionysius, inquit, Seuero Episcopo, salutem. Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesię auxiliante Domino subuenire, & quicquid nociuum est, auctoritate Apostolica corrigere, & emendare. Hęc ille.

Auct. Et hęc omnia vt signantur in locis habere potes in annoso libro decretorum Pontificum. Ecce nondum venit Constantinus in Orbem: adhuc Ecclesia habebatur odiosa principibus, adhuc astiterunt reges terrę, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius, & tamen suam pręeminentiam Papalis Sedes exercet in vniuersalem potestatem, in corrigendis nociuis in causis maioribus terminandis, & vniuersalem tuitionem offensis personis extendens auctoritate non Cæsaris. Non vtique, quod maius est, ab Apostolis, sed à Christo Domino promittit, exhibet, & exponit. Veniat iam Witcleff, & dicat si audeat, quòd potestas, quam Papa exercet sit à potestate Cæsarea deriuata, & quòd non à Christo, sed à Cæsare Constantino Romanus Episcopus potestatem suam vsurpat, vndè ipsi
3 hoc? Vndè istud autumat, nisi fortè quia interdum Papa potestatem talem decenter exercet in Ecclesia, qualem Cæsar olim in republica Romana, & tamen non ex hoc eius potestas magis deriuatur à potestate Cæsarea, quàm potestas eiectionis Christi, & flagellationis de templo successit ipsi ab Angelo equite, & equo suo belligero, de quo secundo Machabeorum tertio. Si fortè offendit historia illa Ecclesię, quam Beda scripsit de temporibus cap. de Phoca Cæsare.

Beda. Focas, inquit, regnauit annis octo. Huius secundo anno, indictione octaua, Gregorius migrauit ad Dominum. Hic rogante Papa Bonifacio, statuit Sedem Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Hæc Beda.

4 Auctor. Sed si hoc arguat apud conceptum tuum potestatem Papæ à Cæsare esse traditam, & traductam, tamen mendacium non euades, quòd Cæsarem illum Constantinum dixeris, cùm historia dicit Bonifacium ideò impetrasse à Foca, qui successit Siluestro Papæ Trigesimustertius. Et iterum si hoc dicit non esse Romanam Sedem caput omnium Ecclesiarum, nisi ex potestate Cæsarea, eo quòd pro capitalitate eius Imperator decreuit. Ergo conformiter potestas baptizandi fideles non inest sacerdotibus, nisi à potestate Cæsarea, eo quòd pro ea primus Philippus Imperator Romanus diù ante Constantinum ipse baptizatus liberam potestatem baptizandi concessit, & potestas prædicandi non adesset sacerdotibus Angliæ, nisi à potestate regia, eo quòd Ethelbertus potestatem concessit, & laxam prædicandi licentiam condonauit Augustino legato Gregorij. Et in primo Introitu suo ad regnum post collationem regiam, secundùm Bedam de gestis Anglorum.

5 Sed seductoria motiua sunt ista, & norunt eruditi fideles potestatem istorum Regum fuisse solùm tutoriam: & ita Focas Cæsar quando capitalitatem statuit Romanæ Ecclesiæ, non ipse tunc eam primo concessit, sed antiqui iuris potestate contra insurgentes imperiali suo decreto protexit, & hoc sonat ratio textus, quæ dixit, quòd hoc Imperator decreuit, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Sic etiam Constantinopolitani Episcopi post translatum ad eos Imperium de Roma frequenter vsurpabant primatum. Vndè & B. Gregorius super tali quadam querebatur iniuria, apud Augustum Mauricium, quam intulisse sibi visus est Ioannes ibi Episcopus, nominando se vniuersalem Episcopum, quinto libro registri, epistola ad Augustam Constantiam, quæ incipit, Omnipotens Deus.

Gregorius tom. 2. Per omnipotentem, inquit, Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittaris vnius hominis elatione maculari: neque tam peruerso vocabulo vllum quoquo modo præbeatis assensum, atque in hac causa nequaquam me pietas vestra despiciat, quia & si peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereatur. Vndè iterum, atque iterum per Omnipotentem Deum rogo, vt sicut parentes vestri, priores principes, sancti Apostoli Petri gratiam quæsierunt, vos quoque hanc nobis quærere, & seruare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indignè seruimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, qui & vobis modò adiutor esse in omnibus, & postmodum vestra valeat peccata dimittere. Hæc ille.

Auct. Ecce institit apud Augustos Gregorius, vt seruarent honorem S. Petri. Nunquid ergo ex eorum arbitrali decreto pependit? Sed neque præeminentia potestatis eiusdem Ecclesiæ à potestate Cæsarea deriuatur, quamuis in tuitionem eius decretum suum Focas adiecit, sed ideò

6 cautius noster Witcleff errauit magister eius Wilhelmus significans rationes, sed non tempora huius vsurpationis prædictæ eminentiæ in Romana Ecclesia super aliorum Ecclesias locorum, non quòd ei forent, inquit, aliqua auctoritate subiectæ, sed propter Apostolorum Petri, & Pauli præeminentiam, & propter multitudinem solemnium personarum in ea præpollentium, atque doctrinam, quæ etiam propter illorum charitatem immensam, & solicitudinem assumpserunt aliarum Ecclesiarum Prælatos, & singulares fideles alios instruere, & monere. At contra hoc alius schismaticus volens excusare Constantinopolitanam Ecclesiam (quia semper abundauit hæreticis) Nicetes scilicet eiusdem Ecclesiæ Episcopus, vt refert Anselmus in suo Antithimenon græcè, quod est contrapositorum, latinè.

Nicetes. Ibi, inquit, idest Constantinopoli præsidebant semper clari philosophi, prægrandes dialectici, & profundi Theologi, qui scirent & bonum, & malum abundè conferre. Romæ è contrariò viri simplices, idiotæ, & pauca veritate contenti, qui forsan nescirent, etsi vellent errare constanter. Et concludit cum prioribus, quatuor olim Ecclesias fuisse sorores, Constantinopolitanam, Antiochenam, Alexandrinam, & Romanam. Sede Romanam vsurpasse primatum.

Auct. Et mirum qua arte idiotæ Romani super tot quos iactat, sagaces, & doctos poterant vsurpare primatum. Sed sic videris qualiter hæretici viri ex suo sensu potestatem quærentes Ecclesiæ demoliri, contrarias vias inuenire coguntur: quarum vtaque potest esse falsa, vtraque nunquam vera.

7 Sed contra omnes simul tam Latinos, quàm Græcos hæreticos, qui sine auctoritate, vel Scripturæ, vel Sanctorum Patrum, ad inuentiones suas contra eminentiam sanctæ Sedis intrudunt, loquatur concors sanctorum Patrum oratio, qui ex Orientis, & Occidentis Patribus in Nicœnam Synodum conuenerunt. Cuius capitula quidem continet rescriptum Iulij Papæ ad Orientis Episcopos Theoginum, Theodoretum, Berinthum, & alios, quorum primum Iulius Papa, vt omnes Episcopi, qui quibusdam in grauioribus pulsantur, vel criminantur causis quotiens necesse sit Apostolicam liberè appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea sicut semper fuit piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius dispositioni omnes Ecclesiasticas maiores causas & Episcoporum iudicia antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum antiqua auctoritas reseruauit. Quoniam

niam culpantur Episcopi, qui aliter contra fratres egerint, quàm eiusdem sedis Papæ placuerit. Hæc ibi.

Auct. Ecce quid vnanimis decreuit sanctorum Patrum Concilium, non ex Latinis tantùm, sed & Græcis, Africis, cæterisque vniuersi Orbis conuocatis Episcopis in saluberrima illa Synodo: & maius pondus auctoritatis habente omni Concilio citrà tempus Apostolorum, vsque in præsens per omnes Christi Ecclesias. Omnes, inquit, Episcopi pulsati in grauibus, liberè appellent Apostolicam Sedem, cui etiam dispositionem reseruauit omnium maiorum causarum Ecclesiæ antiqua Apostolorum, & successorum eorum auctoritas.

Vbi est iam Vvitcleff, qui dicit eminentiam Romanæ Sedis in dispositione omnium maiorum causarum Ecclesiæ emanasse de Csaare? Vbi Vvilhelmitæ, vbi Greci schismatici dicentes eam vsurpatam à Romanis præsulibus? Hic in prima Mundi Synodo eam non vsurpatam, nec venisse de Cæsare concors omnium Patrum definit edictum, sed ipsi reseruatam esse per antiquam Apostolorum auctoritatem, & Canones successorum, & non primò ab Apostolis. Quamuis à tempore Apostolorum, sed vt ab ea sicut semper fuit fulciantur, & defensentur Episcopi.

Sic habet etiam capitulum primum Concilium Nicœnum, Placuit si accusatus, vel damnatus Episcopus appellauerit Romanum Pontificem, id statuendum, quod ipse censuerit. Hæc ibi.

Auct. Sed notetur quod dixit sicut semper fuit, scilicet ab ipso Christo sicut supra dixit Anacletus: qualiter etiam Augustinus dicit principatum Ecclesiæ Apostolicæ semper viguisse Romæ auctoritate Christi, & traditione Apostolorum in epistola ad Donatistarum Episcopos, Augustinus tom. 2. Erat etiam transmarinis vicina regionibus Carthago, scilicet, & fama celeberrima nobilis, vndè non mediocris auctoritatis vtique habebat Episcopum, qui non posset non curare multitudinem conspirantem inimicorum cùm se videret, & Romanæ Ecclesiæ in qua semper Apostolicæ cathedræ principatus vigit, & cæteris terris, vndè Euangelium ad Africam venit per communicatorias literas esse iunctum. Hæc Augustinus.

Auct. Iam iam securi teneamus præeminentiam, & principatum Romanæ Sedis non emanasse de Cæsare, nec vsurpatum esse post Apostolos, quem penè primus omnium Anacletus scripsit, fluxisse de Christo, & splendida Synodus Nicœna, demum, & egregius Augustinus semper inibi viguisse concedunt.

CAP. XXXIV.

De praeminentia potestatis Papæ iurisdictionaliter coactiua.

SVMMA.

1 *Papa iuxta impiam Vvitcleff, ac Magistri sui opinionem, non habet iurisdictionem coactiuam: & quæ fuerit eorum leuis ratio.*

2 *Petro, eiusque successoribus, potestatem quamdam moderatissimæ coactionis à Christo fuisse concessam, probatur.*

3 *Qui in Petro concedunt potentiam in gratijs indulgendis, sed negant districtiuam potestatem in criminibus retinendis, ij S. Petri potentiam dimidiant.*

4 *Qua sacræ Scripturæ auctorit. defendatur in Petro huiusmodi potentia.*

5 *Instantia Vvitcleff adducitur.*

6 *Reijcitur falsa eius instantia, probaturque rei veritas Sanctorum testimonijs.*

7 *Noua adhuc hæreticorum instantia ponitur, ac soluitur: ostenditurque Christum hanc coactiuam potestatem discipulis tribuisse.*

8 *Instant tertiò Vvitcleuistæ, An Petrus hanc coactiuam potentiam sit executus; quibus breuiter, facilèque respondetur.*

AVCTOR.

NEc tantùm præeminentia potestatis horatoriæ incumbit Romano Pontifici ex lege Christi sic indulgentis, & iniungentis Ecclesiæ, sed etiam præeminentia potestatis coactiuæ, vt sic vtar termino cum Vvilhelmo pædagogo nostri Vvitcleff, ducente à proposito, & probante oppositum.

1 Vvilhelmus. Papa, inquit, non habet maiorem iurisdictionem coactiuam, quàm habuit Christus cuius est Vicarius, sed Christus non habuit inquantum homo mortalis iurisdictionem coactiuam: quia iurisdictio coactiua sine diuitijs, vel adiutorio habentium diuitias conuenienter exerceri non potest, & per consequens inutiliter retinetur: Christus autem omnes diuitias necessarias ad iurisdictionem coactiuam exercendam quo ad dominium penitus abdicauit, diuitumque adiutorio minimè vtebatur, ergò iuxta hanc magistri sui sententiam incedens Vvitcleff dicit libro de præuaricantia sectarum cap. 4. de Papa loquens.

Vvitclef. Licèt iste refuga vendicat nunc iudicare totam Ecclesiam militantem, & quòd habeat plenè sensum Domini, quem necesse est ipsi assistere, totum quod fecerit confirmando, & sic quòd Christus fuit in moribus ipsi similis, sicut & erit in die iudicij, cùm tamen ista existimatio sit blasphema, & per consequens nunquam non dubium quin in die iudicij verus iudex seculi arguet ipsum, & blasphemiam istam statuet contra ipsius mentis faciem. Hæ ille.

Auctor. Et consequenter secundùm hunc tenorem, habet conclusio ter damnata 19. Potestates, quæ finguntur à Papa, & alijs quatuor nouis sectis, sunt fictæ, & ad seducendum subditos diabolicè introductæ, vt prælatorum Cęsareorum excommunicatio, citatio, incarceratio, & redditus pecuniarum vendicatio. Hæc Vvitcl.

2 Auctor. Hoc dubium soluunt filij Ecclesiæ, dicens potestatem quandam moderatissimæ coactionis ad cessandum de vitijs, & corruptiuis Ecclesiæ, concessam B. Petro, & eius successoribus in Ecclesia Iesu Christi cùm diceret; Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis.

3 Vndè qui concedunt B. Petro potentiam, solutionem, potentiam in gratijs indulgendis: Matth.16. sed negant ipsi districtiuam in obduratorum retinendis criminibus, ij dimidiant potentiam S. Petri, & Christi capitis inuident largitati.

4 Exposcunt torua fronte fundationem huius potestatis in Christo, & Apostolis. At Ecclesia solet allegare potestatem illam qua Christus vendentes, & ementes eiecit è templo: vbi cuncta non regaliter faciens in opus regni, sed in obsequiū Dei vice sacerdotis, Mat.21. Nolite, inquit, facere domum Patris mei, domū negociationis. Io:2.

5 Hic subtidet Vvilhelmus, sed Magister Petrus, inquit, planè dicit eum tunc esse functum vice ostiarij, quod vtique ministerium tantùm est, non auctoritas.

6 Auctor. Sed adhuc falleris, quia dici potest, quòd Christus hoc fecerit bina vice. Semel in initio signorum statim adepto baptismate, de quo Ioan. 2. Et iterùm ante passionis suæ modicum interuallum, de quo Lucæ 19. Vnum cum sub auctoritate quadam remissè perfecit, alterum verò cum potestatis plenitudine.

Vndè Chrysostomus tom.3. super Ioannem Homilia 22. tractans hunc textum Ioannis, Quoniam propè erat Pascha, & ascendit Iesus Hierosolymam. Ascendens, inquit, Hierosolymam quid fecit? Rem multa auctoritate plenam. Cauponas enim illos, & nummularios, & eos qui columbas, & boues, & oues vendebant, & ideò illic conuersantes, eiecit. Matt.21. Et alius quidam Euangelista habet, quoniam eijciens dicebat; Ne facite domum Patris mei speluncam latronum: hic autem ait domum negotiationis: non contraria ad inuicem dicentes, sed ostendentes quoniam secundo hoc fecit: etenim non secundùm idem tempus vtraque facta fuit: sed illud quidem in initijs, nunc autem in ipsam passionem veniens hoc facit, ideòque vehementioribus sermonis vtens speluncam vocauit. In principio verò signorum non ita, sed remissa quodammodo increpatione vtitur, vndè dicimus secundò hoc factum esse. Hæc Chrysostomus.

Auct. Ecce bina vice Christus eiecit de templo, semel initio signorum, attestans ordini ostiarij, qui penè primus est, & in ipso ingressu situs ordinis clericalis: & demùm cum potestate, & vehementia magna ad terminum vitæ suæ quasi gerens in hoc vicem Sacerdotis, vel forsan Episcopi, qui est consummatus Sacerdos, & terminus perfectionis in ordine clericali: & huic consonat Augustini expositio in quæstionibus Euangeliorum lib.2. quæst. 43.

August. tom.4. Domus, inquit, mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum: significauit futuros esse in Ecclesia, qui sua negocia potius agerent, vel receptaculum, vbi manerent ad occultandum scelera sua, quàm vt Christi charitatem sequerentur, & peccatorum confessione accepta veniam corrigerentur. Hæc ille.

Auctor. Correctio verò, & indulgentia veniæ in confessione peccatorum, non ostiarijs, sed solis incumbit Sacerdotibus, quibus dixit Christus, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Io.20.

Ad quid probat Vvilhelmus cùm dicit Christum non habuisse diuitias necessarias ad iurisdictionem coactiuam, vel adiutorium habentium diuitias, ergo Christus non habuit iurisdictionem coactiuam? Mirabile quid quòd hucusque vir literarum petitus possit stultescere. Non hominem tantùm pauperem confitentur fideles fuisse Christum, sed & diuitem Deum. Ex parte hominis queritur Petrus in actibus de Iuda cur persecutus sit hominem inopem. & mendacium. Act.2. Ex parte Dei Dauid cecinit, Dixit, inquit, Domino, Deus meus es tu, quoniam bonum meorum non eges. Psal.15. Vestigium ergo Dei, & hominis est, diues mendicitas, & infirmitas summè potens. Mira res, inquis, mira valdè, sed certa. Audi hoc Ambrosium dicentem lib.9. super Lucam cap.2.

Ambrosius tom. 5. Aes effunditur, vt gratia colligatur: mensa nummulariorum euertitur, vt Domino subigatur: ara deijcitur, vt erigantur altaria. Atque hoc non aliqua succinctus armatorum manu diuicijsque faciebat, sed flagello de restibus cędebat turbas, & resistere nullus audebat. Luc.19. & nunc virga vtitur, nunc flagello. Virga enim recta est virga regni tui, virga ve corrigat, flagello vt suadeat. Psalm.44. Directa illic, hic mortalis quasi inflexa præceptio qua peccatoris conscientia velut lato verbere flagellatur. Alij enim sunt terrores prophetici, alij Apostolicæ suasiones. In vtroque tamen est vnius verbi disciplina. Hæc ille.

Auctor. Ecce quòd sine potentiæ manu hominum armatorum, sine diuitijs potuit Christus in flagello proprio cędere turbas, tàm potenter, vt nullus resisteret sibi: quid credis? Nonne quòd Christus in hoc dedit facto intelligi, quòd sine omni respectu ad diuitias, vel potestatem principum haberet pastoralis eminentia in Ecclesia vim suam coactiuam, vt siuè in flagello Apostolico lentè suadeat, siuè in virga cum terrore corripiat, in vtroque erit diuini vnius verbi Christi, & non Cœsarea disci-

7 sciplina? Sed quorsum hæc, nisi hanc ipsam, inquis, coactiuam potentiam Christus commisisset Apostolis? Multa enim fecit Christus, quæ cœteris non incumbunt. Apostoli, vt hic per te exponit Ambrosius,

sua-

suadebant in flagello, non terrebant in virga: imò vtriusque potestarem tradidit eis Christus per tria loca Euangelica. Matth. 18. Si peccauerit, inquiens, frater tuus, vade, & corripe ipsum inter te, & ipsum solum, &c. vsque ibi, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Item in eo vbi commisit clauium potestatem, quæcunque ligaueris super terram erunt ligata, & in cœlis. Matth. 16. & 8. Et iterum vbi vetat sanctum dare canibus.

Quantùm autem hæc loca arguant actiuam potentiam commissam Ecclesiasticis viris, & Christi Apostolis, si quid valeat Augustinus exponat in Libro suo vtique de fide, & operibus, circa principium, idest Capitulo 3. Ipse, inquit, Dominus exemplum singulare patientiæ, qui etiam in duodecim Apostolis vsque ad passionem diabolum pertulit, & qui ait, Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne fortè dum vultis colligere zizania, simul eradicetis & triticum, tetiaque illa in similitudine Ecclesiæ vsque ad littus, Matth. 13. id est vsque sæculi finem bonos, & malos pisces habitura prædixit, & cætera si qua de permixtione bonorum, & malorum, siue apertè, siue per similitudines est locutus, non ideò omittendam censuit Ecclesiæ disciplinam, immò verò admonuit adhibendam, quando ait, Attendite vobis, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Quòd si te non audierit, adhibe testes, quòd si hos non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Matth. 18.

Deindè ipsius seueritatis terrorem grauissimum adiecit, etiam loco eo dicens, Quæ solueritis in terra, erunt soluta, & in Cœlo, & quæ ligaueritis in terra, erunt ligata, & in Cœlo Matth. 13. Prohibet etiam Sanctum dare canibus. Hæc Augustinus.

Auct. Iam habes, ecce disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem commissam pastoribus. non quidem constituendi tantùm modò Sacerdotes, vt tu exponis, sed nec lentè consulendi in pœnitentiæ foro priuato, vt suggeris, sed ipsius, inquit, seueritatis terrorem grauissimum adiecit dicens, Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata, & in Cœlo. At quibus dixit ista Christus? Nunquid Imperatoribus, aut Regibus, quia commilitones ipsorum fingunt istam esse potestatem Regiam? Sed videant si ex hoc Regibus committatur liberè ligandi, & soluendi potestas, & ipsis etiam potestatem largire soluendi, aut hoc illis dimidia, illud illis, ridicula sunt ista, quia tunc non adorabant Christum omnes Reges terræ, Psal. 2. immò Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius.

Et soli Petro porrectum est verbum potestatis, sed in Petro omnibus non tantùm præsentibus, sed etiam futuris. Sed
8 hic aures nostras quæstione fatigant, & quomodò Petro est hic certifica commissa potestas, & vbi exercuit per Petrum, inquit, at breuiter respondemus, quòd ibi est Apostolis omnibus vnà cum Petro tradita potestas moderate ligandi, vbi Petrus præ aliis eminenter accepit, Matth. 26. quod acceperunt omnes communiter, & hanc etiam eminentiam singularem executioni exhibuit, vbi præaliis extracto gladio aurem mancipij amputauit.

Ambrosius tom. 5. Ex hoc Petro dirigit sermonem dicens, Tollat ergo Petrus aurem. Quare Petrus? quia ipse est, qui accepit claues Regni Cœlorum. Ille autem qui damnat, & qui absoluit, quoniam ligandi idem, & soluendi adeptus est potestatem. Tollit aurem, aurem malè audientem, tollit autem gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentem. Hæc Ambrosius super Lucam 22. libro vltimo, capit. 12.

Auctor. Ecce ex hoc quod Petrus accepit claues Regni Cœlorum ipse damnat, & amputat aurem, malè intelligentem, & quare Petrus, plus quàm omnes? quia ipse est, qui accepit claues Regni Cœlorum (id est eminenter accepit) ideò ipse est qui damnat in gladio præaliis, ipse præaliis coactiuam potestatem nactus Ecclesiæ, aurem tollit. Sed dicis non tollit nisi in gladio spirituali, Hebr. 4. & 1. Corinth. 5. hoc ipsum verum dicis tollit Cæsar ferro, sed Petrus verbo, sed & vtique Verbo Dei pertingit vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, & tradidit Sathanæ saltem ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini, & hoc gladio non solus Petrus, sed & omnes successores Petri funguntur, quorum nomine sciscitarus est Christum Petrus, dicens, Matth. 26. post medium lib:, Domine si percutimus in gladio?

Et Bernardus secundo lib. ad Eugenium quasi quæstioni annuens. Aliorum, inquit, potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur. Et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt, nonne si causa exstiterit, tu Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, & etiam tradere Sathanæ potes? Stat igitur inconcussum priuilegium tuum tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Hæc Bernardus.

Auctor. Ecce successorem Petri, Eugenium, Bernardus quasi Petrum alloquitur, & generali potestate, quam etiam in Episcopos suæ potestatis participes accepit ex clauium commissione salutat, vt sic pateat Papam quemlibet in commissione clauium generali etiam in vsu coactiuæ, & terrificæ potestatis cæteris Antistibus anteferri.

Et indè Sixtus Papa, vixit Anno Domini 129. secundùm calculum Augustini Sextus, à Petro, cùm iam non iuuit Papam, sed oppressit potentia principalis in decreto suo Capitulo secundo. Si quis, inquit, vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, liceat ei hanc Sanctam, & Apostolicam appellet Sedem, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Et infra. Ab hac

enim

enim Sede Sancta ab Apostolis tueri, defendi, & liberari Episcopi iussi sunt, vt sicut eorum dispositione ordinante Domino sunt primitus constituti, sic huius Sanctæ Sedis, cuius dispositioni suas causas, & iudicia seruauerunt, protectione futuris temporibus sint ab omnibus aduersitatibus semper liberi. Vndè culpandi ij qui aliter circa fratres egerint, quàm huius Sanctæ Sedis Rectoribus placere cognouerint. Hæc ille.

Auctor. Declarat iste Textus potestatem, & tuendi, & culpandi hanc sedem suam accepisse ab Apostolis, id est primo per ipsos sic ordinante, & disponente ipsis Domino pro futuris temporibus. Nescio, & vt veriùs dicam non scio, vtrum tam citò, quoniam iam præesse Crux fuit non gloria potestatem vsurpare indebitam. De censuris Ecclesiæ, & speciebus huius tempestatis dicetur in sequentibus. Iam autem quantum iste locus interrogat dixisse sufficit, vt qualiter potestatem istam pijssimus Christus per seipsum exercuit, & qualiter ex vi clauium toti prælaturæ Ecclesiæ eminentius autem Sancto Petro, & successoribus Sedis illius, commisit eandem.

CAPVT XXXV.

Quòd omnis Romanus Episcopus: seu Papa ritè ingrediens, in potestatem, & præminentiam Ecclesiæ succedit cum Petro.

SVMMA.

1 *Papa qui non sequitur Christum, & Petrum in moribus, in potestate eis non succedit, dixit VVitcleff.*

2 *Errasse, ac delirasse VVitcleff in hac positione apertissimè demonstratur.*

3 *Quòd Paganum errorem, idololatrarumque opinionem tutari visus est VVitcleff, cum Papalem dignitatem ex vita moribus asserit esse existimandam.*

4 *Hæretici existimauerunt successionem Summorum Pontificum non posse ex Scriptura probari.*

5 *Quòd huiusmodi successio testimonio Scripturæ probari possit, ex Augustino, alijsque Doctoribus, demonstrat.*

Errant igitur grauiter, qui primæ Sedis potestatem exemplatam, & à Christo donatam dissimulant, magis autem qui negant, quia solis coniecturis iniqui sui sensus ne Petrus in potestate sibi concessa à Christo, aut quisquam alius Petro succedat, arguunt, approbant, & inducunt. Colorem sibi fingunt ex me-
1 rito præsidentis, volentes vt quisquis Petro succedit in officio, succedat & in merito. Ita vt quisquis Petri caruerit moribus, careat & potestate.

Vndè Vvitcleff de Sermone Domini in Monte, secunda parte capit. 29. Si, inquit, Papa non sequitur Christum in moribus, nec imitatur Petrum in conuersatione sancta, sed viuit omninò contrariè: quid ipsi, & Petro, vt ex vita Petri habeat illud nomen? Euidentia quidem est cùm nec Christus, nec Petrus canduit tali cupidine mundanorum, nec præmehatur talibus vitijs cuiusmodi sunt in Papa, non sequitur, nisi à contrario sensu. Isti sic præficiebantur Ecclesiæ, ergo & Papa. Hæc ille.

Auct. Et iuxta hoc, est inter ter damnatas conclusiones conclusio 188. Quòd non promisit Deus, quòd quicunque in officio pastorali Petro successerit gaudebit dignitate, vt sit caput Ecclesiæ.

2 Auct. Optime Deus tu nosti quantum in pastoribus tuorum fidelium laudant Christiani tui sanctam vitam sanctę Cathedræ respondentem, quantoque ardore concupiscentes, quantisque apud te subiectorum suorum gemitibus postulatur tam sancta, tam veneranda, tam præcelsa concordia pietatis, & potestatis, magni meriti, & alti fastigij, sublimitatis, & sanctitatis, feruidum osculum, & intemeratum connubium, Tu ipse tamen docuisti Ecclesiam, potentiam illam, quam tuis pastoribus largitus es, tuam esse, non illius, & ideò quod soluunt, vel ligant, quod baptizant, quod consecrant, non ex vita dependere, vel merito, sed ex infinitæ tuæ arbitrio maiestatis. Et per hoc scimus, quantum à fide tuæ veritatis exorbitae, qui vitam Petri cum tua tam præcelsa potentia commensurat, quoniam quàm certè concedimus, quòd vita vitæ, & mores moribus, & actio distrahit actioni, tam certè negamus fidelitet, quòd vita potestati derogat.

Bernardus enim dixit ad Eugenium Papam libro secundo de consideratione, post medium. Quid, inquit, si Summus Pontifex sis, nunquid quia Summus Pontifex, ideò summus? infimum noris te esse, si summum putas. Quis summus? cui addi non posset, grauiter erras, si te illum existimes, absit, Non tu de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi aute experta virtus, quàm dignitas fuit. Augustis relinquito illam sententiam, & alijs qui diuinis coli honoribus non timuerunt. Verbi gratia Nabuchodonosor, Alexandro, Antiocho, Herodi, tu verò considera non consummatione summum te dici, sed comparatione. Nec putes me comparationem dicere meritorum, sed ministeriorum. 1. Corinth. 4. Sic te existimet homo, vt ministrum Christi, & absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim summum plaue inter miuistros. Alioqui nisi te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari antequam sis. Hæc Bernardus.

Auct. Ecce summum Patrem, ecce summam potestatem, non merito, sed mini-
3 sterio. Paganus error fuit, summam potestatem, summam affirmare virtutem, opinionem idolatrarum Antiochi, & Alexandri souet Vvitcleuista, cùm dicit potestatem Papalem summam vitæ virtutem, aut alioquin sacerdotium hominis ex suis vita, & operibus æstimandum, dicunt fideles

deles ergo Papam non esse, sed imitari debere vitæ melioris ascensum, esse tamen Papam potestate, & sede, & quasi identicè Papam Petrum non persona, sed officio, & qualitate potestatis, quamuis imparitate virtutis.

Bernardus lib. 2. ad Eugenium post medium. Age, inquit, illud Indagemus adhuc diligentius, qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Qui es? sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, Tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Hæc Bernardus.

Auct. Ecce Papa Eugenius, Papa Petrus potestate, & vnctione Christus, quid iam dicit noster Witcleff, quomodo conuenit ipse Bernardo sancto, cum dicit conclusione inter damnatas conclus. 36.

Witcleff. Quòd Papa sit Summus Pontifex est ridiculum: & Christus, nec in Petro, nec in alio talem approbat dignitatem.

Auct. Cui est hoc ridiculum, nisi quibus Christus est stultitia? De quibus queritur in Psalmo 21. Omnes videntes me deriserunt deriserunt in persona eius tunc deridentes, & nunc in corpore eius quod est Ecclesia. Viderunt enim eam hostes eius, & deriserunt sabbata eius. Tren. 1. Hi derident, his est Papa ridiculum, quos tamen nec Papa, nec Ecclesia Dei dignatur aspicere, scientes scriptum esse Prouerbiorum nono, Qui erudit derisorem, ipse sibi facit iniuriam.

Et Beda. tom. 1. Frustra, inquit, laborat qui verbum sapientiæ inculcare nititur ei qui audire contemnit, sapientiorem se Doctore, & maiorem existere credens. Hæc ille.

Auct. Sed deferamus istum derisorem, & eius ridiculum, & reuertamur ad docendum, & certificandum fideles de potestate summi pastoris fidelis in terris. Ambiguitas vna de maximis infertur ad his qui di-
4 cunt. Et si credere debeamus Petrum habuisse tam extensam potentiam, cui palam est ex Scriptura Christum commisisse Ecclesiam, sed quo iure hoc traijciunt successores quod Christus non expressit? Ioan. 21. & Luc. 22. Audiuimus Christum Petro dicere, Pasce oues meas, & confirma fratres tuos. Nunquid audiuimus confirmate omnes successores Petri? Aut omnes vos pascite oues meas? Et sitis omnes Summi Pontifices in plenitudine potestatis? Huic videtur satisfacere praxis Scripturę: Ecce tertij Regum decimonono legimus dixisse Dominum ad Heliam. Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perueneris illuc, vnges Azael Regem super Syriam: Nam si Iehu filium vnges Regem super Israel, Heliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmehola, vnges Prophetam pro te. Hic vides, quòd accepit Helias potestatem vngendi, & præficiendi duos reges in populo, & vnum Propheram ab ore Domini specialiter committentis. 4. Reg. 8. Reuolue Scripturas, inuenies Heliam instituere Helyseum Prophetam, statim ibidem dicente Scriptura: Profectus inde Helias inuenit Helyseum filium Saphat arantem in 12. iugis boum, misitque pallium suum super eum: Reges verò prædictos non instituit, sed Heliseus vnxit Azael Regem Syriæ, vt putant velle Scripturam, 4. Regum octauo: & non velle, quòd ipse iam Helyseus vnxit Iehu. Sed adolescens quidam ex filijs Prophetarum, quarto Regum nono. Et qua potestate hoc fecerit Helyseus, qua etiam potestate commiserit, hoc alteri vicaria potestate Heliæ, quam ipse successionis iure contraxit, quamuis Deus, vel Scriptura de hac potestate subticuit.

5 Potior est potestas Petri Summi Pontificis in noua lege, quàm in lege veteri Helię Prophetæ. Commisit enim Petro Christus insignem potestatem totius Ecclesiæ instituendi primos pastores Ecclesiæ per seipsum: instituendi, vel instruendi, & vngendi Reges, & Duces regnorum per alios prærogatiua super potentiæ amplioris successoribus reseruata, quòd ipsi integram in se, & alijs committendi habeant facultatem: quemadmodum Helyseus vnctionem Iehu commisit alteri. Vide iam modum diuinæ legis, tam esse præcisum, & grauem, vt putet satis esse successori potestatis, quod accepit eam in Patribus. Sic enim Augustinus dicit, quòd tota Ecclesia in omni posteritate sua iurisdictionis suæ dotem simul accepit cum Petro, cùm diceret ei Dominus, Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. tractatu quinquagesimo super Ioannem, propè finem.

Augustinus. tom. 9. Si, inquit, in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, quęcunque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia: si autem, & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, ligentur in cœlo, & quæ soluuntur in terra, soluuntur in cęlo: quia cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus: cum reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus. Si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit. Hæc ille.

Auct. Ecce tota Ecclesia habuit æquam potestatem vnà cum Petro, quòd si soli Petro daretur illa potestas, iam nec aliquis in Ecclesia Sacerdos, vel Episcopus quicquam posset soluere, vel ligare.

Idcircò Rabanus super hunc textum, Tu es Petrus, In expositione super Matthęum, Hæc, inquit, ligandi, atque soluendi potestas, quamuis soli Petro data videatur à Domino tamen, & cæteris Apostolis datur: necnon etiam nunc Episcopis, ac Presbyteris Ecclesiæ. Sed ideo Petrus specialiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per Orbem credentes intelligant, quòd qui-

quicunque ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo seipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt ingredi regni cęlestis. Hęc ille.

Auctor. Quòd si cunctis in Ecclesia Prælatis simul, vt Petro loquens Petro Christus, Petri contulit potestatem, Petri successores de omni hæreditate, & potestate paterna eos reliquisse creditur. Ex parte credat hoc hæreticus, Orthodoxus non credet; quinimo etiam hoc magis profitetur, & credit non solùm Petrum, & successores Petri alloquutum esse Christum cum diceret, Pasce oues meas. Ioan. 21. sed etiam cum personam Petri signasse videtur, dicendo, Tu es Petrus; Non enim solùm tunc Petrus in Petro, sed vide Clementem, & in Clemente Petrus videtur. Vide Anacletum, & in ipso Petrus idemptitate potestatis, & sedis.

Idcircò verbū permanens semper stans, Tu es Petrus. Si diceret tu fuisti, iam occidit: si eris, nondum ortus. Sic suprà dixit Augustinus tom 4. in libro octuaginta trium quæstionum. Quod occidit, non est. Sed hoc dixit veritas Petro de Papa in Papam, Tu es Petrus, quod ait Psalmista Domino, Psal. 89. A seculo in seculum tu es Deus.

Hoc venerabilis Eulogius Patriarcha Alexandrinus scripsit Gregorio, quod idem Gregorius tom. 2 humiliter affirmat in 6. lib. registri, epistola trigesima septima, quæ incipit, Suauissima mihi sanctitas vestra, inquit Gregorius. Multa in epistolis suis de sancti Apostolorum Principis Petri Cathedra locuta est, dicens quòd ipse in ea nunc vsque in suis successoribus sedeat: Et quidem ego indignum me esse non solùm in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri Cathedra locutus est, qui Petri Cathedram sedet. Et cùm me spiritualis honor nullo modo delectet, valdè lætatus sum, quia vos sanctissimi, quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur, Matth. 16. Tibi dabo claues regni cęlorum? Cui rursus dicitur, Luc. 22. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos? Iterumque Simon Ioannis amas me? pasce oues meas. Ioan. 21. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate conualuit. Hæc Gregorius.

Auct. Ecce quod diximus ipse Petrus in Petri Cathedra nunc vsque in suis successoribus sedet. Nullus hoc maniacus occidentalis: sed Alexandrinus dixit hoc, Eulogius Præsul Græcus.

CAP. XXXVI.

Quòd Papa fideliter appellatur sanctissimus Pater.

S V M M A.

1 *Papa (d. Witcleff.) non potest vocari sanctissimus, & cur.*
2 *Error Wit. vnde ortum habuerit.*
3 *Sanctitatis nomen cui iure conuenire debeat.*
4 *Sanctorum multæ sunt differentiæ.*
5 *Sanctus, & iustus differunt, quod quidem quia ignorauit Wit. in hunc incidit errorem.*
6 *Præsulis sanctitati differt à populi sanctitate, non modò comparatione, verùm & specie.*
7 *Hoc nomen (sanctissimus) non recenter sibi Summi Pontifices vsurparunt, sed priscis temporibus à Sanctis viris fuit impositum.*

AFfligit item cor suum Witcleff flagellis torquentis inuidiæ, quòd à fidelibus, & sanctis viris consueuit Papa vocari sanctissimus Pater, aut Pater beatissimus, aut emiuenti vocabulo Papę.

Vndè de Christo. & Antichristo, cap. 10.
1 Witcleff. Vt fides, inquit, capit, quòd Papa sit Pater sanctissimus, & caput Ecclesiæ, in tantum quòd vt experimento didici negans istam sententiam, erit tanquàm sit hæreticus persecutus. Sed certum est quòd nec Papa in persona propria, nec Ecclesia conuersans cum illo cui non sit reuelatum, noscit: an prædestinatus fuerit, an præscitus, & per consequens vtrùm sit membrum Ecclesiæ, an diabolus incarnatus. Hec ille.

2 Auct. Petri omnes Theologi non ignorant istam calumniam eum formasse contrà Papam ex crassa malitia, aut ex ignorantia Scripturarum, & non intellectu vocabuli: habet consuetudo sanctæ Scripturæ, sancta vocare siue viuentia, siue non viuentia, quæ ab vsu publico segregata, in priuatum vsum sumuntur præcipui cultus Dei, nec contaminari possunt impunè. Et hæc est interpretatio iusta vocabuli.

Vndè Hieronymus in magno volumine
3 interpretationis suæ triformis. Sanctum, inquit, dicitur, quando aliquid sancitur, quo violato pœna comitatur. Hæc ille.

Auct. Hoc modo adhuc sanctum dicitur, aliquando ex merito, & à violatione longinquum quemadmodum Christi maximè. Vndè Psal. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et in Euangelio, Luc. 1. quod nascetur ex te sanctum. Aliquando ab officio, vt homines sancti, quamuis alirer criminosi. Sic enim Numerorum decimo octauo, Dixit Dominus ad Moysen, Tu, & filij tui, & domus Patris cui portabitis iniquitatem sanctuarij: secundùm translationem antiquam 70. Sumetis peccata Sanctorum. Videat, & iam qui oculos videndi habeat, quomodo hìc ex ore Domini Moyses cum familia signati sunt portare dignitatem sanctuarij, & sumere peccata Sanctorum. Si Sanctuarium, quo-

quomodo habet iniquitatem? & qui sancti sunt, quomodo habent peccata?

Origenes, tomo primo, autem hanc ambiguitatem soluens super librum numerorum homil. 10. Quærendum, inquit, quomodo aliqui Sancti dicantur, & de peccatis eorum scribatur? Non enim ve putant quidam statim, qui sanctus esse cœperit peccare non potest, & continuò sine peccato putandus est.

Dicitur enim per Ezechielem 9. à sanctis meis incipientis: Si enim sancti sine peccato sunt, quomodo ipsi primi succumbunt supplicio peccatorum?

Et alibi: Iustus in principio sermonis sui accusator fit: Prouerb. 18. Apostolus quoque qui in principio epistolæ suæ scribit: Roman. 1. Omnibus, qui Romæ sunt dilectis Dei, vocatis sanctis.

Et posteà eisdem dicit. Nolite propter cibum soluere opus Dei. Et 1. ad Corinthios 1. Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi Ecclesiæ Dei, qui est sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis, 1. Corinth. 3.

Posteà dicitur: 1. Corinth. 5. Cum enim sint inter vos æmulationes, & contentiones, nonnè carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?

Et paulò post: Omninò autem inter vos auditur fornicatio, qualis nec inter gentes, & inflati estis. In quo nullum impunè relinquit, dum alijs fornicationem, alijs inflationem, & superbiæ crimen ascribit.

4 Et post pauca. Sed Sanctorum multæ differentiæ sunt. Sancti enim dicuntur idem, quod peccatores, qui se Deo vouerunt, & separauerunt à vulgo vitam suam, ve Domino seruiant. Huiusmodi homo secundùm hoc, quòd cæteris actibus circuncisis se Domino mancipauit, sanctus dicitur; Sed fortè in hoc, quòd Domino seruit, non ità gerit omnia, vt Domino competit, sed in aliquibus delinquit sicut enim qui separat se ab omnibus actibus ve disciplinam medicinæ, vel philosophiæ consequatur, non continuò ità perfectus est vt in aliquo non peccet: immò pluries delinquendo vix ad perfectionem peruenit; Et tamen statim vt se ad huiusmodi scholas tradidit: certum est cum vel inter medicos, vel inter philosophos numerari: Ità qui se mancipat studijs sanctitatis, secundùm hoc, quod proposuit, sanctus appellatur.

Secundùm hoc verò, quòd necesse est eum in multis delinquere donec vsu, donec diligentia abscindatur consuetudo peccandi, peccator dicitur. Hæc ille.

Auctor. Disce iam sanctum dici quem quam ex sancto proposito, quamuis adhuc ex consuetudine peccandi peccata non vicit. Ex consuetudine antiqua quoque sacræ Scripturæ Veteris Testamenti, & Apostoli Pauli ipsos eosdem dici debere sanctos, qui & blasphemi sunt, & peccatorum pressi voragine, quia iuxta primam vim vocabuli, potiùs habet, & sonat denominationem participij, quàm nominis qualitatem. Et ideirco esse sanguine pu-tificatum, dictum est post factum esse sanctum.

Vnde Isidorus 10. etymolog. capitulo decimonono, sanctus est à veteri consuetudine appellatus, eo quòd ij qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur, & ex hoc sancti nomen acceperunt, sanguine tincti. Hæc ille.

Item libro decimoquinto, capitulo quarto. Sanctum est, quod constat esse sancitum, sancire autem est confirmare, & in irrogationem pœnæ ab iniuria defendere, sic & leges sanctæ, & mores sancti esse dicuntur. Hæc Isidorus.

Auctor. Iuxta hunc modum in Scriptura sacra non tantum prædestinati, renelati, sed & viri reprobi, & prophani dicti sunt sancti, sicut Nabuchodonosor Cyrus & alij potentes de sæculo propter opus in quod assumpserat eos Deus, dicente Hieremia in persona Domini cap. 22. Sanctificabo super te interficientem virum. Super quod Hieronymus in commentario libro quarto: Sanctus, inquit, vocatur Nabuchodonosor, & omnis eius exercitus, quia exequitur sententiam Dei. Hæc ille.

5 Auctor. Et mirum, quòd inter sanctum virum, & iustum iustitia vitæ; nullam distinctionem inuenit, vt videtur: cùm & ipse tantùm de philosophia superbit, & commentator vir per omnia Philosophus Ethnicus nouit dicere super primum Ethicorum, commento quadragesimonono, quòd sanctum differt à iusto, quoniam hoc quidem in ea, quæ est ad eos, quæ sunt eiusdem speciei æqualitate consideratur, hoc verò in honore dicente Deum, & diuina, & quidem quamuis obscurè de primo, & secundo, tamen concorditer sentit cum Theologis sanctum scilicet esse, quòd in honorem Dei decenter assumitur. Post hæc omnia, quid momenti habet, quid ponderis, quòd Witcleff noster non intelligendo, quid sanctum sit, nec iuxta vim vocabuli, nec iuxta conceptum Scripturæ Canonicæ, redarguit in Romano Papa, quòd vocetur sanctus; vel sanctissimus. Hac ratione rudibili, quia nec Papa in persona propria, nec Ecclesia conuersans, cum illo cui non sit reuelatio noscit vtrum prædestinatus fuerit, an præscitus, & per consequens Ecclesiæ membrum, an diabolus incarnatus. Putas ne ideò, quòd Moyses nouit totam familiam illam esse prædestinatam, quam dixit sacratam, & sanctos? Aut ao Hieremias nouit Nabuchodonosor, & omnem suum exercitum esse prædestinatum, & nullum inter eos diabolum incarnatum, quia dixit illos sanctos? Aut an Paulus inter reuelationes Cœlestes accepit omnes illos Corinthios prædestinatos, quos sine exceptione dixit sanctos, & tamen fornicarios, inuidos, & elatos? Erit ergo Papa Romanus omnibus sanctus Pater, & sanctissimum membrum Ecclesiæ, quandiù in communione permanserit, quamuis incertum sit de eius prædestinatione. Sanctus enim est, quia secundùm Hieronymum supra, ità in opus Dei sancitur, vt non impunè ista sanctitas violetur.

Aliter tamen ſanctus; quàm crudelis Nabuchodonoſor, ſicut dicit Hieronymus, conſequenter in præfatum Hieremiæ locum. Alia, inquit, eſt interfectorum ſanctificatio, & armorum eius, & alia Sacerdotum, & eorum, qui Domino miniſtrant. Hæc ille.

6 Auctor. Nempè à maiori, alia eſt ſanctitas primi Sacerdotis, alia cuiuſcunque fidelis, non tantum comparatione, ſed ſpecie: ſed, & de comparatione dicentes, quòd quilibet fidelis ſanctus eſt, quia Chriſti ſanguine tinctus, & in opus eius ſingulariter eſt aſſumptus, multò magis ſancti, Religioſi, & Clerici, qui ſecundùm Origenem ſupra, ſe Deo vouerunt, & ſeparauerunt à vulgo vitam ſuam, vt Deo ſeruiant. Excellenter autem ſancti Pontifices ipſi ſunt, qui ſicut Chriſtus eis ità ipſi Chriſto ſuum ſanguinem dedicant profeſſione ſolemni. Quomodo ergo non erit ſanctiſſimus in comparatione Sanctorum, Petri, & Chriſti Vicarius, & caput ſanctorum vniuerſorum in terris? Hanc igitur æquiuocationem vocabuli quomodo diſperſim multis conueniat, beatus Ambroſius libro primo, de Spiritu ſancto capitulo quinto, determinat. Non, inquiens, accipit à creaturis, ſed accipitur Spiritus ſanctus, ſicut non ſanctificatur, ſed ipſe ſanctificat. Creatura enim ſanctificatur.

Sanctificat autem Spiritus ſanctus in quo licèt verbi communio, diſcretio tamen naturæ eſt. Sanctus enim dicitur homo, qui accipit, & Deus, qui tribuit ſanctitatem: quia legimus, Leuit. 19. 20. Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum. Hæc ille.

Auctor. Ecce ſanctus Deus, qui ſanctificat: Et ecce ſanctus homo, qui accipit ſanctitatem: ergo qui poſt Deum magis ſanctificat, ſanctus Papa, & qui maiorem ſaltem officij accipit ſanctitatem: verè ſanctus, & magnus Pater.

Cyrillus Carmelita cum vniuerſo cœtu Patrum Epheſij Concilij magni non verebatur ità nuncupare Romanum Antiſtitem Cœleſtinum in epiſtola Synodica directa ad Neſtorium, quæ incipit, Religioſo, & Deo amabili. Ecce, inquit, cum ſancta Synodo, quæ apud amplam Vrbem Romam congregata eſt, præſidente ſanctiſſimo, & veneratiſſimo fratre Conſacerdote noſtro Cœleſtino Epiſcopo.

Et infrà. Quòd ſi hoc religio tua facere diſtulerit, iuxta dilationem literis præfinitam ſanctiſſimi, & veneratiſſimi Conſacerdotis noſtri Romani Præſulis Cœleſtini, ſcias te nullam ſortem habere nobiſcum, nec colloquium cum Dei Sacerdotibus, & Epiſcopis obtinere. Hæc ille.

7 Auctor. Vides, quòd non præſumptuosè vſurpas Papa de nouo nomen ſanctiſſimi Patris, ſed ex dignitate, & celſitudine Sedis, & officij omnes Patres antiqui reputabant eum ſanctiſſimum. Et quidem ante fauorem dotis admiſſæ, ſi benè colligas nomen ſanctitatis antonomaticè vendicauit, ſi ſuperbè tu videris, qui non ſoles talia dicere de his, qui dotem præibant.

Vnde Fabianus Papa, qui fuit tempore Origenis, & erat decimusnonus à beato Petro, duodecimus ante Syluestrum, ſecundo ſuo decreto. Iſta, inquit, à ſanctis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus accepimus vobiſque tenenda mandamus. Hæc ſancta Romana Eccleſia, & Antiochena à tempore Apoſtolorum cuſtodit. Hæc ille.

Et Sixtus Papa in modico ſucceſſor eius, decreto ſuo primo. In hac, inquit, ſancta Sede dudum à multis Epiſcopis conſtitutum eſt: & modò ad veſtrum, & cæterorum fratrum auxilium eſt denuò roboratum vt omnes Epiſcopi, & cæteri liberè Apoſtolicam appellent Sedem. Hæc ille.

Auctor. Multa ſunt iſtiuſmodi antiquorum Patrum teſtimonia, quibus probari poteſt, quòd nomen ſanctitatis tam antonomaticè Romana Sedes non ſibi vendicauit à nouo. Concludamus ergo, quòd qui nouiter ſugillat in ſanctitatis tam antiquum vocabulum, planè demonſtrat ſe inuidum, & non ſanctum.

Vnde, & ſanctus Gregorius tom. 1. in Moralibus, tractans textum: Pſalm. 7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem: Grauis, inquit, iniquitas eſt, quando is, qui peruerſus eſt, oſtendere alios peruerſos molitur, vt inde ipſe quaſi ſanctus appareat, quo alios ſanctos non eſſe docuerit. Hæc ille.

Auctor. Sed nobis, & ſanctus Pater Hieronymus non veretur ſcribere ſanctum Papam, & commemorans gloriam eius ſanctitatis, vt habetur in libro, qui inſcribitur ei geſtis Romanorum Pontificum ex Damaſo, ſcribens ad Papam Damaſum in principio: Gloriam, inquit, ſanctitatis tuæ noſtra humilitas deprecatur, vt ſecundum Apoſtolicæ Sedis, quam cognouimus à te gubernari, perpetuam ſanctitatem, actus geſtorum à beati Petri Apoſtoli Principatu vſque ad noſtra tempora; quæ geſta in Sede tua nobis per ordinem enumerare digneris. Hæc ille.

Auctor. Ecce gloriam ſanctitatis Papæ, & ſanctitatem perpetuam Sedis Apoſtolicæ.

CAP. XXXVII.

Quòd Papa ſit Pater Beatiſſimus.

SVMMA.

1 *Papa (ad mentem peſſimi huius hæretici) non debet vocari Beatiſſimus, hoc enim ſibi iniuſtè vindicauit.*

2 *Papam non ſibi vſurpaſſe hoc nomen, ſed ab alijs fuiſſe ei impoſitum probat, immò ille ſe ſeruum ſeruorum nuncupare, non veretur.*

3 *Ius commune cùm ſeruetur in ſuppoſito, idcirco non ſua perſona, ſed publica reputatur.*

Papa

4 *Papa cum sit Petri successor, totam Ecclesiam repræsentat.*
5 *Epitheta quædam Summorum Pontificum explicantur.*
6 *Papa non tantùm beatus, sed etiam beatissimus appellari potest.*
7 *Papa licèt peruersus in supposito, in officio tamen est beatus.*
8 *Papa, tametsi beatissimus nuncupetur, non tamen extra viam existimandus est, & habere, quicquid vult; Nam beatus est ratione officij, & in spe.*

FVror autem hæreticæ prauitatis, arguit iterum Pium Papam super appellatione beatissimi Patris, secunda parte vesaniæ suæ de sermone Domini in monte cap. 7.

1 Witclef. Ipse, inquiens, Papa vendicat, quòd sit primus in discubitu, & vocetur Pater beatissimus cum conditionibus cæteris hic damnatis à Christo: & cum hoc dicit vocaliter tanquam hypocrita, quòd sit immediatus Christi Vicarius in terris. Hæc Witclef.

2 Auctor. Perlegi pleraque anni quæ institutionis volumina, recensui literas, & rescripta, definitiones, canones, & edicta Romanæ Ecclesiæ, & eiusdem sanctæ Sedis Antistitum, & nunquam vidi, quòd Papa se scripsit, vel censuit beatissimum Patrem, sed quandoque Romanum Episcopum, quandoque illius Sedis Pontificem vsque ad Gregorium, & deinceps seruum seruorum Dei. Sic potiùs titulo pedestris vernaculi se submittens, quàm gloriam vendicans excessiuam. Cæteri tamen non minimæ sanctitatis, & auctoritatis, & peritiæ Patres admirantes summam potestatis eius, & virtutis cum vicinitate qua penè Christum attingit, reputatiuè scripserunt eum beatissimum esse Patrem, quicquid est potestatis, quicquid sacramentalis gratiæ, quicquid dispensationis cœlestis à Christo capite Ecclesiæ recommissum eius est administrationis, & tutelæ depositum.

3 Ius enim commune seruatur in supposito, & ab illo communi iure persona, non iam sua, sed publica reputatur: quemadmodum secundùm Augustinum homilia vltima super Ioannem, Petrus cum à Christo claues accepit, totam Ecclesiam figurauit.

Augustinus. Hoc, inquit, agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam. Quòd enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia, vnus Christianus, abundantiore gratia vnus idemque primus Apostolus; sed quando ei dictum est: Matth. 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis: vniuersam significabat Ecclesiam.

Et sequitur: Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi, & soluendi peccata. Hæc ille.

Auctor. Ecce, quod Petrus in seipso repræsentauit Ecclesiam quando pro tota Ecclesia impressit ipsi Christus insignia clauium, & omnium munera publica gratiarum.

4 Ità quoque si Papa sit successor Petri, adhuc ipse dono totam Ecclesiam repræsentat, & dona necessaria publico statui eius à Christo capite deriuanda. Ipse in se cœlitus accipit dispensanda. Non tamen intendo derogare priuatis gratijs quas per seipsum Christus seruis suis priuato more distribuit, sed publica dico gratiarum charismata Ecclesiæ statui communi accommoda per ministrum suum publicum conferre iugiter assueuit.

5 Ipse igitur primus Pastor est, & Pastor Pastorum, successor, & socius piscatoris, ipse vena maior militantis Ecclesiæ, Apotheca cœlestium munerum, Cisterna supernorum imbrium, & primum receptaculum sublimium gratiarum.

Iungamus ergo his, quòd dicit Boetius de consolatione beatum describens, libro primo: Id, inquit, est omnium bonorum summùm, cunctaque intra se bona continens, cui si quid abforet, summum esse non posset, quia relinqueretur extrinsecus, quod posset optari, liquet igitur beatitudinem esse statum bonorum omnium aggregatione perfectum. Hæc ille.

Auctor. Propter hoc ergo, quòd in Patre Papa contineri solent largiratè Christi omnia bona spiritualia Ecclesiæ vsibus pro tempore suæ militationis ac-
6 commoda, non tantùm beatus, sed Pater beatissimus à Patribus appellatur, quin-
7 immò, & si sit peruersus in supposito, tamen in officio est beatus, quemadmodum, & beatum tempus dicitur quo veniunt op-
8 tima, & non tamen inster æmulus, quòd ex hoc esset Papa extra statum viæ, & haberet quicquid vellet, & quòd nullum bonum ipsi deesset: ne iterato respondeam, quòd nondum Scripturæ mores agnouit dicentis aliquid, quandoque sola spe aliquid ipsa re beatum, qualiter supradixit Ecclesiam Augustinus iam spe beatam, & sic Christus, Matth. 5. dixit pauperes, Spiritu, & flentes, & esurientes esse beatos: & Psalmista dicit illos beatos, qui ex toto corde quærunt eum. Vnde super psalmum 118. sermone primo, Augustinus. Quomodo, inquit, iam beati eum adhuc testimonia eius scrutantur, & exquirunt eum: cùm hoc facere possint impij, & iniqui, beatos autem esse impios, & iniquos quis, vel impius dixerit, vel iniquus? Ergo spe beati, sicut beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non propterea, quòd adest quandiù mala patiuntur, sed propterea, quòd aderit, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum, Matth. 5. Et beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, non quia esuriunt, & sitiunt, sed propter id quod sequitur; Quoniam ipsi saturabuntur. Et beati, qui plorant, non quia plorant, sed propter id quod sequitur; Quia ipsi ridebunt. Proinde beati, qui scrutantur testimonia eius in toto corde ex-

exquirunt eum, non quia scrutantur, & exquirunt, sed quia inuenturi sunt, quod exquirunt. Hæc ille.

Auctor. Hoc ergo modo beati, qui spe beati: etiam cum hac te miseri, de quibus alibi Scriptura dicit, Tit. 2. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ. Ad hunc modum scriptores sancti beatos dicunt eos quibus scribunt iuxta famosam etymologiam, aut interpretationem vocabuli. Vnde in magno volumine interpretationis suæ triformis, ait Hieronymus. Beatus dicitur, commodus, fœlix, fidelis, diues, locuples, fortunatus, pecuniosus, copiosus, opulentus, potens, abundans, bene auctus. Hæc ille.

Auctor. Secundùm hæc omnia discretè dicuntur, fideles esse beati, maximè ij qui fidelium populis præsunt, aut quia commodi sunt in obseruatione iustitiæ, secundùm illud: Psalm. 105. beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore: aut quia potenter sustentant temptamenta multorum, Iacob. 1. Vnde beatus Vir, qui suffert temptationem, aut quia eleemosynarij locupletes, secundùm illud: Act. 2. Beatius est magis dare, quàm accipere, aut quia ad vtilitatem politicam benè sunt aucti, vel promoti. Vnde beata terra cuius Rex nobilis est, & beata, Virgo, beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, &c. Et hoc modo etiam Imperatorem Constantiuum beatus Pater Hilarius beatissimum nuncupauit in epistola sua ad eundem, de fide. Benifica, inquiens, natura tua, Domine beatissime Auguste, cum benigna voluntate concordat, & quoniam de fonte paternæ pietatis tuæ misericordia largiter profluit, quod rogamus faciliter nos impetrare posse confidimus. Hæc ille.

Item Beda tom. 1. in epistola ad Accam Episcopum, quæ expositioni eius super Lucam famosæ, præponitur. Domino inquit beatissimo, & nimium desideratissimo Accæ Episcopo Beda humillimus Presbyter in Domino æterno salutem. Hęc ille.

Item Ambrosius in libro de dignitate Sacerdot. cap. 1. in princ. to. 4. Sic scribit quibusdam Sacerdotibus, & Episcopis quos ipse consequenter arguit de symonia & multis excessibus in libro suo pastorali, quem de obseruantijs Episcoporum inscribit, & incipit. Si quis fratres. Audire me, inquit, beatissimi Patres, & dignum ducite sanctissimi fratres. Audite me stirps Leuitica, germen Sacerdotale, propago sanctificata, Duces, & Rectores gregis Christi. Hæc Ambrosius.

Auctor. Conuenire tamen existimo sincerè scribentibus vt terminorum vices metiantur, & appendant perfectius, iuxta pondera dignitatum, & tunc non criminaliter possunt cunctos fideles in Christi pace viuentes appellare beatos, in perfectionis culmine persistentes beatiores describere, & summum Patrem Ecclesiæ sub capite Christi beatissimum nuncupare.

Iuxta quod beatus Hieronymus tomo 9. in annotationibus suis super Pauli epistolas, tractans hunc textum primæ Cor. 7. & 4. Beatior erit si sic permanserit, &c. gradus comparationis prudenter distribuit: beata inquiens habens maritum si custodiat iustitiam, beatior vidua quia minore labore ad summum præmium possit peruenire. Hæc Hieronymus.

Auctor. Sed si scandalum tibi sumas cùm audis Papam dici beatissimum Patrem, superlationem ibi reputans hyperbolicam, etiam miror, quod hoc in Cæsare, & inferioribus Episcopis non incuses cùm audis eos pluries beatissimos dici. Aut credis, quòd ipsi sibi tales titulos vendicarunt, si hoc putas, quòd sic scripserunt homines, putes non hoc vendicasse Papam quando cum terminis humilibus positiuis fletit contentus, sic enim Religiosus Pater Ruffinus Apologiam defensoriam mittens pro seipso ad Anastasium Papam super crimine hæresis. Audiui enim quosdam cum apud beatitudinem tuam siue de fide, siue de alijs nescio quibus quæstionibus controuersias commemorent, & mei nominis fecisse mentionem. Et tua quidem sanctitas velut ab ipsis incunabilis per Ecclesiasticæ traditionis regulas instituta de absente sibique bene, & in fide, & in charitate Dei cognito calumniantibus, non accomodauit auditum.

Et infrà versus finem. Nemo ergo mihi ex hoc quæso te sancte, & venerabilis, & beate Pater conflet inuidiam, nemo factionibus vtatur, & calumnijs, quòd in Ecclesia Dei fieri non licet. Hæc ille.

Auctor. Ecce iam positiuè beatus Pater Papa, & superlatiuè beatissimi Patres Cæsar, & Episcopi. Quid aliorum facta retorques in Papam? Si crimen est, quod damnasti, Auctores eius inculpa, si laus, nihil eis, & Papæ, lauda artifices.

CAP. XXXVIII.

De hoc nomine Papa, quòd non sit per Cæsarem introductum.

SVMMA.

1 *Papæ nomen cum sit terminus extra script. per Cæsarem introductum est, dicebat Vvitcleff.*

2 *Hoc nomen vnde ortum habuerit, Catholicè declaratur: & quòd non extra fidem script.*

3 *Conatur Auctor hæreticum proprio gladio, instar Goliæ, interimere.*

4 *Antiquum esse hoc Papæ nomen, non paucis priscorum Pontificum, aliorumque test. comprobat.*

5 *Quomodo, quàm plurimi sanctorum virorum, Romanos Pontifices Papas vocauerunt, immò non pauci etiam insignes Episcopi, aliquando Papæ fuerunt appellati.*

Vehe-

VEhementer etiam calumniatur beatissimum Patrem nostrum de præsumptuoso Papæ vocabulo, vt habet inter conclusiones ter damnatas, con-
1 clusione 12. dicens. Witcleff, Papa, & Cardinales fuerunt non ordinati à Domino, sed per diabolum introducti. In cuius signum, nomen Papæ, vel Cardinalis non inseritur in scriptura, sed vt chronicantes referunt, quando venenum effusum est in Ecclesiam, inuentum est. Et concorditer ad hoc noster Witcleff in dialogo veritatis, & mendacij cap. 24. Cùm, inquit, hoc nomen Papa sit terminus extrà fidem scripturæ, videtur, quòd in dotatione Ecclesiæ præsumpta, per Cæsarem est inuentum: & sic si connoret istam ordinationem, tunc nimis salubre foret Ecclesiæ, quòd non forent Papa, vel aliqui Cardinales. Hæc ille.

2 Auctor. Vocabulum Papæ quando primùm, vel à quo primùm sit repertum, adhùc mihi non patuit. Tædiosum enim esset omnium appellationum scrutari patronos, & generationis exordia. Sufficiat ergo grammatico modo scite cum Grammaticis, quòd post Papæ vocabulum ab interiectione stuporis, nomen Papæ sumpsit originem. Iuxtà illud Poetæ simul describentis suppositum, & interpretantis vocabulum ornatu rhetorico. Papa stupor Mundi: sic ergo Summum Patrem Papam dicimus, quia fulgore virtutum, & gratiarum copia est cæteris in stuporem. Iuxtà autem nominis etymologiam dicitur Pater, vel Pater Patrum: & indè Pater correpta syllaba geminatur, quòd si ita est, ista dictio quantum de se non est omninò extrà fidem scripturæ, sed aut ea 4. Reg. 2. ad Heliam pater mi, pater mi. Currus Israel, & auriga eius: aut hoc est, quòd Paulus dixit ad Galat. 4. Abba pater, pater, latinè, quòd sequi videtur clarus Doctor. Hugo lib. 2. de Sacramentis par. 3. cap. 4. vbi recitatis ordinibus Ecclesiasticis, & dignitatibus: Post omnes hos, inquit, sequitur Summus Pontifex, quem Papam, idest, Patrem Patrum consuetudo Ecclesiastica nominare instituit. Hic est principalis, & maximus in Ecclesia Romana successor. Vndè & ipsum specialiter Apostolicum sancta consuetudo Ecclesiastica nominare consueuit. Hæc ille.

3 Auctor. Sed vt accedamus propius, miror, qua temeritate in redarguendo falsum, vt dicit, tam plana sectatur mendacia. Videtur, inquit, quòd in Cæsaris dotatione nomen Papæ est inuentum: Nescio an tibi sic videtur, sed cum Christo volo, vt sic videntes cœci fiant, & vide cœcitatem. Ipsemet libro suo de cura pastorali cap. 6. Christus, inquit, est Papa generalissimus.

Auctor. Quid facis blaspheme, cur Christum polluisti nomine diabolico, nomine Papæ eum appellans, quòd extrà fidem scripturæ post dotationem per Cæsarem est inuentum? Sed si Christus non est pollutus ex nomine, cur occasionem detrahendi Papæ, ex eodem vocabulo præsumpsisti? Ideò non dubium si cœcus non esset iste magister cum discipulis benè vi-
4 dissent Romanos Pontifices sic dictos Papas ab alijs diu antè dotem, immò & sic appellasse seipsos.

Euaristus Papa IV. à Petro secundùm calculum Augustini in decreto suo cap. 2. sic exorditur: Euaristus Papa omnibus Episcopis. Deus Omnipotens, vt nos à præcipiti sententiæ prolatione compesceret, Hebr. 4. vt omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, mala tamen Sodomæ, & Gomorræ voluit inaudita iudicare. Gen. 18. Hæc ille.

Item Sother Papa X. à beato Petro, & antè Siluestrum XIX. in decreto suo, capitulo vnico: Dilectissimis, inquit, fratribus per Italiæ Prouincias sanctis constitutis Episcopis Sother Papa. Sacratas Deo Monachas, vel fœminas, sacra vasa, vel sacratas pallas (penès vos) contingere, & incensum circa Altaria deferre perlatum est ad Sedem Apostolicam. Hæc ille.

Item Victor Papa XII. à beato Petro, in decreto suo cap. 1. Victor, inquit, Papa, Theophilo Episcopo. Audiuimus apud vos, vestrosque, diuersa iudicia fieri, & incerta iudicari. Incerta charissimi nullatenus iudicemus, quousque veniat Dominus, qui latentia producat in lucem. 2. Corinth. 4. Hæc ille.

Item Sixtus Papa II. XXII. à beato Petro, VIII. antè Siluestrum. Sixtus, inquit, Papa Romanus, Episcopis per Hispaniam constitutis. Incerta, quæ nemo Pontificum iurare præsumat, quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifesto iudicio communicantur. Hæc ille.

Item de eodem Sixtus: In hac sancta Sede dudum à multis Episcopis constitutum est, & modò ad vestrum, & cæterorum fratrum auxilium est denuò roboratum, vt omnes Episcopi, qui in grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quotiens necessè fuerit, liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, vt ab ea, sicut semper factitatum fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Et sequitur: Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit. Hæc ille.

Auctor. Vide quoties Pontifices isti Romani se dixerunt Papas, diu antè dotationis insignia. Videre potes ista, & similia in vetusto illo libro decretorum Pontificum, & in decretorum Iuonis, libro quarto.

Demùm autem iàm vsitato vocabulo, sanctus Siluester in decreto suo appellatus est Papa, sed Notario hoc scribente, ibidem cap. 1. Notarius Siluester, temporibus sancti Siluestri, & Constantini pijssimi, Augusti factum est Concilium magnum in Nicæa Bithyniæ, & congregati regulariter eiusdem Siluestri Papæ vocatione in idipsum, 307. Catholici Episcopi, qui exposuerunt fidem integram, Catholicam, & immaculatam: & damnauerunt Arium, Fotinum, Sabellium, atq; sequaces eorum. Hæc ibi.

Et

Et ibi iterum cap. 6. Eodem quoque tempore, 13. Kalendarum Iuliarum die, quando memoratum magnum Concilium in Nicæa congregatum est: iàm præfatus Papa in Vrbem Romam congregauit, & ipse cum consilio præfati Constantini Augusti, 277. Episcopos, & damnauit iterum tam Euaristum, quàm Arium, quàm Fotinum, atque Sabellium. Hæc ibi.

Auctor. Hac antiquitaris forma cæteri subsequentes Patres grauissimi, atque sanctissimi in Ecclesia Dei, & peritissimi literarum sanctarum, dignati sunt Romanos Pontifices appellare Papas vniuersalis Ecclesiæ. Quemadmodùm beatus Athanasius aduersarius Arij capitalis ad Marcum Papam, scribens: Domino, inquit, sancto, & Apostolici culminis dignitate venerando, Marco sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi.

Et infrà, loquens de Siluestro: Missa sunt, inquit, prædicto Papæ Siluestro cum astipulatione, subnixa capitula 70. Hæc ille.

Item ad Liberium Papam, idem Athanasius in epistola Synodica: Domino, inquit, beatissimo, & honorabilissimo Patri Liberio Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi in vnum synodicè apud Alexandriam congregati. Vestræ beatissimę paternitatis iura penès Dominum sunt manifesta. Hæc ille.

Item Stephanus Archiepiscopus, cum omnibus Episcopis Mauritaniæ: Domino, inquit, beatissimo, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici, Stephanus Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs, videlicet Africanæ Prouinciæ. Notum vestræ facimus beatitudini, qui quidam fratres in confinio nobis positi, &c.

Et infrà: Maximè verò isti debent ab ipso Præsulum examinari vertice, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm releuare laudanda. Et subscribitur in fine epistolæ. Quòd & istis, atque omnibus vos semper facere optamus, sanctissime Pater Papa. Subscriptio, & alia manu: Ora pro nobis beatissime Pater. Hæc ille.

Auctor. Hæc omnia de annoso libro prædicto, cui titulus, Decreta Pontificum, vt scribuntur in suis locis, excerpsi. Si quid autem deficit de appellatione sanctissimi, & beatissimi Patris, siue Papæ, hic habes ad plenum: simul nec te prætereat, quòd ethymologiam nominis Papæ hæc expressit epistola, dicens: Sancto Patri Patrum, Damaso.

Eidem quoque Damaso scribens sanctus Hieronymus epistolam, quæ est inter epistolas eius secunda: Beatissimo, inquit, Papæ Damaso: Postquam epistolam Tuæ Sanctitatis accepi, confestim, ac citò, notario, vt exciperet, imperaui. Hæc ille.

Hieronymus idem in subsequenti epistola ibidem. Beatissimo Damaso, Hieronymus, Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit: in Canticis Canticorum ipse se vicit. Hæc ille.

Auctor. Non ab his peritus, & sanctus exorbitat Augustinus. Ipse enim in libro suo contra duas epistolas Pelagianorum, in prologo, alloquens Bonifacium Papam: Noueram te quidem, inquit, fama celeberrima prædicante, & frequentissimis, atque veracissimis nuncijs, quanta esses Dei gratia plenus, acceptam beatissime, atque venerande Papa Bonifaci. Hæc ille.

Et idem ibidem libro secundo cap. 3. commemorans Papam Innocentium: Nunc, inquit, cum primitus beatissimi Papæ Innocentij literæ Episcoporum literis respondentis Afrorum pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere damnauerit, successor quoque eius Pater sanctus Papa Zozimus hoc tenendum esse, quòd isti de paruulis sentiunt nusquam dixerit, nusquam scripserit, &c. Hæc Augustinus.

Item Aurelius primus, & Archiepiscopus Carthaginensis tempore Augustini, ad eumdem Innocentium mittens de Carthaginensi Concilio: Domino, inquit, beatissimo, & honoratissimo sancto Patri Innocentio Papæ, Aurelius, Manidius, & Rusticianus, & cæteri, qui de Concilio Carthaginensis Ecclesiæ assuimus. Cùm ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter venissemus, atque ex diuersis causis congregata ex nobis Synodus haberetur, Compresbyter noster Horosius, &c. Hæc ibi.

Auctor. Fidem insuper Innocentio venerabilissimus Præsulum Cœtus in Concilio Mileuitano, talem ex calamo Augustini Synodicam transmisit epistolam, contra Pelagium, & Cœlestium hæreticos; & est inter epistolas Augustini 92. Augustinus. Domino beatissimo, meritoque venerabili in Christo honorando Papæ Innocentio. Siluanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alipius, Fortunius, Seuerus, Augustinus, Possidius, Nouatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Lucius, Adeodatus, Maltus, Litorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Cresconius, Honorius, Cresconius, Procesius, Cresconius secundus, Felix, Asiaticus, Ruffinianus, Faustinus, Seruius, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Faustinus, Cresconius, Victor, Gigantius, Possidonius, Antonius, Innocentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Presidius, Cresconius, Lampadius, & Delphinus ex Concilio Mileuitano in Domino salutem, Papæ Innocentio. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, &c. Hæc ibi.

Auctor. Quid tibi sufficiet, si hæc fuerint diminuta ad confirmandum celeberrimum nomen Papæ tanto Præsuli dignissimè conuenire? Si criminetis vocabulum quasi ambitiosum, saltem caue, noli que criminari tot sanctos Patres, tot sancta

cta Concilia, pro tantæ, tamque culpabilis ambitionis fautoribus. Si damnes de adulatione vocabulum, absit vt ipsos Sanctos omnes de adulationis stupro damnemus: fac, quòd vis, non tu talis, vel tantus es apud Christi-fideles, vt his contemptis, tibi donec credentiam.

5 Insuper argumentum est peritis Fidelibus, quòd non propter ambitionem Summi Romani Pontificis nomen Papæ tam iugiter est assumptum, quia eodem tempore sancti Patres, magnos, & claros Christi Pontifices citrà Romanum, Papas vocabat.

Quemadmodùm sanctus Augustinus ad Aurelium iàm dictum scripsit primatem suum in prologo insignis voluminis de Trinitate: Domino, inquit, beatissimo, & sincerissima charitate venerando sancto fratri, & Consacerdoti Papæ Aurelio, Alipius, & Augustinus in Domino salutem. Impletum est gaudio os nostrum, &c. Hæc ibi.

Ita etiam Hieronymus rigidus, & sanctus Pater Augustinum Papam appellat in epistolis ad eum directis. Vndè in epistolarum suarum exordio prima eius ad Augustinum, quæ est etiam secunda, habet: Domino verè sancto, & beatissimo Papæ Augustino, Hieronymus in Christo salutem. Anno præterito per fratrem nostrum Asterium Hypodiaconum, &c.

Item epistola eiusdem tertia ad eumdem sic habet: Domino verè sancto, & beatissimo Papæ Augustino, Hieronymus.

Tres simul epistolas immò libellos per Diaconum Cyprianum, tuæ dignitatis accepi.

Item epistola eius quinta ad eumdem, Venerabili Papæ Augustino, Hieronymus. Virum venerabilem fratrem meum filium dignationis tuæ Horosium Presbyterum, &c.

Item epistola sexta eius est: Domino sancto, ac beatissimo Papæ Augustino, Hieronymus: Omni, qui de tempore beatitudinem tuam eo, quo decet honore veneratus sum, &c.

Ita quoque Ioannes Cassianus, Pater sanctus, ac venerabilis senex de institutis Monachorum, de scripturis, & alia quædam opuscula emisit ad Castorem Episcopum, Papam eum appellans in prologo primi libri: Tu his, inquit, eruditus exemplis beatissime Papa Castor, verum, ac rationabile Deo Templum non lapidibus insensibilibus, sed sanctorum virorum congregatione, nec corruptibile, & temporale, sed æternum, atque inexpugnabile ædificare disponis.

Et iterùm ibi benè infrà: Quapropter beatissime Papa, initium religionis, & humilitatis exemplar, tuis precibus animatus secundùm vires ingenij mei opus, quòd iniungis aggrediar.

Et in præfatione collationum: Debitum, quòd beatissimo Papæ Castori in meorum voluminum præfatione promiseram, &c.

Et ibidem, infrà alloquens quendam Episcopum Leontium: Vobis potissimum, ò beatissime Pater Leonti, & sancte frater Helladi credidi consecrandas. Hæc ille.

Auctor. Possent innumera talium exemplaria recitari. Sed fateor parco labori, & fatigatione lassus cesso, nec tot iam collegissem in vnum, nisi vt bestiam, quæ tetigit montem illum, qui creuit ex Christo, lapide angulari, & iam replet Mundum, Esa. 19. ita numerosa lapidum auctoritate subruerem, ne præsumptam vltrà posset aspirare blasphemiam.

Habet hic ecce Romanos Pontifices citò post Petri tempora Papas appellari solitos frequenter, habet in tempore dotis, habet post dotem à Patribus, & sinceris viris Ecclesiæ sic vocatos.

Habet tandem alios insignes Pontifices sic vocatos, ne insoliti nominis titulum soli inuideret Præsuli Romanorum.

Et quid vltrà faceremus ignoro, vt pugillarem, & rationem eius inductam duceremus ad publicum, qua dicit, quòd cùm hoc nomen Papa sit terminus extrà fidem Scripturæ, videtur, quòd in dotatione Ecclesiæ per Cœsarem est inuentum. Et iterùm Papa, & Cardinales sunt per Diabolum introducti: in cuius signum nomen Papæ non inseritur in Scriptura.

De tali ratione rusticus quisquam erubesceret, aut villanus, & pudet me ipsi obijcere quicquam graue. Quid si ducerem ipsi in mentem de hoc nomine essentia vna in Deo, quid de trina persona: quæ vtique appellationes, vt supra ex Augustino monstraui, non sunt insertæ Scripturæ?

Sed ab ipso interrogo: Vbi infame cognomen Witcleff inseritur in Scriptura? Quòd si non inuenias, argumentum eius resumam, ergo Witcleff insanus hæreticus est per Diabolum introductus.

Nolite hæc audire Fideles, sed noueritis hæc ex antiquo more viros hæreticos, vt quando rationes eis cessant ex rebus, statim incipiunt instaurare sibi calumnias, quòd tales, aut tales termini non sunt in Scripturis.

Sic enim longo tempore Ariani vexabant Catholicos de termino homousion, quòd in scripturis sanctis non est habitus, vt tradit Cassiodorus in tripartita historia.

Et habet Augustinus epistola ad Pascentium Arianum, & indè volebant terminum, & fidem eius exterminasse de medio; sed respondet ibi Augustinus, quòd nec pater ingenitus reperitur ibidem; & subdit: Vides inquam posse fieri, vt etiam de verbo, quòd in Scriptura Dei non est, reddatur tamen ratio, vndè rectè dici ostendatur. Hæc ille.

Auctor. De talibus (Deo dante) plura dicentur in posterum: sed quantum ad præsens, capiant Fideles regulam Augustini libro 3. contra Academicos cap. 13. & resumit eamdem libro de quantitate animæ de sapientia loquens. Augustinus; Docuit, inquit, me cùm de re constat propter quam verba dicuntur, de verbis Domini debere contendi. Et quisquis id faciat,

ciat,

ciat, si imperitia faciat, docendum esse; si malitia deserendum. Si doceri non potest, monendum vt aliquid aliud potiùs agat, quàm tempus in superfluis, operamque consumat. Si non obtemperat, negligendum. Hæc Augustinus.

Auctor. Vide in quo horum tu fueris, & insipidum te cognoscere, quòd sic dixeris.

CAP. XXXIX.

De electione Papæ per cœtum Cardinalium.

SVMMA.

1 *Summa infidelitas est, (asserebat hæreticus) electionem Papæ Cardinalibus factam, comprobare.*

2 *Hanc iustam, honestamque Papæ electionem cur tam molestè ferat hæreticus, detegitur.*

3 *Deus postquam primas rerum formas constituit, de cætero alias constituendi creaturis facultatem iniunxit.*

4 *Discutitur hæretici ratio, vt rei veritas apertiùs cognoscatur.*

5 *Quàm vana, friuolaque fuerit eius ratio, ostenditur.*

6 *Vvitcleff non modò Papæ electionem à Cardinalibus factam damnauit, sed hac data occasione, etiam electionem Cardinalium à Papa.*

VLteriùs procedentes, hostem Ecclesiæ Christi semper quasi ex aduerso antè faciem cernimus, qui & postquam de appellatione Papæ struxit calumnias, intendit turbare Fideles super electione Papæ, & origine potestatis, vnde de veritate, & mendacio cap. 16.

1 Witcleff. Quæ, inquit, maior infidelitas, quàm approbare electiones Cardinalium, qui ex vobis sine dubio sunt Diaboli incarnati, quòd si eligerent qualemcumque personam in Papam, tunc ipse est Pater sanctissimus, & immediatus Christi Vicarius hìc in terris. Hæc ibi.

Item conclusione 14. inter conclusiones ter damnatas: Electiones, inquit, Cardinalium cum cæteris humanis traditionibus, non sunt dignæ memoria: cùm non sit maior color, quòd Deus ipsas conficit, quàm sequatur, quòd ex vna vesania Deus Papam statuit socium Iesu Christo. Hæc ille.

2 Auctor. Cur autem tam molestè ferat illam electionem honestam, nescio, nisi quia promoueri cupit illum Papam suum absconditum, qui non posset eum criminari de hæresi, quia totum Mundum latet, & sibi ipsi manet ignotus. Sed immò à solo Deo foret in Papam eligendus, sicut soli Deo est cognitus, immò si verus Papa esset nescio. Sed nouerunt, qui scrutantur

3 Scripturas, quòd Dominus Deus penè per cuncta opera sua post quam primas rerum formas instituit taliter, & talia faciendi, de cætero secundùm ipsam Dei formam alijs creaturis iungit. Deus instituit per se primum hominem, primum Leonem, primum asinum, & similia. Gen. 1. De cætero verò talia supposita propagare, homini, Leoni, asino tradidit potestatem, vt autem descendamus ad Politica.

Primas tabulas legis ipse manu sua confinxit. Exod. 32. 34. Ipsis fractis secundas non reddidit, sed Moysi iussit tales excidere instar priorum. Ipse primùm Aaron per se ipsum in sacerdotem elegit in germine virgæ: demùm Eleazarum per successionem carnis. Numeri 18. & 20. In nouo testamento elegit 12. Apostolos per se ipsum, Luc. 6. & act. 1. & 6. demùm autem Matthiam per Apostolos, & 7. Diaconos non quidem secundùm carnem, sed mentis decretum, vt translato sacerdotio de carne ad spiritum, etiam de electione carnis in electionem spiritus legis esset translatio. De qua Esaias 66. Quomodo si offerant filij Israel victimas suas mihi cum psalmis in domo Domini, & ex eis summa sacerdotes, & leuitas, dicit, Dominus. Super quod dicit Hieron. Tom. 5. in 18. libro commentarij. Vt qui saluati fuerit gentibus prædicarent. De quibus vnus loquebatur. Sic nos reputet homo quasi ministros Christi, & quasi ministeriorum Dei dispensatores 1. Corint. 4. Et Lucas Euangelista. Sicut tradiderunt, inquit, nobis, qui à principio viderunt, & ministri fuerunt sermonis, de quibus & supra legimus. Esa. 61. Vos autem eritis mihi sacerdotes Domini. Quomodo autem in abscondito iudæus est, qui spiritu circumciditur: de quo scriptum est. Philipp. 3. Nos sumus circumcisio, qui spiritu Dei seruimus, & offerimus victimas placentes Deo, psallimusque spiritu, & sensu: sic & sacerdotes, & leuitæ sunt in abscondito, qui non seriem generis sequuntur, sed ordinem fidei. Hæc Hieronymus.

Auctor. Si quem ergo vis palam absconditum talem assume, qui quamuis non patenter hanc dignitatem assequatur successione carnis, quemadmodum solebant de stirpe Aaron, sed absconditè, secundùm decretum priuatæ conscientiæ eligentes, pateat tamen hominibus per apertam impositionem manuum consecrantis, nec vlli nunc præsumant sibi sacerdotium, nisi per electionem hominum ex hominibus assumantur, & pro hominibus à considerante homine constituantur, In his quæ sunt ad Deum, iuxtà Paulum Apostolum Heb. 5. Et Augustinum, dicentem Tomo quarto libro de quæstionibus noui, & veteris testamenti, capit. 46. Si sacerdos alicubi desit, potest alterius loci sacerdos rogatus venire, & vicem eius agere, non tamen propheta quamuis sanctæ vitæ sit, agere potest quod sibi scit minimè esse concessum. Aliud est enim benè viuere, & aliud potestatem alicuius accipere officij. Sicut enim, qui sacerdos est non ex eo vitam suam commendatam putare debet, ità & qui sanctæ conuersationis, & vitæ est, non iam ex eo sibi sacerdotium vendicare debebit. Quamuis enim bonum sit sacerdotium, tamen ma-

malum erit ei cui concessum non est, & presumit. Hæc Augustinus.

Auctor. Non ergo potest absconditus tuus esse vetus quicumque sacerdos, multomagis non summus sacerdos, quantacumque fulgeat sanctitate, quousque potestatem tanti officij à concedente sibi susceperit. Summum autem sacerdotium per electionem plurium Episcoporum accipiat, quemadmodum exemplificauit sanctus Spiritus per Apostolos in Matthia. Act. 1. Sed iam Cardinales, Episcopi, & alij, loca supplent Episcoporum primatuum, qui vice Apostolorum inferiorum Episcoporum solebant electiones, & vitas tractare, quod non possunt in Papam, qui non habent primatem.

Vnde Hugo de Sacramentis libro 2. par. 3. cap. 14. Quia, inquit, Sedes Apostolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Ecclesijs, atque super se Metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Antistitem, ad Apostolici culminis apicem prouehunt. Facta autem electione, si fortè casus vel violentia aliqua obstiterit, vt is qui electus est in Sede Apostolica iuxtà consuetudinem intronizari non valeat, electus tamen quemadmodum statutum est, sicut Papa auctoritatem obtinere debet regendi sanctam Romanam Ecclesiam, & disponendi facultates eius. Hæc ille.

Auctor. Hæc ergo Cardinalium Patrum electio quantum ad electionis substantiam nescio à quo posset coloratius deprauari, quàm ab eo, qui omnem Ecclesiæ politiam diuellit, sed nullam procreat, nullam disponit, sufficit autem simplicitati fidelium, quòd Christus, vocaliter elegit plures Apostolos, vt hac exemplari forma magistri, aut voce, aut sensibili quidem signo vnus ritè eligatur à pluribus, quemadmodum vous Matthias à pluribus Apostolis, vous Paulus, vnus Barnabas in opus Apostolicum Domini à Spiritu sancto, sed non sine Apostolorum ministerio segregati. Act. 13. Et cur non à pluribus patribus Cardinalibus vnus Papa? Sed successiuè plures oportet fieri sacerdotes, idcirco quòd morte prohibentur permanere. Hebr. 7. Vnde in antiquo lib. decretorum Pontificum ex synodali decreto Nicolai Papæ saoicitum inueni Nicol. Decretum.

Primò, inquit, inspectore Deo statutum est, vt electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit, ità vt si quis Apostolicæ Sedi sine præmissa concordi, & canonica electione eorum, ac deindè sequentium ordinum religiosorum, clericorum, & laicorum consensu inthronizetur, non Papa, vel Apostolus, sed apostaticus habeatur. Hæc ille.

Auctor. Sic hactenus credimus observatum circa electionem Papæ, vt bi eligant. illi consentiant sic electo. Plus de hoc videri poterit lib. 3. decretorum Iuonis: In principio, quod idem est cum eo quod habetur apud Gratianum distinctione, 23. ca: In nomine Domini. Sed cum dicta Witcleff in hac parte non faciant fortem lucam, rationes eius breuius percurramus.

4 Witcleff. Dicitur, inquit, curiam istam sibi statuere pro regula, quòd Papa sit, qui summus Christi Vicarius à Cardinalibus eligatur.

Videtur error iste in principio, multas sequentes hæreses parturire. Christus enim verus Deus, & homo, ex summa sapientia elegit sibi, 12. Apostolos; & ex fide Cardinales non possunt in isto æquiparari isti sapientiæ increatæ, ergo stulta præsumptio foret, hoc sine euidentia fidei attentare. Hæc Witcleff de Christo, & Antichristo cap. 9.

5 Auctor Heu stolidus iste homo, qui vt Augustinus ait de Iuliano, consuetudine tesultandi, perdidit sensum suum. Vide quid ex hac arguendi forma sequatur. Christus prædicauit pauperibus. Christus orauit Patrem, Christus instruxit Discipulos, Luc. 4. & Io. 9. 17. sed cæteri viatores ex fide non possunt æquiparari sapientiæ increatæ, ergo nullus viator purus sine euidentia fidei, ista debet hactenus attentare. Sed quid dicis si respondeam, Cardinales hoc attentare illa euidentia fidei, qua Christus elegit Apostolos, docens eos secundùm hanc formam vnius Christi in vno Christi spiritu conuenire ad eligendum in Ecclesia, qualiter omnes Apostoli vno spiritu Christi elegerunt Matthiam, Paulum quoque, & Barnabam seriatim Apostolos, Christo hoc volente & dicente, Ioann. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis? Si soli Christo licebat, cur hoc attendebant Apostoli? Cur Paulus Timotheum consecrauit Episcopum? Cur Petrus Marcum? Quòd si Apostolis hoc licebat ex instructione Christi ad conseruandas successiones sacerdotum, qui tamen æquiparari non poterant Christo sapientiæ increatæ, quid valet in quo redarguis Cardinales? Respondet scio statim quòd io textu subscribit ibidem, Witcleff. Papa, inquit, non est sufficiens ad eligendum sibi Cardinales loco Apostolorum; multò magis ipsi Cardinales non sufficiunt sine errore Papam eligere tamquam Christus. Hæc Witcleff, vbi iam supra.

Auctor. Iam sentire possum quo nauigat argumentum, vult enim damnare vniuersaliter electionem Cardinalium, quia

6 ex se sine errore non sufficiunt eligere bonum Papam, sed Christus Dominus. Nam in prima acie reuerberat hoc motiuum, qui sine omni errore diuina sua prouidentia elegit malum, & traditorem Apostolum, vt nos deberemus moderatè ferre si quando contra spem nostram elegerimus inutilem, quemadmodum to: 2. lib. 2. super Luc. c. 6. loquens de Scarioth. Beda. Non per imprudentiam, inquit, sed per prouidentiam inter Apostolos eligitur, Quanta enim est veritas, quam nec aduersarius minister confirmat? quanta Domini moralitas, qui perficlitari apud nos iudicium suum, quàm affectum maluit? Susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humanæ. Voluit deseri, voluit prodi, voluit Apostolo suo tra-

di, vt tu à socio desertus, à socio proditus, moderatè feras tuum errasse iudicium, periisse beneficium. Hæc Beda.

Auctor. Ecce Cardinales, & tota Ecclesia compromittens eorum arbitrio super electione Papæ futuri, non incurrunt reatum, sed incitantur ad virtutem, si volentes benè eligere errans habuere iudicium, & debent moderatè ferre periisse beneficium, quia Christus qui non fallitur, propter hoc scienter elegit peruersum, qui super electione sua non potest instè conuinci, nec debes formidare electionem tuam bonæ conscientiæ, ne sinistrè succedat relaxasse periculo, cùm Christus te præcesserit, mallens periclitari apud homines suum iudicium, quàm affectum.

CAP. XL.

Respondetur ad Obiecta Vuitclef, contra electionem Papæ, per Cardinales.

SVMMA.

1 *Altera Vuitcl. ratio, qua Papæ electionem damnare est ausus, adducitur.*
2 *Soluitur eius ratio; immò per eandem constantissimè redarguitur.*
3 *Non aportet in electione Papæ, Cardinales apertè cognoscere Deum hunc elegisse, (sicut d. Vuitcl.) sed sufficit hoc supponere.*
4 *Melior est mentis electia, quàm ventris, præstantiusque est inter omnia iura politica ius electionis, quàm partus.*
5 *Nona Vuitcl. ratio ponitur.*
6 *Diluitur eius ratio, aperteque astenditur, eum literas sanctas non intellexisse.*
7 *Antiquitus, summus sacerdos sorte eligebatur, & cur.*
8 *Matthias ante festum Pentb. Apostolus ordinatur, & cur.*
9 *Tametsi non ausi fuerint Apostoli ante diem Pentb. Apostolum sine sorte eligere, eligerunt tamen post penthecosten sine sorte septem Diaconos.*
10 *Christus non semper Papam eligit in Ecclesiæ ædificationem, sed aliquando in vindictam.*
11 *Cardinales aliquando peccatis populi obcæcati, eligunt malum Pontificem.*
12 *Deus quandoque eligit ad opus probationis, quandoque verò tentationis.*
13 *Quàm necessarium sit hominibus bono suo politico prouidere, caputque sibi eligere concluditur.*

Mouet secundò contra hanc Papæ electionem per Cardinales, ibidem de Christo, & Antichristo cap. 9.

1 Witclef. Nemo, inquit, debet procedere in sibi ambiguo, vbi operatio securior magis patet. Electio Paparum per istos Cardinales est illis ambigua, & operatio securior, atque meritorior est à Domino limitata, ergo illa electio est secundùm Dei prouidentiam dimittenda; & alia operatio, vt euangelizatio, dictio orationis dominicæ, vel alia à Deo ordinata ad ædificationem Ecclesiæ est humiliter amplectenda.

Et probat maiorem, ex illo de consecratione distinctione 5. Non mediocriter. Et sequitur. Quis dubitat quin recta euangelizatio securior, atque facilior sit, quàm Papæ talis electio? Igitur electores debent hoc magis bonum eligere, & illud secundum dimittere. Et ista videtur sententia Apostoli ad Romanos decimoquinto. Non, inquit, audio aliquid eorum loqui, quæ per me non efficit Christus. Numquid credimus istos electores cognoscere, quòd Christus ad ædificationem Ecclesiæ elegit hunc in Papam? Hæc Witclef.

2 Auctor. Possunt ne videre omnes petiti, quàm fabulosè, & admodum indocti hominis lacerum conficit argumentum, si meritorior, & securior operatio esset dictio orationis Dominicæ, quàm talis electio pro illa hora, & idcò præponendus sub pœna peccati. Quare non dixit Christus orationem Dominicam, dimittens electionem Apostolorum 12. Luc. 6. Quare non dixit Petrus orationem Dominicam, cùm eligeretur Matthias, immò illam vnam recenter subintulit, Tu Domine, qui corda nostri omnium, &c. Act. 1.? Immò tu quare comedis, aut dormis, & meliorem operationem postponis Euangelizationis, aut dictionis orationis Dominicæ? Quòd si dicas etiam bene operantem bene orare, cur non benè orant Cardinales quando eligunt bonum, vel benè Papam? Immò quòd illa oratio, vel talis Euangelizatio hac operatione dimissa esset melior, restat vt probes totum, dimitto ista falcis: vulgi collatio fabricat hæc otiotiua. Sed audiamus, quod profert ex Apostolo, Non audeo aliquid eorum loqui, quæ per me non efficit Christus: & tunc addit.

3 Nunquid credimus istos electores cognoscere, quòd Christus ad ædificationem Ecclesiæ elegit hunc in Papam? quasi diceret alioquin fatua est totum electio, & sic cassa. Ecclesia Christi respondet, non oportere eos hoc congnoscere, sed hoc fideliter debere supponere. Ecce Scriptura est in foribus. Act. 1. Elegerunt Apostoli duos, Ioseph, & Matthiam. Nunquid isti electores cognoscebant, quòd Christus ad ædificationem Ecclesiæ vtrumque istorum elegit in Apostolum? Certum est quòd non, quia tunc vterque fuisset Apostolus. Ergo alterum non elegit Christus, cùm elegisllene vtrumque, Quo rogo indicio, diuino, an humano?

August. tom. 8. planè dicit, Apostolos secundùm humanum iudicium elegisse duos, & alterum comisisse Dei iudicio: super Psalm. 30. tractatu 2. Sors, inquit, non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem. Nàm & fortes miserunt Apostoli, quando Iudas tradito Domino perijt. Et sicut de illo scriptum est. Act. 1. Abijt in locum suum: cœpit quæri, quis in locum eius ordinaretur. Electi sunt duo iudicio hu-

ma-

mano , & clectus de duobns vnus , iudicio
diuino. De duobus consultus est Deus ,
quemnam ipsorum ipse vellet , & cecidit
sots super Matthiam. Hæc Augustinus.

Auctor. Ecce tota Apostolorum ele-
ctio erat humano iudicio , & tamen Chri-
stus illam approbans, vnnm elegit de duo-
bus, & non elegit extra istos. Cur ergo tu
blasphemas electionem Cardiualium hu-
mano iudicio,& conscientia consummara,
quòd talem offeraut Christo , vnum quem
suo iudicio existimant cœteris aptiorem?
An putas indignè Christum ferre, quòd
quis alio, quàm diuino iudicio eligarur?
Et frustrà tunc fecisset humanum iudicium,
& inaniter subiecerat sibi quicquam.

Ecce regularirer Christus admisit Sa-
cerdotes veteris legis sine discretione boni,
vel mali, quos ab origine Aaron propaga-
tio carnis promouit. Numeri 18. Omnia
quæ sanctificantur à filijs Israel , tibi tra-
didi , & filijs tuis pro officio tuo Sacerdo-
4 tali , legitima sempiterna : sed melior , &
certior est mentis electio , quàm ventris.
Ideò inter omnia iura politica , præstan-
tius est ius electionis , quàm partus. Ideò
regulariter electi ab hominibus non cor-
ruptis, certissimè, & sanctissimè succedunt
in potestatiuum Sacerdotium Iesu Christi.
Alioquin enim præsumpsissent Apostoli
Sacerdotium noui Testamenti inchoare
per humanum arbitrium. Sed ipse subdit,
& est motiuum eius 4.

Wiecleff. Videtur, inqnit, ex Aposto-
5 lorum facto post missionem Spiritus sancti
contrarium : nam ipsi eligendo Matthiam
non audebant istud præsumere, sed mise-
runt sortes super Matthiam , & Ioseph , &
cecidit sors super Matthiam. Actuum
primo. Quæ ergo prudentia , &c. Reuera
videretur, quòd sit irregularis electio fron-
tosa. Hæc Wieleff.

Auctor. Dignus doctor Witcleuista-
6 rum , qui tàm abundanter Scripturas alle-
gat, quas nescit, immò in quas, tàm fron-
tosè mentitur.

Primò, quia dicit Apostolus elegisse
Matthiam quasi determinatè elegissene
eum quod falsum est, sed hoc reseruauerunt
diuino iudicio eligentes duos coniunctim,
& neutrum de certo.

Iterùm, quia dicit hoc factum Apo-
stolorum super electione Matthiæ post mis-
sionem Spiritus sancti, cùm planè constet
hanc electionem factam ante Pentecostem,
& post Ascensionem , tempore illo quo re-
uersi Discipuli ab Oliueto Hierosolymis
manserunt in Cœnaculo vnanimiter oran-
tes cum mulieribus , & Maria Matre Iesu ,
iuxtà Saluatoris monitum , Lucæ vltimo.
Vos, inquit, sedet in Ciuitate donec in-
duamini virtute ab alto. Vnde & textus
ipse post electionem Matthiæ subiungit
miraculum Pentecostes ; ideò doctor de
Lyra dixit. Inter Ascensionem , & sancti
Spiritus missionem hoc factum. At ne
quisquam nouus historicus sectæ eius vo-
lens magistri sui iuuare mendacium dicat
sic positum esse textum per anticipatio-
nem , adhùc obuiat textus dicens eos post
reuersionem à Saluatoris ascensu, in Cœna-
culo commansisse , & statim electionis hi-
storiam Matthiæ subinferens. In diebus,
inqnit , illis , Exurgens Petrus in medio
fratrum , &c.

Quòd si textus ipse non sufficit , au-
diatur expositor eius Beda tom. 2. super
Actus Apostolorum , in eundem locum ,
textu, Et dederunt sortes eis. Hìc, inquit,
Matthias sorte eligitur, ne Apostoli electio
mandato discrepare legis veteris videre-
tur. Vbi summus Sacerdos sorte quæri iu-
7 bebatur, sicut, Luc. 1. de Zacharia dicitur,
secundùm consuetudinem Sacerdotij sorte
exijt , vt incensum poneret. Qui idcircò,
vt reor tunc sorte eligebatur , vt in typo fi-
guraretur verum semper quærendum fuis-
se Sacerdotem donec veniret, cui repositum
erat. Sequitur. Donec ergo veritas com-
pleretur , in figura licuit exerceri. Vnde
est quòd Matthias , qui ante Pentecosten
ordinatur, Act. 6. sorte quæritur septem ve-
rò Diaconi, qui posteà nequaquam sortis
agitatione , sed Discipulorum tantùm
electione , Apostolorum verò oratione , &
& manus impositione sunt ordinati? Hæc
ille.

Auctor. Ecce quòd Matthias ordi-
8 natur Apostolus ante festum Pentecostes ,
& congruè, ne tantæ illustrationi Paracleti
perfectus Apostolorum deesset numerus
consecratus: & ecce iterùm rationem qua-
re sorte fuit electus Matthias , quia licuit
exercere figuram donec veritas complere-
tur , idest licuit exercere modum eligendi
veteris legis, donec nouæ legis in aduentu
Spiritus sancti veritas doceretur. Cuncta
ergo insipientiam Witcleff, producunt fo-
ras, & produnt, quòd electionem Matthię
subsequi dixit sancti Spiritus missionem ,
quæ de facto præcessit. Succurrant illi so-
phistæ hæretici , quòd subsequebatur do-
nationem sancti Spiritus factam à Chri-
sto , dicente Apostolis , Ioann. 20. Accipite
Spiritum sanctum : dummodò fideles no-
scant Scripturas cum Doctoribus illam ab
ista sic distinguere , quia illam dationem
appellant , istam specialiter missionem.
Vnde Christus , Ioann. 15. Cùm venerit
Paracletus, quem ego mittam vobis, &c. Et
mittam etiam vobis Spiritum Paracletum,
& sic illud Psalm. 103. illo die assumitur ,
Emitte Spiritum tuum,& creabuntur. Etiã
causa Witcleff, ex qua sumpserat argumen-
tum confunditur, Non audebant , inquit ,
istud præsumere , ideò sorte elegerunt. Si
non audebant nescio , fortè quia nondum
veritas Spiritus apparebat.

Sed hoc scio , quòd post missionem
9 Spiritus , benè audebant 7. Diaconos per
seipsos eligere sine sorte, & nonnè concur-
rebat eis Christus sicut ante ità , & tunc?
Necdum me satis dixisse putabo , quàm
diù verbum illud manet intactum. Supra
enim dixit. Nunqnid credimus istos ele-
ctores cognoscere , quòd Christus ad ædi-
ficationem Ecclesiæ elegit hunc in Papam?
Quid ergo? hoc modo nulla vnquam fiet
electio, nisi de electione Christi certa reue-
latione antecedat.

Ego autem de Scriptura sancta confi-
10 sus, tibi dico , quia nec Christus semper

Rr 2 ele-

elegit ad ædificationem Ecclesiæ hunc in Papam, hunc in Regem, vel Episcopum, sed aliquando in vindictam, & malum plebis, saltem pro tempore. Vnde super lib. Iudic. hom.4. tom. 5. Origenes dicit fortassè populus. Num aliquando Ecclesia Dei sine iudice est? Etiam si prior decesserit, alter adhibetur. Audacter forrassis aliquid dicemus; tamen quod scriptum est dicemus. Non semper Princeps populi, & Ecclesiæ iudex per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali fuer actus nostri, & operamur malignum in conspectu Dei, dantur nobis principes secundum eo r nostrum: & hoc tibi de Scripturis probabo. Audi namque quid Dominus dicat. Oseæ.8. Fecerunt sibi Regem, & non per me, & principem, & non per Consilium meum. Et hoc dictum videtur de Saule illo, quem vtique Dominus ipse elegerat, & Regem fieri iusserat: sed quoniam non secundùm Dei voluntatem, sed secundùm peccatorum populi meritum fuerat electus, negat eum cum sua voluntate, vel consilio constitutum. Tale ergo aliquid intelligamus etiam in Ecclesijs fieri, quia pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens à Deo tribuitur rector Ecclesiæ, aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ iudex datur sub quo famem, & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem ad audiendum Verbum Dei, Amos 8. Hæc ille.

Auctor. Ecce quòd Dominus ipse elegit malum Saulem in regem propter peccatum populi quem, inquit, ipse Dominus elegerat, & regem fieri iusserat. Quid ergo mirum si tale, quid eligentes faciant nescienter, seducti propter peccatum populi, quando Dominus scienter malum elegit propter idem?

Et ità Cardinales peccatis populi excæcati eligunt quandoque malum Eccle-
11 siæ iudicem, sub quo populus famem patiatur; nec propter hoc est electio criminosa, sicut nec electio Christi Iesu.

Et notandum existimo, quòd tempore Origenis non omiserunt fideles electiones, & substitutiones Antistitum, dicendo orationem Dominicam secundùm consilium Witcleff: dicente Origene. Num aliquando Ecclesia Dei sine iudice est, si prior decesserit, alter adhibetur. Iterùm ponderandum, quòd Origenes dicat non semper Princeps populi, & Ecclesiæ iudex per Dei arbitrium datur: hoc intelligens arbitrium, quod nos beneplacitum voluntatem, secundùm quam Deus dat ad vtilitatem Ecclesiæ: quandoque non sic: ad modum loquendi Augustini tom.8. qui super Psalm. 51. hoc est in titulo, inquit, Saul Rex non ad permanendum electus à Domino, sed secundùm cor populi durum, & malum datus ad eorum correptionem, non ad vtilitatem: secundùm illam sententiam Scripturæ, quæ ait de Deo, Iob 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Cùm ergo talis esset hic Saul, persequebatur Dauid in quo Deus præfigurabat Regnum salutis æternæ, & quem Deus elegerat permansurum in semine. Hæc Augustinus.

Auctor. Iam vides, quòd nec Deus quos eligit, eligit semper ad vtilitatem, sed aliquando ad correptionem.

Et iterùm quòd non semper eligit Deus, vt electus permaneat, sed quandoque vt transeat.

Secundùm has electiones Dei destinctas, contingit duci mentes eligentium sine omni culpa ipsorum ad eligendum quandoque eum, qui non permaneat ad vtilitatem, sed vt sedeat ad horam ad correptionem plebis iniustæ.

Vbi blasphemia Witcleff. Planè soluitur cùm dicit, in supplemento Tria logi. cap. 5. Quis dubitat quin sit fallacia mundani dæmonij si Petrus fuit secundùm tres conditiones prædictas electus à Domino, igitur oportet, quòd habeat in Ecclesia successorem conditionis, & vitæ oppositæ, à Diabolis, & non à Domino sic electum? Hæc Witcleff.

Auctor. Iam Orthodoxi tibi dixerunt oportere vnum esse electum, non quidem Petro oppositum, sed quamuis Petro opponatur, hunc tamen non soli Cardinales, sed & Christus elegit, forsan non, vt ad vtilitatem permaneat, sed vt vitam peccantis populi Christus asperius in peruerso pastore corripiat.

Vnde scires si Scripturas agnosceres,
12 quòd Deus quandoque eligit ad opus probationis, quandoque ad opus tentationis.

Primo modo elegit 11. Apostolos.

Alio modo Iudam: & hoc scienter, quia non nescienter elegit. Vnde super Psalm. 55.

August. tom. 8. Sciens, inquit, ille (scilicet Christus) elegit vnum vnde tibi solatium faceret, nescituro quos deuites. Poterat enim ille non eligere Iudam: quia nouerat Iudam. Ait quippè Discipulis, Ioann. 6. Nonnè ego vos 12. elegi: & vnus ex vobis Diabolus est? Ergo & Diabolus electus est: aut si electus non est, quomodò 12. elegit, & non potiùs 11.? Electus, & ille est, sed ad aliud. Electi sunt 11. ad opus probationis, electus est vnus ad opus tentationis. Vnde posset tibi exemplum dare nescituto quos deuites malos, quos caueas falsos, & fictos inolentes, & abscondentes, & eur, nisi vt dicat tibi. Ecce ego mecum habui vnum ipsorum? Præcessit exemplum, toleraui, perferre volui, quod sciebam, vt ibi nescienti præberem solatium. Hæc ille.

Auctor. Quis aptiùs, quis promptiùs respondere calumnianti Witcleff? Cardinales si eligunt, quem nesciunt Ecclesiæ futurum vtilem, Christus elegit scienter Iudam non ad aliquod opus probabile, sed ad tentandum, inquit, Augustinus: ad dandum exemplum cunctis fidelibus non tantùm nobis, sed & Cardinalibus de certo nescituris quos ante deuitent, quàm eligant, vt patienter ferant si præter spem malè succedat, Ac si Christus diceret, perferre volui, quod sciebam, vt tibi nescienti solatium adhiberem.

Di-

Dicamus ergo concludentes, necesse habent homines si non velint tentare Dominum, bono suo politico prouidere ne pereant, & omni consummata humana diligentia, diuinam citius impetrabunt. Vnde per Oseæ Prophetam dicitur, Dicetur eis, filij Dei viuentis, & congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum. Oseæ primo. Ecce quòd præmisit Scriptura de fidelibus legis Christi, quia filij Dei viuentis sunt, & tamen subditur, quia congregati pariter caput sibi ponent, quasi diceret, indè se filios Dei ostendunt, quòd diligenter satagunt ne sine capite vno dispersi lasciuiant.

Nec tàm conuenienter occurrit tropologia illa de Christo, & Ecclesia, in qua Iudæi, & gentes congregati ponant sibi fideliter Christum caput, vt quidam exponunt, quàm littera mera de Latinis, & Græcis, qui veraciter electione legitima ponunt sibi ChristiVicarium caput Papam, eo, quòd fideles non ponunt Christum caput: sed ad hoc est positus à Patre qui dixit Esa. 49. Posui te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Et indè Christus ad Apostolos, Ioann. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis, &c. Sed filij Israel, & filij Iuda, idest, qui natione separantur, & lingua, ad hoc vnum congregabuntur Deo complacitum, vt ponant sibi sub Christo capite caput vnum. Et qui huic eorum ordinationi quia humana videtur, obsistit: huic laudi Scripturæ, & ordinationi Diuinæ cum Chore, & Dathan schisma componit, qualiter in Isagogis suis super librum Numerorum cap. 13. magnus scribit Isidorus. Per hos scilicet Chore, & Dathan, significantur 11. qui hæreses, & schismata facere conantur, & multos secum trahendo decipiunt, contemnentes Sacerdotes Christi, & se à clero eius, plebisque societate segregantes, constituere audent Ecclesias, & aliud altare, precemque alteram illicitis vocis faciunt, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia prophanantes, hi qui contra Dei ordinationem nituntur ob temeritatis audaciam, terræ compagibus ruptis, viuentes profundo hiatu merguntur. Nec tantùm hi, qui duces errorum sunt, sed & qui consentiendo participes eorundem effecti sunt, in ignem æterni iudicij præparata vitione peribunt. Hæc ille.

Auctor. Ecce Dathanita Wicleff. Quare Sacerdotem Christi Papam contemnis, & cleri eius purum testimonium per quod sublimatur in caput? Increpet te veteris Tertulliani testimonium, quod in laudem Christianæ disciplinæ contra Paganos inferre solebat libro suo, qui inscribitur Apologeticus, de ignorantia in Christo Iesu, cap. 39.

Tertullianus, Præsident probati quique seniores, honorem istum non precio, sed testimonio adepti. Neque enim precio vlla res Dei constat. Hæc ille.

Auctor. Præsidentiæ honorem ecce testimonio, non precio probati seniores acquirunt: quod testimonium honorem non faceret, nisi concors esset multorum ad modum electionis veræ in vnum votum testantium.

CAP. XLI.

De Sede Papæ in Roma Vrbe.

SVMMA.

1 *Romam non esse locum aptum Christi Vicario, duplici de causa conatur Vuitcleff ostendere.*
2 *Assignantur rationes Catholicorum, quibus constare potest, cur Roma est locus conueniens Summorum Pontificum.*
3 *Altera Vuitcleff ratio, qua videtur concludere, Bethleem, aut Hierusalem esse locum aptiorem Summi Pontificis.*
4 *Respondetur eius rationi.*
5 *Quomodò etiam quidam Antiocheni conati sunt Romanam Sedem Summo Pontifici denegare.*
6 *Cur Iacobus frater Domini Hierosolymis resedit.*
7 *Petrus in Orbis diuisione, Romam tamquam infimum Mundi locum, sibi elegit.*
8 *Romana Sedes duplici corruscat auctoritate, Episcopali scilicet, & Papali.*

Locus Papalis Sedis, quem Petrus elegit in Roma postquam recessit Antiochia, iam inter blasphemias Vuitcleff accipit partem suam. Vnde in 2. tract. suo de serm. doct. in monte c. 28.
1 Quòd, inquit, Roma est locus aptus, vt Papa immediatus Christi Vicarius ibi resideat, reuera non est color, nisi in altera infamistarum causarum:

Primò, quia Papa ibi infideliter perdit vitas animarum, sicut priùs Cæsar infideliter ibi perdit vitas Corporum Christi martyrum.

Secunda causa, quia Cæsar resedit in illa villa, qui dotauit Papam, contra legem quam Christus suis Apostolis ordinauit: & sic locus iste est testis huius duplicitatis infamis pro Domino contra Papam. Hæc Vuitcleff; & est inter conclusiones ter damnatas conclusione 19.
2 Auctor. Audacter iste homo dicit reuera non esse alium colorem nisi in altera infami causarum quas assignat, vt Papa immediatus Christi Vicarius in Roma tanquam loco apto resideat. Reuera Ecclesia catholica alias causas tradit fidelibus: quidam enim filiorum eius Augustinus vocans Romam regnum antonomasticè, eo quòd esset regnum quartum: ferrum quod domuit omnia regna. Daniel. 2. Supponitur Deum vocasse ad regnum primò piscatores, Petrum, & Paulum scilicet ad sedendum Romæ, vt sic vocaret postcà Imperatores. Quorum primus Petrus apud fideles post Christum fuit indubiè primus Papa, & quatuor causas assignat. Augustin. com. 10. Quid (inquit) aliud demonstrare dignatus est, qui ad regnum primò vocare

cate voluit piscatores, posteà vocaturus Imperatores, nisi, vt qui gloriatur in Domino glorietur 1. Cor.4. Nam vtique nobilium doctorum potentium non salutem contempsit, quibus ignobiles, imperitos, infirmosque præposuit. Sed nisi prius eligeretur vilitas infirmorum, non sanaretur inflatio superborum. Sequitur. Quantò nunc modo melius, quanto ordinatius, quòd prius erexit de terra inopem, Psal. 112.& de stercore pauperem exaltauit, vt collocaret eum cum potentibus populi sui, vt munus intelligentiæ doctrinæ non solùm ex Deo esset, sed etiam ex Deo esse appareret.

Cum quanta itaque lætitia, & quanta Dei gloria contuemur ab animo piscatoris contemni opes imperatoris, fundi preces Imperatoris ad memoriam piscatoris, vt nec ille ex eo quod non habuit iaceret, nec iste ex eo quod habuit superbiret. Et infrà ad finem. Habet ergo Roma caput gentium duo lumina gentium, scilicet Petrum, & Paulum ab illo accensa, qui illuminant omnem hominem venientem in hunc mundum: vnum in quo Deus abiectam exaltauit humilitatem: alterum in in quo damnandam sanauit iniquitatem. In isto discamus non superbire. In illo non desperare. Hæc August.3.parte sermonum, serm.124.

Author. Et ego iam resumpto spiritu, huic inimico homini, qui tam confidenter dixit, respondeo. Reuera deciperis, iam si vis causam Romanæ Sedis damnare, noli damnare nouissimum Papam, antequam interroges primum Petrum. Ioann.1. Si situs Lunæ, vel Solis, aut secundùm quosdã magni mundi displiceat, quid mundo detrahis, siue Soli, quòd situm ab origine deputatum obseruat? Si tibi ripa Tibris, non videtur honesta, noli Romam oblurgare, non Constantinum, vel Caium, sed Romulum. Non iste Papa hodiernus, non præcessor eius etiam ante mille annos nouissimos Romam elegit in sedem, sed ante eum Fabianus, ante eum Sixtus, ab Euaristo, ante eum Anacletus, & ante eum Clemens, & à primo Petro, & quidem vt iam dicit Augustinus, non hoc Petrus à seipso, sed à Deo vocante delegit: & causas quidem vocationis ad tantum Romæ regnum, assignat primam, vt sequens vocatio Imperatoris ad fidem magis appareret esse à Deo, quòd non per nobiles, aut per mundi Doctores Imperator traheretur ad fidem, sed per ignobiles, & pauperes piscatoris sordidi successores: secundam, vt fideles ad magnam Dei gloriam lætanter viderent omnem Imperatoris mundi opulentiam à piscatore nostro sine respectu esse contemptam.

Tertiã, vt lætarentur fideles cum cernerent sæuos Imperatores fundere preces ad tumulum piscatoris. Vnde idem Augustinus super Psal.44. August. tom.8. Intellige filias regum, ciuitates quæ crediderunt in Christum à regibus conditæ sunt, & à dominibus, ebureis, diuitibus, superbis, elatis. Ostendatur mihi Romę in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur nisi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Christiani, non Petroniani. Hæc ille.

Author. Quartam verò causam quare Deus sedem Petri limitauit in Regno Romano, designat, vt inops Petrus, aut Successor eius in illa sede cùm Imperatorem volente Deo conuerteret non posset se de diuitijs, aut potestate iactare quam de facto non habuit: nec etiam Imperator iam victus ab inope ex potestate, quam habuit superbire. Hæ multò meliores causæ mi Witcleff. Papalis Sedis in Roma si verum sit illud famosum. Quicquid est causa causæ, est causa causati. Si istæ sint causæ Petri assumentis, & finaliter hæredibus relinquentis Sedem in Roma, & ipse successoribus suis præstitit istas causas. Sed adhuc quod argumentatur audiamus prædicto capitulo 28.

3 Witcleff. Fideles erubescerent de ista duplici infideli argutia: supposito quidem quòd Roma sit principalis locus in quo regnat seculum hîc in terris, quod testantur peragrantes contractas manifestissimè esse falsum: quid hoc vt Papa, qui maximè debet elongari à seculo sicut Christus, residens sit in Roma? si enim locus ex authoritate residentis aptetur, Bethleem, aut Hierusalem est potius eligenda. Hæc Witcleff.

4 Author. Respondet Ecclesia vice Petri, qui iam si non iuuetur, hæretico eum accusante, succumbet, quia ipse primò Romæ se ipsum, ac deinceps Clementem, & alios vsque ad præsentem Episcopum residere constituit. Non (inquit) erit Hierusalem, aut Bethleem locus principalis Ecclesiæ authoritate residentis, quia ibi passus erat Christus aut natus: quia nec Christus ipse teste Euangelio Lucæ 4. signa, quæ fecit alibi, fecit in patria sua, immò nec poterat ibi vllam virtutem facere, nisi paucos ægros sanare Marc.6. Quia nemo, inquit, Propheta acceptus est in patria sua. Vnde, & infidelitas magis indurescebat Hierosolymis post ascensionem Christi vt patet ex historijs temporum, in actibus Apostolorum4. & per tot. intantum vt penè adimpletur videbatur Apostolis quod ante prophetauit Christus in Samaria, Ioann.4. Veniet tempus, & nunc est, quando nec in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Præuidens igitur in spiritu Petrus Ecclesiam ibi defecturam in breui, & messem multam alibi successuram, excusso puluere pedum suorum, simul, & Pauli, & aliorum primorum Apostolorum in eos tamquam incredulos, conuersi sunt ad gentes. Ac Petrus tamquam precipuus ad primas gentium sedes perrexit, vt amplius Christo lucrifaceret, & Ecclesiam Christi fundaret super petram immobiliter permansuram, quam neque paganici venti, nec hæreticorum procellæ obruent vnquam. Sic enim Antherus Papa vigesimus à beato Petro secundùm Augustinum 18. scribit Episcopis Bœotiæ, & Toleti locorum docens translationis Petri causam ab Antio-

Antiochia vſque Romam in Decreto ſuo, capitulo vnico.

Antherus. Cariſſimis, atque dulciſſimis fratibus per Bœotiæ, atque Toleti prouincias Epiſcopis conſtitutis, Antherus Epiſcopus, in Domino ſalutem, de mutatione Epiſcoporum, vndè ſanctam ſedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis. ſcitote eam communi vtilitate, atque neceſſitate fieri licere, licet non libito cuiuſquam aut dominatione. Petrus Sanctus Magiſter noſter, & Princeps Apoſtolorum de Antiochia vtilitatis cauſa translatus èſt Romam, vt ibidem potius proficere poſſet. Hæc ille.

Auctor. Iam reſpondet Antherus infamiæ tuæ, non propter ambitũ ſeculi, aut libitũ cuiuſq; dominationis, vt tu peſſimè ſuſpicaris, elegit Sanctus Petrus reſidentiam Papæ Romæ, ſed maioris vtilitatis cauſa, & neceſſitatis fidelis, ita quaſi diceret Petrus illud in Canticis, Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui. Super quod in expoſitione ſuper Cantica 1. Caſſiadorus. Vinea vna fuit primum Eccleſia Hieroſolymis, ſed ob Iudaicam perſecutionem diſperſis omnibus credentibus, multæ vineæ factæ ſunt, id eſt multæ Eccleſiæ conſtructæ ſunt per vniuerſum mundum. Sequitur. Vineam meam non cuſtodiui, id eſt illam vnam Eccleſiam quę fuit Hieroſolymis non cuſtodiui: hoc autem non ad votum neque ad mentem eſt, referendum, ſed ad locum. Non cuſtodiui, ſubaudi vt eſſet ibi vbi cœpit. Hæc ille.

Auctor. Aliò igitur quàm Hieroſolymas vbi cœpit Eccleſia tranſplantatur, & Chriſti vinea cuſtoditur. Poſt iſta ergo omnia notetur Petrum locum Papalem elegiſſe Romam Hieroſolyma relicta; vt ibi proficeret in vrbe quòd Chriſtus Hieroſolymis profecit in Orbe: quod etiam Innocentius declarare videtur ſequens auctoritatem Auguſtini, & Antheri.

Innocentius. Dignum Deus prouidit, & congruum, ſed, & congruum præuidit, & dignum, vt ille qui erat Princeps Eccleſiæ ſedem conſtitueret apud vrbem, quæ tenebat ſeculi principatum. Et ideo Dominus ait ad Petrum, Lucæ 5. Duc in altum, Quaſi diceret, Vade Romam, atque cum tuis te transfer ad vrbem, & laxare ibi retia in capturam. Ecce liquidò patet, quantum Deus Vrbem iſtam voluit honorare, vt eadem eſſet ſacerdotalia, & regia, Imperialis, & Apoſtolica: obtinens, & exercens non ſolùm dominium ſuper corpora, verùm etiam magiſterium ſuper animas. Longè nunc maior, & dignior legatione diuina quàm olim poteſtate terrena. Per illam enim habemus claues Regni Cœlorum, per iſtam Orbis terrarum reges habenas, ne tantæ dignitatis honor, vel potius tanti honoris dignitas ad aliam ciuitatem, quacumque ratione tranſiret, ſed in hac vrbe iuxtà diſpoſitionem diuinam perpetua lege maneret. Hæc ille in ſermone ſecundo de octauis Apoſt. Petri, & Pauli, qui incipit, Duc in altum rete.

5 Auctor. Sed huius ambitionis tuæ guſtabant venenum, quidam recentiori tempore Antiochiæ conuerſantes, qui ab obedientia Romani Pontificis ſe decreuerunt abripere, iudicantes ſe debere præcellere quia prius ibi Petrus quàm Romæ ſedit, & priorem ibi fundauit Eccleſiam: vt Papa Marcellus in decreto ſuo reſpondens cap. vnico dixit illud. Dulciſſimis fratribus vniuerſis Epiſcopis per Antiochiam prouinciam conſtitutus, Marcellus. Sequitur infrà. Rogamus vos fratres, vt non aliud ſentiatis, neque doceatis, quàm quod à beato Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis, & Patribus accepiſtis: ab illo enim primò inſtructi eſtis. Ideo non oportet vos proprium derelinquere Patrem, & alteros ſequi. Ipſe eſt enim caput totius Eccleſiæ: cui ait Dominus Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Eius enim ſedes primitus apud vos fuit, quæ poſt iubente Domino translata eſt: cui adminiculante gratia diuina hodierna præſidemus die. Nec ab eis diſpoſitione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora eccleſiaſtica negocia diuina diſponente gratia iuſſa ſunt referenda: vt ab ea regulariter diſponantur à qua ſumpſere principia. Si veſtra verò Antiochena quæ olim prima erat Romanæ ceſſit ſedi, nulla eſt quæ eius non ſit ſubiecta ditioni. Hęc ille.

Auctor. Ecce iam poſitio ſedis Papalis in Roma quam tu blaſphemas non ab alicuius recentis Papæ, immò non Petri, ſed ipſius Domini iuſſione, vt dicit Marcellus, ſumpſit exordium. Et notet Witcleff, quando iſte Papa vendicat ſibi obedientiam ab vniuerſis Eccleſijs. Cuncta (inquit) maiora eccleſiaſtica negocia ab hac ſede regulariter diſponuntur, & nulla eſt Eccleſia quæ eis non ſit ſubiecta ditioni. Et quomodo hoc vendicaſſet per poteſtatem Cæſaream, qui præceſſit dotationem Cæſaris tertius ante Silueſtrum 28. à beato Petro ſecundùm Auguſtinum? Secunda eius argutia eſt hæc, vbi ſupra.

Witcleff. Per hoc (inquit) patet quòd ſecunda infamis argutia non habet ſcintillam coloris, cùm Chriſtus occiſus extra portam Hieruſalem relinqueret maiorem ſanctitatem, vt ibi eius immediatus vicarius reſideret, cum 2. Machab. 5. doceatur, quòd locus non ſignificat hominem, ſed homo potius ipſum locum. hæc Witcleff.

Auctor. Ibi legit Eccleſia Ieſu Chriſti, quòd non propter locum gentium, ſed propter gentem locum elegit ſibi Dominus, & idcircò propter Romanam gentem locum elegit ſibi Dominus, & idcircò propter Romanam gentem Principem huius mundi, elegit ſuo Vicario Deus Romam, non autem propter Hieroſolymam elegit Dominus omnes gentes illuc debere confluere, & per conſequens ſuum Vicarium illic reſidere, Et quia de ſanctitate loci facis inſtantiam: Matth. 17. Hieroſolymis extrà portam paſſus eſt Chriſtus mortem ſed in monte Thabor oſtendit Chriſtus cœleſtem vitam, Patrem, in nube, Spiritum

in

In claritate, in fulgore seipsum: Ita vt diceret ei Petrus, Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, Sed designans Dominus non esse in hac terra beatum locum quærendum, neque sanctiorem locum viliori pro merito præponendum, distulit concedere, quod optauit. Vnde de hoc loco Matth. 17. Domine, bonum est nos hic esse, loquens de Petro. Hieronym. tom. 9. Qui (inquit) conscenderat non vult ad terrena descendere, sed semper in sublimibus perseuerare. Hæc ille.

Auctor. Non debuit ergo Petrus Hierosolymis in primo loco manere, sed ei cedens nouum locum petere, & mundi fluctibus euangelicum rete committere piscatu-
6 rum. Ideo reor ipsum ex Apostolorum consensu dedisse primum locum Iacobo gubernandum ob Christi reuerentiam, cui frater erat secundùm carnem: & sic Petrus
7 humilitate eximius, infimum mundi locum Romam accepit in sortem omni spurcitia dæmonum, & Idolorum caterua sordentem, sanctum locum Hierosolymorum iustè Iacobo cedens germano sanguine purpuratum. Et hæc videtur causa apud antiquum patrem Clementem, qui discipulus erat Apostolorum, in 6. lib. disput. suarum prout allegat eum grandæuus Pater Eusebius. 2. lib. Ecclesiasticæ historiæ capitulo 1.

Eusebius. Hunc denique Iacobum, qui dicebatur frater Domini pro eo quòd esset filius Ioseph, qui quasi Christi Pater habebatur, quoniam quidem desponsata ei fuerat Virgo Maria, qui priusquam conueniret cum ea inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto, sicut Euangelista protestatur: hunc inquam ipsum Iacobum, qui & iustus cognominatus est, ab antiquis virtutum merito, & insignis vitæ priuilegio primum historiæ tradiderunt suscepisse Ecclesiæ, quæ in Hierosolymis est sedem, sicut Clemen. in 6. disputationum lib. asserit, dicens.

Clemens. Petrus enim (inquit) & Iacobus, & Ioannes post Ascensionem Domini Saluatoris quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, non tamen sibi vendicant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur iustus Apostolorum Episcopum statuunt. Idemque ipse in 7. eiusdem operis lib. addit de ipso etiam hæc. Iacobo (inquit) qui dicebatur iustus, & Ioanni, & Petro post resurrectionem suam Dominus omnem scientiam tradidit. Hæc ille.

Auctor. Iam vides Petrum cùm ad nuptias venit, vt scilicet stabiliter aliquam regendam sibi desponsaret Ecclesiam, elegisse sibi infimum locum Romam, & Hierosolymorum ex humilitate fugisse primatum; nec erat ei ingratus Dominus, qui accepto sibi tempore per Imperatorem Constantinum fecit eum ascendere Luc. 14. ità vt esset ipsi gloria coram simul discumbentibus in mensa vniuersalis Ecclesiæ Christianæ. Hæc tamen accedit, quòd quem diximus Episcopum Romanæ Sedis, non illius tantùm, sed magis totius erit Orbis Antistes. Sedeat Romæ placet, dummodò non solis Romanis præsideat, Anglicis relictis, & Francis. Si Romæ sit, ibi est Episcopus: vbicumque sit, Anglicis erit Papa.

Quemadmodum Hieronymus habet in epist. 64. Non altera Romanæ Vrbis Ecclesia, altera totius Orbis æstimanda est, & Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, Orbis maior est vrbe: vbicumq; fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Caphnis eiusdem est meriti, eiusdem, & sacerdotij: potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum facit: cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Hæc Hieronymus.

8 Auctor. Intellige hic quòd vna Romana sedes dupliei auctoritate coruscat, Episcopalis scilicet illius loci, & Papalis in Orbe. Sed dum auctoritas, quæritur, sicut Orbis maior est Vrbe: Ita denique maior est auctoritas Pontificis Orbis, quàm eiusdem Pontificis Vrbis in eadem sede. Et indè est quòd vbicumque Papa sedeat, siue Romæ, siue Eugubij, ibi noster subget Antistes. Non habet necesse noster Præsul vt in Romana Sede mendicet auctoritatem, sed vendicet.

CAP. XLII.

De priuilegijs Papalibus, & fundatione eorum.

SVMMA.

1 *Quomodo Vuit. Pontificum priuilegijs detrahere sit ausus, peruertendo Priuilegij vocabulum.*
2 *Romanæ Sedis priuilegia defenduntur, & quid hæc vox Priuilegium sonet, ex Isidoro exponitur.*
3 *Quibus de causis priuilegia aliquando personæ inclytæ concedantur.*
4 *Priuilegium Regis Gothorum.*
5 *Priuilegium Ministrorum Dei.*
6 *Priuilegium Prophetarum.*
7 *Io: Euangelist. priuilegio Prophetarum potitus est, cum super pectus Domini in cœna recubuit.*
8 *Vigilius Papa, quædam priuilegia Abatiæ Arelatensi concessit; quæ Beatus Gregorius postea confirmauit.*
9 *Vera Priuilegij definitio, assignatur.*
10 *Beatus Gregorius Priuilegia contulit Monasterijs. S. Cassiani, & Martini.*
11 *Quòd necesse sit concedi priuilegia, & qua ratione: quorum concessio communi legi non derogat, sed magis fauorem præstat.*

Pri-

PRiuilegiorum Papalium fundamentum erigitur in iure diuino, & exempli ratio postulatur a Patribus. Sed audiamus primò blasphemias bestiales Vvitcleff., & eius sobolis serpentinæ, monens nos psalmista, Ps. 58. Ecce (inquit) loquentur in ore suo, & gladius, in labijs eorum, & vide quis gladius secundo tractatu de sermone Domini in monte. cap. 37.

1 Vvitcleff. Videtur (inquit) multis euidens, quòd quicquid Papa fecerit tanquam Papa, quærit gloriam suam, & lucrum proprium, quomodo ergo in hoc sequitur Dominum Iesum Christum? Nam coronando Cæsarem, conferēdo Episcopatus & alias dignitates: concedendo priuilegia, & alias indulgentias, quæ nescit, an consonant beneplacito Dei Patris, videtur, omniquaque ad gloriam mundanam, & lucrum proprium aspiceare, hæc Vvitcleff.

Auctor. Ecce quis gladius, deriden-
2 do peruertit vocabulum, vocans prçoilegia, quæ honorificè aliàs priuilegia dicebantur. Sed quis apertiùs quàm vniuersaliter prauus prauilegium diceret, qui Ecclesiæ studia sine expositione deprauat? Quinto autem lib. Etymolog. cap. 22. Isidorus. Priuilegia, inquit, sunt leges priuatorum quasi priuatæ leges. Nam priuilegium inde dictum, quòd in priuato feratur. Hæc ille.

Auctor. Quæ autem de coronando Cæsare, aut collatione Episcopatuum dicit, ad priuilegia pertinent Sedis Romanæ. Ideò videtur nugas agere in passu prædicto. Vnde ex decreto Papæ, cap. 1. Melchiadis. Hoc etiam priuilegium huic sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruari, quod illæsum manet vsque in hodiernum diem.

Episcopos ergo quos sibi Dominus elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem suo iudicio reseruauit, atque hoc priuilegium beato clauigero Petro sua vice solummodò commisit: quæ eius prærogatiua iustè succedit futuris hæreditanda, atque tenenda temporibus. Hæc ille.

Auctor. Habet ergo Romana Sedes sua priuilegia: habent Patriarcharum, & omnium Episcoporum Sedes, vt illis in-
3 cumbunt. Verumtamen quantum ad diuinam legem attinet, multis de causis videntur priuilegia fuisse concessa diuino instinctu aliquando personæ inclytæ propter suam reuerentiam sicut Hester 15. Rex ait, Quid habes Hester, ego sum frater tuus noli metuere, non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus constituta est hæc lex, hoc est dicere priuato iure censebeis, nec volo vt lex illa te sicut & omnes obliget, sed te apud omnes volo vt sublenet claritas dignitatis. Sicut etiam de priuilegio exemptionis suæ Christus commemorat Matth. 17. dicens, Filios Regum liberos esse à solutione tributi.

Hoc modo solent magni principatus in Ecclesia remunerari priuilegijs quemad-
4 modùm Reges Gothorum, Toletanum Concilium quartum sub magno Isidoro Hispalensi Primate, tali prærogatiua promouit, cap. 74. Concilium Toletanum. Post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est pro robore nostrorum, & Regum, & stabilitate gentis Gothorum pontificale vltimum sub Deo indice ferre decretum. Multarum quippè gentium (vt fama est) tanta extat perfidia animorum, vt fidem sacramento promissam Regibus suis obseruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum mente retinent perfidiæ impietatem.

Et infrà, Nullus apud nos præsumptione Regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo meditetur interitus Regum, sed defuncto in pace principe, Primates totius gentis cum sacerdotibus successorem Regni, communi consilio constituant. Et in fine concluditur. Ideò si placet omnibus, qui adestis hic tertiò reiterata sententia vestræ vocis consensu firmetur ab vniuerso Clero, vel populo. Dictum enim est: 1. Cor. vlt. Qui contra vestram definitionem præsumpserint, anathema maranatha, hoc est perditio Domini in aduentu Domini sint, & cum Iuda Scarioth partem habeant, & ipsi & socij eorum, Amen. Ego Isidorus in Christi nomine Ecclesiæ Hispalensis Metropolitanus Episcopus hæc statuens subscripsi. Similiter & alij Episcopi subscripserunt num. 40. Hæc ille.

Auctor. Conceduntur etiam priuile-
5 gia de iure diuino Dei ministris in assiduo Altaris officio propter diuini cultus sustinentiam. Sicut Leuitæ liberi erant à tumultibus præliorum, tantùm vt tabernaculo deseruirent Numer. 2. Et ex eis adhuc quodam priuilegio filij Aaron fungebantur sacerdotio, & ad tangenda vasa Sanctuarij, & ad Altare accedere soli permissi sunt. Numer. 18. Et hoc est priuilegium clericorum omnium in Ecclesia Dei, & priuilegium aliud speciale sacerdotum, & sanctorum Antistitum.

Vnde Anacletus Papa in decreto, scribens omnibus Episcopis, & reliquis sacerdotibus. Priuilegia, inquit, Ecclesiarum, & Sacerdotum intemerata, & inuiolata cunctis decreuimus manere temporibus. Hæc ille.

Auctor. In omnibus tamen priuile-
6 gium fuit Prophetarum, Sanctorum, & filiorum eorum arduum, qui nec Regum, nec Sacerdotum monitis ab ocio sancto, & vacatione prophetica terrebantur, quoniam secundùm dignitatem propheticam quasi imperare videbantur in populo, & operam dabant diuinis, & carminibus scripturarum, vt tangitur Eccles. 44.

Secundùm quem ritum credo Domi-
7 num nostrum Iesum sub quodam speciali priuilegio Ioanni Euangelistæ in pectore suo cùm cœnaret dedisse recubitum, quando vt creditur diuina mysteria contemplatus, sanctam requiem in sancto pectore capescebat: Ioan. 13. & pro B. Maria Magdalena Christus aduocatum se præstitit, ne ad Marthæ curas cogeretur contemplationis sāctę fastigio paruipenso. Luc. 10. Et cùm Petrus quasi de vita, & conuersatio-

ne Ioannis curaret, interrogans Christum, Domine, hic autem quid? quasi eximens eũ ab hac cura Petri iam præsens Christus in corpore & summũ caput Ecclesiæ, Io:21. Quid ad te, inquit, sic eum volo manere. Ita piè exponendus mihi videtur hic locus, quòd in hoc facto relinquit Christus exemplum summis pastoribus curam suam personaliter debere exhibere religiosis assidua contemplatione, aut graui paupertate detentis: & per hoc tutela paterna potiùs destitutis, & quærentibus subditis, aut pro omnibus vni: hic autem quid? Pro Christi paruis & tenellis, Episcopi in vno omnes se objiciant, dicentes, quid ad te? Esa.40. Sic eum volo manere. Pastor vniuersalis ego sum, quare non secundùm Prophetam pascam gregem meum? In brachio meo congregabo agnos, & in sinu meo leuabo, fœtas ego portabo. Sic vtique pius pastor ad Martianum August. ait, Leo Papa ep.54. Priuilegia Ecclesiarum, & Monasteriorum sanctorum Patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo, necesse est huius sanctæ Sedis Pontifices perseueranter exhibere famulatum. Dispensatio enim mihi credita est, & ad nostrum reatum tendit si paternarum regulæ sanctionum, nobis consentientibus, vel negligentibus violentur. Hæc ille.

Auctor. Item Vigilius Papa Quintus
8 ante Gregorium, ad instantiam Celiberti Regis Francorum Abbatiæ ciuitatis Arelatensis quædam concessit priuilegia, quæ beatus Gregorius postea confirmare dignatus est, vt recitat lib. 7. sui registri epistola 115. Gregorius to: 2. Igitur, inquit, gloriosæ memoriæ Celibertus Francorum Rex, religionis amore succensus, intrà muros Arelatensis ciuitatis monasterium virorum, vt scripto reperimus pro sua mercede constituens, quadam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea, quæ pro quiete monachorum disposita fuerant turbarentur, quæque contulit, & iura eiusdem monasterij pater epistolis suis Apostolica petijt auctoritate firmari: hoc quoque suæ petitioni subiungens, vt eidem monasterio tam in dispositione rerum, quàm in ordinatione Abbatis, quædam pariter priuilegia largirentur.

Sciens quippe eam Apostolicæ Sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ eius fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ vsurpationis molestia quaterentur. Vnde quia effectum, & Regia voluntas, & res valdè desiderata poscebat à prædecessore nostro Vigilio Romanæ Sedis Antistite ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, vbi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat, Apostolicæ auctoritatis libenti annisu firmata sunt: quia difficultatem pati non potuit huiusmodi res petita.

Sed vt fraternitas vestra, quę fuerant tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta, his prouidemus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis, hortamur, vt omnia sacerdotali, sicut decet, studio inuiolata conseruet, nihilque illic vetitis, nihil permittas de illicitis irrogari: nec ea quadam patiaris vsurpatione conuelli.

Nam licèt ea, quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt nihil egeant firmitatis, ex abundanti tamen nostra cuncta, quæ pro huius rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterùm auctoritate in omnibus roboramus. Hæc Gregorius.

Auctor. Beato Gregorio igitur placet donari priuilegium prædicto monasterio ad petitionem deuoti principis Celiberti, & vult omne semel ab Apostolica Sede largitum, nulla posse ratione conuelli.
9 Ita vt verè sit priuilegium lex priuata nulla possibilis abrogatione deleri, prout exprimit prædictum decretum Leonis, & prædecessoris eius Anacleti, & cumulatius patet 25. qu. 1. & 2. & idem Gregor. in regist. lib. 6. epist. 12. quæ est ad Respectam Abbatissam.

Gregorius tom. 2. Monasterio, quod
10 in honore sancti Cassiani est consecratum, in quo præesse dinosceris. Iuxtà petitionem filiorum nostrorum Diuanij, atque Aureliani, qui id religiosa deuotione domui intra sui iunctis vnisse ædificijs comprobantur, priuilegia præuidimus indulgeri; constituentes vt obeunte antedicti monasterij Abbatissa, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegit, ordinetur: quam tamen si digna hoc monasterio iudicata fuerit, eiusdem loci Episcopus ordinet.

In rebus autem, vel dispositione eiusdem monasterij, neque Episcopum, neque Ecclesiasticorum quemquam aliquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad sollicitudinis tuæ curam, vel quæ post te in eodem loco fuerit Abbatissa, statuimus per omnia pertinere, Die siquidem natalis, vel dedicationis supradicti monasterij, Episcopus Missarum illuc conueniat solemnia celebrare, à quo tamen ita est hoc officium exsoluendum, vt Cathedra eius Archiepiscopi nisi prædictis diebus ibi ille Missarum solemnia celebrat, non ponatur. Quo discedente simul etiam Cathedra illius de eodem Oratorio auferatur. Cæteris verò diebus per presbyterum, qui ab eodem Episcopo fuerit deputatus, Missarum officia peragantur.

Et tandem munitionem apponens in fine priuilegij. Hæc omnia, inquit, quæ huius pagina præceptionis amplectitur, monasterio tuo in omnibus, & ab omnibus in perpetuum seruari Christo protegente censemus, quatenus indultorum priuilegiorum beneficia in sua semper inuiolabiliter firmitate permaneant. Hæc Gregorius.

Auctor. Idem quoque Gregorius eodem regist. lib. 11. epist. ad Brunchildem Francorum Reginam, quæ est 8. epistolis, inquit, vestris indicantibus agnoscentes Ecclesiam vos sancti Martini in suburbano Augustudinensi, atque monasterium ancillarum Dei, necnon & Xenodochium in vrbe eadem construxisse, valdè lætati sumus.

mus. Et gratias omnipotenti Deo retulimus, qui cordis vestri sinceritatem ad hæc operanda compunxit: qua de re vt nos in bonis vestris in aliquo participes haberemur, priuilegia locis ipsis pro quiete, & munitione illic degentium sicut voluistis indulsimus: nec excellentiæ vestræ amplectenda nobis desideria, vel ad modicum differre pertulimus. Hæc Gregorius.

Auctor. Videtur ergo necessarium,
11 quòd priuilegia dispenseutur hominibus: alioquin enim non posset in communitate seruari iustitia, quia aliquando plus merebuntur quidam quàm debent ex vniuersali lege sperare pro pręmio. Neque enim legislator potest omnia præuidere, quæ in particulari contingunt: quoniam in particulari improuiso aliquando lex vniuersaliter lata capit instantiam: & idcircò in talibus Princeps dominatur, quæ scilicet per legem positiuam determinari non possunt: vt habet Politia Philosophi.3.polit. Et 25. quæst.3.

Gratianus. Licèt, inquit, primæ Sedi contra generalia decreta specialia priuilegia indulgere: ex speciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto: quamquam si decretorum intentionem diligenter aduertamus nequaquam contra sanctorum Canonum auctoritatem aliquid concedere inueniantur. Sacri quidem Canones ita aliquid constituunt, vt suæ interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ reseruent. Hæc ille.

Auctor. Ita videtur priuilegium non derogare legi communi, nec contra eam facere, sed supplere potiùs si consideretur causa priuilegij, & partis benè merentis. Sic enim debuisset legislator edidisse decretum, si de tali particulari contingentia præsciuisset euentum.

CAP. XLIII.

Respondetur ad expugnatores priuilegiorum Papalium.

SVMMA.

1 *Quòd duo genera hominum odio habere solent Summorum Pontificum priuilegia: & quomodo impietatem suam defendant.*
2 *Quid de priuilegijs senserit Vuitcleff explicatur.*
3 *Quid de priuilegijs catholicè sentiendum sit, Sanctorum testimonijs declaratur.*
4 *Inuehit Auctor contra damnatores sponsalium dispensationum.*
5 *In Ecclesia duo sunt ordines laterales, ministrorum videlicet, & potestatum.*
6 *Clerici, quibus de causis à laicorum iudicum iurisdictione eximantur.*

1 ODio habuerunt gratis priuilegia sacrorum Pontificum duo hominum genera, Psalm.63. Hi scilicet homines, Ioann.15. qui de singulis actibus hominum iudicare ambiunt, aut alij qui bonum quod in seipsis non obtinent, habentibus inuident. Sicut ait Hieronymus, quòd serpens factus exul Cœli, Sap.2. inuidit primus Ecclesiæ gloriam Paradisi, Arguunt quidem vtrique insuperabiliter, vt putant, dicentes, contra principia esse naturæ, quod aliqui eximantur à iurisdictione, & obedientia coactiua inferioris Antistitis, existimantque sibi suffragari, quod Bernard. dicit lib. 3. ad Eugenium. Subtrahuntur, inquit, Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, siue Primatibus. Bona ne species hæc? mirum si excusari queat, vel opus; sic factitando. Et post multa infra. Si dicat Episcopus nolo esse sub Archiepiscopo, vel Abbas, nolo obedire Episcopo, hoc de Cœlo est? Non, nisi fortè Angelorum quempiam dicentem, audisti, Nolo sub Archangelis esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum non ferentem subesse cuiquam nisi Deo. Hæc ille.

Auctor. Importuni petitores sunt isti, qui tam generali clausula nulla exceptione admissa, omni derogant speciali. Mitius adhuc ista tractauit aduersarius omnis Ecclesiæ Christi witcleff, qui vtilitatem priuilegiorum non negauit in casu, dicens de Papa, in finali capitulo de Christo, & Antichristo.

witcleff. Quantum ad priuilegia, vel
2 opera quæcumque fingit se facere, vel sunt vtilia, vel nociua: si vtilia, tunc sunt prius rationabilia apud Deum, & per consequens sine exemptione eius licentię factibilia absque periculo. Si autem sunt nociua, tunc non sunt per fucum eius licentiæ facienda. Hæc witcleff.

Auctor. In extremo eius vitioso con-
3 uenit vterque, tam primus dicens tales dispensationes à nullo dispensatore faciendas, quàm iste secundus, qui aliquas implicat faciendas vt vtiles, sed non à iusto dispensatore quærendas. Pergat ergo vterque ad beatum patrem Bernardum quem primi dicunt tali dispensatiuæ exemptioni aduersum, & videant quomodo ipse moderamen rebus imponat, & aduersetur vtrique. In prædicto iam loco statim consequenter adiungens. Bernardus. Quid inquis? prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, vt ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem, 1. Cor. 4. Denique quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est: vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: vtilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil est horum, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est: non nulla tamen Monasteria sita in diuersis Episcopatibus, quod specialius pertinuerunt ab ipsa sua fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate fundatorum, benè adiudicari postulauerunt. Quis nesciat? sed aliud est, quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio, impatiens subiectionis. Hæc Bernard.

Auctor. Hoc est, quod planè respondet ad omnia: hoc est quod deijcit witcleui-

ſtas. Non ſum tam rudis, inquit, vt vos ignorem politos diſpenſatores. Non cuiuſque eſt hoc iudicium, ſcire ſcilicet vtilem diſpenſationem eſſe, an nociuam, ſed diſpenſatorum miniſteriorum Dei. Nec illis ſublata eſt omnis diſpenſandi facultas, vt dicunt primi, quia ſic nulla diſpenſatio credita eis eſſet, ſed vbi vtilitas poſcit communis, atque neceſſitas. Et ne nimis obſtrueret aditum, voluntatem fundatorum & hoc, quod largitur deuotio interponie neceſſarium prædictum, vel vtile. Solum autem excludit, quod molitur ambitio ſubiectionis impatiens: & merito omne tale priuilegium eſt abiectum, cuius fructum ego dedignor: forſan hoc eſt, quod Hieronymus interpretatur in lib. interpretationum ſuarum triformi. Priuilegium, inquiens, lex non publica, ſed priuata, ſiue propria præſumptio contra leges faciens. Hæc ille.

Auctor. Expediens autem nos Spiritus ſanctus de omni neceſſario, & vtili priuilegij fundamento, alloquitur carnales quoſdam in Eccleſia, monens de dilecta dicente, Cantic. 2. Leua eius ſub capite meo. Cant. 3. Adiuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit, id eſt, ſponſam iam pro vita illa ſupponentem capiti ſuo diſpenſationis gratia læuam temporalis mei ſubſidij, & quietis, non ſuſcitetis per curas, & vexationes iuris vulgaris, ſed meditetur, & legat ad fructum, & vtilitatem Eccleſiæ donec velit. Vnde ſuper Cantica, Beda lib. 6. cap. 8. Fit vt plerumque fœlix bonorum requies, & quaſi ſopor gratiſſimus, qui intentam diuinis rebus mentem eorum huic mundo velut inſenſibilem facit, improborum turbetur incurſibus, eorum videlicet, qui huius fœliciſſimæ dormitionis ignari, vigilare potius Mundi labentis amore conſueuerunt. Atque vtinam ſoli, qui ad Mundum aperte pertinent pacem impugnarent Eccleſiæ, & non etiam ipſa in ſe eos qui ſpiritualia eius ſtudia carnalibus ſuis moribus impediant, retinere. Verùm quia & ipſa plures gignit tales, admonet eos Dominus, ne animos fidelium Eccleſiæ orationi, ſiue lectioni, ſeu alijs pietatis actionibus deditas, inquietare præſumant, dum audito deſiderio cordis eius, ipſe continuò ſubiunxit. Adiuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

Sequitur. Ne ergo ſuſcitetis, inquit, dilectam tumultu carnalium perturbationum, & vigilare faciatis à quiete perplacidæ deuotionis eius, qua conſpectibus ſui conditoris aſtare delectatur, donec ipſa velit, id eſt donec ritè completis diuinæ ſeruitutis obſequijs, ipſa ad communem redire curam humanæ fragilitatis neceſſitatibus admonita conſentiat. Hæc Beda.

Auctor. Cùm ergo Deus vult tales ſibi dilectas animas ab humanis tumultibus liberati, vt orationi, ſiue lectioni, prædicationi, aut Scripturarum expoſitioni licenter indulgeant, requiro ego ſactos Chriſti Antiſtites, qui iſta diſpenſent. Quòd ſi ipſorum incuria rem negligant, quid tectius, quid diuinæ iuſſioni conſonantius, quàm vt primus Præſul, cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum incumbit, diuinæ iuſſioni reſpondeat, & ipſe per ſeipſum taliter contemplantes tueatur, ordinet, & defendat? 2. Cor. 11. Parcant mihi Apoſtolorum hæredes, non credo tot monaſteria reſeruanda fuiſſe primæ Apoſtolicæ Cathedræ, ſi Epiſcopi ſatisfeciſſent voto, & adiurationi ſponſæ prædictæ, cohibentes impetus miniſtrorum ſuorum carnalium ſub colore legum à perturbatione importabili, & inquietudine Chriſti monaſterialis Eccleſiæ. Hoc ne putas eſſe quod Beda facere conqueritur, atque inquit, Vtinam qui ad Mundum apertè pertinent pacem impugnarent Eccleſiæ, & non etiam ipſa in ſe eos? &c.

4 Sed contra primos diſpenſationum ſponſalium damnatores, hoc paruum erigam argumentum.

5 Duos legimus ordines Eccleſiæ, miniſtrorum, & poteſtatum, ita vt miniſtri ſint omnes colentes Chriſti Eccleſiam à primo Papa, vſque ad vltimum Clericum, aut in religione tonſum, vel velatam. Eſt & ordo poteſtatum, regum ſcilicet & ducum, & aliorum ſubiudicum, vſque ad vltimum præſidem villæ, vel oppidi. Et iſti duo ordines ſunt in Eccleſia laterales, quorum neuter ortum habet ex altero, vt declarabitur infra. Sed Papa præſidens miniſtrorum, poteſt priuilegiare omnem ordinem miniſtrorum à iuriſdictione poteſtatum ſecundùm quid in omnibus, vt in cauſis criminalibus actiuè, & paſſiuè, & in ſanguine, & in his quæ iura tangunt Eccleſiæ, aut ſi cauſa ſit fidei. Vnde Ambroſius tom. 3. epiſtola ad Valentinianum Auguſtum contra Auxentium libro 5. & eſt epiſtola 32. Quando, inquit, audiſti clementiſſime Pater in cauſa fidei laicos de Epiſcopo iudicaſſe?

Sequitur. Si docendus eſt Epiſcopus à laico, quid ſequetur? Laicus igitur diſputet, & Epiſcopus audiat, Epiſcopus diſcat à laico. Hæc ille.

6 Auctor. Ita ergo ratione cauſæ, aut ratione officij, ſoluuntur per Eccleſiam Miniſtri eius à iuriſdictione omnium iudicum laicorum. Igitur magis Eccleſia poteſt, & debet diſpenſare exemptiuè cum miniſtris ſuis, ne ſubijciantur in caſibus iudicibus etiam ordinarijs ſui fori. Si autem caſus exigat, aut neceſſitas hoc requirat, patet conſequentia à maiori: quia plus poteſt quiſque ſummus in ordine proprio, quàm in ordine laterali. Sicut plus potuit Aaron ſummus Sacerdos legis in tribu Leui, quàm in tribu Beniamin, ſiue Manaſſe. Qua lege ergo poſſet ſummus Hierarcha noſter Papa exemptiones facere clericorum à ſubordinatis iudicibus in ordine principali, & nullo modo in ordine clericali?

Hoc ergo modo beatus Gregorius in diſpenſatione priuilegiali vtrumque ordinem combinat, Antiſtitum, puta & Principum, & ſimul ab vtriſque pariter competenti pœna religioſos quoſdam eximit, vt recitat in Regiſtro, lib. 11. epiſtola 10. ad

ad Senatorium presbyterum, & Abbatem in Xenodochio Francorum. Gregorius tom.2. Iuxta scripta filiorum præcellentissimorum Regum Brunichildis, & nepotis eius Theoderici Xenodochio Francorum, quod in Ciuitate Augustudunensi à Syagrio recolendæ memoriæ Episcopo, & prædicta excellentissima filia nostra Regina construstum est, cui tu præesse dignosceris huiusmodi priuilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, Statuentes nullum regum, antistitum, nullum quacumque præditum dignitate, vel quemquam alium de ijs quæ Xenodochio à supra scriptis præcellentissimis filijs nostris Regibus iam donata sunt, vel in futuro à quibuslibet alijs de proprio fuerint iura collata, sub cuiuslibet causæ occasionis vel specie minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel alijs quasi pijs causis pro suæ auaritiæ excusatione concedere, sed cuncta, quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tàm à te, quàm ab eis, qui in tuo officio, locoque successerint perenni tempore illibata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri: Eorum tantum vsibus pro quorum sustentatione, gubernationeque concessa sunt modis omnibus profutura.

Et subijcit ibi, Abbatem non deponendum nisi in causa criminis, associatis Episcopo ciuitatis sex Coepiscopis in iudices: Abbatem quoque non posse consecrari Episcopum, quousque de omnibus illius domus reddiderit rationem, Nullumque Monachum sine licentia abstrahi posse per Episcopum loci ad ecclesiasticum ordinem, aut ad causam quamcumque.

Et tandem in fine. Si quis, inquit, Regum, Sacerdotum, Iudicum, atque secularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire temptauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat: reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Hæc Gregorius.

Auctor. Consequenter quoque subiungitur alia priuilegiaris epistola Chalasiæ Abbatissæ penitùs sub eodem contextu verborum, & sub eodem patronatu, & intercessione, ibidem, Christi ancillis, &c. Alia quoque omnium maxima per beatum Gregorium ibi conceditur Abbatiæ sancti Medardi Suessionis, cui præerat Geraldus Abbas facta prius confirmatione veteris priuilegij à Papa Ioanne concessi tertio ante Gregorium;& tandem Gregorius to.2. Auctoritate ergo diuina vice beati Petri Apostolorum Principis, consensu omnium Romanorum Pontificum, & volontate totius Senatus Romani suadente nobis viro Apostolico Auserico Suessorum Vrbis Pontifice, & omnium fauente Galliæ Episcoporum iudicio, decernimus, vt nullus Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, fratres præfatæ Basilicæ de ordinatione sui Abbatis, vel Ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet, sed secundùm prerogatiuam ipsius loci nobis modò recitatam beatissimi prædecessoris nostri domini Ioannis Papæ tempore decretam, & Apostolica auctoritate firmatam, ordinationem sui Abbatis ipsi fratres peragant, & Ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant: consecrationis quoque fontis, & scrutinij mysteria, in ipso monasterio celebrent. Chrismatis quoque, olei, altaris, calicis, corporalis à quocumque voluerint Pontifice benedictionem expetant: ne tantus honor à quouis rectore vllius occasionis causa, vel necessitatis intermittatur, ne vilescat tantæ sublimitatis locus sanctæ Mariæ, & beati Petri, necnon Prothomartyris Stephani, & domini Medardi meritis sacratus: quem caput Monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusque ditioni patimur subesse: sed velut hæc Sedes Romana speculatione sua toti Orbi iudicia, & nouas consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret, Ita præfatus locus remota omni consuetudine pessima Regum, Antistitum, Iudicum, exemplum diuinæ religionis, & honestatis cæteris exhibeat Monasterijs, & super omnia plena gaudeat libertate. Cuius rectores, & filij, præsentes, & successuri tantùm sub regali custodia positi aduocatione sancti Petri, & Successorum eius, huius sanctæ Romanæ Sedis Pontificum auctoritatem proclament, & si necessitas incumbat, adeant.

Et infrà, De Altaribus quoque iuxta institutionem domini Papæ Ioannis Apostolica auctoritate confirmamus, vt qui fuerit Rector præfati Monasterij fiat præterea Altarium Præsul, & omnium Ecclesiarum ad se pertinentium.

Et sequitur. Subiungimus, & aliud edictum, vt si causa capitalis criminis Abbas est deponendus, non prius deponatur donec depositores Apostolicam auctoritatem requirant, & ibi sint tres Metropolitani, cum suffraganeis suis, & Abbates quàmplurimi. In ipso autem Concilio accusatores vnusquisque cum duodecim testibus præsentes assistant, & ita veri iudicij examine probent se vidisse, vt audiente Concilio obtestentur.

Ad vltimum verò ipse Abbas rationem suæ excusationis reddat, & iureiurando peracto, super sacrorum mysteria quatuor Euangeliorum satisfaciat. Tunc verò si conuictus fuerit correctione deponatur. Sin autem, suo honori reddatur, & Ecclesiasticæ dignitatis ministeria recipiat: & intra sacra Missarum solemnia benedictionem, & prædicationem iuxta instituta domini Papæ Ioannis peragat, & suæ conuersationis vitam melioribus exemplis deducat.

Tandem in conclusione finaliter subinfertur: Hæc ergo omnia quæ huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis priuilegio continentur, præfati Monasterij Rectoribus, & filijs præsentibus, & futuris, & omnibus Monasterijs ipsi loco subiectis, vel sociatis, sub anathemate seruanda constituimus. Si quis autem Regum, Antistitum, iudicum, vel quarumcumque secularium personarum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligen-

genda duxerit, vel fratres inquietauerit, vel turbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscunque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur: & vt Catholicæ fidei deprauator, vel sanctæ Ecclesiæ Dei destructor à consortio Christianitatis, & Corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate quibus infideles, & hæretici ab initio seculi, vsque in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini inferno inferiori damnetur, nisi per dignam pœnitentiam præfatorum Sanctorum sibi repropitiauerit clementiam: Fratrumque communem reconciliauerit concordiam.

Ego Gregorius sanctæ Romanæ Sedis Antistes, huic priuilegio subscripsi. Ætherius Arelatensis Archiepiscopus subscripsit. Sanctus Georgius Portuensis Episcopus. Sanctus Andreas Albanensis Episcopus. Sanctus Augustinus Canthuariorum Episcopus. Sanctus Anastasius Tiburtinensis Episcopus. Sanctus Sergius Prænestinensis Episcopus. Sanctus Petrus Amarinensis Episcopus. Sanctus Anellus Sutrinensis Episcopus. Sanctus Mellitus Londonensis Episcopus. Sanctus Ioannes Velitrinensis Episcopus. Sanctus Tyberius Syluæ Candidæ Episcopus. Sanctus Maurinianus Rauennensis Episcopus. Sanctus Veoantius Liniensis Episcopus. Sanctus Vitulinus Sipontinensis Episcopus. Sanctus Ioannes Syracusanorum Episcopus. Sanctus Sabinianus Tudertinorum Episcopus. Sanctus Eulogius Alexandriæ Episcopus. Sanctus Dominicus Carthaginensis Episcopus. Sanctus Fortunatus Neapolitanus Episcopus. Sanctus Ioannnes Surentinensis Episcopus. Sanctus Primenius Nucerensis Episcopus. Sanctus Felix Pottuensis Episcopus. Sanctus Gloriosius Ostiensis Episcopus. Sanctus Constantius Naruiensis Episcopus. Sanctus Constantinus Mediolanensis Episcopus. Sanctus Vitellius Burdegauensis Episcopus. Sanctus Vitalis Nefosensis Episcopus. Sanctus Bonifacius Placentinensis Episcopus. Sanctus Syagrius Augustudunensis Episcopus. Sanctus Flauius Remorum Archiepiscopus. Sanctus Ansericus Suessorum Episcopus. Sanctus Theodoricus Rex, Sancta Brunichildis Regina. Et ego Petrus Notarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis scripsi, & sigillaui, Datum, 7. Kal. Iunij, Anno ab incarnatione Domini, 593. ind. 11. Hæc in registro Gregorij libro vltimo, epistola vltima.

Auctor. Inter hæc omnia videant, quæ sunt in prædictis à beato Gregorio sub appellatione priuilegij elargita, & desinant oblatrare concessis, aut ipsi renunciene priuilegijs clericatus per quæ exempti sunt ab omni ordinario iudice curiæ secularis. Dicantque cui libebit. Tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor. Ruth. 4. & iudices adeant seculares passim vt laici, cùm tamen non possint seipsos nisi à Deo dicere constitutos in ordine potestatum, sicut sancti Episcopi in ordine Ecclesię ministrorum. Quare ergo non posset Papa ab huiusmodi iurisdictione fidelem eximere sicut hic Gregorius eximit ab vtroque? Quinimmò si originalis causa quæratur priuilegiorum religionis claustralis, non deerit qui quæstionem absoluat.

Dicens claustralem vitam non nisi sub quiete sancta proficere, quàm cum inferiores quidam clerici molestarunt sub negligente, vel conniuente Prælato, veta & prima mater RomanaEcclesia non negligit volens cum Christo congregare filios suos Matth. 23. quen admodum gallina congregat pullos suos sub alis. Vnde, & de hac re scribens. tom. 2.

Gregorius lib. 5. registri epist. 28. ad Marinianum Rauennatensem Episcopum. Miramur, inquit, cur sic in breui fraternitatis tuæ fuerit immutata discretio, vt ea quæ postulat non aduertat. Ex qua re dolemus, quia manifestum præbes indicium plus apud te verba malè suadentium valuisse, quàm diuinæ lectionis studium profecisse.

Cùmque monasteria te oporteat defendere, & religiosos illic summopere congregare, vt lucrum de animarum congregatione possis efficere, in eorum te ediuersò grauamina sicut literę tuę testantur, desideras exercere.

Et infrà. Præterea peruenit ad nos, quia monasteria, quæ sub fraternitate sunt constituta clericorum, importunitatibus, & diuersis eorum n olestijs prægrauentur. Quod ne de cætero fiat, destricta hoc interminatione compescere quatenus monachis illic degentibus liberè in Dei nostri laudibus liceat exultare. Hæc ille. Item, idem l. 6. registri, epist. 40.

Gregorius. Tom. 2. Dudùm ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennæ partibus constituta, omninò clericorum vestrorum dominio prægrauari; ità vt occasione quasi regiminis ea (quod dici graue est) velut in proprietate possideant.

Et infrà. Hortamur ergo, vt omni mora, omnique excusatione submota, ità monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare: quatenus nullam deinceps in eis clerici, vel ij qui in sacro sunt ordine constituti ob aliud habeant nisi orandi tantummodo causa accedendi licentiam, aut si fortè ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati mysteria. Hæc ille.

Et idem libro septimo epistola 33. ad Ioannem Schillitanum Episcopum. Grauè nimis, & contra sacerdotale constat esse propositum, velle cuiusquam monasterij priuilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ sunt pro quiete disposita niti deducere. Questi itàque nobis sunt monachi Castaliensis monasterij, quod in fraternitatis vestræ est ciuitate constitutum, quia eidem monasterio quædam contra, quæ prædecessoribus vestris permissa, atque consuetudine longa seruata sunt, festinetis inducere, & antiquam ordinationem quadam præiudicij nouitate turbare.

Proindè his fraternitatem vestram hortamur affatibus, vt si ità est, ab eius se mo-

moleſtia ſine aliqua excuſatione contineat, & quæ ei ſunt diutiùs cuſtodita, nulla occaſionis temptet vſurpatione conuellere, ſed cuncta illibatè,& ſine aliqua ſtudeat refragatione ſeruare, & plus ſibi in eodem monaſterio, quàm prædeceſſoribus ſuis licuit, nouerit non licere. Hæc Gregorius.

Auctor. Vbique vides quo ſpiritu, quaue neceſſitate commotus fuit ſanctus Præſul prædictis monachis prouidere.Iuſſit enim priùs Epiſcopo, vt quieti eorum opportunè ſuccurreret, vt non ſicut in populum clerici, & ſacerdotes curati licenter irruerent, quod quia neglexit Epiſcopus facere, ipſe ſuppleuit, & clericos omnes, & ſacerdotes à clauſtri ſubmonit cura, & exemit à iugo.

Neceſſe enim habent alijs principatibus, & legibus dirigi, quàm turbidum vulgus, qui ab omni Mundo ſuſpenſi, ſoli Deo cum omni mentis officio ſilenter, & ſine interpollatione deſeruiunt.

CAP. XLIV.

De obedientia Occidentalis Eccleſiæ ad Papam, & ſimiliter Orientalis.

SVMMA.

1 *Quàm ægrè ſemper tulerit Vvit. quòd totus Orbis ſummo Pontifici obediat: immò Latinæ Eccleſiæ filios, maniacos appellare non erubeſcit.*

2 *Vvit. in hac hereſi ſectator fuit Iuliani Pelagiani, contra quem Aug.*

3 *Syrophæniſſa illa Euangelica, pro filia Chriſtum rogans, quomodo matrem Eccleſiam ſignificauerit.*

4 *Quibus vijs Vvit. Occidentales ab obedientia Romani Pontif. auferre ſatagebat.*

5 *Victor Vrbis Romæ Pontifex, in teſtimonium ſuæ vniuerſalis præſidentiæ antiquitus habitæ, & præſertim Orientis, multos Græcos Epiſcopos excommunicauit.*

6 *Fabianus Papa mandat Epiſcopis Orientalibus, vt annuatim nouum Chriſma conficiant.*

7 *Conſtantinopolitanum Concilium Romanæ Eccleſiæ ſcribit, tamquam totius Orbis Capiti.*

OBedire oportet Deo magis, quàm hominibus, Act. 5. & indè maior virtute, & diuturnior tempore eſt obedientia præſtita Dei miniſtris ſub timore Dei, quàm Regnorum imperijs ſub timore ſeruilis edicti. Non eſt inexpertum quod dico, ſed cùm attenditur magnum mirum, vbi iam eſt obedientia Cæſari debita, quam tàm potenter olim exegit inter, & ſuper omnes Latinos, & Græcos, cui vix quarta pars obedit Europæ, Romanæ verò Eccleſiæ ex parte Dei ſine diminutione obedit omnis Orbis occiduus. Maior ergo terror animi, quàm gladij, maior mentis, quàm enſis, & eò longeuior quo diuinior ſacerdotalis coerctio, quàm regalis. At quantum credis hic ſermo complaceat noſtro Witclef, qui dicit tractatu
1 ſuo ſecundo de ſermone Domini in monte, capitulo trigeſimooctauo. Genus humanum profundatur in Europa ſpecialiter in iſta hæreſi nimis cæca, quòd oportet totam Eccleſiam duci per regimen Antichriſti? Hæc Witcleff, & eſt concluſio ſexta inter damnatas.

Auctor. Et propter iſtam deuotam obedientiam Latinæ Eccleſiæ, ſolet vocare Occidentalis Eccleſiæ fideles, Maniacos. Vnde de Chriſto, & Antichriſto, capit. 8.

Witclef. Eadem, inquit, eſt cauſa caſus ſecundi quare Græci nominetenus à fidelibus ſunt diuiſi, creditur tamen quòd noſtri occidui ſunt nimis maniaci. Diuiſi ſunt à Græcis fidelibus,& fide Domini Ieſu Chriſti. Hæc ille.

2 Auctor. Si primò debemus huius dicti ſcrutari pattonum, non Witcleff, ſed magiſter eius Iulianus priùs occurrit, acerrimus Pelagianorum defenſor, qui Maniacos vocauit omnes Epiſcopos, & fideles Occidentalis Eccleſiæ, pro eo quòd fugarant indè magiſtrum ſuum Pelagium, prout recitat, & obijcit illi libro primo contra eumdem Iulianum, capitulo 2. in princip.

Auguſt. tom. 7. Tu, inquit, qui tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defenſores, tam execrabili criminatione appetere audeas, ſi euigilas intuere.

Et tandem paulò poſt. Non eſt cur prouoces ad Orientis Antiſtites, quia & ipſi vtique Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis Orbis terrarum fides iſta vna eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt. Et te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Eccleſia. Quid ei quæris inferre quod in ea non inueniſti? Immò quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepiſti? Sequitur. O fili male ex Adam nate, ſed benè in Chriſto renate, ſacramenta quibus te peperit, tuæ matri conaris auferre.

Numquid Manichæa fuit, quando te hoc modo peperit? quomodo iam non vis vt pariat,& ingeris ei vanitatis opprobria, vt in ea cæteris claudas ex quibus ipſe natus es, viſcera pietatis? Hæc ille.

Auctor. Nollem, vt tranſiret intactum, quod ex tranuerſo hìc Auguſtinus inſinuat, Iulianum ſcilicet proteruum Epiſcopum,& hæreticum pertinacem, fuiſſe benè participem ſancti baptiſmatis. Fili, inquiens, male ex Adam nate, ſed bene in Chriſto renate.

Vnde propter malitiam ſuam actualem non debuit ſupponi filius eſſe Diaboli, & membrum præſcitum ſecundum doctrinam Witcleff. Sed iterum ponderet lector quomodo Iulianus appellauit omnes occiduos Manichæos, quos Witcleff docilis eius Diſcipulus primitiuo appellat vocabulo Maniacos, à mania enim, ideſt inſania Manichæi deriuatum eſt nomen. Dicente libro de hæreſibus capitulo quadra-

ge-

gesimosexto Augustino tom. 6.. Maniçhęi à quodam Persa extiterunt, qui vocabatur Manes : quamuis & ipsum cum eius insna doctrina cœpisset nomen prædicari, nam ante hac Vrbicus vocabatur. Sed in Gręcia Discipuli eius vitaures nomen insanię, quasi doctiores, & eo ipso mendaciores, geminata, N, litera, Manichæum quasi manna fundentem pro Manichæo, idest insano appellauerant. Hæc Augustinus.

Auctoe. Videris ergo qualiter intee se conueniunt Doctor, & Discipulus, quoeum duurum Doctor est benignior, regens verecundiam nominis sub insania deriuaea, quam aliter impudentsr reuelat in scandalo primitiui.

Sed nec mirum, quia & ipse verè erat maniacus, vt quidam Discipulorum eius hucusque superstites hæresum eius detestandam scaturiginem excusare conantur. Miserendum est, inquiunt, mania laborauit interdum.

Sed quis nos talem magistrum parimue exaudiri, cuius lucida interuella nusquam correxerint aberrantem proteruiam? Euigilate ergo fideles occidui, & cognoscite matrem vestram Romanam Ecclesiam, cui ingratos vos filios omnes hæretici maximè Wirtleuistæ nouelli facere moliuntur. Execramini Witcleff, qui maternum maledictum sæpè iteratum secum portauit è seculo.

Siqui autem ingrati estis, aut pee verba eius mori fuistis, nondum abiecit vos pia mater, immò pro vobis orat Deum, vt hoc dæmonium expellat, & vos reuocet ad salutem.

Ipsa est enim secundùm sanctum virum
5 rum Hieronymum illa Syrophœnissa, quæ rogabat Christum, vt eijceret à filia sua laborante dæmonium, Marc. 7. & Matth. 15. Super quem locum in commentario Marci Hieronym. tom. 9. Mulier, inquit, rogat pro filia sua, quæ est mater nostra Romana Ecclesia. Nata dæmoniaca, est barbarica Occidentalis natio, cuius fides fecit de eane ouem. Micas spiritualis intellectus, non panem fractum literæ cupit. Fidelis, prudens, & humilis meretur quod poscit. Hæc Hieronymus.

Auctor. Ecce iam vter horum magister syncerior, an Hieronymus dico, an Wircleff? Witcleff dicit Occidentalem plagam, quia sequebatur Romanam Ecclesiam, esse maniacam. Hieronymus dicit antequam sequeretur fuisse barbariem dæmoniacam, & prece matris suæ fuisse sanatam: simul & fidelem, cuius fides, inquit, fecit de cane ouem, & quia micas intellectus, non panem fractum literæ cupit, prudens, & fidelis Occidentalis dico natio nata matris suæ Romæ meretur habere, quod poscit, & eati est specialis huius maternitatis Romanæ Ecclesiæ, quia in Christo Iesu per Euangelium ipsa nos genuit, 1. Corinth. 4. Ipsa omnem hunc Orbem occiduum per se, aut Sacerdotes à se missos ad fidem conuertit, in fide aluit, & imbuit Sacramentis, dicente Innocentio Papa iam superstite Augustino in prœmio primi decreti,

Innocentius. Quis nesciat, aut non aduertat illud, quod à Principe Apostolorum Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superduci, aut introduci aliquid, quod anctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum: præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successorea constituerunt Sacerdotes? Aut legant si in prouincijs alijs Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse, quod si nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis assertionibus studene, caput institutionum videantue omittere. Hæc ille.

Auctor. Huic iam Vuitcleff respondeat, an doctrina sua sapuit pietatem, cùm docuit filiam matrem suam contemnere, Mundum Occidentalem Romanam Ecclesiam spernere. Et quidem quamuis Occidentalis natio sit specialis filia Romanæ Ecclesiæ, quia per ipsam est tota ad fidem educta, non tamen ipsa præcisè est filia eius, quia ab antiquo Ecclesiæ Orientalis, tàm Gręcarum, quàm Hierosolymitanarum partium Præsules diù ante Cæsarem fuerunt Romano Antistiti prone obnoxij, non tàm monitis, quàm censuris. Quod vt mihi videtur Vuitcleff non sapuit, cùm diceret in supplemento Trialogi, cap. 9. loquens de fratribus.

Vuircleff. Qui, inquit, in vitimo Con-
4 cilio terræmotus illudebant Episcopi Christum Dominum nostrum cum membris suis triumphantis Ecclesiæ tanquam hæreticum condemnando. Sequiene. Recoluerunt ex timore patris sui de Romano Romano Pontifice condemnando vt hæresim, quòd viuendum est post istum Vrbanum non more Græcorum, non sic Romano Pontifici parendo: quia, vt inquiunt, hoc manifestè destrueret Ecclesiam sanctam Dei.

Constat quidem ex Chronicis, quòd Græcia à tempore conuersionis suæ per Paulum Apostolum seruauit nobis longè perfectiùs legem Christi, vnde Martyres, & sancti Doctores de Græcia multum superarunt milites nostros occiduos. Ideò videtur, quòd nos Occidentales Maniaci, moueremur Græcos quò ad Romanum Episcopum imitari. Hæc Vuitcleff.

Auctor. Vel iste processus est minùs sensatus, vel destruere conatur sententiam fratrum in Concilio illo Episcoporum Londinensi de non deserendo obedientiam Romani Pontificis, sicut Græci fecerunt, ne destruatur Ecclesia sancta Dei. At ipse allegans Græciæ fidem à tempore Conuersionis eius per Paulum, dicit illos imitandos ab Occidentalibus Maniacis, vt potiores in lege Christi. Sed ex hoc videtur, quòd non omnia vidit iste.

Nàm qualiter ista diceret, si vidisset
5 quomodò Victor Romanus Papa Decimustertius

tertius

tertius à beato Petro, & Decimusoctauus ante Siluestrum, excommunicauit tot egregios Præsules Asiæ pro eo, quòd contra votum edicti publici, non semper in Dominica die celebrabant Pascha: de qua re in Ecclesiastica historia lib. 5. cap. 24.

Eusebius. Victor Romanæ Ecclesiæ Episcopus, pertinacius agens, passim totius Asiæ, ac vicinarum prouinciarum Ecclesias à communionis societate abscindere nititur, tanquam in hæresim declinantes: & literas mittit, quibus omnes simul absque discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret. Hæc ille.

Auctor. Ecce quòd antiquus Præsul Victor tantam turbam Episcoporum Orientalium, & Ecclesiarum Ecclesiastica censura potuit innodare, nec reprehendebatur ab aliquo fecisse, quòd non potuit, sed quod non debuit, vel quod pati Ecclesiæ non congruebat.

Vnde subdit ibi statim Eusebius. Hoc non placebat omnibus Episcopis, quinpotiùs ècontrario scribentes ei, iubebant vt magis, quæ pacis sunt ageret, & concordiæ, ac vnanimitati studere. Denique extant ipsorum literæ quibus asperius obiurgabant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem.

Nàm, & Hirenæus cum cœteris, cum quibus erat Gallorum Episcopis, scribens confirmat quidem, vt in Dominica die Resurrectionis Domini mysterium celebretur, Victorem tamen arguit, quòd non rectè fecerit abscindendo à corpore vnitatis, tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent. Hæc Eusebius.

Auctor. Hirenæus quidem iste non longè ab Apostolorum temporibus, Discipulis fuit Polycarpi, Discipuli sancti Ioannis, & ab eo instituti super omnes Ecclesias Asiæ: & irà videri potest, quòd non recens est hæc obedientia Papæ in Asiæ partibus Orientalis Ecclesiæ. Huius etiam facti Hirenæi recolit lib. de illustribus viris, cap.35.

Hieronymus tom.3. Feruntur, inquit, & aliæ eius ad Victorem Episcopum Romanum de conclusione Paschæ epistolæ, in quibus eum commonet, non facilè debere vnitatem collegij scindere. Siquidem Victor multos, & Orientis, & Asiæ Episcopos, qui 14. Luna cum Iudæis celebrabant Pascha damnandos crediderat.

In qua sententia, etiam ij, qui discrepabant ab illis Victori non debere manus. Floruit sub Commodo Principe. Hæc Hieronymus.

Auctor. Ecce, quòd nec Latinus Hieronymus, nec Eusebius Græcus contradixerunt Pontificis potestati, sed non consenserunt atrocitati vindicis Præsulis. Victor, inquit, non debere manus, idest, non præstitere fauorem.

6 Item Fabianus Papa Decimusnonus à beato Petro ante Siluestrum Duodecimum, mandatum suum decreuit omnibus Episcopis Orientalibus de noui chrismatis consecratione annuali in decreto suo 2. c. vnico. Fabianus, inquit, Episcopus Vrbis Romæ, omnibus Orientalibus Episcopis, & cunctis fidelibus, salutem. Sequitur. Cura est nostræ sollicitudinis adhibenda, vt ea quæ sunt ab Apostolis, eorumque successoribus ordinata, & instigante sancto Spiritu instituta, nec dissimulatio negligere, nec aliqua præsumptio valeat perturbare.

Literis verò vestris inter cœtera insertum inuenimus quosdam regionis vestræ, à vestro, nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini chrisma conficere, sed duos, aut tres annos confectionem sancti chrismatis semel actam seruare. Et sequitur infrà.

Ista à sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, & Ephesiorum tenet Ecclesia.

In quibus Apostoli residentes hæc docuerunt, & vetus chrisma incendi, & non ampliùs, quàm vno anno permiserunt vti, atque deinceps nouo frui, & non veteri iubentes docuerunt. Si quis ergo his obuiare tentauerit, omnem sibi per nos, & per omnes rectè intelligentes, indulgentiæ aditum intelligat obseratum. Hæc ille.

Auctor. Et habetur in antiquario Ecclesiæ Christi, decreti dicto Pontificum: Cornelius Papa successor eius misit epistolas continentes anathema ad Fabium Antiochensem Episcopum; vt refert idem Hieronymus de illustribus viris, cap. sexagesimo.

Hieronymus. Cornelius, inquit, Romanæ Vrbis Episcopus, ad quem octo sunt Cypriani epistolæ, scribit epistolam ad Fabium Antiochensis Episcopum de Synodo Romæ, & Italiæ, & Africæ: & aliam de Nouatio, & ijs qui lapsi sunt.

Tertiam, de gestis Synodi.

Quartam ad eundem Fabium valdè prolixam: & Nouatianæ hæreseos causas, & anathema continentem. Hæc ille.

Auctor. Nec desijt ista potestas, à tàm antiquo Romano Pontifice, vsque ad tarda tempora.

Nàm & Gregorij Magni ibi fulsit auctoritas. Sicut ex sexto libro Registri tom.2. patet in epistola ad Ioannem Constantinopolitanum super inquisitione facta hæreticæ prauitatis contra Ioannem Chalcedonensem Episcopum.

Et passim alibi: immò diù post, in tempore Theodori Papæ, qui & ipse Græcus erat, de quo refert Beda de temporibus, de Heracloua 4. dist. 93. Pyrrhus, inquit, his temporibus, idest sub Theodoro Papa Romam veniens ex Africa, ficta, vt post apparuit, pœnitentia, obtulit eidem Papæ præsente cuncto clero, & populo libellum cum sua subscriptione, in quo condemnarentur omnia, quæ à se, vel à prædecessoribus suis scripta, vel acta sunt aduersùs Catholicam fidem. Vnde & benignè susceptus est ab eo quasi Regiæ Pontifex Ciuitatis: sed quia reuersus domum, repetijt & errorem domesticum, memoratus Papa Theodorus aduocatis cunctis Sacerdoti-

bus, & clero, in Ecclesiam beati Principis Apostolorum Petri, condemnauit eum sub vinculo anathematis. Hæc ille.

Et consequenter capitulo subsequente secundo. Martinus Papa congregata Romę Synndo centum, & quinque Episenporum, damnauir sub anathemate præsatos Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum hæreticos. Hæc Beda.

Auctor. Et ibi scribitur, quòd ille Cytus Alexandriæ, Sergius, & Pyrrhus Regiæ Vrbis erant Episcopi. Quid igitur docet nos Vuitcleff imitari Græcos in repellendo obedientiam Romani Antistitis, qui vsque ad tàm recentiora tempora Romanæ Ecclesiæ sunt subiecti: & quia à tempore conuersionis sancti Pauli ducit historiam à temporibus illis non continget illum supputare contrarium.

7 Audi insuper quid magnum Concilium Episcoporum Græcorum Constantinopoli congregatum sancto Damaso Papæ & cæteris Episcopis conuenientibus Romę conscripsit referente Cassiodoro in nono libro historiæ tripartitæ capitulo decimoquarto.

Theodoretus. Verùm, inquit, literas direxerunt Damaso cæterisque præsulibus, quas pro clariori noritia subdere necessarium iudicaui. Dominis honorabilibus, atque venerandis fratribus, & comministris Damaso, Ambrosio, Brutonio, Valeriano, Aecolio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis in maxima Roma collectis, sancta Synodus Orthodoxorum Episcoporum congregatorum in maxima ciuitate Constantinopoli, in Domino salutem.

Et benè infrà. Quia supernam circa nos charitatem ministrantes, Synodum in Romana Vrbe Dei voluntate fecistis, & nos illuc tamquam membra propria, literis Deo amabilis Principis euocastis, vt quoniam tunc ad tribulationes soli sumus addicti, nunc sub Imperatorum pia concordia non sine nobis regnaretis, sed etiam nos vobiscum secundùm Apostolicam vocem conregnaremus, oratio quidem vestra fuit, si esset possibile, vt omnes nostras simul relinquentes Ecclesias desiderio vtili iungeremur. Hæc ille.

Auctor. Ecce, quòd non dedignabantur se cum suis Ecclesijs membra propria scribere Romanæ Ecclesiæ.

CAP. XLV.

Quod obedientia Orbis debetur simpliciter, & vniuersaliter Romano Pontifici: nec obstant schismatica interualla.

SVMMA.

1 *Quæ fuerit hæretici opinio circà obedientiam Papæ præstandam.*

2 *Quòd Vuitcleff etiam in hoc Pelagianam doctrinam imitatus est.*

3 *Quàm impiè suspicatus fuerit Vuitcleff. asserens Romanum Pontificem fuisse in causa, vt Græci è Latinis fidelibus diuiderentur.*

4 *Quomodò ipsamet Græca Ecclesia ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ redire procurauit.*

5 *Non paucis Summorum Pontificum testimonijs nititur declarare iurisdictionem Papæ antiquam fuisse, super Ecclesias Græcas, ac super vniuersum Orbem.*

NEc apponat antiquis armatorum illius, tàm proteruo magistro defensationis vmbonem pro eo, quòd ità dixit se velle obedientiam nostram, quò ad Papam esse rationabilem, quòd obediatur ipsi tanquam Domino Iesu Christo, & Vicario eius sancto Petro: quia hoc exponens de sermone Domini in monte tractatu secundo cap. 51.

Vuitcleff. Obediendum est, inquit,
1 Papæ, & cuicunque Prælato Cæsario præcisè de quanto ipse fidem Christi docuerit, & virtutes: & declarans se subdit: Ideò de tanto obedire debet Catholicus etiam diabolo incarnato. Hæc Vuitcleff.

Auctor. Ecce Papalem obedientiam quantum promouet. Simulat dico vobis, quicquid dixerit ad fauorem Ecclesiæ, & sub maliguandi fuco palliat omne verbum: Aut cur aliter totiens insultando renouaret rumores illos luctuosos omnibus Christianis de scissura longæua Summi Pontificatus Romani, inter Romanum Vrbanum Sextum, & Auionensem Clementem, in Trialogo, in supplemento eius? In Dialogo, in de Antichristo, in sermonibus, in locis infinitis maximè iactans vindictam fuisse, toti Ecclesię à Deo inflictam propter potestatem, & obedientiam, quam ipse vocat Cæsaream à Papali Sede præsumptam: & de schismate eligendi loquens, in supplemento Trialogi capitulo decimo.

Vuitcleff. Ex turbatione, inquit, armatorum Romæ, non voluerunt eligere illum in Papam quem Cardinales decreuerant eligendum: & ideò eligendo Vrbanum quem æmuli vocarunt pseudo-Papam, vocarunt ad tempus: & cito post. Deus, inquit, non sinens Apostema in Ecclesia sua ampliùs perdurare soluebat istam putredinem in nido isto diabolico congregatam, sed diuisit in duo capita, vt melius pateat sanies, & virulentia Antichristi. Hęc Vuitcleff; intelligens in Antichristo Papam, vt infrà patebit.

Auct. Et inter conclusiones damnatas conclusione 26.

Vvit. Ex dissensione Pontificum de Papatu, magnum bonum prouenit: quia iam visa debilitate Antichristi, confortantur fideles publicare multas sententias Euangelicas &c.

2 Auct. Adhuc ergo remittendus est iste congaudens super iniquitate (qualiter charitas numquam facit 1. Cor. 13.) ad magistrum suum illum Eclanensem Iulianum, qui propter damnationis sententiam à Romana Sede delatam in præceptorem suum Pelagium, insultabat Augustino, dictitans

tunc

tunc temporis schisma Romanorum Pontificum inflictum pro vindicta, vt recitat lib. 6. contrà Iulianum cap. 4. ipse Augustinus tom. 7. Memento, inquit, sanè quemadmodum de constituendo Episcopo dissensionem populi Romani insultabundus obiectas, Quod abs te quæro, Vtrùm homines sua fecerint voluntate. Quod si negas, quomodo liberum defendis arbitrium? Si autem fateris, quomodo eam vocas vltionem Dei, atque à nostro dogmate exorbitas, dum putari diuinitùs vindicatus affectas? Sequitur. Hoc enim nisi in ista rua sapientia sapuisses, nullo modo factum hominum, vltionem Dei esse dixisses, sed quando antè annos plurimos tale ibi quiddam de B. Damaso, & Vrsino contigit, nondùm Pelagianos Ecclesia Romana damnauerat. Hæc Augustinus.

Auct. Et ego iuxtà istas rationes Augustini, interrogo etiam à te, sicut ipse à Iuliano petijt. Vtrùm Cardinales hanc electionem fecerunt sua mera voluntate? Quod si neges, quomodo defendis liberum arbitrium? Si hoc sua voluntate fecerunt, quomodo tu dicis Deum istud fecisse sua propria voluntate diuidens in duo capita, vt meliùs pateret sanies Antichristi, & quasi sit vltio Dei soluentis istam putredinem putari te diuinitùs vindicatum affectas. Et tertio loco te commoneo, ex consimili facto, quod contigit inter Vrsinum, & Damasum contendentes, quando necdum Pelagianum scisma confectum erat: & à potiori, nec tuum dogma. An tuam sectam tanti putas apud Deum esse momenti, vt propter eam plantandam, necesse habeat Deus scindere totum mundum? Nec in altero illotum Damaso putes Antichristi saniem patuisse, qui tam salubritèr sanctus erat.

De ipso enim scribit in historia tripartita lib. 9. cap. 2. Cassiodorus. Is enim Damasus Romanæ Vrbis Episcopus laude dignus, vir mirabilis semper, virtutibus ornatus, vt qui diceret, faceret pro Apostolicis dogmatibus cuncta, festinus post Liberium gubernacula suscepit Ecclesiæ. Hæc ille.

Auct. Sed nec in Bonifacio, qui vt reor is erat, quem iste Ecclauensis deprauat, contrà quem schismatizauit Eulalius secundùm Hieronymum, de gestis Romanorum Pontificum, ex Damaso. Aut si per censuras malignantium occasionem sumis aduersùs Antistites sacros, damnes Ambrosium, contrà quem Ecclesiam scidit Auxentius Arianus. Damnes S. Alexandrum, contrà quem Arius. Damnes Athanasium, contrà quem & Petrum, Lucius Alexandrinam rapuerunt Ecclesiam. Damnes magnum Nazianzenum Gregorium. Damnes Chrysostomum, & Sanctos innumeros, qui omnes scissores pro captu temporis cum ingenti gemitu tolerabant: sed tamen iustè ipse scissoribus Ecclesias non dederunt.

Ambrosius enim in tom. 3. contra scissorem suum Auxentium 5. lib. epist. 32. & est oratio in Auxentium. Tu Domine, inquit, vno momento mundum redemisti. Auxentius vno momento tot populos, quod in ipso est, trucidabat; alios gladio, alios sacrilegio. Meam basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Et infrà. 3. Reg. 21. Naboth vites suas, vel proprio cruore defendit: sed ille vineam non tradidit suam: nos trademus Ecclesiam Christi? Quid ergo responsum est à me contumacitèr? Dixi enim conuentui. Absit à me, vt tradam Christi hæreditatem. Si ille Patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi, absit vt tradam hæreditatem Patrum, hoc est hæreditatem Dionysij, qui in exilio in causa fidei defunctus est. Hæreditatem Extorgi confessoris, hæreditatem Myroclis, atque omnium retrò Episcoporum fidelium. Respondi ego quod sacerdotis est, quod Imperatoris est faciat Imperator. Priùs est vt animam mihi, quàm fidem auferat. hæc Ambrosius.

Auct. Quid putas mi Vvitcleff, quòd superbia, vel cupiditas vtrorumque istorum pastorum erat in causa huius schismatis, & quòd facer, & mentalis martyr Ambrosius cupiditate, vel proteruitate deuictus nolebat reddere Ecclesiam funesto Auxentio? Ambrosius non ibi fixit causam suam. Sed si Naboth noluit tradere hæreditatem Patrum suorum tyranno, nec ipse hæreditatem Christi, & Patrum suorum Antisti-
3 tum sacrilego Ariano. Pessimè ergo ista suspicaris de Romanis Pontificibus, quòd ipsorum superbia, & cupiditas præessendi, est causa quare Græci à Latinis fidelibus sunt diuisi, in libello de Christo, & Antichristo, 8. capite. Dico tibi hæreditas erat Romanorum Pontificum Græca Ecclesia ab Apostolicis institutis: ideò ipsi se volebant tradere: sed iam quod tu videre non
4 merueras (Deo concedente) ipsi per se procurant introitum, qui cum Iuda male liberi per se ipsos exibant foras, & petebant egressum, quod ipsorum factum vt mihi videtur arguit ex parte Romani Præsulis originalem iustitiam. Ecce aqua, vel ferrum calefactum per se ad originale, & primitiuum frigus reuertitur, & hoc signum, quòd contrà naturæ modum priùs efferbuit sub calore: & arborum ramus cùm reuertitur, ostendit qua violentia tenebatur: vt dicit Gregorius Nazianzenus lib. 7. de reconciliatione monachorum.

Gregorius Nazianzenus. Intantùm nos afflixisti Domine, inquantum sufficeret bonum pacis per dissidij intelligere differentiam, & per odiorum nimietatem, docuisti nos charitatis bonum. O incredibilem atque inæstimabilem medicinam: dolorem inflixisti, vt boni esse: sanitas nosceremus. Vt aduersis curarentur aduersa, disc issi sumus, & iterùm coniuncti sumus: quantò diffusiùs segregati sumus, tantò ardentiùs, & instructiùs adunamur: velut si quis arborum ramum in aliam partem vi detorqueat, & inflectat: cùm fortè remiserit in id quod fuerat ad matris pectus recurrit, & naturæ prioris obtinet locum, atque ostendit, quòd violenter quidem declinatus fuerit, non tamen redierit violentèr. hæc Gregorius.

Auctor. Ita ergo credit, quòd Græcorum Ecclesia diù frandata sponso suo legitimo, & mærens sub adultero tanquam violentiam passa, per seipsam iter repetit ad maritum, ac pius Præsul assumens verbum Domini ad tropologiam suam alacrirer respondet illud Propheticum Hieremiæ 3. Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquam reuertetur ad eam vltrà? Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus Papa, & ego suscipiam te.

Super hac re scribens Euaristus Papa decreto suo secundo Episcopis Ægypti, vt pateat iurisdictio Papæ originalis super partes Græciæ cùm ipse fuerit quintus à Petro. Euaristus, inquit, Vrbis Romæ Episcopus omnibus per Ægyptum Domino conglutinatis fratribus in Domino salutem. Et infrà. Sicut vir non debet adulterare vxorem suam: ita nec Episcopus Ecclesiam suam, idest, vt illam dimittat ad quam sacratus est absque inenitabili necessitate, aut Apostolica, vel regulari mutatione, vt alteri se ambitus causa coniungat. Et sicut vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri se viuente eo matrimonio societ, aut eum adulteret licèt fornicatus sit vir eius, sed iuxtà Apostolum 1. Cor. 7. aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta: ita Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum. Hæc ille.

Auct. Scribens ergo Euaristus Ægyptijs decretalem suam epistolam, planè ostendit ibi populum obedisse, & esse Græcam Ecclesiam sponsam suam.

Alexander verò Papa sextus à B. Petro secundùm Hieronymum, dicit, sibi curam esse sine exceptione omnium Ecclesiarum. Alexander, inquit, Episcopus omnibus Orthodoxis per vniuersas prouincias Christo Domino famulantibus. Sequitur. Cui omnium Ecclesiarum cura commissa est: si dissimulem, audiam à Domino dicente, Matth. 15. Reiecistis mandatum Dei, vt statuatis traditiones vestras. Et infrà. Relatum est insuper ad huius Sanctæ, & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispensationes causarum, & omnia negocia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso quoque dicente Principi Apostolorum Petro, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quòd quidam æmuli, eiusque Ecclesiæ sanctæ insidiatores, sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumunt. Hæc ille.

Auct. Ecce Alexander mittit suum edictum ad vniuersas mundi prouincias famulantibus Orthodoxis, & dicit summarum dispensationes causarum suæ Ecclesiæ quasi capiti à Domino esse directas cùm diceret Petro, Tu es Petrus. Hoc idem sensit Anacletus successor Clementis, decreto suo primo, cap. 4.

Anacletus. Si difficiliores, inquit, ortę fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores fuerint causæ, ad Sedem Apostolicam si appellata fuerint, referantur: quoniam hoc Apostoli statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad Sedem deferantur Apostolicam: super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam: dicente ipso ad beatum principem Apostolorum Petrum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc ille.

Auct. Victor quoque Papa de quo suprà 13. à Petro mittens decretalem suam epistolam Theophilo Alexandrino primati, & alijs congregatis ibidem. Victor, inquit, vniuersalis Ecclesiæ Romanæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo, & cunctis fratribus Alexandriæ Domino famulantibus, salutem in Domino. Et subdit ibi cap. 3. Ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est sedem, quæ præter nostram vobis non licet definire auctoritatem, idest Episcoporum causas. Vndè ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit vt accusatus, vel iudicatus à Comprouincialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet, & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos, negocium eius pertractare procuret. Quamquam à Prouincialibus Episcopis accusati, causam scrutari licebit, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum Beato Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino, Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Alibi legitur in statutis Apostolicis. Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari: apud Patriarcham, vel Primatem diœceseos, aut penès vniuersalis Ecclesiæ Apostolicę iudicetur sedem. Hæc ille.

Auct. Videtis passim qualitèr isti senes sine præsumptionis spiritu mandata sua, & monita seruari iubebant per omnes Christi prouincias, & nominatim in Græcia auctoritatem suam semper figentes in Christo, & Apostolorum statutis.

Eusebius Papa præcessor Melchiadis, immediatì Siluestro, decretum suum inchoauit hoc modo Grecis catholicis dirigendum. Eusebius Romanę, & Apostolicę Sedis Ecclesię Episcopus, dilectissimis, & in Christi charitate vnanimitatis glutino connexis fratribus per Alexandriam, & Ægyptum Domino militantibus, & rectam fidem tenentibus, in Domino salutem. Oues quę pastori suo commisse fuerint, eum nec reprehendere nisi à fide deuiauerit, debent. Hęc ille.

Auct. Hęc, & similia multa in libro veteri decretorum Pontificum suis scribuntur in locis, quę omnia declarant à primitiuis Ecclesię, Ecclesias Grecorum Romano obedisse Pontifici: & quòd intereà per deobedientiam iniustam ceruicem erexerint, suffragari non poterit sic erectis.

Ideò pręclarus doctor Hugo notans auctoritatem Papę extensiuè, quo ad Orbem, & quo ad originem lib. 2. de sacramentis, parte 3. cap. 5. Hic est, inquit, principalis, & maximus Sedis Apostolicę in Ecclesia Ro-

Romana successor. Vndè & ipsum specialitèr Apostolicum Sancta Ecclesia nominare consueuit. Cui vice Petri principis Apostolorum presidenti, omnis Ecclesiasticus ordo obtemperare debet: qui solus prerogatiua dignitatis claues habet ligandi omnia, & soluendi super terram. Hec ille.

Auct. Nota Papam presidere vice Petri, & idcircò omnis ipsi Ecclesiasticus ordo obtemperat; & nota prerogatiuam dignitatis eius, qua solus ligandi, & soluendi, idest in plenitudine claues habet.

CAPVT XLVI.

Qualitèr Vvitclenista cum alijs hæreticis impudentèr deobediunt monitis Romani Pontificis, ne iudicet in causa hæretica prauitatis.

S V M M A.

1 *Summus Pontifex Romanus non potest alios de hæretica prauitate conuincere, dicebat Vviteleff,*

2 *Refellitur, prosterniturque impia hæc positio, vndèque exordium sumpserit, declaratur.*

3 *Iudas quomodò aliquando fuit Christi Apostolus, etiam merito.*

4 *Truncus præscientiæ diuinæ non est arbor boni vel mali fructus, meriti, vel demeriti, sed præsens habitus charitatis.*

5 *Vvitcleff hanc hæresim etiam à Maximianistis accepit.*

6 *Pelagiani eodem malo spiritu ducti, Zozimum Summum Pontificem arguere ausi fuerunt, eo quòd contrà Cælestium Patronum suum sententiam tulit.*

7 *Tanta est hæreticorum cæcitas, ac perfidia, vt non modò Clericalem damnent potestatem, verùm etiam & sæcularem.*

8 *Quòd nec ipsi Deo cadere volunt hæretici, vt suam tueantur hæresim.*

CVm ad Papalis auctoritatis stamus insignia, ratione cuius vniuersæ subseruit Ecclesiæ: ministerium quod debet fidei, ingentis est ponderis: cuius est maximè interdùm conuerti, Luc. 22. & confirmare fratres suos: Psal. 50. confirmare puta docendo in spiritu principali, & iterùm confirmare cædendo, quemadmodùm in persona Ecclesiæ Iudith 13. Confirma me Domine, inquit, Deus Israel in hac hora præscindens ictu biuo, idest, ictu bini iuris, diuini scilicèt, & humani caput Holofernis iniqui, idest cuiusuis principantis errabundo collegio. Luc. 22. Infirmare enim perfidiam, magnam confert fidei firmitatem, maximè in successore Petri cuius est percutere in gladio Cant. 8. si tamen cum Petri clauibus zelum Petri susceperit: tunc enim fortis erit, vt mors dilectio eius: dura sicut infernus æmulatio legis Dei. At cui attinet si non illi in hæretica prauitate discernere, reos conuincere, damnare conuictos, publicare damnatos, à catholicorum finibus exterminare proteruos, & finetenùs proscribere pertinaces? Contrà hanc autem auctoritatis illius speciem furiens Witcleff, insurgit, & imponit Papæ generalem mendam in moribus, vt cœtus Paparum cum suo clero ad conuincendum de hæresi reddatur inualidus: in dialogo suo de speculo militantis Ecclesiæ, cap. 3.

1 Witclef. Si, inquit, illi sunt maledicti, qui declinant à mandatis Domini Psal. 118. manifestum videtur quòd clerus, qui tàm pertinacitèr in temporali omninò obuiat legi Dei, est hæreticus maledictus. Sequitur. Et ex illo conuincunt vlteriùs, cùm talis apud Deum sit indispositus ad conuincendum alios super hæretica prauitate: iuxtà illud Ioannis 8. Qui sine peccato est vestrum &c. Curia Romana est nimis indisposita ad conuincendum alios super hæretica prauitate: istud tamen præsumit temerè, quia est ad sensum mysticum castellum, quod est contrà Christi Apostolos, Matth. 21. hæc Witcleff. Et est conclusionum ter damnatarum 141.

2 Auctor. Ab inueteratis hæreticis suxit Vvitcleff hoc resultandi consilium: quidam erant antiquitùs, qui dicerent nullis obediendum nisi bonis Prælatis, nec sacramenta suscipienda esse, nec decreta valere, recitantes pro se, quod ait populus Iosue primo. Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse: quasi dicerent si non ita fuerit Dominus tecum, nec obedire proponimus.

Vndè Stephanus Cantuariensis in expositione sua super hunc locum. Hic, inquit, arctantur quidam, dicentes malis Prælatis non esse obediendum, quasi dicerent, nisi Dominus sit tecum, non obediemus tibi. Sed nihil dicunt, quia quòd malis sit obediendum quantum ad ea, quæ spectant ad cathedram, probatur per hoc, quod Dominus dicit in Euangelio Matth. 23. Quæcumque dicunt vobis seruate, & facite: hæc ille.

Et numquid dicit Hieron. Episcopus, Presbyter, & Diaconus non meritorum sunt nomina, sed officiorum? Nec dicitur si quis Episcopatum desiderat bonum gradum, sed bonum opus desiderat: quòd in maiori ordine constitutus possit si velit occasionem exercendarum habere virtutum. Hæc ille.

Auct. Hoc modo tamen Vvaldenses se vallabant inaniter contra Clerum: contra quos homil. 66. super Cantica, Bernardus. Iam, inquit, qui Ecclesiam non agnoscunt non est mirum si Ecclesiæ ordinibus detrahunt: si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt: peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Presbyteri: ac per hoc, nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis. Numquam ista duo conueniunt Episcopum esse, & peccatorem. Falsum est. Ioan. 11. Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictauit sententiam? Si negas Episcopum, arguet te testimonium Ioannis,

qui

qui in testimoniũ illius Pontificatus etiam prophetasse refert, Apostolus erat Iudas, & licet auarus, & sceleratus electus à Domino. Io.6. An tu de illius dubitas Apostolatu, quem Deus elegit? Nonne vos, inquit, duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Matt.23. Audis electum eundem Apostolorum, & extitisse diabolum, & negas posse esse Episcopum, qui peccator est, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt. Et ideò ipso Domino præcipiente, & dicente, quæ dicunt facite, patet quamuis sint scribæ, quamuis pharisæi, quamuis maximi peccatores, propter cathedram tamen Moysi ad eos quoque nihilominùs pertinere. Quod item dixit, Luc. 10. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit: hæc ille.

Auct. In multis iam tetigit Bernardus nostrum Vvitcleff, in consocijs eius hæresis, tetigit, qui prælatos contempserant, quos ipsi reos mortis iudicabant. Tetigit cùm diceret Caipham Episcopum, & Iudam Apostolum contra hoc quod Vvitclef prædixit ex præscientia certa Dei fuisse diabolos: & per hoc nec membra Ecclesiæ, nec Episcopos. Et de Iuda dicit planè, quòd nunquam ambulauit cum Christo, vt Apostolus eius, sed vt solet dicere sola reputatione Apostolus.

Bernardus verò arguit eum ex electione Apostolum. An de illius, inquit, dubitas Apostolatu quem Deus elegit? Et hic ergò falsarus est Vvitcleff, cum dixit Iudam non diuinitus, sed solùm humanitus electum à Domino, de Ecclesia, & membris cap. 12. cùm Bernardus dicat, quem Deus elegit. Sed si non verus erat Apostolatus eius, sed reputatus, & fictus: ergo nec diuina electio vera fuit, sed reputata, vel ficta. Nec tecum dixit Augustinus, cùm ait Iudam vnum de. 12. numero, non merito, Nec hoc est dicere Iudam, vnum de. 12. reputatione non veritate, imò contra te agit, quòd sine Apostolico merito in Apostolorum numero computatur. Tunc dico cum
3 traditurus esset magistrum, sed cum eligeretur à magistro, non sine merito fuit, vt ait lib. 2. contra Iouinianum, post medium.

Hieronymus tom. 2. Quanto, inquit, maioris meriti fuit Iudas, tantò maioris, & criminis est: Sap. 6. & quantò maioris criminis, tantò maioris, & pœnæ: potentes enim potenter tormenta patiuntur, Matth.7. Arbor mala fructus bonos non facit, nec bona malos. Si hoc ita est, responde mihi, Quomodo Paulus cùm esset arbor mala, persequens Ecclesiam Christi, posteà fecit fructus bonos? Et Iudas cùm esset arbor bona, signa faciens cum Apostolis, posteà versus in proditorem fecerit fructus malos? Tandiù ergo, nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quandiù, vel in bonitate sua, vel in malitia perseuerat: hæc ille.

6 Auct. Ecce Iudas fuit arbor bona ante peccatum, qui quandiù perseueraret non posset facere fructus malos, & tunc illa eius bonitas fuit secundùm præsentem iustitiam talis.

4 Non est ergo truncus præscientiæ diuinæ arbor boni fructus, vel mali: meriti, vel demeriti, sed præbens habitus charitatis: fuit ergo Iudas tunc verus Christi Apostolus. Et Caiphas si non verus Episcopus, nec veram edidit prophetiam: qua vi rogo, qua necessitate sequeretur fictum Pontificem prophetia, non fallax, nec ficta, ratione Pontificij? At Scriptura sic dicit, Cùm Pontifex anni illius. Io. 11. Verus ergo Apostolus Iudas, & verus Episcopus Caiphas, neuter verus veritate vitæ, vterque verus veritate cathedræ. Auctoritate, non bonitate: officio, sed non merito.

Iterùm adhuc audiatur Bernardus, dicens omni Christi sententia iudicari rebelles, qui Scribis, & Pharisæis obedire contempserunt, & eis incumbere ratione cathedræ quam sederunt: quod Christus alibi dixit, Lucæ 10. Qui vos spernit me spernit, quamuis sceleſtissimi peccatores, inquit, Qua fronte ergo Papam indispositum arguis ad iudicandum de hæresi, & eum præsumere dicis, quamuis probaueris peccatorem? An non tibi videris Christum spernere, qui spernis Episcopum in Cathedra Christi sedentem? Vide si hoc fecerit olim Christus, qui cùm liberatus erat adulteram, priùs in aliquis eam damnauir interrogat. Io.8. At illa dicente, Nemo Domine, subiunxit, nec ego te condemnabo: cauens ne ipse solueret quam iudices ligasseut: & iudicum legis euacuaret sententiam: & tu primum iudicem dicis indispositum? Quid est hoc nisi resilire à iudice, & spernere iudicem? Sed vt similis Patribus appareres, & ne priscorum hæreticorum tuis te diffitereris hæredem, si degenerares in moribus. Hoc enim ab auitis hæreticis omnibus contraxisti, nolle parere sententiæ iudicis, qui statuat terminum falsæ litis.

5 Hoc modo Maximianistę hęretici etiam contra Papam Melchiadem iudicantem pro Ceciliano Carthaginensi Episcopo, quem ipsi falsò damnarant, absentem exceperant: quos optima forma conuicit libro primo contra Parmenianum post medium idest, cap. 4. in fine, & in princi. quinti. August. tom. 7. Neque tam timenda sunt, inquit, quę criminatur Parmenianus, quàm intuenda quæ confitetur.

Cùm enim diceret per Osium Hispanum adiutorium præstitum Ceciliano, vt ad eorum communionem sanctorum, & illibatorum numerus cogeretur: & huic imperati fidem seruorum Dei integram restitisse victo passus est suos adisse etiam Constantium, & eo arbitrio à iudicibus Episcopis causam cognitam, quibus præfuit Melchiades Romanæ Vrbis Episcopus. In quo iudicio sicut Ecclesiastica gesta testantur, quia victi sunt illi, & innocens Cecilianus inuentus, eundem Melchiadem crimine traditionis accusant. Quod quæro quomodo cognouerint? Si enim ante iudicium, non sibi præiudicare debuerunt, vt apud talem iudicem causam agere inciperent, etiam ex præcepto Impe-

rato-

ratoris, quem ipsi adierant tale subire iudicium. Si autem post dictam causam prolatamque sententiam eum traditorem didicisse perhibent, vsque adeò dementes sunt homines, vt contrà iudices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos. Hæc ille.

Auct. Videtis hos hæreticos iustè conuictos contra Papam iudicem conspirare, dicentes eum traditorem dogmatis Christiani. Quòd si ante iudicium cognouerunt, cur talem admiserunt in iudicem? Si post iudicium, dementes homines sunt, qui hæreticis victis credunt. ideò contendentibus, quia coram iudice iusto succumbunt. Sic arguit Augustinus: simul & pensandum, quòd Melchiades iste tanquam Papa in hoc iudicio omnibus Episcopis præfuit, & indè tulit sententiam cum necdum quisquam Episcopus erat, vel Papa Cæsareus. Præcessor enim fuit Siluestri.

6 Hoc modo Pelagianistæ per Iulianum Episcopum Ecclauensem Papam Zozimum arguunt præuaricatorem, quia contra Cęlestium patronum suæ hæreseos tulit sententiam: prout lib. 6. contra Iulianum cap. 4. propè finem, idem scribit August. tom. 7. Quale, inquit, est quod beatæ memoriæ Zozimum Apostolicæ Sedis Episcopum, vt in tua prauitate persistas præuaricationis accusas; qui non recessit à suo prædecessore Innocentio, quem tu nominare timuisti, sed maluisti Zozimum, quia egit primitus leuius cum Cęlestio, quoniam se in sensibus vestris si quis displiceret paratum dixerat esse corrigi, & Innocentio consensurum esse promiserat. Hæc augustinus.

Auct. Mira proteruia, vndè hæretici leuem occasionem suscipiunt malignandi, quia primò leuiter fecit Papa cum hæretico, eo quòd profitebatur emendam: ideò eum præuaricationis arguunt, quia damnauit eundem falsarium veritatis effectum.

Sed sic mille locis, & causis contra iudices Ecclesiasticos exceperunt, nec tantùm, quia fuerunt iudices cleri, sed quia catholici: quia contra Episcopos, nec contra summos Episcopos Apostolicæ Sedis, sed contra Imperatores, quando contra eos iustissimè definirent, corruptionis maculam obiecerunt, velut in Constantinum Cæsarem Donatistæ, dicente lib. 1. contra Parmenianum citò post medium, idest cap. 6. in principio.

Augustinus tom. 7. Fatetur Parmenianus ad Relatense oppidum, & Episcopos iudices, & Patres ex Africa conuenisse Cecilianum, scilicet atque Donatistas: vbi omnia suis credidit, cui nihil victi potuerunt de iudicibus conqueri, nec tamen negat eos rursum ad Constantium venisse, & quia ibi vltimo quoque iudicio superati sunt, etiam ipsum gratia corruptum esse criminantur. Quibus omnibus consideratis, qui sine studio partium iudicat, eligat quibus credat: vtrùm iudicibus sententiam proferentibus, an litigatoribus contra quos prolata sit litem finire volentibus, & certè Orbis terrarum iudicibus credidit. Et infrà. Necesse est, vt qui victi fuerunt, conquerantur. Non solùm enim, qui bonam causam perdidit de iniquo, vel tardo, vel negligente iudice queritur, sed etiam qui iustissimè victus est ea cæcitate de innocente iudice murmurat, qua cæcitate cum innocente aduersario litigabat. Hæc Augustinus.

Auct. Videtis iam toruos hęreticos quomodo contra iudicem, quomodo finaliter contra Constantinum Cæsarem impegerunt. Dico vobis, non alia ratione contrà Cleri iudices Episcopos, atque Papas indispositionis notam opponunt, quàm contra sęculares iudices si victi sint catholici murmurabunt.

Adhuc his nostris annis Witcleuistæ nostri fecere conformiter. Quid clamauerunt fortius, quid instantius, quam vt apud Dominos sæculares tam fidei, quàm morum iudicia remanerent: & tamen iam cum regnare cœpisset illustris Rex Henricus V. qui adhuc agit in sceptris, & de eorum perfidia per Catholicos benè doctos legem statui fecit, vt vbique per regnum Witcleuista probatus, vt reus puniretur de crimine læsæ maiestatis, statim per libellos famosos clamabant fidelem principem esse corruptum: & nominare cœperunt eum principem Sacerdotum.

7 Benè dixit ergo Augustinus, quòd ea cæcitate hæreticus de innocente iudice murmurat, qua cæcitate cum innocente litigabat aduersario. Nam si vtraque potestas, & Cleri, & sæculi, simul contrà eos dictaret sententiam, putas ne quòd priùs vtrumque catholicum iudicem, quàm suam hæresim accusabunt? Si vis probare, expertis crede. Donatistæ enim hoc modo simul Papam, & Imperatorem Cæsarem contempserunt: quia concordi eos sententia damnauerunt.

Verùm admirans, quòd talibus non credebant iudicibus, Augustinus. His, inquit, iudicibus si non potius credidissem, etiam si alij, qui victi sunt innocentes essent, ego innocens esse non possem. Magno enim delicto implicaremur, si cùm corda humana non cerneremus, nec disciplinam Ecclesiasticam teneremus, cum eis nollemus iudicantibus credere, vltra quos, nec potuit causa transire, & per quos potuit ad nos fama percurrere. Hæc August. tom. 7. lib. 1. contra Parmenianum post medium, id est, cap. 6. in fine.

Auct. Ecce quàm indurato corde vtrique iudici discredebant, vtrique iudici summo, & in omni Orbe primo, & vltimo, vltra quos non potuit causa transire, quia de horum sententia locus appellandi non restat, nisi forsan ad Deum.

8 Et quid putas si Deus iudicaret contra eos, nunquid cederent iudicanti? Certè quòd non sic cederent, antiqua gesta, monstrabunt, an nesciri possit in Ecclesia quot annis Arriani suam hæresim protelabant, postquam Deus euidenti vindicta magistrum eorum Arrium condemnauit, & viscerum ipsius effusione turpi morte contriuit? Hoc ipsum profert libro illo de Patre, & filio ad Gratianum Augustum, cap. 9.

Ambrosius, in lib. de fide primo. cap. 9. in

in princ. cap. tom. 3. Arrius dixit, Erat quando non erat, sed Scriptura dicit, erat, non dicit, non erat. Denique Ioannes 1. scripsit, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce quoties erat, & nusquam dixit, quòd non erat. Cui ergo credimus? Ioanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio iuxta tam effusa sua se viscera volutanti? vt agnosceremus similem Iudæ proditoris, Arrij quoque fuisse perfidiam, quem similis Iodæ pœna damnauit. Effusa sunt enim, & Arrij viscera, pudet dicere vbi, atque ita crepuit medius prostratus in faciem, ea quibus Christum negauerat fœda ora pollutus. Crepuit enim, sicut etiam de Iuda Petrus Apostolus dixit, Act. 1. quia possedit agrum de mercede iniustitiæ, & in faciem suam prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. Non est fortuita mors vbi in sacrilegio pari, pœnæ parilis processit exemplum. Vt idem subirent supplicium, qui eundem Dominum negauerunt, & eundem Dominum tradiderunt.

Auctor: Ecce tam horridam mortem Arrium accepisse in vltionem hæresis non diffitetur Ambrosius, sed & contra hanc sententiam Domini, quam audacter sequaces eius auctore mortuo mori hæresim non sinebant, quid aliud quàm facto, detrahentes iudicio Domini suam fidem? Hoc modo cum tres Episcopi in hæreses quasdam Antiochenam simul tenentes, & diuidentes Ecclesiam Paulinus, scilicet Eustochianus, Apollinarius hæresiarcha, & Melitius Orthodoxus, qui vtique cùm pius vir esset, & fatigatus, Dnm iudicem postulauit, cæteri resistebant, vt scribit lib. 9. histor. tripertitæ cap. 3. Cassiodorus. Porrò, inquit, Melitius omnium hominum mansuetissimus, tranquillissimè, atque modestè Paulino dixit. Quoniam, & mihi harum ouium curam commisit Dominus, & tibi similiter, aliarum suscipe hanc solicitudinem, & communica alterutris sub dogmate pietatis. Iugamus amicè greges, & soluamus de præsulatu contentionem, communiter pascentes oues, curam eis communiter exhibeamus. Si enim de sede certamen est, ego etiam hanc contentionem conabor expellere. In sede Sacrum ponatur Euangelium, & ex vtraque nos parte sedeamus. Et si priùs quidem ego terminum vitæ suscepero, solus eris Antistes, si verò tibi hoc priùs euenerit, ego rursus gregis habebo curam. Cùm ergo hæc Melitius cum omni mansuetudine protulisset, Paulinus acquiescere non consensit. Tunc magister Militiæ, Iudex vtrorumque verborum, Ecclesias Melitio tradidit. Verùm Apollinaris præsulatu nudatus Ecclesiæ, nouitatem doctrinæ suæ aperta impudentia prædicabat. Hæc ille.

Auctor, Dignus Deo Melitius, qui ne plus satis scinderetur Ecclesia, simul & vitam, & dignitatem in Domini arbitrium compromisit, at quia illi è contrario diuiso filio maluerunt Salomonis accipere iudicium, 3. Reg. 3. & veræ matri restituitur proles, Melitio cuius pia viscera mouebantur, ardenti, & optanti, vt priùs traderetur illis integra, quàm sibi cum alijs sortiretur diuisa. Sic ergo ex bis omnibus cernimus hæreticos induratos esse, ita vt neque Papæ, neque Regibus, sed nec iudici Deo cedant, quo minùs, Exod. 14. cum Pharaone Christi populum suis hæresibus opprimant quousque sub vndas iudiciarias pressi, vindictam diram persoluant.

CAPVT XLVII.

Quòd Papa habet ab antiquo potestatem infringibilem ad determinandum fidei veritates, & debellandum, & cancellandum omnes falsitates hæreticas.

SVMMA.

1 *Papam butyro illo prophetico esse repletum, vt possit discernere inter bonum, & malum, semper Orthodoxi omnes crediderunt.*
2 *Papa (vt dixit Vvitcleff) nullam habet potestatem ad determinandum veritates Catholicas, nec ad refellendum hæreticas.*
3 *Quòd Papa hanc habeat facultatem, constantissimè ostenditur, tum Græcorum, tum Latinorum testimonijs,*
4 *Vt huiusmodi auctoritas cognosceretur, Diuus Marcus Euangelista suum Euangelium non scripsit, nisi Petri auctoritate.*

1 ORthodoxi ergo omnes ad iudices Christi currunt Vicarios, & ordinatè requirunt, vt tandem planam teneant veritatem. Propter hoc enim vt verè credunt, licèt Doctores, & vltra eos Episcopos, & inter omnes mortales singillatim acceptos petere Papam, cuius moderamen, & decisio pro irrefragabili verò tenebatur à Patribus. Apud ipsum enim piè credebant totius fidei nostræ latere mysteria, & pectus eius imbutum butyro illo prophetico, Esa. 7. quo sciret reprobare malum, & eligere bonum, quod blasphemans insanus Vvitcleff, in tractatu suo de Christo, & eius aduersatio Anti-
2 christo, cap. vltimo. Quando, inquit, Papa noscit, & audit suos pseudoclericos dicere, quòd nemo debet ipsum corripere, quoniam habet in scrinio sui pectoris cunctas leges, & potest tam verbo, quàm opere cum cunctis conditis legibus dispensare, immò cum lege Dei, & articulis fidei, quia potest cuncta talia innouare. Sequitur. Et potest quæcunque sibi contradicentem definire, & publicare esse hæreticum, & postmodum tractare ipsum pœnaliter, quomodocunque ipse cum suis Cardinalibus voluerit adaptare. Hæc ille.

Auct.

Auct. Hoc vnum conatur furor eius hæreticus, vt Papa ad determinandum, & approbandum veritates Catholicas, & è contrariò ad cancellandum, & destruendum molitiones hæreticas, facultatem nullam habeat cæteris altiorem, sed explicet nobis sentire suum, pius, & inter omnes Antistites sacer, & columnatis Episcopus Augustinus. Is enim scribens ad Bonifacium Papam librum illum, quem vocauit contra duas Pelagianorum epistolas, in prologo libri, Papam alloquens, dicit.

Augustinus tom.7. in Cod. Venet. is liber est sine prologo, sed huiusmodi verba sunt in fine primi capit. Hæc ergo quæ istis, vt dixi duabus epistolis eorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & vbi forsitan aliquid displicuerit, emendanda, constitui. Hæc Augustinus,

Auct. Ecce humilis Augustinus inter omnes ad Papam potissimè librum suum committit examinandum, & quicquid displicuerit emendandum, propter hoc quod Vvitcleff iam tulit inconueniens dicens quomodocunque ipse cum suis Cardinalibus voluerit adaptare.

Idem etiam Augustinus tom.7. ad Innocentium Papam scribens librum suum de gratia, & peccato originali, contra Pelagium, & Celestium. Quod si hominibus, inquit, quippiam ignorantiæ obrepserit, tua sententia corrigatur. Hæc ille.

Auct. Idem etiam Augustinus contra defamatores suos in materia de præscientia Dei, in fulcimentum suæ innocentiæ, tuetur opus suum sub auctoritate Romani Pontificis in lib. Inscripto de quibusdam casibus sibi falso imputatis, in prologo. Propositis, inquit, singillatim, 16. capitulis, sub vnoquoque eorum sensus nostri, & fidei quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis auctoritate proteximus verba ponemus, vt qui sese paululum ad legenda dignati fuerint occupare, euidenter agnoscant impiarum, prophanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium. Hæc Augustinus.

Auctor. Valdè protectum se sensit Augustinus, quando libellum suum Apostolicæ Sedis auctoritate probauit, & scripsit. Conformiter hanc auctoritatem tanquam validissimum iaculum contra Parmenianum obiecit, de damnatione Celestij, & Pelagij, facta per Innocentium, Zozimum, & Bonifacium Summos Pontifices successiuè apud Romam, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3.

Augustinus tom.7. Cùm, inquit, primitus Beatissimi Papæ Innocentij literę Episcoporum literis respondentes Aphrorum pariter hunc errorem quem conantur isti persuadere damnauerint, successor quoque eius Sanctus Papa Zozimus hoc tenendum esse, quod isti de paruulis sentiunt, nusquam dixerit, nusquam scripserit, insuper etiam Celestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ literis crebra interlocutione constrinxit, profectò quicquid intereà leuius actum est, cum Celestio seruata dumtaxat antiquissimæ, & robustissimæ fidei firmitate correctio fuit clementissima prauitatis. Et quòd ab eodem sacerdote posteà Celestius, & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissæ iam necessariò pręferendę ratio seueritatis fuit, non præuaricatio priùs cognitæ, vel noua cognitio veritatis. Hæc Augustinus.

Auct. Colligant iam Vvitcleuistæ si discipuli Christi saltem videri cupiunt, Io. 1. colligant iam Beati Augustini senten tias integras, & sententiarum fragmenta, ne pereant. Innocentius Papa auctoritate sua damnauit errores Celestij Africæ Episcopi, & per literas suas notum fecit Afrorum Episcopis. Augustinus approbat, & adducit Innocentium Beatissimum Papam, nominat, approbat, & adducit Celestius coram Zozimo Papa successore eius sicut coram continuo, & suo Iudice purgationem appetijt, sed Papa interlocutionibus crebris ad consentiendum, Celestium damnationi in eisdem literis contentæ constrinxit, & eas Apostolicæ Sedis literas Augustinus nominat, approbat, & adducit. Quid ampliùs? Ab eodem Zozimo Papa, Pelagius, & Celestius propter pertinaciam hæreticam eadem auctoritate, sed repetita damnatur. Augustinus approbat, & adducit. Ista videbantur Augustino per locum ab auctoritate, valida argumenta, & iterùm resumens argumentationes, interrogationes Papæ Innocentij, & responsionem Celestij, subijcit.

Augustinus eodem lib. secundo contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. in principio capit. Interrogationibus enim sancti prædecessoris tui, & Celestij responsionibus quibus se Beati Innocentij Papæ literis consentire professus est, quis non valeat quemadmodùm sic Celestius sit colligatus, & vinculo saluberrimo obstrictus, ne vlterius defendere auderet in baptismate paruulorum non dimitti originale peccatum? Hæc ille.

Auct. Adhuc ecce habes Celestium colligatum, & vinculo Papæ obstrictum, quia dixisti Papam non tractare hæreticos suos pœnaliter, & habes Beatum Papam Innocentium, nec leniter dimittit istam Papæ sententiam Augustinus. Ibid. Ideircò ampliùs eam inferens. Venerabilis, inquit, Innocentij Episcopi de hac re ista sunt verba ad Carthaginense Concilium. Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodùm exindè surgere posset, inuenit. Sequitur. Quid ista Sedis Apostolicæ sententia clariùs, atque manifestius? Huic se Celestius consentire professus est, quando cùm illi à sancto prædecessore tuo dictum esset. Illa omnia damnas, quæ iactata sunt de nomine tuo? Ipse respondit damno secundùm sententiam beatæ memoriæ prædecessoris tui Innocentij.

Vu Auct,

Auct. Iam enim alloquebatur Augustinus Bonifacium Papam post prædicta consequenter. Adduximus ideò ista, vt viderent omnes fideles nouellorum Witcleuistarum pertinaciam super istos hæreticos antiquatos, qui Papas ad conuincendum de hæretica prauitate dixerunt indispositos iudices, quanquam iam dotati essent, sed obstringi, & ligari volebant, auctoritatem tam plenariam formidantes. Et tandem finaliter damnationis meritæ subire sententiam Augustino, & cunctis fidelibus visam esse plenam robore, ratam, firmam, & iustam. Iam proficiscamur ad alias. Beatus Hieronymus cùm omnem fidem suam expressisset in symbolo, tandem ad beatum Damasum Papam se conuertens ait.

Hieronymus. Hæc fides est Papa beatissime, quam in catholica Ecclesia didicimus, quam semper tenuimus: in qua si minùs peritè; aut parum acurè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te qui Petri, fidem, & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel maliuolum etiam Catholicum non me hæreticum comprobabit. Hæc Hieronymus.

Auctor. Iam ecce Hieronymus sine dote fuit pauper monachus, apud præsepe Domini delitescens, & ipse nouit apud Papam Romanum auctoritatem esse ad emendandum fidem incongruam, vel ad probandum Catholicam: & postquam à tanto Apostolatu haberetur, vt recta, sine dubio foret, per nullum alium violanda, ad eiusdem quoque Damasi Papæ doctrinam tanquam ad infallibilem fidei regulam Catholici Episcopi illo tempore suos aduersarios hæreticos coegerunt, quamuis interdum finxerunt, quemadmodum, & Apollinarem super hæretica fictione Flauianus conuicit, secundùm quod habet Cassiodorus, lib. 9. historiæ tripart. cap. 3. Paulinus, inquit, fatebatur se Damasi esse participem, promittebat & Appollinaris hoc ipsum, languore celato.

Porrò Flauianus sapientissimus tunc in ordine presbyterij constitutus, primò quidem veniente magistro militum, ita Paulinum allocutus est: Si communionem Damasi ò amice sectaris, ostende dogmatum tuorum apertè concordiam, & suscipe secundùm legem Ecclesias. Et infrà. Si autem hoc falsè loquimur, te forsitan accusantes, vel nunc nouitatem à te natam denega, & Damasi amplexus doctrinam, cepta suscipe veneranda. Hæc Cassiodorus.

Auct. Videtis quàm metuendum fuit his Græcis Episcopis, & Antiochensium partium, contrauenire definitioni Papæ in materia fidei. Idcircò Rufinus magnus inter Patres cùm accusandus esset ab æmulis, cœpit fidem suam apud Romanum Papam Anastasium pro subsequenti defensione deponere, scribens ad eum epistolam apologeticam quæ incipit, Audiui quosdam, vbi ad finem infert.

Ruffinus. Nemo ergo mihi ex hoc quæso te sancte, ac venerabilis, & beate Pater conflet inuidiam, nemo factionibus vtatur, & calumnijs quod in Ecclesia Dei fieri non licet. Vbi enim simplicitas tuta erit, & innocentia si hìc non erit? Origenis ego neque defensor sum, neque assertor, neque primus interpres. Alij ante me hoc opus fecerant, feci & ego postremus rogatus à fratribus. Si iubetur ne fiat, iussio solet obseruari in posterum. Si culpantur qui ante iussionem fecerunt, culpa à primis incipiat. Ego enim præter hanc fidem quam suprà exposui, id est quam Ecclesia Romana, & Alexandrina, & Aquileiensis nostra tenet, quæque Hierosolymis prædicatur, aliam nec habui vnquam, nec habeo in Christi nomine, nec habebo: & si quis aliter crediderit, quisquis ille est, anathema sit. Hęc Ruffinus presbyter tunc Aquileiensis Ecclesiæ.

Auct. Vide laudes eius apud Gennadium de illustribus viris, quod opus Gennadius scribit seipsum fecisse ad Gelasium Papam de illustribus viris in calce libri.

Gennadius. Ego, inquit, Gennadius, Massiliæ presbyter scripsi aduersus omnes hæreses libros 8. aduersus Nestorium lib. 6. Sequitur, Et epistola de fide mea misi ad beatum Gelasium vrbis Romæ Episcopum. Hæc ille.

Auctor. Conformi modo magnus, & vetus Pater Origenes scripsisse fertur epistolam excusatoriam suæ infamiæ ad Fabianum Romanę Vrbis Episcopum. In qua pœnitentiam agit de gestis, prout refert Hieronymus tom. 2. epistola ad Pimmachium, & Oceanum, quæ incipit, Schedulæ quas misistis.

Hieron. Ipse, inquit, Origenes in epistola quam scribit ad Fabianum Vrbis Romæ Episcopum, pœnitentiam agit cur talia scripserit, & causam temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita, in publicum protulerit: & quædam nunc dicunt aliena esse quæ displicent. Hæc Hieronym.

Auct. Fabianus nondum erat (vt tecum loquar) Papa Cæsareus, & tamen Papa, & ad quem dignum erat, vt Origenes magnus ille magister Ecclesiarum (vt fert Hieron.) post Apostolos super excusatione sui sceleris dictaret epistolam, adhuc intra secundum centenarium à Christi Incarnatione rē agens. Ad quid hoc nisi quia ad eius arbitrium, Romanæ Sedis, & auctoritatis antiquæ pendebat in materia fidei, vel laudare credulos, vel condemnare distortos? Et si vis ad huius auctoritatis antiquitatem ascendere, ad Beatum Petrum accede,
4 sine cuius auctoritate, nec magnus ipse Euangelista Christi Marcus Euangelium suum scribere potuit. Sic enim Hieronym. tom. 1. de illustribus viris, cap. 16. Marcus, inquit, discipulus, & interpres Petri iuxta quod Petrum audierat referentem, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium. Quod cùm Petrus legisset, probauit, & Ecclesijs legendum sua auctoritate contradidit, sicut scripsit Clemens. hæc ille.

Auct. Nonne Euangelista Marcus suffultus erat Spiritu sancto in Euangelij scriptio-

ptione? Sed quia sine Summo Pontifice, & vniuersali Christi Vicario, non debet res fieri, ne cassa videretur præsidentis auctoritas, ideo illud Petro approbandum tradidit. Iterum si vis venias descendendo ad Innocentium Papam, ad quem scripsit Aurelius Carthaginensis cum toto cœtu Episcoporum Africę congregatorum, tunc in Carthaginēsi concilio quatenus auctoritate sua plenissima ad omnes totius Orbis Ecclesias scriberet decretalē epistolam de Baptismo paruulorum, vt in decreto Innocentij reperitur in decretis Pontificum. Innocentius Antelio, & omnibus sanctis Episcopis, qui in Concilio Carthaginensi affuerunt Ecclesiæ, dilectissimis fratribus in Domino salutem. Et infrà. Gratulor fratres charissimi, quòd per fratrem, & Coepiscopum nostrum Iulium literas ad nos destinatis, & cum illis curam geritis, quibus præsidetis Ecclesijs solicitudinem vestram pro omni vtilitate monstratis, & per cunctas totius Orbis Ecclesias omnibus vna, quòd prosit decernendum esse deposcitis, vt suis constabilita regulis Ecclesia, & quo illos caueat pronunciationis iustæ firmata decreto talibus patere non possit, qui peruersis instructi, imò destructi verborum argutijs, sub imagine catholicæ fidei disputantes, velut pestiferum exhalant virus, & vt hominum rectè sentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt euertere disciplinam. Hæc ille.

Auct. Quid creditis Witcleuistæ iam infatuatos tot Christi Ecclesiæ præsules, quorum numero nec tunc defuit Augustinus, vt instarent Papæ Innocentio, quòd in materia fidei vniuersale per totum Orbem mandaret edictum, si non crederet eum auctoritate fultum plenaria sic iubendi, magna illorum fuisset importunitas, sed maior fatuitas. Et de Hilario Papa scribit in de gestis Romanorum Pontificum ex Damaso, Hieronymus. Hilarius, inquit, natione Sardus ex Patre Crispino, sedit annos sex, menses tres, dies decem. Hic fecit decretale, & per vniuersum Orientem dixerit, & epistolas de fide Catholica fecie. Hæc Hieronymus.

CAP. XLVIII.

De prærogatiua perpetua immunitatis Romanæ Ecclesiæ, in fide Christi, & ab omni contagione hæresis illibata.

SVMMA.

1 *Ab Ecclesia Romana veluti à fonte fluxit sapientia Christiana.*

2 *Ecclesiam Romanam satagit Vviteleff arguere leuitatis, & eo fortius insistit, quo certius vniuersalis Ecclesia fatetur, Romanam Sedem incorruptam in fide huiusque mansisse.*

3 *Quòd Christianæ Religionis prærogatiua ea sit, vt absque vllo fidei schismate idipsum semper doceat, docueritque.*

Tom. XX.

4 *Christo pro Romana Ecclesia rogante, non potest illa in fide deficere: quam rem melius agnouit Hieronymus, quàm Vviteleff.*

5 *Ecclesiæ Romanæ tam lata auctoritas, vt de cunctis fidei rebus decernat, est ex Christi confessione Petro dicentis, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.*

Locus ergo vndè fluxit ab exordio
1 sapientia Christiana, Romana est Ecclesia: Ab hac enim præstatur humanæ inertiæ dirigendæ assistrix sapientia sedium diuinarum, Sapien. 9. vt nobiscū sit, & nobiscū laboret, vt sciamus quid acceptum sit coram Deo omni tempore. Sed ad hunc locum sciebat Witcleff Iudas noster, qui tradebat tantopere Christum nostrum, Ioan. 18. quòd frequenter Iesus, 1. Cor. 12. quem nemo potest dicere nisi in Spiritu sancto, illuc conuenerat cum discipulis suis, quotiens scilicet in articulis fidei expressa postulatur instructio.

2 Idcircò satagit prædictam Ecclesiam arguere leuitatis, & tanto insistit fortius, quanto certius tota per Orbem confitetur Ecclesia, Romanam Sedem intemeratam hucusque mansisse in fide, & penè sine peccato semper determinasse credibiles veritates, & fortiter debellasse hæreticas prauitates. Vnde in sermonibus epistolaribus suis, sermone 58.

Witclef. Radicalis, inquit, fundatio ficta in ista materia stat in isto, quòd Romana Ecclesia sic determinat: sed ipse non potest peccare, & specialiter in materia fidei, ergo sic generaliter est credendum: & inter omnes blasphemias, quæ vnquam de Antichristo surrepserant, hæc est maior. Et inde fluit conclusio ter damnata 218. A tempore quo Romana Ecclesia declinauit à Christi sequela, est demonstrabile, quòd curia Romana ex nuda auctoritate sua hoc asserit, ergo hoc est falsum. hæc Vuitcleff.

Auct. Ex nuda auctoritate non vult exponere exclusa auctoritate Scripturæ, quæ omnem continet veritatem: sed hoc intendit inducere, scilicet fideles in obaudientiam protetuam determinatorum in alma
3 Sede Romana: hanc enim vnam prærogatiuam Christianorum secta inter omnes sectas, & præter eas obtinet, quòd sine diuisione, aut schismate fidei semper docet, & docuit vbique locorum idipsum: & hoc solùm omnes heretici in quo gloriatur Ecclesia, nituntur euertere diuersas doctrinas, & institutiones discordes machinantes, vnde scindant Ecclesias, quemadmodum de Valente Imperatore scribit in historia Tripartita lib. 8. cap. 12.

Cassiodorus. Interea Valens in Antiochia Syriæ degens, consubstantialitatis cultores vehementer insequebatur, nisi eum liber Themistij philosophi reuocasset, in quo perorauerat, quòd eum esse non oporteret infestum propter discordiam Ecclesiasticorum dogmatum: quia etiam apud paganos plusquam trecentarum sectarum differentia videretur, & vnusquisque pro dogmate proprio, in sententia diuersa consisteret. Et fortè hoc Deo gratum potius

 esset,

esset, dum non facilè cognoscitur, & di-
uerso modo glorificatur, quamuis vnus-
quisque amplius timeat, dum integrita-
tem eius scientiæ, vel quomodo, aut qua-
lis quantusque sit, magis ignorat. hæc ille.

Auct. Sed ad honorem Dei, quid magis
congrueret, melius Themistio sciuit no-
ster Philosophus Paulus, qui dixit vnus
Deus, vna fides. Ephes.4. Et quomodo erit
vna fides, quando pro captu suo, vnus-
quisque varia meditatur, & inuenit? nisi
vno magistro spirante, vnus doceat pæda-
gogus, Ille puta, quem ad hoc officium
præ cæteris Christus elegit cùm diceret.
Luc. 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non
deficiat fides tua. Auxilietur mihi Deus,
credo si non constantius omnibus alijs Ec-
clesijs docuisset, roborasset, & defensasset
fidem Christi Romana Ecclesia, defecisset
fides Christi ab habitabili terra nostra. Nec
tamen hanc laudem per suam industriam,
sed à Christi rogatu promeruisse credide-
4 rim. Et quid mirum si Christo rogante
Romana Ecclesia non potest in fido defice-
re? non est magnum hæretice, non est ma-
gnum, vt quod per se caderet, Christo su-
stinente non possit cadere.

Hoc enim libro tertio contrà Ruffinum
circa medium Pater Hieronymus tomo 2.
Scito, inquit, Romanam fidem Apostoli-
ca voce laudatam istiusmodi præstigias
non recipere, & etiam si Angelus aliter
annunciet, quàm semel prædicatum est
Apostoli auctoritate munitam non posse
mutari. hæc Hieronymus.

Auct. Iam volue sophismata; expositio-
nes tuas statue, de sensu composito, & di-
uiso intricatos syllogismos intrare com-
pelle, non proderis contrà fidem Roma-
nam, quam nec Angelus de cœlo poterit
mutare. Ergo audacter dico in Christi
nomine, & Christo iuuante, Romanam
Ecclesiam in doctrina Christi impeccabi-
lem. Audiant igitur omnes fideles doctum,
& sanctum Hieronymum. Et nonne ipse
moribus, fide purior, industria cautior, in-
tellectu viuacior quàm rudis, & toruus
Vvitcleff, hinc verbis, hinc sensibus? Ipse
enim clarissimus Doctor, & Magister Ec-
clesiæ, cùm semel in Orientis partibus la-
tè perflaret hæresis Ariana, ad solum Ro-
manum Pontificem confugit, rogans, vt
auctoritate sedis suæ quam dixit incorru-
ptam, statueret, ac sterneret procellam eius
in auram, Psal. 106. docens de recta fi-
de, & cui communicare debuit in doctri-
na sua catholica. In epistola eiusdem tituli
ad Damasum Papam inter epistolas in 2.
tomo, & incipit: Quoniam vetusto Oriens,
&c. Hieronymi nona.

Hieronym. Profligato à sobole mala pa-
trimonio apud vos solos incorrupta Pa-
trum seruatur auctoritas. Matth. 13. Ibi ce-
spite terra fœcundo, Dominici seminis pu-
ritatem centeno fructu refert, hic obruta
sulcia frumenta in lolium auenamque de-
generant. Malach. 4. Nunc in occidente
Sol iustitiæ oritur, Esa. 14. In Oriente autem
Lucifer illi qui ceciderat, super sydera po-
suit thronum suum. Matth. 5. Vos estis
lux mundi. 2. Tim. 2. Vos estis sal terræ.
Vos vasa aurea, & argentea. Hic testacea
vasa, vel lignea virgam ferream, & æter-
num operantur incendium Ps. 2. Sequitur.
Et quia pro facinoribus meis ad eam soli-
tudinem commigraui, quæ Syriam co-
niuncto Barbariæ fine disterminat. Nec
possum semen sanctum Domini tot inter-
iacentibus spatijs à sanctimonia tua sem-
per expetere: Ideo hic collegas tuos Ægy-
ptios confessos sequor, & sub onerarijs na-
uibus, parua nauicula delitesco. Non no-
ui Vitalem, Melitium respuo.

Ignoro Paulinum. Luc. 11. Quicunque
tecum non colligit, spargit, Hoc est, qui
Christi non est, Antichristi est. Et finaliter
habet. Quamobrem obtestor beatitudi-
nem tuam per Crucifixum, Mundi salutem,
per homousyon Trinitatem, vt mihi epi-
stolis tuis siue tacendatum, siue dicenda-
rum clarè hypostaseon detur auctoritas.
Et ne fortè obscuritas loci in quo dego te
fallat, per baiulos literarum ad Euagrium
presbyterum quem optime nosti, dignare
scripta transmittere, simul etiam cui apud
Antiochiam debeat communicare, signifi-
ces: quia Campenses cum Tarsensibus hæ-
reticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm
vt auctoritate communionis vestræ fulti,
tres hypostasea cum antiquo sensu prædi-
cent. Hæc Hieronymus.

Auct. Ecce iam quanta fiducia vsus est,
cum de Romanorum Pontificum sententia
loqueretur, apud eos solos dicens, quòd
incorrupta Patrum seruabatur auctoritas,
sine labe, sine crimine: & propter hanc in-
corruptionem, & claritatem famosam,
omnes viri catholici quantumcumque ma-
gni, quantumlibet sancti simul, & aucto-
ritate territi magnæ Sedis, ab hac susce-
perunt in dubijs fidei documenta terrifica,
intantum quòd hæretici magni saltem de
fuco Romanæ fidei, gaudebant suas hære-
ses colorare. Illic, inquit, in Occidente
Sol iustitiæ oritur. Vos estis lux mundi,
vos estis sal terræ. Et per Crucifixum ob-
testatur sanctitatem Summi Pontificis, vt
tacendarum, & dicendatum rerum sibi de-
tur auctoritas. Hoc non est dicere. Ro-
mana Ecclesia auctoritate sua determinat
sic ergo hoc est falsum. Nunquam fecisset
Hieronymus argumentum ridiculum. Ec-
clesia Romana quæ non potest peccare in
fide sic determinat: ergo sic generaliter est
credendum. Saltem ex qualitate vocum.
Iam videtis quæ vox foret Orthodoxi Hie-
rony. & quæ vox hæretici ter damnati. Sed
interrogat quis vnde Romanæ Ecclesiæ tan-
5 ta auctoritas? Mihi videtur ex concessio-
ne Christi ad confessionem Petri primi ibi
Pontificis.

Primus enim confessor fuit diuinæ ge-
nerationis dicens. Matth. 16. Tu es Chri-
stus filius Dei viui: & idcircò primus à
Christo prærogatiuã auctoritatis accepit,
vt super fidem eius præ alijs Apostolis fun-
daretur Ecclesia. Quomodo ergo in du-
bijs fidei ad illam de fide consulendam
non curritur, super quam totam Ecclesiam
suam Christus fundasse conuincitur? Nec
tantum apud Petrum hæc prærogatiua
remansit: ad cuius ciuitatis Ecclesiam Pa-
lus

lus, pre ceteris omnibus Ecclesijs, imò quod nullis alijs, scripsit: primum, inquit, ad Rom.1. gratias ago: quia fides vestra annunciatur vniuerso mundo. Cur fides Romanorum plusquam fides Hierosolymitanorum continuè perseuerantium in templo ad orationem: quorum erat cor vnum, & anima vna? Actor. 1. & 4. nisi quia hæc sit fides annuncianda, per quam tanquam ad regulam subdatur orbis Deo. Vndè primo lib. super epistolam ad Rom. 3. tractans hunc textum Origenes. tom. 2. Potest, inquit, ita intelligi, quòd fides ista quam habent Romani ipsa eademque sit, & non alia, quæ in vniuerso mundo annunciatur, & creditur, quæ non solùm in terris, sed etiam in cœlis prædicatur; Colos. 1. quia Iesus pacificauit per suum sanguinem non solùm quæ in terra sunt, sed etiam quæ in cœlis: Philip. 2. & in nomine eius genuflectant non solùm terrestria, sed etiam cœlestia, & infernalia, & hoc est in vniuerso mundo fidem prædicari, per quam omnis mundus subditus sit Deo. Hæc Origenes.

Auct. Hunc autem locum Apostoli notauit Hieronymus supra tom. 1. & non minus in epistola ad Demetriadem cùm diceret, Romanam fidem Apostoli voce laudatam, & non sine causa senior noster doctor Cyrillus super cap. Matth. 16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Romanam fidem, vt supra habebatur, extollit, & adhuc recitare non piget.

Cyrillus. Petro, inquit, dictum est, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Secundùm hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione immaculata manet super omnes præpositos, & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum, & Apostolorum in suis Pontificibus, in fide plenissima, & auctoritate Petri: & cùm aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint circundatæ, stabilita inquassibiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum. Et nos necessitate salutis, non decepti superbia, neque vino superbiæ inebriati, typum veritatis, & sanctæ Apostolicæ traditionis vnà cum ipsa confitemur, & prædicamus. Hæc Cyrillus.

Auct. Iam pectora sua tundant hæretici omnes, & calcibus suis nepotes suos stimulent Vvitcleuistas, vt simul cum conuentu veterum Pharisæorum in Templo suo Romæ, vbi fides vera coruscat, Christum in Pontifice suo, & Ecclesia sua Apostolica lacerent, perdant, & extinguant pro viribus dicentes in cordibus suis: Io. 11. ne fortè Romani isti veniant, & tollant nobis locum, & gentem. Deut. 32. Hæccine dicis popule stulte, & insipiens, & non audis quid Christus contra te prouidit Ecclesiæ suæ, quam supra Petri fidem instituit? Portæ, inquit, inferi non præualebunt aduersus eam: Matth. 22. & ipsa Ecclesia Apostolica sola regnat silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum, dicit Cyrillus. Portæ inferi estis: benè noui, quibus datum est animas miseras, vt & leuipedes captiuare gehennæ. Sed sitis portæ inferi, non timet vestros vectes rumpere clauiger Paradisi.

CAP. XLIX.

Respondetur non esse Papam Antichristum propter quinque argumenta Vvitcleff.

SVMMA.

1 *Papam non esse Antichristum, quod impius Vvitcl. quinque arguitur molitur ostendere.*

2 *Quòd duo sunt consideranti Ecclesiæ status, in quorum priore sub prosequentibus, in posteriore verò sub Regibus obsequentibus fuit.*

3 *Vvitcleff antiquiores hæreticos sequutus, plusquam ineptè colligit Ecclesiam ex temporalium bonorum copia quibus potitur, ineptam esse ad cæli gloriam.*

4 *Honor, & obsequium à Regibus, & Principibus Ecclesiæ debetur: tametsi Vvitcleuistæ, & Lollardi aliud doceant.*

5 *Hæretici dum nimis auidè diuitias affectant ijs nituntur Ecclesiam expoliare, quibus tamen post priora illa turbulenta tempora, eam pientissimus Imperator ad Christi imperium donauit.*

6 *In Ecclesia duo sunt gladij spiritualis alter, alter temporalis. Hic pro Ecclesia, ille ab Ecclesia exercendus.*

Liceat iam filio Ecclesiæ certare pro Patre, & quæ vt Absolon regni cupidus argumentorum tela parauit in Patrem, in Auctorem sceleris remandare. 2. Reg. 15. & 16. Ecce constituit sibi conclusionem vnam quam tanquam statuam auream adorare compellit, tribus, & linguis: Dan. 3. quæ est inter conclusiones ter damnatas conclus. 5.

5 Vvitcleff Papa est ille Antichristus, qui in Scriptura exprimitur, cùm sit specialis procurator diaboli procurans per mendacia perditionem animæ contra Christum: & sic est iste patulus Antichristus. In conspectu autem huius per ipsum deificati principij sonare facit tubam, & symphoniam, & omne genus musicorum, quorum primum prouocatum ad idoli sui culturam est.

Alia, inquit, conditio Antichristi Christo contraria stat in isto, quòd Christus aufugit sæculariter dominari, Antichristus autem cupit in hoc specialiter extolli supra Dominum Iesum Christum, quia fingit mendaci titulo, quòd extollitur sæculariter super quodlibet regnum mundi: 2. Thes. 2. ac si diabolus ipsi concederet illud quod Christus renuit capere à diabolo. Item de Christo, & Antichristo c. 12. & est primum argumentum eius, secunda parte de sermone Domini in monte cap. 36. Christus, inquit, fuit summè humilis, & quo ad seculare dominium summè pauper, Papa autem videtur inter homines summè elatus, & summè dominans quo ad mundum, &

pro-

propter hoc paulò supra, quis ergo foret Antichristus, nisi diabolus taliter exaltatus? Hæc Vvitcleff.

Auct. Quantum mihi videtur, hæreticus iste veterum adhuc hæreticorum sectatur vestigia, qui nescientes temporum intervalla distinguere, contra Ecclesiæ statum conantur arguere, quidquid creuerit dignitate.

2 Duos enim status Ecclesię sanctæ concipimus. Vnum sub regibus persequentibus eam à primis Christi exordijs humanati, alterum sub regibus obsequentibus, & patronis Ecclesiæ. In primo statu, fuit Ecclesia Christi pauper, & egena: repleta quoque miseriarum vlceribus. In secundo cœpit esse domina gentium, & princeps prouinciarum, Thren. 1. exempta tributo, scilicet principum persequentium, non tamen hæreticorum frementium, & inuidentium ipsi gloriam dignitatis: qualiter aperit super Psal. 69. vers. 2.

Aug. tom. 8. Prorsùs, inquiens, tempora sunt in Ecclesiæ persecutione distincta, seque sequentia. Factus est impetus in Ecclesia, quando reges persequebantur: & quia condicti erant reges, & persecuturi, & crediruri, impleto vno, vtique alterum sequebatur, factum est, & illud quod consequens fuit. Crediderunt ergo reges. Data est pax Ecclesiæ. Cœpit esse in culmine dignitatis Ecclesia, etiam in hac terra, etiam in hac vita: sed non deest fremitus persecutorum. Impetus suos ad cogitationes verterunt. In illis cogitationibus tanquam in visco ligatus est diabolus, & fremit, & non erumpit. Dictum est enim de ijs temptatoribus Ecclesiæ, peccator videbit, & irascetur. Psalm. 111. hæc Augustinus.

Auct. Ecce Vvitcleuista, sub persecutionibus regum magna egestate præmebatur Ecclesia: lapso tempore persecutionis regum, successit pax Ecclesiæ, & culmen dignitatis iam obtinet. Hanc videns hæreticus, quia peccator est irascitur, dentibus suis fremit, & tabescit, quia non sub iam, sed supra persecutionem illam in vita ista Ecclesia collocatur. Quid Christum inducis fugientem sęcularitèr dominari? initium primi temporis fuit. Quid allegas Apostolos, quid sequentem Ecclesiam vsque ad principem Constantinum? Expecta tempus, memento finis, adhuc astant reges terræ, principes adhuc in vnum conueniunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Psal. 2. Secuturum est tempus secundum, quando adorabunt eum omnes reges terræ in Ecclesia sua, & omnes gentes seruient ei. Psal. 71.

Adijcitur consequenter tale motiuum de Christo, & Antichristo cap. 13. secundum argumentum Vvitcl. Papa videtur in omnibus istis esse Christo contrarius: primò, quia abstulit medietatem Romani Imperij, quod nec Christus, nec aliquis eius Apostolus attemptasset: & sic de approbatione Domini cleri dotati, & vendicantium subdole dominium seculare: quæ omnia gaudenter approbat, & confirmat: ideò cum idem sit esse Christo contrarium, & factis eis, videtur ex ista contrarietate, Papam esse patulum Antichristum. Et subdit in fine capituli. Sed cùm non æqua distributio temporalium sit causa discordiæ, & bellorum, videtur quòd Papa principians tot dominia sęcularia in Clero, & auferens illa de sęculari brachio, sit principium discordiæ, & bellorum: & illa est conditio Antichristi. Hæc Vitcleff.

Auct. Iste distributor inæqualis ex modico magnum concludit, & vt solitus est 3 ex affluentia temporalium bonorum in Ecclesia, vaticinatur ex corde suo necessariò mala futura, & turbationes in populo: Ecclesiasticos quoque propter largitatem dotis eis oblatam per principatus fideles, dicit ineptos ad cœlum, & gloria cariturus. Hæc passim Vvitcleuistæ propherant, quæ ab antiquis hæreticis didicerunt, vt conqueritur de diebus suis mitis, & Sanctus Pater Gregorius 23. moralium tom. 1. cap. 4. tractans hunc textum. Iob 32.

Ne fortè dicatis inuenimus sapientiam, Deus proiecit eam, non homo, Gregorius. Vt video non est, qui arguere possit Iob, & respondere ex vobis sermonibus eius, ne fortè dicatis, inuenimus sapientiam: Deus proiecit eum, non homo. Sæpè hæretici per hoc quòd esse etiam hominibus despicabiles solent, vt à cunctis ferè gentibus Sanctam Ecclesiam venerari conspiciunt, opinionem eorum quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt, dicentes. Idcircò illi cuncta temporalia suppetunt, quia ei præmia æternorum munerum subtrahuntur: quorum vocibus Heliu obuiat dicens. Ne fortè dicatis, Inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum, non homo, ac si arrogantes intra sanctam Ecclesiam, sed tamen fideles contra hæreticos dicant, per hoc quod sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, proiectam eam à Domino non credatis. Scit enim redemptor eius, & in hoc itinere solatia viuenti tribuere, & perueníenti ad æternam patriam superna præmia reseruare. Incassum ergo dicitis, quia Deus eam, & non homo proiecerit, cum venerari illam à cunctis ferè hominibus videatis, quia sic ei terrenæ gloriæ adiumentum tribuitur, vt per hoc multiplicius ad cęlestia subuehatur. Hæc Gregorius . . . .

Auct. Non moueantur ergo fideles callidis hæreticorum argutijs: Ecclesiæ Christi terrena gloria in adiumentum tribuitur, vt multiplicius ad cœlestia prouehatur. Nec putent eam à Domino proiectam, & desertam, cùm eam in temporalibus florere cernunt ad oculum, & per cunctas gentes, & populos veneratam. Hic iterum obuiam currit Gregorio tertium argumentum.

Arguit enim Vvitc. 36. c. de sermone Domini in monte, secundæ partis, Witcl. Papam esse Antichristum ex hac conditione eius: 7. Christus docuit tam vita, quàm verbis quomodo honor mundanus, & eius lucrum cum eis, qui ipsa sapiunt sint à fidelibus fugienda: Papa autem dogmatizat quomodo dimissa doctrina Christi, sunt ista

ista sollicitè amplectenda. Hæc ille. Et in fine 8. cap. de Christo, & Antichristo 3. Tertiò, inquit, dictum est, si Christiani adorent huiusmodi Antichristum, ac si fuerit verus Christus, tunc diabolus habet per hoc desideratum medium ad seducendum populum ad infernum. Hæc ille.

Auct. Breuiter huic loco sufficiat Christianis, vt dimisso dogmate Lollardino adhæreant monitis Sancti Pauli dicentis ita ad 1. Timoth. 5. Qui benè præsunt presbyteri duplici honore honorentur. Vbi Hieronymus tom. 9. in Annotationibus: & officij, scilicèt, & doctrinæ. Habet ergò in summo Presbytero ista honoris dualitas summum locum, summi officij intuitu, & summæ doctrinę, eo quòd ab ipso sub Christo primo confluit vterque in totum corpus Ecclesię. Nec fugit Ecclesia in quod tu ad contemptum inducis, quòd Reges Christiani Papam adorent in Christi nomine, quamuis non hoc dicere habeant in vsu frequenti, sed hoc ipso Propheta vsus est, dicens de Ecclesia. Erunt reges nutritij tui, & principes fœminę nutrices tuę super faciem terrę, adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, Esaię 49. Super quem locum lib. 13. commentarij.

Hieronymus tom. 9. Omnis, inquit, ætas, sexus, & dignitas adorabunt Sion, propter eum, qui habitat in ea. Si enim caput Ecclesiæ Christus est, caput adoratur in corpore. 1. Cor. 11. Et si ad quosdam dicitur. Psal. 98. Exaltate Dominum Deum vestrum, adorate scabellum pedum eius: non quo scabellum adorandum sit, sed quo maiestas pedum illius indicetur: cur non adoretur Ecclesia, quæ totum Christi corpus amplectitur, vt impleatur illud quod scriptum est in Sophonia 2. Adorabunt eum singuli de loco suo: omnes insulæ gentium. Hæc Hieronymus.

Auctor. Adorari ergo potest Dominus in scabello, & Christus in corpore suo, quod est Ecclesia. Quòd si adoretur Ecclesia in Christo, quis est Papa Christi summus Vicarius, qui in tota Ecclesia honorata, debito priuetur honore? Sed benè secuti sunt Prophetam Domini Principes Christiani, consummantes honorem Summo Pontifici, quem tam clarè prædixit ad literam. Erunt reges nutritij tui, & principes fœminæ nutrices tuæ super faciem terræ, adorabunt te. Super faciem terræ intellige in commodis terrenis, & temporali substantia. Sed propter hoc arguit Vvitcleff Papam esse Antichristum, vbi iam suprà de sermone Domini in monte secundùm conditionem tertiam Antichristi.

Vvitcleff. Christus, inquit, noluit circa temporalia acquisita sibi per Cæsarem, sed circa spiritualia magis vtilia occupari: Papa autem dimittit occupationem circa spiritualia, & circa temporalia tanquam cæca talpa docet in se, & in alijs occupari. Iterùm in libello de Papa, quem ipse allegat 3. parte sermonum cap. 6. libri. Appellat tam Sacerdotes, quàm sæculares fide lapsos, dicens eos sequi in illo chronicam fatui Imperatoris, lege Christi dimissa. Hic, inquit, dilabuntur homines de fide, tam sacerdotes, quàm sæculares, quando magis reputant chronicam vnius fatui Imperatoris, quàm legem Christi, qui est Imperator cœlestium. Hæc Vvitcleff.

Auct. Is vt dixi semper errat de temporibus. Primo tempore Ecclesiæ placuit Christo pauper Ecclesia, quæ in secundo statu placuit ipsi diues: attamen in omni statu, hæretici auidè amplectuntur diuitias, & vt expertum est pro his rapiendis ab Ecclesia, exercent omnem in verbis hypocrisim, & in tractatibus simultarem. Dicunt enim de Ecclesia, cui Cainiticam gerunt tanquam ad Abel inuidiam, Gen. 4. Matth. 21. Marc. 12. hic est hæres, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Hoc enim toto corde sperant, & ideò ad hunc finem, illicitam Ecclesię dotationem cunctis apparere procurant: & factum deuoti Imperatoris verbis deprauant. Sed Deus, qui ad hoc agendum Imperatoris edicta formauit, vtique non irridetur. At ne irrideas, quòd dixi Deum edicta regis formasse.

Audias Augustinum tractatu secundo tom. 8. super Psalmum 103. dicentem super hunc versum, Ab increpatione tua fugient &c. Hoc factum est fratres: ab increpatione Dei, fugerunt aquæ, hoc est à pressura montium recesserunt. Iam montes ipsi erant Petrus, & Paulus: qui modo eminent, qui antè à persecutoribus premebantur, nunc ab Imperatoribus venerantur. Fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor Regum in manu Dei deflexit quò voluit. Iussit per eos pacem dari Christianis. Emicuit, & eminuit auctoritas Apostolica. Numquid & quando suprà erant aquæ montium defecerat magnitudo? Sed tamen fratres, vt omnes viderent eminentiam montium, per quos montes salus esset generi humano: Psal. 120. quia leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi. Ab increpatione Dei fugerunt aquę, à voce tonitrui tui formidabunt, Sequitur: Nudati sunt montes, iussit Imperator. Sed quid iussisset nisi Deus tonuisset? Sed quia voluit Deus, illi miserunt, & factum est. Ergo nullus sibi hominum arroget aliquid: formidauerunt aquæ, sed à voce tonitrui Dei. Nam ecce cum voluit Deus fugerunt aquæ, ne premerent montes. Hæc Augustinus.

Auct. Quid ergo causaris, quid malignaris in Cęsarem? vocans eum, imperatorem fatuum, quia venerabatur Apostolos in Siluestro, & honorauit Ecclesiam? Eminebat Papalis auctoritas antè pacem Cæsaris, quando aquæ sęcularis persecutionis suprà eam erant. Nec tunc defuit montibus magnitudo, neque creuit post dotem per Cæsarem, sed apparuit solùm quando subtraxit aquas, & reddidit pacem, & dotem Ecclesijs: & iam non potes dicere Imperatorem fatuum, qui quod fecit, fecit ad diuinum impetium. Sic dicit Augustinus. Iussit imperator, sed quid iussisset, nisi Deus tonuisset? Non ergo labuntur hic homines de fide reputantes hoc factum imperatoris deuoti executorium esse diuini præcepti.

Quintò insuper arguit noster Vvitcleff

Pa-

Papam esse Antichristum, de Christo, & Antichristo cap. 13.

Vvitcleff. Christus, inquit, prohibuit suos ferire gladio, sed pati vt ipse cùm potuisset hostes suos faciliter si voluisset superare. vt patet Ioan. 18. Papa autem dicitur dotare milites de bonis pauperum, ad cumulandum sibi superfluitates stercorum. Sequitur. Ex his practicè declaratis, declarari potest patentiùs, quòd Papa ad bella sic prouocans sit patulus Antichristus. Hæc ille.

Auct. Hìc patet illum cuncta indistinctè confundere, & tam damnare in Papa, quòd alios in causa Christi Ecclesiæ prouocet ad bellandum, quàm quòd ipse procedat ad
6 bellum. Et cur ergo tradidit Christus Petro vtrumque gladium, spiritualem ve puta, & temporalem?

Bernardus ad Eugenium satis commendantèr expouit, lib. 4. dicens. Quid tu denuò vsurpare gladium temptes, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi attendere videtur verbum Domini dicentis sic; Ioan. 18. Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis in Luc. 12. Ecce duo gladij hìc, non respondisset Dominus Satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ: & spiritalis scilicèt gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus est. Hæc ille.

Auct. Ecce iam non erit Papa patulus Antichristus, & si gladium habeat temporalem: habet eum ad nutum, in quo pro Ecclesia miles cędat: quòd si nec ad nutum scilicèt ne hortari possit milites in causa Christi ad percutiendum in gladio, quomodo habet eum? Habet certè, vel fallitur Christus. qui dedit eum ad nutum, dico non ad manum, quemadmodùm Augustinus 22. lib. contra Faustum Manicheum, cap. 70. in fine tom. 6. Vtique, inquit, Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat vt ferirent. Quid ergo incongruum si Petrus post hoc peccatum factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses in Exod. 2. post percussum Ægyptium factus est rector synagogæ? Hęc Augustin. ibidem.

CAPVT L.

Declaratur quòd Papa non sit patulus Antichristus, secundùm quatuor proprietates Antichristi.

S V M M A.

1 *Christus habuit iurisdictionem non solùm in Iudæos, sed etiam in omnes gentes: quamuis primo omnium ad oues domus Israel missus fuerit.*

2 *Apostoli ex præcepto Christi dilatarunt Ecclesiæ terminos, quæ non est vno loco contenta, sed totum mundum cœlesti occupat prædicatione.*

3 *Papæ, & Ecclesiasticorum munus est ex mandato Spiritus sancti vt regnum Christi, quantum in illis est per fidem dilatent.*

4 *Equitatus, & alij splendidi Papæ apparatus, non sunt contrarij Christo: siquidem ille agnoscat eos esse pro tempore tolerandos, non affectandos pro debito.*

5 *Solium Papæ, quod symbolum est auctoritatis docendi, & iudicandi, habet fundamentum in Scripturis sanctis, & in Patribus. non autem in dotatione Cæsarea.*

6 *Petrus tres sedes erexit, sed præcipuam Romæ.*

7 *Episcopi, quod Reges, & Imperatores coronis, vnctionibusque insigniant, non recenti, sed vetustissimo iure habent.*

8 *Cùm in Scripturis sanctis homines appellentur Dij, non est scandalum Ecclesiæ si Summus Pontifex etiam Deus in terris vocatur: præsertim verò in terrorem, & vindictam impiorum.*

PRoprietates Antichristi supponit noster Vvit. ex quibus arma sumit in Papam; in lib. de Christo, & Antichristo, c. 4. Vvitcleff. Prima, inquit, est quòd Christus sibi limitauit rationabilitèr locum iurisdictionis in Iudæa. Non sum missus, inquit, nisi ad oues &c. vt patet Matth. 15. Quando autem visitauit Samariam, Tyrum, & Sydonem, vel terras alias, hoc fecit figuratiuè, ad denotandum, quòd gentes fuerunt post modum in ouile Domini conuertendæ: & in istis tertis conuertit filios Israel. Papa autem vellet extendere suam iurisdictionem per totam terram habitabilem dum lucrum sibi saperet. Sequitur. Immò si crederet istud sonare sibi in lucrum, vellet suam iurisdictionem extendere per vacuum infinitum. hæc Vvitcleff, & resumit 2. parte de sermone Domini in monte, cap. 61.

Auct. Quàm libentèr iste errat in Christum, vt sub colore tali fucato, feratur in
1 Papam? At quis Christianus credit Christum non habuisse iurisdictionem nisi in Iudæos, audiens ipsum dicere, omnia dedit mihi Pater, vt in Ioan. 13. 12. 10. Et iterùm omnia traham ad me ipsum: & quòd alias oues habet, quæ non sunt ex hoc ouili &c. & quòd dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum Psal. 71. quod de Ecclesia Christi piè dixit Propheta. Et Paulus dixit se accepisse gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius ad Rom. 1. Et quomodo accepisset ipse in nomine Christi Apostolatum, in quos Christus ipse iurisdictionem non habuisset? Non ergo moremur in hac hæresi, quæ tam patentèr Episcopatui Christi præiudicat. Sed respondeamus ad inductum. Christus, inquit, limitauit sibi locum iurisdictionis in Iudæa, Non sum missus dicens, nisi ad oues, &c. Ex hoc innuens, quòd Christus non sit missus ad gentes: falsè intelligis. Ad gentes missus est Christus: & illas dixit alias oues suas, quas tamen non adduxit. Sed primò omnium missus est ad oues domus Israel: se-

cun-

eundùm illud Apostoli ad Rom. 1. Virtus Dei in salutem est omni credenti, Iudæo ptimum, & Græco. Et in commentario super eundem locum, & iam dictum textum, Matth. 15.

Hieronymus tom. 9. Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel: non quòd & ad gentes non missus sit, sed quòd primùm ad Israel missus sit. Vt illis non recipientibus Euangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio. Hæc Hieronymus.

Auctor. At cæce, & perfide, cur non attendis Christum, qui dixit non sum missus nisi ad oues Israel, etiam pro eodem dixisse discipulis Matth. 10. In viam gentium ne abieritis, sed si per hoc extra Iudæam iurisdictionem non babuit, cur illuc postmodùm temerè Apostolos suos misit cùm dixerit, Marc. 16. Euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, Matth. 28. nisi quia dilatare voluit iurisdictionem suam per totam terram habitabilem? Aut quid aliter congregauit spiritus Christi Apostolos? Ad quid iterùm per sortes diuisit, vt non fabulosa refert historia, quam sequi videtur in commentario super Esaiam libro decimo super Textum. Esa. 34. Ipse misit eis sortem.

2 Hieronymus, tomo 5. Dominus, inquit, mandauerat eis. Matth. 28. Ite, & docete omnes gentes baptiaantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Spiritus illius congregauit eos, deditque eis sortes, vt alius ad Iudæos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & vnusquisque in Euangelij, ac doctrinæ Prouincia requiesceret. Hæc Hieronymus.

Et Cassiodorus super Cantica 6. exponens Textum. Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens? Quæ, inquit, est ista, id est qualis, & quanta est Ecclesia, quæ progreditur, id est proficit de virtute in virtutem? Non enim stare, sed progredi dicitur Ecclesia, quia non est vno loco contenta, sed totum Mundum cælesti occupat prædicatione. Hæc ille.

Auct. Aut ergo fecerat lucrum suum Paulus cui Iudæa non suffecit nec Græcia spatiosa, quin ab his vsque ad Illiricum mare repleret Christi Euangelium. Et Beatus Petrus primò extendit iurisdictionem suam per Romam, & deinceps per Europam, & Ioannes per Asiam, & omnes Christi fideles, adhuc Christianissime cupiunt per totum Mundum Christi fidem diffundi, clamantes ad Deum ne in angusta Iudæa incarceretur Ecclesia, qualiter propheticè præcinit Esaias. Dicent, inquit, in auribus tuis filij quos perdidisti. Angustus mihi hic locus est, fac mihi locum, vt habitem, Esaiæ 49. Super quod in commentario lib. 13.

Hieronymus. Quæ enim, inquit, priùs deserta fuerant, & dilapsa in solitudines, & ruinas, adueniente Christi Euangelio instaurabuntur, & tantam habebunt habitatorum multitudinem, vt eos capere non possint, ita dumtaxat, vt persecutores fugentur procul. Sequitur qui destruebant te, & dissipabant, exhibunt à te Filijque sterilitatis tuæ, quos putabas penitùs perdidisse, & illis te esse vidua tam; dicent in auribus. Angustus mihi est locus in synagogis, fac mihi spatium in Ecclesijs, vt habitem latiùs, vt non comprimar blasphemijs Iudæorum, vt totum Orbem, tua mecum capiat latitudo. Hæc Hieronymus.

Auct. Vides ecce votum esse Spiritus Sancti, vt per totum Orbem latitudo protendatur iurisdictionis Ecclesiæ, & hoc
3 mandauit ipse Spiritus Sanctus tam Papæ, quàm omni Ecclesiæ, vt Regnum Christi per fidem dilatarent quantum posset per Orbem, per os eiusdem Esaiæ, vt exponit lib. 18. Ciuitatis Dei cap. 29.

Augustinus tom. 5. Iam, inquit, quod de Ecclesia sequitur, audiamus. Esa. 54. Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, Gal. 4. dilata locum tabernaculi tui, & caularum tuarum fige. Noli parcere, prolonga funiculum tuum, & palos tuos conforta. Adhuc in dexteram, & sinistram partem extende, & semen tuum hæreditabit gentes, & Ciuitates desertas inhabitabis. Ne timeas quoniam confusa es, neque reuerearis, quia exprobrata es, quoniam confusionem æternam obliuisceris, & opprobrij nuditatis eius non eris memor, quoniam Dominus faciens te, Dominus Sabaoth nomen ei, & qui eruit te, ipse Deus Israel vniuersæ terræ vocatur. Hæc ille.

Auct. Vides ergo debitum esse Papæ, dilatare Ecclesiam Christi per vniuersam terram. Quid tu interpretatis ad malum, quod conatur explere præceptũ? Matth. 15. De corde ergo tuo exeunt istæ cogitationes malæ, blasphemiæ, & testimonia falsa de Papa, quòd hoc faciat in lucrum suum, nisi hoc blasphemas in Spiritum Sanctum Domini. Sed vtinam non frustrà in teipsum converteres argumentum, qui faciente diabolo in lucrum Antichristi extendis eius iurisdictionem per terras quas vales. Aut post Angliam inclytam, quid subegisti Bohemiam? De partibus Portugalliæ, & Hispaniæ reuoca peruersos pastores tuos. Quid tu per totam terram habitabilem Antichristi paras imperium in detrimentum Christi Ecclesiæ, & fidelium dispendium animarum. Secunda Christi proprietas cui Papa aduersatur, vt dicit, quasi Antichristus expressus.

Vvitcleff. Venit, inquit, Hierusalem sedens super asinam, & pullum eius sine sella dum discipuli posuerunt super ea vestimenta sua, & desuper sedere fecerunt. Matthæi 21. Zach. 9. Ioan. 15. Marc. 11. Lucæ 19. Papa autem dicitur habere Cardinales, & familiam nimis superfluam ad onus Ecclesiæ, & illi cùm equitant, habent sellas splendidas, & finaliter Papa dicitur mouere Cæsares ad ducendum sibi frenum cum superfluo apparatu, & sedendo postmodùm in solio, facere magnos,

& dignos fideles pedes suos, cum genuflexionibus osculari, sed quæ conuenientia Christi ad Belial? 2. Corinth. 6. Hæc Vvitcleff loco supradicto.

4 Auct. Quantum ad equitatum Papæ, cum splendida familia, & copiosa, non necessè habet Ecclesia monitione hæretica, satis instruunt magistrum nostrum Antistitem si tamen instruere liceat monita filiorum. Audit benè, quod olim filius eius prudens dixit ad Eugenium lib.4.

Bernardus. Pastorem te populo huic, certè aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cuius sedem tenes, te neget hæredem. Petrus. Hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, nec tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite; nec circunstrepentibus septus militibus. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, Ioan. 21. Si amas me, pasce oues meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda, pro debito. Ad ea te potiùs incito, quorum te scio debitorem, & si purpuratus, & si deauratus incedens, non est quod horreas operam curamque pastoralem: pastoralis hæres, non est quod erubescas Euangelium. Hæc Bernardus.

Auct. Meliùs moderatur hunc splendorem apparatus Papalis Bernardus, quàm Vvitcleff prophanus. Consulit toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad quam Antichristianam proprietatem (secundùm Vvitcleff,) quis sanctus consuleret? Quis non omnibus vijs dehortaretur, & modis? Et si de magna circunstrepente familia murmur fiat, in hoc non erit Papa Christo contrarius, qui vt notasti cùm Hierosolymam pergeret, cum tam magnis turbarum cursibus quarum quædam præcedebant, & aliquæ sequebantur, quæ ex populis erant, qui comitabantur cum de Hierico secundùm Hieronymum ibidem in commentario Matthæi, & cum tanta manu templum intrauit, vt humano opere euertere posset mensas mercantium indecenter. Et quantum 5 est de excelso solio, in quo Papam redarguis collocatum, mihi videtur te non aduertisse Psalmistam de Cathedra Petri dicentem, Psal.106. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Cathedra seniorum, id est presbyterorum, sic deduxi supra presbyteros appellatos. Vndè Moysi cathedra excelsa fuit, quæ vsque ad tempus Christi successiuè recepit legem eius docentes, Vndè Dominus, Matth.23. super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Sic quòd prædictus modus cathedram statuendi trahebatur ex consuetudine Scripturarum, vbi cathedra Moysi deputabatur successoribus cathedræ ob auctoritatem docendi legem acceptam. Vndè contra Adimantum discipulum Manichæi, Capitulo decimosexto.

Augustinus tom. 6. Ait enim super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, sed quæ faciunt facere nolite, dicunt enim, & non faciunt. Quo loco, & auctoritatem legis, quæ per Moysen data est confirmat Dominus, & tamen cauendos, & fugiendos esse mores eorum, qui legi quam acceperant non obtemperabant apertissimè ostendit. Hæc ille.

Auct. Ita est Cathedræ Papæ auctoritas legis Christi perceptæ. De hoc etiam solio prophetauit Zacha. cap. 6. Vir oriens nomen eius. Sequitur. Sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter eos. Ecce Christus in solio suo, & Sacerdos in solio suo, salua pace. Item Iob vigesimoquarto appellatur cathedra. In platea, inquit, parabant mihi cathedram, quod exponens in libro annotationum super Iob secundùm aliam translationem.

Augustinus tom.4. In plateis, inquit, ponebatur mihi sella, id est à turbis deferebatur mihi docendi auctoritas. Hæc ille.

Auctor. Quid ergo peruerso sensu exponis ad pompam? Hoc Augustinus, hoc fideles Catholici docendi reputant potestatem. Nec calumniari potes hanc solij gloriam exordium accepisse de dotatione Cæsarea, quam præuenit Vrbanus Papa, statuens in omnibus Ecclesijs, præsulum excelsam Cathedram ordinandam, decreto suo primo cap.4.

Vrbanus Papa. Quòd, inquit, sedes in Episcoporum Ecclesijs excelsæ, constitutæ, & præparatæ inueniuntur in throno. speculationem, & potestatem iudicandi, & soluendi, atque ligandi à Domino eis datam materiam docent. Vndè Saluator in Euangelio Matth.17. ait. Quæcunque ligaueritis super terram. Ioan.20. Et alibi. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.

Auct. Habet ergo solium Papæ ad minùs inter Cathedras Sanctorum Pontificum fundationem suam ab ipsa prima Petri, & successorum Antistitum. Sic enim supputare videtur, sexto libro registri, epistola ad Eulogium Alexandrinum, & est epistola 37. quæ incipit, Suauissima mihi sanctitas vestra.

Gregorius tom.2. Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in quam Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua 17.annis, quamuis discessurus, sedit. Hæc ille.

Auct. Ecce tres sedes erexit Petrus, & sedit quamuis præcellenter in Roma. Adhuc infert aliam Antichristi conditionem ex qua Papam arguit Antichristum, 2.parte de Serm.Domini in Monte cap.36.

Vvitcleff. Tertia, inquit, conditio Antichristi est, quòd ipse quærens lucrum proprium, quærit gloriam propriam, & sic facit ad ostentationem sæculi, quicquid facit. Et multùm infra exprimit in particulari. Nam coronando Cæsarem, conferendo Episcopatus, & alias dignitates,

quæ nescit si consonant beneplacito Dei Patris, videtur omniquaque ad gloriam mundanam, & lucrum proprium aspirare. Hæc Vvitcleff.

7 Auctor. Quantum mihi videtur non secus commissum est sacris Episcopis coronis Reges, & Vnctionibus insignire.

Nàm libro 8. epistolarum, epistola, quæ intitulatur de traditione Basilicæ, sanctus Pater Ambrosius: Veteri, inquit, iure à Sacerdotibus legimus donata imperia, non vsurpata, & vulgo dici, quòd Imperatores Sacerdotium magis optauerunt, quàm imperium Sacerdotes. Christus enim fugit ne Rex fieret. Hæc Ambrosius.

Auctor. Ecce non nouo, sed veteri iure Sacerdotes donauerunt imperia: fuisset autem non vetus, sed nouum ius, si in Constantino cœpisset, qui non præcessit Diu sanctum Ambrosium. Sed forsan vis, vt Sacerdotes seipsum insigniant, & sic Sacramenta consecrationis alienæ recusent: hoc te velle existimo de Regibus, quòd de Sacerdotibus tradidisti.

Sed statim huius institutionis exordium obuiat sic dicenti, cùm Iosue legimus iussione Domini per Moysem consecratum & Principem, Num. 27. Dixit Dominus ad Moysem: Tolle Iosue filium Num, virum, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.

Hic ecce tria concurrunt in consecratione Principis: consensus multitudinis, cuius offerebatur præsentiæ. Auctoritas Sacerdotis, qui designabatur ex nomine, & collatio consecrantis, cui par factus est gloriæ potestate. Vndè datur intelligi, quòd quanracumque quis gratia polleat officium consecrantis recusare non debeat. Vndè in quæstionibus super libro Numerorum quæst. 64. recitans, quòd dictum est, in quo est spiritus.

Augustinus. Vbi quid aliud, quàm Spiritum sanctum debemus accipere? Non enim de spiritu hominis hoc diceret, quem nullus erat, qui non habebat. Iussus est enim Moyses ei magnus imponere, ne quisquam homo qualiber præpollens gratia, Sacramenta consecrationis audeat recusare. Hæc Augustinus.

Auctor. Sed noui insidias inimici. Statim scio occurret obuiam Witcleuista, qualiter ergo, inquiet, officium consecrandi Reges per hanc legem conuenit Sacerdoti, cùm hic non Sacerdos Eleazarus, sed Dux Moyses Iosue consecrauit? Ne quicquam notandum in rebus præteritene figuræ; & per hoc omnia hæc in suum principium resoluantur. Omnes potestates in lege veteri deriuantur à Moyse; & omnes potestates in lege noua trahuntur à Christo. Moyses dico tibi, ibi Christi figuram gerebat: dicente Isidoro libro 2. de origine officiorum cap. 5. Isidorus. Forcassè, inquit, quæritur, cuius figuram gerebat Moyses. Si enim filij Aaron, Presbyterorum figuram faciebant, & Aaron summi Sacerdotis, idest, Episcopi, Moyses cuius? Indubitanter Christi, & verè per omnia Christi, quoniam fuit similitudo mediatoris Dei, qui est inter Deum, & hominem Iesus Christus, qui est verus Dux populorum, verus Princeps Sacerdotum, & Dominus Pontificum. Hæc ille.

Auctor. A Christo ergo omnis consecratio, & impositio manuum in lege noua incœpit, quæ deinceps solis Sacerdotibus, aut interdum Prophetis licebat, ad significandum Sacerdotium tunc temporis imperfectum. 1. Reg. 10. & 16. Sic Samuel vnxit Saul, vnxit & Dauid in domo patris per consecrationem, cuius duæ aliæ vnctiones significabant solam populi consensionem, & electionem gratuitam; & Sadoch Sacerdos vnxerat Salomon. 3. Reg. 1. & sic deinceps. Itaut in nostra tempora huius Sacramenti collatio solis Sacerdotibus antiquo iure, vt Ambrosius supra dixit, conueniat.

Accipit quarto loco occasionem malignandi contra Papam, eo quòd quidam glossatores ipsum nuncupant Deum, in libro de Christo, & Antichristo, cap. vltimo.

Witcleff. De Papa, inquit, dicitur, quòd tota vita eius, & gesta sunt ad quærendam gloriam huius Mundi, quare rogo propter quam causam consentiret vocari Pater sanctissimus, & per suos glossatores vocari Deus mixtus, vel Deus in terris? Hæc Witcleff.

Auctor. Breuiter expediamus istam calumniam: simul enim cum fine verborum finitur ingenium. Quis Scripturarum

8 tantillus auditor est, vt nesciat Deus vocari homines abusiuè per participationem? Qualiter Dominus in Euangelio dicit, Io. 10. Antiquitùs dictos eos esse Deus, ad quos sermo Dei factus est.

Et in Psalm. 94. Rex magnus super omnes Deos; super quod in eumdem Psalmum, Augustinus to. 4. Hic, inquit, accipit homines Deos: non enim Rex Dominus super dæmonia; & hic habemus Scripturæ testimonium, Psalm. 81. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit. Deos dixit participatione, non natura, gratia, qua voluit facere Deos. Quantus Deus est, qui facit Deos? Hæc ille.

Auctor. Vide iam vtrùm Dij non sunt, quos Deus ipse per gratiam Deos facit. Quid ergo latras in Papam, Patrem sub Patre Christo, & Diuinarum Vicarium gratiarum? Cur omnes per gratiam administrationis eius Dij sunt, & ipse Deus non erit inter omnes Deos? Sed & aliud audeo dicere, ipse tibi, & sectatoribus tuis est. Qualiter, per terrorem quemadmodùm Moyses est Deus Pharaonis, Exod. 7. Quòd exponens super Beati immaculati, vers. Portio mea Domine, Ambrosius to. 4. Rex, inquit, erit Pharao, sed Deus non erat, Moyses factus est illi Deus, hoc est Regi ipsi terribilis, quem Rex metueret, & timeret; sed hæc erat potentia sanctitatis. In talium congregatione Deorum Deus stat, atque

atque discernit. Et tu si vis Deus esse peccatoribus terrori, Regibus reuerentiæ, vt tamquam Deo videamur tibi esse subiecti, quia operaris in Dei nomine, contemne, quæ seculi sunt, & Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre dinitijs. Hæc ille.

Auctor. Et in primo Regum Prophetæ dicuntur, omnes Dei, quia ex ore Domini loquebantur. Vndè in Hebraicis quæstionibus super Samuelem Hieronymus, 1. Reg. 12. Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini. Os Domini dicit os Prophetarum, quia ex ore Domini loquebantur. Hæc ille.

Auctor. Ergo non est scandalum Ecclesiæ si cæteri scripserunt Papam Deum, qui cunctis malè petentibus debet esse terrori: & in ore Domini contra peccata fulminare sententias, & esse eis capitalis metus in nomine Christi Iesu, cuius geminum gladium portat. Et quidem sancti Patres hoc ipsum titulo Papæ figunt. Vndè libro 4. ad Eugenium in fine, colligens summatim Papatus officium.

Bernardus. De cætero, inquit, oportere te esse considera formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum Ducem, amicum Sponsi, Sponsæ Paranymphum, Cleri Ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, refrigerium oppressorum, pauperum Aduocatum, miserorum spem. Sequitur. Vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam portantium, malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis. Hæc Bernardus.

CAP. LI.

Respondetur ad Argumentum, quòd oportet esse Papam, quamvis Christus perpendiculariter resideat in Cœlis super omnes iustos.

SVMMA.

1 *Christus tametsi perpendiculariter resideat ad Zenith capitis cuiuscumque hominis in Cœlo, non est propterea supernacaneus Summus Pontifex, cæterique Ecclesiæ Prælati, per quos in homines venit per regulares Sacramentorum lineas.*

2 *Ordinem non frustrà Deus in cunctis rebus instituit, vt scilicèt infima per media ad suprema transmittantur.*

3 *Christus ex speciali priuilegio, alicui per seipsum, & immediatè gratiam confert.*

FLamma hæc hæretica, quæ comburit montes, Psal. 80. præsidentes scilicet in tota Ecclesia Iesu Christi, diffunditur super fornacem suam per tria argumenta spiritus vastatoris, dissoluens super Romani Præsulatus officium, & probare conata, quòd inutiliter præsidet Papa Mundo. Quia Christus, qui directè residet in Cœlis super Fideles, per se satis abundè ministrat omnem gratiam spiritualem petentibus sine Papa. Vndè conclusione inter damnatas 60.

Witcleff, experiméto cognoscimus, quòd Papa vel mortuo, vel deposito, cum suis Cardinalibus, & Prælatis Cæsareis, non minùs, sed amplius prosperaretur Ecclesia. Nàm quantum ad Sacramentum Confirmationis, cum Sacramento Ordinis, & benedictione Chrismatis, cum Ecclesijs dedicandis, quæ appropriantur Episcopis, videtur, quòd Christus perpendiculariter residens in Cœlos super iustos Presbyteros, daret illis potestatem talia faciendi. Hæc ille.

Auctor. Declaratio autem huius, & expressa probatio habetur ex tractatu suo secundo de sermon. Domin. in monte cap. 38.

Witcleff. Blasphemias, inquit, loquuntur, qui dicunt, quòd oportet Cœlestem radium de Cœlo descendere super Romanum Pontificem, & ab ipso reflecti secundùm angulum ad prouincias adiacentes per terras, & maria, ac si prima veritas quæreret angulos, nec omne donum, aut datum optimum descenderet à Patre luminum, Ezech. 1. sic quòd Deus non sit perpendiculariter super caput vniuscuiusque hominis, sed quid magis hæreticum, cùm Deus ex immensitate sua necessariò sit vbique? Hæc Vvitcleff.

Auctor. Procul dubio hæc mystica allegoria de perpendicolis, quam vix in Scripturis habemus duobus in locis, oppositos etiam supradictæ iàm hæresi fine egressus. Hic enim, vt patet ex perpendiculari Dei superfessu, arguit euacuandam Romanam Sedem Pontificis. Lege Esaiam 38. Et propter perpendicularem Dei residentiam per sententiam vindicem aufertur de Sion omnis potestas nobilium, atque Regum: vt sic redigatur in nihilum, & fiat perpendiculum in desolationem.

Textus est iste. Esa. 34. Dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion, conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur. Sequitur. Extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem: nobiles eius non erunt ibi, & omnes Principes eius erunt in nihilum, & orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, &c.

Super quem locum in comment. Esaiæ libro 9. Hieronymus tomo 5. Et hoc fiet, quia funiculus Domini, atque perpendi-

pendiculum, ideſt, ſententia illius non valet inmutari. Nobiles eius, ideſt Apoſtoli, atque credentes non erunt ibi, nec perditorum numero coniungentur, ſed Regem Chriſtum potiùs inuocabunt. Hęc ille.

Auctor. Hoc eſt ergo perpendiculum deſolationis, & deſtructionis, quòd primò tollit Apoſtolos, & ſucceſſores eorum, Epiſcopos, vt etiam diruatur, & redigatur ad nihilum.

Lege iterum in Zacharia perpendiculum reformationis, & gratiæ, quando reædificanda erat domus Domini ſub Zorobabel, & Ieſu filio Ioſedech.

Textus eſt iſte. Zachar. 1. Hæc dicit Dominus, Reuertar in Hieruſalem, in miſericordijs, domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur ſuper Hieruſalem, Zach. 1. Vbi gloſſa: Ædificabitur ſub Zorobabel, & Ieſu filio Ioſedech. Et alibi, Dominus ex miſericordia ſe eam reædificaturam promittit, & perpendiculum, ſeu funiculum ſecundùm menſuram, & ordines ſingulorum in ea eſſe tenendum. Hæc ille.

Auctor. Reſidet ergo Dominus ſuper homines in perpendiculo deſolationis, & vindictæ, quando tolluntur Eccleſiæ Prælati, & Pontifices. Reſidet ſecundùm perpendiculum gratiæ, quando ſub Prælatis Eccleſia ſumit ædificium, & tenentur illi per ſupra, & ſub iuxtà præſidentem ordines ſingulorum. Videte Scripturas, ſi mihi non creditis, eis credite.

Iſte Vvitcleff, docet nos in hoc paſſu quomodò deſcendat in nos perpendiculum ſeueriſſimæ Dei vindictæ per ſubtractionem Romani Pontificis, & cæterorum ſubiectorom ei Antiſtitum, quos Chriſtus parauit nobis in Apoſtolo ſuo Petro in perpendiculo gratiæ per ordines ſingulorum. Sed nollem, inquis, radium Diuinæ gratiæ ad nos venire per angulum refractum ad aliquem. Ego vellem Fideles non audire te docentem Scripturas, ne radius perpendicularis luminis Diuini in vmbra tua refractos offendat Fideles. Scito tamen genu noſtrum curuatum per primum peccatum, & ex eo omnes homines cum Iacob claudicaſſe in ſemitis Dei propter tactum nerui, Geneſ. 28. cuius eſum vſque hodie omnes veri Iudæi, ideſt, confeſſores Chriſti, refugiunt.

Sic enim dicit Rabanus de naturis rerum, à curuo genu angulum eſſe dictum libro 14. cap. 22. Angulus, inquit, tractus eſt ex græco ſermone, ideſt, à gony, quòd latinè dicitur genu, eo quòd inflexum ſpeciem anguli conformi qualitate reſtituit. Nàm apud Græcos originem ſui nominis in deriuationibus omninò cuſtodit, vt tetragonus, & pentagonus, & ijs ſimilia. Epheſ. 1. Hæc ille.

Auctor. Pſal. 126. Curuo genu ſemper hic incedimus; & numquam, aut raro ſine vitio, quia ſumus natura filij iræ, declinantes ſemper in obligationes ab originali perpendiculo gratiæ.

Dicis, quòd veritas non quærit angulos. Lucæ 15. Certè veritas quærens ouem perditam angulos multos quærit.

Et quid dicis. Eccleſia Chriſti militans in hac vita, ſicut non erit ſine ruga, vel vitio, ſic nec ſine angulo? quia ſic dicit Propheta Hieremias cap. 31. Ædificatur Ciuitas Domino à turre Ananael, vſque ad portam anguli.

Super quod in commentario libro 6. Hieronymus tomo 5. Ædificatur, inquit, Eccleſia à turre obedientiæ, ſiue gratiæ, & donorum Dei.

Hoc enim interpretatur Ananael, vſque ad portam anguli: quæ licèt initium videatur habere ſublime, tamen quamdiù in iſta carne ſubſiſtimus rectam veritatis lineam non poſſumus poſſidere: ſed in angulo ſtamus, & fractis lineis, exit vltrà funiculus menſuræ contra eam, ideſt, portam anguli ſuper collem Iareb, qui in lingua latina ſcabies vertitur, aut incolatus, aut, vt doceat nos aduenas eſſe, atque peregrinos, & auribus prurientes, & ad nouitatem dogmatum peſſimorum facilè præbere conſenſum. Epheſ. 5.

Sequitur. Vide quanta loca habet Eccleſia, & quòd illud Apoſtolicum: Vt ſit ſine macula, aut ruga, in futuro, & in cœleſtibus reſeruetur: audis angulos, audis ſcabiem, audis ruinas, & cineres, & regionem mortis, & tenebras, & de tua virtute, & impœnitentia gloriaris? Hæc Hieronymus.

Auctor. Teipſum quærit Hieronymus, mi Vvitcleff, te interrogat, audis angulos, audis ſcabiem, ſiue quibus non ędificatur Ciuitas Domino à turre gratiæ. Quid ergo de tua virtute gloriaris, putans in te ſine angulo perpendicularem Dei gratiam reſidere? Puto te curare debuiſſe cum Ethnico, ſi tunc eſſes.

Quomodò collocaſſet Neronem Iuſcum ſuper axem æquilibrum ne ſedens depreſſiùs non ſuam videat obliquo ſydere Romam? Aut qui ſolemnizando putas angulos rectos, aut refractos Euclydis, & Alacen perſpectiui in ſplendoribus Sanctorum?

Fac, rogo, ne Occidentis populi gratiam eius ſuſcipiant ſub angulo reflexo, qui aſcendit ſuper Cœlos Cœlorum ad Orientem, Pſalm. 67. Aut dicas qualiter omne donum perfectum deſcendens à Patre luminum veniat in perpendiculo, Iac. 1. cùm non veniat ad nos, niſi per Filium, qui iuxtà viſionem Stephani in Act. 7. ad dexteram Patris ſtetit; & ſic deſcribitur conſequenter in Symbolo.

Sed ijs truſis omiſſis, dicendum ſecundùm Euangelicam veritatem, quòd Chriſtus ipſe angulus eſt: quia lapis angularis, de quo dictum eſt, Pſalm. 127. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Ideò quicquid Pater luminum ad nos tranſmiſerit, audacter dico, venit per angulum.

Vndè ſuper Pſalmum 84. Auguſtinus to. 8. Agnoſcamus lapidem angularem, lapis angularis Chriſtus non poteſt eſſe angulus, niſi duos parietes copulauerit: ad angulum de diuerſo veniunt, ſed in angulo

gulo sibi aduersantur: venit ex alia parte circumcisio, venit ex alia parte præputium.

In Christo ambo populi concordauerunt: quia ille factus est lapis, de quo scriptum est: Lapidem, quem reprob. ædif. hic factus est in cap. angul.

Sequitur. Venerunt omnes gentes ad lapidem angularem: ibi osculum pacis acceperunt, agnouerunt, illum vnum, qui de duobus fecit vnum, non quemadmodùm hæretici, qui de vno fecerunt duo. Hoc enim idem ait Apostolus ad Ephes. 2. de Domino Christo. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Hæc ille.

Auctor. Iàm scio, iàm palàm sentio cur Vvitcleff angulum arguit, & detestatur, quia ipse Christo angulo aduersatur, faciens de vno duo, de vna Christi Ecclesia duas partes, cùm Christi sectatoris sit in angulo esse, & hac via de Iudæorum hæresi sectam tenet, qui immò horruerunt Christum in Synagogam recipere, ne per angulum Christum verè fidei soliditas impleretur, dicente Rabano de naturis rerum libro 14. cap. de parietibus ædificiorum.

Rabanus. Sub allusione fabricantium, exponitur inanis opera Iudæorum: soli quippè hominum adhùc in Mundo vnum Deum colentes ædificare videbantur, dùm nationes cæteræ Idolorum culturam destruerent. Ædificantes tendunt semper ad angulum, vt commissorum parietum soliditas impleatur. Iudæi verò fidei suæ fabricam minimè perfecerunt, quoniam ipsum, qui lapis erat fortissimus angularis, more dementium putauerunt esse contemnendum. Hæc Rabanus.

Auctor. Iudaizat ergo Vvitcleff, quando non permittit Christianos ædificare vsque in angulum, sine quo nullum possint ædificium consummare.

De more enim dementium putat esse Rabanus, angulum in ædificio fidei contemnentes, & sicut in angulum Christum, ita multò magis ex eo in angulos Petrum, & Paulum, & deinceps per Vicarium Romanum Pontificem.

x Sed hoc nescis intelligere quomodò Christus residet perpendiculariter ad Zenith capitis cuiuscumque hominis in Cœlo, & tamen per Vicarium Romanum Pontificem, & deinceps cæteros Præsules in homines venit per regulares Sacramentorum lineas.

Credis fortè Diuinos radios à perpendiculo declinare, per sacros Episcopos, & per humana officia angulos faciant Christiformes?

Quòd si ita est, cur tu prædicas, vt iactitas verbum Dei, cùm Deus residens in Cœlis ad perpendiculum daret alijs Christianis ad plenum sine te verbi Dei liberrimam facultatem? Cur eminent Reges in populo, cur Iudices iudicant, cùm Deus residens in Cœlis faceret ista optimè sine eis?

Dic agricolis ne fulcent arua, ne grana sepeliant, ne saltem maturas segetes demetant: quia Deus in perpendiculo ista faceret sine eis; & stultè plantauit Paulus, aut rigauit Apollo, quia solus Deus in perpendiculo præstitit incrementum, 1. Corinth. 3.

Sed dico, quia Deus, qui in perpendiculo residet super homines non declinat à perpendiculo, etiam cùm angulum faciat. Sed simul facit in ministro angulum, & seruans rectilineum incidit Fidelibus, & generat gratiam. Quòd si hæc Theologia sit tibi difficilis: disce ab Helia, cur dixerit, 3. Reg. 17. Viuit Deus, in cuius conspectu sto, quia non erit ijs annis ros, vel pluuia super terram, nisi iuxtà oris mei verba? numquid Deus resedit in Cœlo perpendiculariter super capita aliorum hominum, nisi oporteret ipsum de necessitate suæ naturæ primò descendere per os Heliæ, & tunc reflecti secundùm angulum ad Prouincias arefactas?

Quod si concesseris, quia Deus sic dicit, multò magis per os Petri, & successorum eius, & aliorum in Ecclesia Sacerdotum, ministrabit Deus regulariter effectum gratiæ, Confirmationis, & Ordinis, quibus dixit in Petro: Matth. 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum: Ioann. 20. Et accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Cur ipsi non dicent ex ijs Christi verbis, quia non veniet gratia Sacramentalis roris, vel pluuiæ nisi iuxta verba oris nostri? Et nunquid Deus immediatè, & perpendiculariter largiebatur posimodum rorem illum super terram, quamuis per angulum à verbis oris Heliæ? Ità dico ego, quicquid facit sub angulo per ministrum immediatè efficit, & perpendiculariter influit per seipsum. Vide hoc quomodo Cornelius act. 10. & 9. renatus à Deo per Petrum, per Ananiam Paulus, incarnatus Christus per Virginem, Luc. 1. Ipse ergo angulus, & per angulos incidens semper per perpendiculum, quia in ministris suis non patiens obicem, tamquam per corpora supra celestium Orbium, penetrat ad fidelem vltimum per effectum.

Quodammodò enim videtur hoc sentire Augustinus tom. 8. super Psalm. 86. dicens se ianuam intrare: per ianuam, quod corpora non possent. Angustias, inquit, omnia penè corpora patiuntur, neque vbique esse possunt, nec semper. Diuinitas autem, quæ vbique præsto est, vndique ad eam potest duci similitudo.

Sequitur: Vno in loco ambas res dixit in Euangelio, Ioann. 10. dicens, quòd pastor per ianuam intrat, & ibi dixit: Ego sum Pastor bonus, & ibi dixit: Ego sum ianua. Pastor intrat per ianuam, & quis est Pastor qui intrat per ianuam? Ego sum Pastor bonus, & quæ est ergo ianua qua intras tu Pastor bone? Ego sum ianua. Quomodo ergo tu omnia? Quomodo per te omnia? verbi gratia, cum Paulus intrat per ianuam nonnè per ianuam Christus intrat? quare? Non quia Paulus Christus, sed quia in Paulo Christus, & per Christum Paulus 2. Corinth. 13. Ipse dixit, an experimentum eius quæritis, qui loquitur in me Christus? Cùm sancti eius, & fideles eius intrant per ianuam, nonnè Christus

ftus per ianuam intrat? Hæc ille.

Auctor. Ecce quomodo omnia Christus, & per omnia Christus, & perpendiculo, & in angulo, in seipso, & in Paulo idem Christus semper.

Et prosequitur ibi post, Augustinus: Quare sunt fundamenta Apostoli, & prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? quia per ipsos intramus ad Regnum Dei. Prędicant enim nobis, & cùm per ipsos intramus Apocal.21. Ipse est enim ianua, & dicuntur 12. portæ Hierusalem, & vna porta Christus, & 12. portæ Christus, quia, & in 12. portis Christus. Hæc Augustinus.

Auctor. Vides ecce, quòd cùm Apostoli prædicant, & per ipsos intramus ad Regnum Dei, per Christum intramus. Quare ergo cum Episcopi ordinant, Christus non ordinat, & dum Episcopi confirmant, Christus ipse non confirmat? Omnes illæ sunt portæ, & tamen vna porta, quia in omnibus vna porta Christus. Vltimatè vero pensandum est omnibus fideli-
2 bus, quod ordinem in omnibus rebus non frustra Deus ipse constituit; sed ipse vermem creat, & tamen influentiam ad hoc faciendum sol primo concipit, & transmittit in causas proximas. Ità cuncta ministrat hic Christus per gratiam, & primum radium eius primo suscipit primus minister gratiæ scilicet Episcopus, & inter Episcopos primò primus, & per ipsum fluit in alios secundùm quod clarè docet cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ ex translat. Ioannis Scoti, Magnus Dionysius. Lex quidem hæc est diuinitatis sacratissima per primam secunda ad diuinissimam suam reducere lucem. An non sensibiles elementorum essentias videmus in magis eis cognata primum venientes, & per illa in alia propriam diuidentes operationem?

Sequitur ad propositum. Horum igitur est diuidere primorum, secundis copinsè, & in commensuratione, quæ iuxta eos est ostendere ab ipsis sacra contemplata diuina spectacula, & docere quæ Hierarchica sunt cum scientia consummatiua diuinaque eos, qui post se sunt Hierarchiæ simul benè docentium, & perfectam benè docendi virtutem accipientium, tradere secundùm dignitatem sacra, eruditè, & integrè participantium Sacerdotali consummatione. Horum ergo diuinus Pontificum ordo primus quidem diuinarum ordinationum. Sublimissimus autem iterum & nouissimus idem. Etenim in ipsum perficitur, & impletur omnis nostræ Hierarchiæ dispositio, vt enim omnem Hierarchiam videmus in Iesum consummatam, sic vnamquamque in proprium diuinum Sacerdotem. Hæc ille.

Auctor. Ecce Sacerdotalis ordo, primò suscipit diuinos radios, & in ordine illo primo ordo Episcopalis, & in toto ordine illo primò primus Episcopus, qui est Summus, & vltimus, in quem consummatur tota Hierarchia viantis Ecclesiæ, sicut in Iesum tota Hierarchia tam militantis Ecclesiæ, quàm viantis. Vnde sanctus Thomas exponens hoc, secundum Vercellensem. Vercellensis. Est autem generalis lex Hierarchiæ, vt inferiores per suos superiores sursum agantur ad diuinos splendores illi lucentes, iuxta quod videmus in rebus sensibilibus, & elementatis, quòd cognitiora sibi, & propinquiora priùs, & familiatius immutant secundùm suam similitudinem: & illis mediantibus extendunt operationem suam ad vlteriora. Conuenienter igitur Deus, qui est principium & fundamentum omnis visibilis, & inuisibilis ordinationis, primò influit radios suos vitales, & deificos primis, & superioribus, sicut sibi conformioribus, & per illos tanquam idoneos ad lumen diuinum, & hauriendum, & alijs influendum elucet, & superapparet inferioribus secundùm ipsorum capacitatem.

Sequitur: Ordo Episcopalis præ cæteris Ordinibus Ecclesiasticis proximus est Deo, & Summus & vltimus, & consummatiuus aliorum, quia in ordine Episcopali consummatur, & adimpletur omnis ornatus Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sicut vniuersa Hierarchia Angelica, & humana in Domino Iesu consummatur. Ita & quælibet specialis Hierarchia in proprio Hierarcha. Virtus autem ordinis Hierarchiæ continet omnes virtutes, & operationes Ecclesiasticas, quamuis per inferiores fiat subministratio, & ipsa operatur ministeria sibi appropriata per singulos alios ordines. Hæc ille.

Auctor. Hæc est regularis institutio, vt Christus primò influat in primos ministros Ecclesiæ, qui sunt Episcopi, & per ipsos in alios radios Sacramentales, & doctrinales. Quamuis aliquando ex priuilegio speciali, rarò tamen, & propter causas quas ipse nouit alicui humili, & deuotæ personæ gratiam suam influat per seipsum.

CAP. LII.

Quòd Papa non sit Antichristus propter citationes suas ad Sedem, vel propter patrimonium Crucifixi.

SVMMA.

1 *Exemplo Christi, Pauli, & Sanctorum Patrum, Papa potest citare virum fidelem Romam, vel aliò.*

2 *Christus non est in ligno Crucifixus, vt Clerus postmodum dominetur formaliter, sed forsan consequntiuè.*

3 *Reges, ex gratitudine animi ipsorum erga Christum, ditauerunt clerum: quæ diuitiæ, Patrimonium, Christi, Petri, & Papæ meritò appellantur.*

4 *Patrimonium Ecclesiæ, consensus, & collecta Papales de Regnis, & Prouincijs, habent rationem, & spontanei, & debiti.*

Sol-

SOluamus iterum duàs eius nuocupatas argutias, quibus contendit Papam esse Antichristum propter citationes scilicet, quibus bonos vel malos, Papa vocat ad iudicium, vel ad palmam, & inter procurationes Prouinciales, quas per cognitionem capitis in vsum Ecclesiæ suæ ab antiquo solebat accipere. Vnde de Christo, & Antichristo cap. 14.

Witcleff. Vexat, inquit, fideles anxius citando eos in tempore breui in quocunque loco ipsum esse contigerit. Nunquid credimus, quòd in hoc sequitur Dominum Iesum Christum? de quo quidem legimus, quòd venit per magnam distantiam ad Ioannem baptizandus à Ioanne, & Ioannes miratiuè dixit, Matth. 3. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. At Iesus ait: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Papa autem ex tali crebra citatione contra Dominum, citando impotentes citatos à Domino ad locum contrarium eódem tempore per infirmitatem impossibilitatem in loco citationis Papæ incognito comparendum, ostendit conditionem patulam Antichristi. Christus enim citat ad vnum locum pro vno tempore, & ipse ad locum contrarium pro eodem 1. Corinth. 10. Christus etiam non permittit nos temptari vltra id, quod possumus, Papa autem mandat nos facere, quod non possumus. Christus etiam nunquam citat nisi ad beatitudinem, vel medium ad eandem: Ipse autem citat ad infernum, posito, quòd ex sibi dubio in tempore, quod ipse limitat suus Spiritus fuit in inferno. Hæc Witcleff.

Auctor. Si citationes Papæ sufficienter videantur redargui per has ratiunculas semiplenas, omnium principum, & iudicum citationes, videbuntur ineptæ, immò Apostoli desipuere citando pro eo, quòd obuiant facto Christi, qui non citauit Baptistam venire, immò ipse prior venit ad eum, Matth. 3. Sed quid dicit ad tres magos quos Christus per stellam prænunciam per tantos terrarum tractus, vsque ad stabulum in quo est genitus ad adorandum Cœli Regem Diuino suo citauit instinctu? Ecce puer citat Reges, qui factus homo non iam citat, sed properat ad Baptistam. Ipse nonnè citauit quinque milia hominum, vt eos pasceret in deserto, dicente Euangelista, Marc. 11. Quidam eorum de longè venerunt? Marci 8. Ipse quoque iussit Petrum venire ad se super liquescentes aquas, Matth. 14. Ipse iterum ad omnes homines dixit, Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Ioann. 7. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Cur ergo eius exemplo non citabit Papa fideles, vt si rei sint iudicio ipse premens onus iniquitatis eorum deponens omnes etiam partes potet de fonte iustitiæ? Fidelis Petrus non tardauit impossibilitatem prætendens super ingressibiles vndas ponderosi corporis sui molem transferre. Nec anima Domini nostri Iesu Christi tetrum chaos horrebat inferni, quin illuc citata per deitatem festinantior accederet. Quod iactas illas quas tu ipse ingenio, & dolo malo plasmasti esse conditiones patulas Antichristi, nisi ea via tua Christum Antichristum, & Deum probes esse diabolum. Audiamus Doctorem Gentium beatum Paulum, qui beatum Timotheum existentem in Græcia iussit venire ad se iam existentem Romæ. Festina inquit, venire ad me citò: Demas enim me dereliquit.

Et iterùm ibi citauit sanctum Marcum. Marcum, inquit, assume, & adduc tecum, & libros, maximè autem membranas, & abbreuians tempus subiungit, festina, antè hyemem venire, 2. Timoth. vlt.

1 Hoc exemplo in causis Ecclesiæ potest Papa ad seruandum communem iustitiam: vel propter incrementum fidei ad eandem Vrbem, vel aliam citare virum fidelem, quo Paulus prædecessor citauit festinè satis Timotheum Episcopum. Ipse quoque Titum Episcopum Cretæ citauit venire ad se Nicopolim. Cùm, inquit, misero ad te Arthemam, & Tiricum, festina ad me venire Nicopolim. Ibi enim statui hyemare, ad Titum vltimo. Ecce Paulus citauit vnum Euangelistam, & duos Episcopos in causa canonicæ iustitiæ, & fidei & nullus eorum legitur imposuisse ipsi calumniam, quòd citauit eum ad tantam distantiam, & non potiùs veniret ad eos, sicut Christus Dominus ad Baptistam: nec hoc facit sanctus quisquam Catholicus, quod clamosè facit omnis hæreticus. Vis audire veram causam? Christus in Euangelio causam dedit, Ioann. 3. Quia qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Alioquin per te causas fictas omnis dyscolus possit efficere, vt sic quomodocumque diu sine reformatione noceret Ecclesiæ. Et numquid beatus Gregorius nō euadit tuas fictitias, qui sic citauit Maximum Salonitanæ Ecclesiæ arreptorem lib. 5. Registri, epist. 25. Gregorius tom. 2. Cum scriptis nostris quæsitis quibusdam excusationibus differs obedientiam exhibere, dum pro veritatis patefactione totiens à nobis ammonitus venire postponis; ijs quæ aduersùs te dicta sunt fidem magis ex hoc accodas, & vel si qua alia deesse videbantur, quæ grauent, aut noceant, id agis vt sola dilatio faciat, & accuset te esse culpabilem. Humiliare tandem, & obedientiæ te submitte; atque ad nos sine excusatione aliqua venire festina, vt requisita veritate secundùm Dei timorem quicquid æquum e canonicumque fuerit, decernatur.

Et infrà: Versus finem. Pro qua re obedientiam quam decet exhibens, ad nos summopere, sicut diximus, venire festina, ita 30. dierum spatium habeas quatenus iter tuum prapares, & omni excusatione postposita, huc adesse non differas. Si qua autem à iudicibus, vel manu militari, seu a populo ad contradicendum itineri tuo occasio fuerit exorta, qua calliditate agatur agnoscimus. Hæc Gregorius.

Auctor. Ecce beatus Gregorius citauit Maximum ad breue tempus triginta dierum, & nulla dilatione friuola præualente omnem eius excusationem postponit

&

& insuper impedimenta, quę per eum procurari poterant priusquam fiant agnoscit, & cauet. Nec debet Gregorius in hoc facto argui nouitatis, cuius exemplum ab antiquis Romanis Pontificibus fuxerat, & ante eos ab Apostolis.

Sixtus enim Papa, diù iam ante dotem, sextus scilicet à beato Petro secundùm Augustinum 2. cap. sui decreti. Si inquit, necesse Episcopo venire, eumque appellare minimè fuerit, & vocatus tamen à Sede hac sancta si fuerit, non tenuat venire, sed confestim vt ei nunciatum fuerit venire festinet, & causas pro quibus vocatus est, prudenter exploret, atque si necesse aliquid corrigere fuerit, cum ijs quos primos hic inuenerit, corrigat. Ad Ecclesiam tamen suam non priùs reuertatur, quàm hinc literis Apostolicis scriptis, vel formatis plenirer instructus, atque purgatus fuerit, si fuerit vndè, vt postquam domum reuersus fuerit, cognoscant vicini sui qualiter hic suam, aliorumque causam finierit: quatenus eam absque aliqua ambiguitate nunciare, & prædicare omnibus possit. Hæc ille, & est in vetusto libro decretorum Pontificum.

Auctor. Secundò instat contra Papam, & Clerum pro hoc, quòd Papa habet in peculio Ecclesiæ siue sint annui reditus numeratæ pecuniæ, siue possessiones immobiles pro eo, quòd nominantur patrimonium Crucifixi. Vnde in spec. Eccles. cap. 9.

Witcleff. Quantum ad nominationem patrimonij Crucifixi, patet quod multiplicas blasphemias contra clerum. Sequitur: Et clerus mentitur minutiuè multò abiectius cùm dicat, quòd Christus in ligno fuerat crucifixus, vt clerus suus postmodum taliter dominetur, sed quæ maior blasphemia, quàm Christo imponere talem culpam? & per consequens est summa blasphemia, quòd clerus Christi virtute huius passionis pauperis, & humilis debet sic toti seculo dominari. Hæc Witcleff.

Auctor. Dici toti seculo propter annuos census quos Papa leuat in Anglia, & quibusdam Regnis alijs ab antiquo sic
2 per ea regna taxatos. Sed quòd dicit Christum in ligno crucifixum vt clerus postmodum dominetur formaliter, quis hoc dicit? sed consecutiuè forsan, & sic dicit Apostolus 2. Corinth. 8. Christus propter vos egenus factus est cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites effetis. Ità ergo Christus pauper factus est, Christus egenus est, Crucifixus est, vt nos omnes ex eius inopia diuites facti essemus, & sic verum est, quòd crucifixus est pauper Christus vt clerus ex eius inopi morte ditesceret. Ità hoc dico sicut priora, eadem tamen dixit
3 Apostolus: & ità pristini Reges, & Duces Orbis ditauerunt clerum Christi, quia pro amore, & zelo seculi Christus est mortuus, & si non offerre possunt plenum suum manipulum de substantia fidei, saltem faciunt de possessionibus temporalibus, & oblationibus supplementum. Sic enim in Romanis partibus, & paulò inferioribus distribuerunt Reges, & Cæsares in vsus Ecclesiæ ampla bona, quæ vtique sunt de patrimonio Christi. Quia in hæreditatem ministrorum Christi, & ob eius amorem principaliter sunt translata, ad quæ quisque clericus cùm peruenit dicit Ecclesiast. 24. In hæreditate Domini morabor, & Princeps sic patrimonium suum in patrimonium Christi transferens: dicat clero dotato illud 1. Corinth. 2. Nihil me iudicaui scire inter vos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Et cur ergo non dicatur patrimonium Crucifixi cùm non in viuorum accomodetur delicias, nō in illecebras seculi nutriendas, non ad ingrassandus strages populorum ex ambitu, sed vt tormentum Crucis Christi in membris eis reueletur egentibus? Idcirco à principibus dantur stipes, & ea conditione sumuntur. Cur ergo non rectè dicatur sumpta stips patrimonium crucifixi? Sed beatus Gregorius dixit patrimonium tale bene esse in vsus pauperum reseruarum, lib. 6. registri tom. 2. epist. 50. Vigilio, inquit, fratri, & coepiscopo nostro dicite, vt pensiones quas prædecessor eius per annos plurimos de patrimoniolo nostro percepit, & apud se retinuit, ad nos quia pauperum res sunt studeat destinare, qui si forte aliquo se modo (quod non credimus) excusare voluerit, vos qui veritatem ipsam subtilius nostis, reuera qui in Ecclesia ipsa tempore illo curam vice Domini gerebatis, qualiter se habeat causa disserite, & ne res sancti Petri, & pauperum eius apud se retineri debeat, intimate. Hæc Gregorius.

Auctor. Ecce quod ante dixit Gregorius patrimoniolum suum, iam dixit res beati Petri patrimoniolum scilicet suum ad curam, sed res beati Petri quantum ad vouendi substantiam, & epist. ibi 5. ad Brunechildem Regiuam Francorum.

Gregorius. Qui à multarum rerum experimenta nos commouent de excellentiæ vestræ Christianitate confidere. Idcircò paterno salutantes affectu, quæsumus, vt propter amorem beati Petri Apostolorum Principis, quem toto vos scimus corde diligere, dilectissimum filium nostrum Candidum Presbyterum præsentium portitorem vnà cum patrimoniolo, ad cuius eum gubernationem transmisimus, auxilio vestri patrimonij foueatis, quatenus potestatis vestræ gratia roboratus, patrimoniolum ipsum, quòd pauperum constat expensis, proficere, & salubriter regere, & si qua exindè ablata sunt, vestro fultus auxilio diligenter inquirere, & Deo propitio in pristinum possit reformare statum. Ad ipsius verò patrimonioli regimen: proprius Ecclesiæ homo transmissus est. Hæc Gregorius.

Auctor. Ita ergo patrimonium Ecclesiæ dicit beatus Gregorius, qui diu antè Monachus effectus, cuncta sua dimisit pauperibus Iesu Christi. Sed & Paulus talia quædam collegit in vsus pauperum, & si exemplum magis sit pro Anglicis, qui similius ad propositum collectas faciunt Papæ in numerata pecunia: tamen vbique Christi est hæreditas pro pauperum eius vsibus, verum est dicendum patrimonium Crucifixi. Quòd si obstet ad-

uersarius: pecunias Pauli fuisse sponta-
4 neas, non exactas, certè vtrobique video
debitum, & veram intueor libertatem.
Libertatem dico, vbi dixit 2. Corinth. 8.
In hac gratia abundetis. Non quasi impe-
rans dico; sed pro aliorum sollicitudine,
etiam vestræ charitatis ingenium bonum
comprobans. Debitum autem ad Roma-
nos 15. vbi dicit: Probauerunt Macedo-
nia, & Achaia collationem aliquam facere
in pauperes Sanctorum, qui sunt in Hieru-
salem. Placuit enim eis, & debitores sunt
eorum. Nàm si spiritualium eorum parti-
cipes facti sunt gentiles, debent in carna-
libus ministrare eis.

Auctor. Ecce placet Ecclesiæ secundùm terminos Apostolicos census, & collectas Papales de Regnis dicere debita, quamquam sint aliundè spontanea? Voluntaria enim sunt à prima origine offerentis, & tamen sunt debita propter causam administrationis, & mutuæ seruitutis.

CAP. LIII.

Respondetur ad Argumenta Vuitcleff, argumentantis non expediens esse fore Papam: nec sequitur Petrum fuisse Papam ex verbis Christi.

SVMMA.

1 *Christus est cum suis fidelibus vsq; ad consummationem seculi, & cum eisdem est per interpositionem sui Vicarij secundùm diuinitatem quidem per se, nec Vicario indigens, secundùm humanitatem verò, est nobis præsens per Vicarium.*

2 *Ecclesiam carere Christi præsentia corporali iustis de causis concedens fuit: non tamen fuit conueniens eam priuari eius Vicario.*

3 *Pastorum tutela in Ecclesia est continua ex successione perpetua: vt vno subtracto, alius in illius locum subrogetur.*

4 *Christi sacerdotium, cum iuxtà duplicem statum consideretur, nempè secundùm dies carnis, & prout est consummatus in Regno, Ne deperiret huiuscemodi sacerdotium secundùm vtrumque statum, retento in Cœlis postremo, valuit primum, quousque opus esset continuari successiuè in suo Vicario homine.*

5 *Petrus quamuis aliquando fuerit Satanas, non tamen cunctis abiectior: Nam quia Christo contrarius, ideò Sathanas: At quia Petra super quàm ædificanda erat Ecclesia, ideò caput, ideò Papa.*

MVltiplicantur rationes odibiles ex subuersa scripturis canonicis contra Papam. Vnde tractatu secundo de sermone Domini in monte cap. 51. & est inter conclusiones ter damnatas 11. Wiccleff. Ex isto textu Io. 16. Expedit vobis vt ego vadam &c. Fideles eliciunt, quòd Christus, qui promisit fidelibus, quòd maneret cum ipsis, vsque ad consummationem seculi, voluit perpetuò sine tali vicario in cœlestibus residere, vt conuersatione atque affectione aspirando ad cœlestia, colligant suam affectionem in Domino Iesu Christo. Hæc Vuitcleff.

Auctor. Quod dicit fideles hoc ex
prædicto textu elicere, scio quòd fideles
Christi non vident istam viam qua tam in-
fidelem, & inuisam doctrinam de tam re-
moto verbo veritatis elicerent. Matth. 28.
Fideles enim vtrumque eliciunt, scilicet
1 quòd cum eis est Christus, vsque ad con-
summationem sui custodis, siue Vicarij.
Vnde Cassiodorus in expositione super Cā-
tica 8. exponens hunc textum, Vinea mea
coram me est. Vox sponsi. Tu (inquit)
dicis quòd vineam meam tradidi custodi-
bus, tamen vinea mea coram me est sem-
per: quia licèt eam meis commiserim cu-
stodibus, ego tamen curam semper illius
habeo. Nec pro illa solicitus semper esse
desisto: sed sum cum illa vsque ad consum-
mationem seculi. Hæc ille.

Auctor. Secundùm diuinitatem ergo nobiscum est, nec eget Vicario: secundùm humanitatem verò factus noster Pontifex: quia non in se, saltem est, præsens, per Vicarium. Fallitur ergo Vuitcleff, quia pro præsentia deitatis excludit nobis humanitatis vicarium. Numquid rogo sequitur apud constantem catholicum, Expedit vobis, vt ego vadam, ideo volo nullum post me remanere vicarium? Suasionem ergo huius sequelę disponit per locum à maiori: conclusione ter damnata, octaua.

Vuitcleff. Si (inquit) fuit expediens Ecclesiæ militanti quòd careret corporali præsentia capitis Iesu Christi, sicut contigit quando creuit Ecclesia post Ascensionem Domini secundùm illud Ioannis. Expedit vobis, vt ego vadam, quanto magis prodesset Ecclesiæ, quòd careret Papa capitaneo, qui non æquiparatur in virtutibus Iesu Christo? tunc enim descenderet gratia in homines perpendiculariter, vt sunt digni. Hæc Vuitcleff.

Auctor. Iam videris qualiter infideles prædictam impietatem eliciunt si expediret carere corporali *præsentia* Christi, ergo, & corporali *præsentia* omnis sui Vicarij, qui non æquiparatur in virtutibus Iesu Christo, & sic expediret carere omni Rege, & Principe temporali, qui est Vicarius Christi in temporalibus, vel vt melius dicamus, expediret carere omni Doctore hæretico, & pseudo-Apostolo, qui nec æquiparatur Christo nec alicui eius bono Vicario in virtutibus. Sed nonne vis hominem Christum calumniari stultitiæ, quia peregrè profectus post resurrectionem suā in Cęlo, reliquit domum suam Ecclesiam dans seruis suis potestatem cuiusque operis. Matth. 21. Marc. 12. Luc. 15. id est Apostolis, & eorum successoribus, & ianitori, scilicet Petro, cui præcipuè tradidit claues Regni Cœlorum, præcepit, vt vigilet, dicens. Simon dormis? Ecce nihil ab eorum cura excepit dans potestatem cuiusq; operis.

ris. Inter omnes tamen vnum præfecit, cui mandauit, vt vigilet. Ergo quamuis expediebat carere Christo homine, non tamen carere seruis eius, & inter omnes illo vnico ianitore in se, & successione eius. Primò ergo expendendum est cur expedie-
2 bat carere corporaliter Christo. Et tunc datis causis videte si per ipsas expediret quod infert. Augustinus videtur dicere causam, vt meritum fidei cresceret, quia minus potuit intellectus in deitatem Christi tendere per fidem, quia sensus tàm intensè ferebatur in eum per intuitum corporalem. Dicit enim Inde verbis Domini, sermone sexagesimo Augustinus Tom.10. Non esset meritum grande credentium, & beatitudo gloriosa, si semper Dominus in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo Sanctus hoc magnum munus attulit credituris, vt ad eum quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobria, & spiritalibus desiderijs ebria suspirarent. Et infra. Semper quidem diuinitate nobiscum est, sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus. Hæc Augustinus.

Auctor. Ecce mentes credentium spiritalibus desiderijs ebriæ suspirarent ad Christum si carnalibus oculis non viderent eum. Numquid hoc statim facerent si non viderent Ioannem, Paulum, aut etiam Petrum, quem vtique reliquit suum Vicarium, quod tu etiam confiteris in Trialogi supplemento: & satis in superioribus est monstratum? Numquid voluit ideo fine Petro capituli præposito solus in cœlestibus residere, & iterum vt cognosceretur deitas eius recessit humanitas? Vt tamen plenius Christus habeatur in terris, secundùm deitatem adhuc præsens est per seipsum: secundùm humanitatem verò præsens est per aliquem sanctum suum Vicarium. Prout declaratur Cassiodorus eundem textum in fine expositionis super Cantica 8. tractans hunc textum. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

Cassiodorus. Fuge (inquit) dilecte mi, id est completo, & incarnationis tuæ, & passionis tuæ mysterio reuertere ad Cœlum, vt iam te non sicut hominem, sed sicut Deum super omnia te incipiam cogitare, tunc enim audies vocem meam, quia tunc te liberius omni mundo prædicabo. Et hoc est quod Dominus in Euangelio dicit. Ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam Ioann. 16. Expediebat enim Apostolis, & omni Ecclesiæ, vt Christus in Cœlum rediret: & præsentiam corporalem absentaret, quia dum præsens erat, non poterant eum spiritualiter amare, non poterant eum quem hominem cernebant, vt Deum inuisibilem, & vbique præsentem cogitare. Sequitur. Fuge dilecte mi, id est recede ad cœlestia, & qui fuisti comprehensibilis per humanitatem, efficere incomprehensibilis per deitatem. Verumtamen ne me in præsenti sine tua consolatione requirere. Et hoc est, quod dicit, similis esto capræ, &c. super montes aromatum. Sicut enim capreæ indomita animalia humanum refugiunt consortium, & tamen crebrò videntur in montibus, sic, & tu post tuam Ascensionem, licèt inuisibilis sis, dignare tamen mihi sæpiùs dono tuæ gratiæ apparere, & hoc super montes aromatum. Montes enim aromatum Sancti Dei sunt, excellentia sanctæ conuersationis cœlo proximi, & odore, ac fama virtutum longè, lateque fragrantes. Hæc ille.

Auctor. Sed quare si hoc expediens fuit toti Ecclesiæ militanti minus contulit matri suæ, cui Ioannem commendare tutorem non distulit loco sui, sicut Augustinus tom.9. planè docet super Ioannem 19. in eodem loco textus. Ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

Chrysostomus tom.3. Hom.84. etiam super Ioannem in eodem loco, de Papæ honore. Quanto discipulum honore honorauit, quia enim ipse abibat, de reliquo discipulo tradidit Matrem diligentiam habituro. Quia enim decens erat quasi (inquit) matrem existentem dolore, & procuratorem quærere, decenter eam committit ei, qui diligebatur, & huic ait, Ecce Mater tua. Hæc Chrysostomus.

Auctor. Ecce hìc habes quia erat Christus abiturus de seculo, ideo decens erat vicarium, & custodem, matri suæ designare discipulum, & non dubium, ità, & Ecclesiæ militanti: cuius figuram sæpè Beata Virgo, & non ab re in hoc ipso gerebat, quia Christus erat corporaliter discessurus, eo magis esset ei indulgendus vicarius, etiam qui non æquipararetur in virtutibus Iesu Christo, ne ex toto viduata deficeret. Nolo figmenta tua secundùm sensum tuum elicias, sed Scripturæ practicam attendamus. Moyses famulus Domini post ceorum, & vigiori annos mortuus est, nec potuit terram intrare promissam, Deut.34. non tamen ex hoc textu sequitur, quòd expediret tamquam Deo volitum, vt Ecclesia illa careret Iosue Capitaneo, qui succederet in locum Moysi, ducto suo terram negatam Moysi ipse captaret, qui tamen non æquipararetur Moysi ipse in virtutibus, dicente Scriptura in vltimo pentateuchi. Deuth.34. Non surrexit propheta vltra in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis, quæ per eum iussit vt faceret. Aaron quoque mortuus est in monte Hor: & hoc Spiritui Sancto videbatur expediens, & idem tamen Spiritus iudicauit expediens substituere loco suo Eleazarum filium suum, qui non æquiparabatur ei in virtutibus, tamen ad perpetuandum sacerdotium. Spiritui Sancto etiam videbatur expediens, vt Dauid Rex subtraheret corporalem suam præsentiam exercitui remisso ad capiendum Absalon: 2. Reg. 18. eidem tamen videbatur expediens præficere eis Ioab Capitaneum, qui non æquiparauit Dauid in virtutibus. Iesu Christo etiam videbatur expediens subtrahere manifestum, & idem iudicauit expediens subtrahere manifestum accessum suum ad diem festum, Ioan.7. & idem iudica-

dicauit expediens quòd Discipuli sui ascẽderent, qui non æquiparabantur ei in virtutibus. Ita dico tibi, Christo expediens fuit ad fidem credentium subtrahere corporalem suam præsentiam mundo, & collocare carnem suam passam ad dexteram Dei Patris, vt per spem illuc trahere posset corda fidelium. Ita etiam iudicauit expediens, vt ipso sic subtracto substitueret Vicarium suum Petrum, qui corporalia præsentia pasceret oues Christi, & confirmaret fratres suos, qui tamen non æquiparauit Christum in virtutibus, & ipso subtracto alius substitueretur ipsi, qui nec esset ipsi par in virtutibus, vt discerent homines per abundantiorem humilitatem non soli Christo obedire, & credere propter se, sed etiam puris hominibus propter Christum: & propter hoc huiusmodi tutela pastorum
3 in Ecclesia est continua: ex successione perpetua vt vno subtracto ministro, vel Pontifice statim in locum illius alius subrogetur. Quemadmodum in mensa Domini vno sublato pane statim pro eo inferebatur, & alius. Vnde libro primo cap. 7. de tabernaculo tractans hunc locum. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.

Beda tom 1. Fit (inquit) vt mensa Domini numquam inops panis remaneat, vnde mox vno sublato pane, alius loco eius substituebatur, cum succedentibus sibi ministris verbi per ordinem numquam Ecclesiæ desunt Apostolicæ, qui siue fidem pietatis, siue munditiam actionis, & verbis ostendant, & factis, semper manente pulcherrima illa sententia qua in laude sanctæ eiusdem Ecclesiæ dicitur. Psal. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. Quasi alijs verbis tabernaculo Domini diceretur. Pro panibus tuis vetustis parati sunt tibi noui, constitues eos principes in refectionem cordium spiritualem fidelibus toto Orbe terrarum. Hæc Beda.

Auctor. Mira ergo politia ista hæretica, quæ propter fictum suum perpendiculum, damnare optat totum Ecclesiæ fundamentum. Et iterum non mirum si lupus velit pastoris absentiam: cuius rapere satagit, & dispergit oues. Semper ergo pastor erit in Ecclesia, ne lupus oues inuadat. Semperque loco panis vini qui de cœlo descendit, panis erit vicariè subro-
4 gandus. Et audiatur ratio Scripturæ Sacerdotium Christi attenditur penes duos status.

Primus status erat in diebus carnis.

Secundus dicitur consummatus in regno. Vnde Apostolus ad Hebræos quarto de Christo dicit, quòd in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum à morte facere, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Vnde Haymo. Dies carnis Domini nostri Iesu Christi, dies sunt in quibus carnem assumpsit: in quibus temptatus est, & passus, & in quibus mortale corpus inhabitauit, qui scilicet Christus in diebus carnis suæ, hoc est quàmdiu habitauit in corpore mortali, preces offerens ad Deum, scilicet ad Deum Patrem. Hæc ille.

Auctor. Alius status Sacerdotij Christi vocatur consummatus, & est in regno. Vnde Apostolus ibi, Cosummatus factus est omnibus ob temperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxtà ordinem Melchisedech, quem probat ibi esse æternum. Ne ergo deperiret sacerdotium Christi secundùm vtrumque statum: ipso iam retinente solum secundùm in se ipso committit Christus primum successiuè continuandũ in suo vicario, quàmdiu superest causa talis sacerdotij, scilicet status mortalis hominum viuentium in hac carne. Propter hanc enim causam ab initio esse cum omnibus oportuit Sacerdotem secundùm dies carnis, vt caro carnem possit sensibiliter informare de spiritu, quia inter symbola facilior est actio, & propter hoc noluit Deus mittere spiritum exutum fratribus mali diuitis, sed Moysen habent (inquit,) & prophetas, audiant eos, idest homines legentes Moysen, & Prophetas; & Helizeus noluit in vocatione Spiritus Dei, sed sensibili lauacro Iordanis curare Naman leprosum. 4. Reg. 4. Ita ergo oportet Christum habere vicarium mortalem, & infirmum pro toto statu huius carnis, vt per consimilem secundùm quid reducantur in Deum. Sic enim expresſè dicit. Apostolus ad Hebræos septimo. Lex enim constituit homines Sacerdotes infirmitatem habentes. Et iterum capitulo quarto. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus &c. qui condolere possit his qui ignorant, & errant quoniam ipse circundatus est infirmitate. Quod non de Christo, sed de sacerdote legali, vel nostro intellexit Apostolus, dicente Haymone in expositione huius textus.

Haymo. Quod vero adiunxit quemadmodum, & pro populo ita pro semetipso offerre pro peccatis, hoc ad sacerdotes legales, siue nostri temporis magis pertinet quàm ad Christum: qui peccatum non fecit. Potest, & illud quod dixit, quoniam ipse circumdatus est infirmitate, referri ad sacerdotem legis, siue nostros, ita vt infirmitas accipiatur pro peccato. Hæc ille.

Auctor. Vult ergo Christus Pontificem ex hominibus assumptum infirmitate circumdatum Sacerdotium suum, secundùm dies carnis vicariatim gestare in terris, quamuis ipse idem Sacerdotium secundum statum æternitatis per seipsum ministret in Cœlis. Arguit iterum contra Papam, sed contra Petrum in capite.

Vvicleff. Sicut non sequitur. Petrus fuit vocatus à Christo singulariter Sathanas, ergo Petrus cunctis fuit abiectior: ità non sequitur, Petrus habuit singulariter hæc priuilegia, vt sibi diceretur Matt. 16. tibi dabo claues Regni Cœlorum, & Luc. 22. rogaui pro te vt non deficiat fides tua: ergo Petrus debuit post ascensionem esse Papa, & caput Ecclesiæ militantis, & est conclusio inter ter damnatas. 111.


Auctor. Non singillatim sunt in se sin-

singula absoluenda, ne frustra videamur ea dixisse superius, quomodo enim, & ex quibus locis Scripturę Petrus priuilegium Papatus accepit, vt esset post Ascensionem Domini Christi caput militantis Ecclesiæ
5 prædicta demonstrant: quomodo autem Sathanas erat non tamen inde cunctis abiectior, dicenda docebunt. Vnde enim hanc occasionem dicendi præsumpsit non video, quia etymologia, vel interpretatio nominis hoc non habet.

Hieronymus namque tom.3.libro interpretationis, id est de interpretatione Hebraica (inquit) Sathan dicitur contrarius, vel aduersarius, Et secundùm Remigium in interpretationibus Hebraicis, Sathan contrarius, vel aduersarius siue transgressor, siue præuaricator dicitur.

Auctor. Sic ergo verè dicimus Petrum tunc fuisse contrarium Christo, & aduersum quando ne pateretur suggessit consilium: quod autem fuit tunc cunctis abiectior, quid ad propositum? Beatus enim Augustinus quasi totum delictum Petri aperiens super Psalmum sexagesimum nonum. Præcedere quippe (inquit) quodam loco Petrus voluit Dominum. Loquebatur enim de passione sua, quam si non suscepisset, nos salui non essemus, & Petrus qui paulò ante eum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra super quam fabricaretur Ecclesia: paulò post dicente Domino de futura sua passione, ait. Absit Domine, propitius tibi esto, non fiat istud, paulò ante Matt. 16. beatus es Simon Bariona, quia non reuelauit tibi caro, & sanguis, sed Pater meus qui in Cœlis est: modò repentè, redi post me Sathana. Quid est redi post me? sequere me, præcedere me vis, consilium mihi dare vis? Melius est vt consilium meum sequaris. Hoc est redi post me. Antecedentem compescit, vt retro redeat. Vnde appellat Sathanam, quia vult præcedere Dominum. Paulò ante Beatus, modo Sathanas. Vnde paulò ante beatus? Quia non tibi reuelauit caro, & sanguis, sed Pater meus qui est in Cœlis. Vnde modò Sathanas? quia non sapis (inquit) quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Hæc ille.

Auctor. Quis ergo docuit nostrum Wircleff istam grammaticam, vt Petrus quia Sathanas, esset cunctis abiectior cùm nec logica suffragetur? Sed benè sequitur, igitur contrarius, & diuina non sapiens. Sed ex priuilegio confessionis suę habebat, vnde esset petra super quam fabricaretur Ecclesia, sic enim istic scripserat Augustinus. Et quomodo petra, super quam fabricatur Ecclesia, si non est caput Ecclesiæ, saltem vicarius: Sic enim Christus quia fundamentum fundamentorum idcirco factus est in caput anguli, vt tractat Augustinus super Psalmum octuagesimum sextum. Ergo Petrus quia contrarius ideo Sathanas, sed quia petra supra quam fabricatur post Christum, Ecclesia, inde caput, inde Papa.





FR. VINCENTII
FERRE
HISPANI

Ordinis Prædicatorum, Filij Conuentus S. Stephani, Salmantini, & à quindecim annis in Collegio Sancti Thomæ de Vrbe Regentis.

TRACTATVS
DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, & vitijs eis oppositis.


Iuxtà miram doctrinam Diui Thomæ.

TOMVS PRIMVS.

Vincentius Ferre Valentinus ex Vrbe Metropoli Dominicanus in amplissimo sancti Stephani Cœnobio Salmantino sancti Thomæ Dominicanæ Religionis Habitum sumpsit, eiusdemque Conuentus factus est filius. Philosophiæ, & Theologiæ iuxtà inconcussa diui Thomæ principia operam dedit, post quæ eiusdem Conuentus assiduus habitator Philosophiam docuit, & Theologiam, Magisterij honore redimitus, & Studiorum Præfectus creatus, in Hispania, longè, latèque suæ profunditatis, & scientiæ famam propagauit. Eiusdem etiam Cœnobij factus est Prior, quo munere etiam eximiè est perfunctus. Cùm autem & assiduis disputationibus, & trium magnorum voluminum prælo ne dum in Hispania, sed extrà esset notus, vocatus est Romam à Magistro Generali totius Ordinis, vt Conuentus sanctæ Mariæ super Mineruam Studijs præesset. Ibi assiduo studio, & disputationibus clarissimus euasit, & in celeberrimis disputationibus supra alios palmam semper tulit. Erat autem tam acris in disputando, & tam ardens in promouenda difficultate, vt pallesceret, langueret, & per continuum triduum disputationis calorem mentalem sentiret in corpore, vnde verè concepto tanto dicendi igne disputationis fulmen possit appellari. Pro tuenda Thomistarum sententia ita acri erat ingenio, & taliter addicto, vt in disputatione publica audiens prædeterminationem physicam Thomistarum, videri fauere aliquo modo Caluino, proruperit ex improuiso in eius laudem, & longa, & dictorum hominum concinna oratione vix persuasus eam disputationem non interrupit. Eam autem sententiam validè defendit,

dit, & peculiarem tractatum contra scientiam mediam instituit. Longum esset enarrare ea, quæ existens in eo amplissimo sancti Thomæ studio per quinque lustra egit, & docuit; præcipuè cum multis existentibus Romæ, & omnibus nota fuerit eius virtus; Paucis enim ab hinc annis plenus laborum, & dierum senex, & veteranus in eodem Conuentu obijt, post editos libros tres in Hispania, duos Romæ. Tomus primus est in primam partem diui Thomæ à quæstione 1. vsque ad 14. inclusiuè, Salmanticæ ex Officina Melchioris Esteuez 1675. Tomus secundus à quæstione 14. vsque ad 25. Inclusiuè. Tomus tertius à quæstione 27. vsque ad 105. hæc edidit in Hispania Salmanticæ ex Officina eiusdem Melchioris Esteuez, stilus eius redolet antiquitatem, & totus est in eliminanda nouitate. Tractat quæstiones solitas tractari apud Theologos speculatiuos de Theologiæ vnitate, de sacra Scriptura, de Deo, & attributis, de Visione beata, de sanctissima Trinitate, &c. Postquam Romæ fuit duos tantùm edidit Tomos, de Virtutibus Theologicis, quos per plurima lustra confecit, expoliuit, & Ioannes Baptista de Marinis tunc Magister Generalis totius Ordinis Dominicani vocat limatissimos, & impressit apud Angelum Tinassium 1669. in folio. In his agit de Pontifice Romano Capite Ecclesiæ; eiusque Antecessore diuo Petro; & agitat quæstionem adeò celebrem antiquitùs tantùm tactam ab Auctoribus, posteà fusè agitatam de bicipiti Capite Ecclesiæ Petro, & Paulo, de qua scripserunt Augustinus de Bellis librum integrum, Antoninus Diana, Franciscus Macedo, quem habuit amicum Auctor, & impensè laudat, & pro sua modestia dicit à longè sequi, & pronum vestigia venerari, & breuiter resoluit eam difficultatem. Moderni Thomistæ, & extrà Scholam Thomisticam Recentiores eum passim citant, sequuntur, & laudant. Eius opera ipso viuente mox vendita sunt, tanto simul gaudio, & luctu impressoris, vt publicè fateatur nullius rei tantam vnquam sensisse pœnitentiam, quàm huius, quod non ampliùs habeat libros illius Auctoris, quos modò vniuersi quærunt. Bibliotheca Hispana meminit huius Auctoris adhuc viuentis, & iam quindecim annos, & ampliùs lecturæ assiduæ in Cœnobio Mineruæ habentis. Enumerat duos Tomos de Virtutibus Theologicis, & tacet reliquos, sed causa facilis est, & in promptu Auctor etenim edidit libros de Virtutibus Theologicis anno 1669. & tres alios Tomos 1675. vnde Tomi Romani sunt posteriores annis sex Tomis Salmantinis; adde quod in ap probationibus Doctorum positis, vt de more est ante tractatum cuiuscumque Tomi laudatur, vt iam existens in Cœnobio sanctæ Mariæ super Mineruam Romæ, & iam vbique clarus. Oportuit ergo, vt tria volumina excuderentur Salmanticæ, dum ipse degebat Romæ; vt solatium haberent doctrinæ, qui non potuerunt præsentiæ. Hæc ediderunt Hispani, multa autem alia adhuc remanent inedita in dicto Conuentu sancti Stephani Salmantini, multa sunt Manuscripta cęterorum tractatuum Theologicorum, quos Auctor ipse non edidit.

QVÆ-



QVÆSTIO XI.

De supremo Capite Ecclesiæ.

§. I.

An conueniens sit vnum esse totius Ecclesiæ Caput.



IRCA hoc quæsitum duo fuere errores hæret.corum, primus fuit Nabarorum asserentium Christi primarum nulli hominum fuisse relictum, ac proindè nullum esse Ecclesiæ visibile caput. Sic refert Epiphanius lib.2. contra hæres. heres. 59. Ireneus lib. 3. capit. 2. & Baronius tom.1.Annalium, pag.128. eumdem errorem sequuti sunt Valentinus, Marcion. & Montanus, vt refert Eusebius lib.5. hist. cap.16. tribuitque eumdem errorem August.in epist.48. ad Vincentium, quinquagesima ad Bonifacium, & 561. ad Honoratum Donatistis, & Rogatianis, & Cano lib. 4. de locis affirmat, cap. 1. in eodem errore fuisse Nestorianos, Iconomachos, §. Secundus error valdè huic affinis fuit sectariorum nouatorum, asserentium in Ecclesia verè reperiri auctoritatem, Iudicem, & Magistrum fidei, religionis, & morum, non tamen in vno Capite visibili, sed in Foro, ac Iudicio priuato vniuscuiusque.

Ita Lutherus sequutus Vuicleph, Caluinus lib.4. instit. cap 7. Bucerus vt refert Cano lib.5.de locis cap.3. quem errorem sequuntur duæ sectæ Anabaptistarum, videlicet Suenckfeldiani, & Munzeriani, & Iacobus Rex Angliæ in præfatione 57. & 61. qui in duos modos dicendi diuisi sunt, alij huiusmodi Forum iudiciale constituunt in priuata Dei reuelatione vnicuique facta, secundùm quod vnicuique Deus inspirat de his, quæ ad fidem, mores, & religionem spectant.

Alij verò illud constituunt in Iudicio priuato, atque interno vniuscuiusque fidelis simul cum sacra Scriptura, quatenus iudicium vniuscuiusque fidelis sufficiens est ex Scriptura sacra verum à falso in materia fidei, religionis, ac morum discernere, §.Cęterùm vera, ac Catholica sententia tenet, dari in Ecclesia vnum caput visibile, in quo sit auctoritas magistra, & iudex veritatum ad fidem, religionem, ac mores pertinentium. Sic tenet D.Th. hìc q.1. att.10. q.11.art.2.ad 3. & de potent. q.10.ar.4.ad 13. 4.contrag. c.76. & in 2. dist vltima in expositione literæ; quem sequuntur Scholástici omnes.

Sit Conclusio: conueniens fuit, aliquod vnum esse visibile caput totius Ecclesiæ.Prob. illud regimen conueniens est modò statuere in Ecclesia, quod Ecclesia habuit dum Christus viueret, conuenientissimum enim est, quòd subsequens Ecclesia illius primitiuæ imitetur exemplum; at viuente Christo ipse solus fuit visibile caput Ecclesiæ totius, ergo oportet modò vnum esse totius Ecclesiæ caput. Prob. min. ex illo ad Ephes. 1. [Deus autem dedit Christum caput Ecclesiæ super omnia:] & prob. etiam ratione, etenim Christus dum vixit, non commisit Ecclesiam suam gubernandam populo suo,nec Optimates aliquos in societatem aliquam æqualem sui principatus admisit, solus vocauit ad se Discipulos, solus binos, & binos misit ad prædicandum,solus duodecim Apostolos non in quandam æqualitatem regiminis,verùm in ministerium dispensationis adsciuit, solus instituit Sacramenta,quibus ceteri fideles initiarentur, ergo ipse solus dum vixit caput visibile totius Ecclesiæ fuit.

Resp. hæretici, Christum non commisisse vlli pontificatum suum, sed manere in æternum Ecclesiæ caput,& ideò non opus esse aliquam personam in Ecclesia caput visibile statuere, aliàs duo capita haberet, §.Sed contra est, nam esto Christus maneat caput æternum Ecclesiæ inuisibile, & internum, inque illam influat spiritalis gratiæ largissima dona, tamen hodiè non manet secundùm carnis aspectum exteriorem caput visibile Ecclesiæ, neque illam gubernat illo visibili administrandi sui principatus modo, quem olim dum viueret exhibebat; Num forsan hodiè auditur prædicans Christus, videtur ne adire Ciuitates, & Castella, conuocare Apostolos, mittere Discipulos, administrare Sacramenta Corporis, & Sanguinis sui? & tamen hæc omnia gerebat in carne secundùm visibilem modum principatus sui, ergo conuenientissimum erit in Ecclesia designare visibile caput in vna Ecclesiæ persona, quæ in principatu suo visibili modum gerat, quem Christus obseruauit dum viueret, §. Vrgetur hoc: vel ille visibilis principatus, quem Christus exhibuit, dum viueret iam perijt, vel modò etiam viget,si primum dicatur, falsissimum quid profere-

feretur; nam si Apostolorum, & Discipulorum dignitas, quæ minor fuit non perijt, sed in Ecclesia hodiè extat, cur ille dignior principatus Christi pro illa parte, qua visibilis fuit perijsse dicetur? quæ enim ratio assignari poterit, ob quam Apostolorum visibilis digniras suos modò in Ecclesia inueniat inuisibiles successores, & successorem modò inuenire non possit visibilis Christi principatus, quod si dicatur modò etiam vigere, tunc subsumo, at non viget modò in persona Christi, nam illum modò non exercet in terris, neque exercet in Cœlo, ergo viget in aliqua persona determinata Ecclesiæ.

Resp. hæretici, Ecclesiam non indigere modò illo visibili regimine, quia Spiritu Christi regitur, & gubernatur, & hoc illi sufficit, §. Sed contra sic insto, nam dum Christus in terris viueret, Spiritus Christi Ecclesiam regebat, & nihilominùs Christus secundùm carnis aspectum visibilem Ecclesiam gubernabat, ergo esto modò Spiritus Christi Ecclesiam regat, adhuc credendum erit in Ecclesia dari aliquam carnem inuisibilem, per quam veluti per visibile instrumentum, & organum idem Spiritus Christi suam Ecclesiam gubernet, §. Explicatur hoc: si Deus Ecclesiam numquam per Christi carnem visibilem gubernasset, neque Christus visibiliter nobiscum conuersatus fuisset, crederem sufficere Ecclesiæ solo Spiritu Christi inuisibili gubernari, sed postquam Christus visibilis terris apparuit, & visibilem principatum suum primus inchoauit, qua ratione asseri potest, modò Ecclesiam non per aliquod caput visibile gubernari debere? §. Vrgetur ampliùs: antequam Christus visibiliter Ecclesiam gubernaret, erant multi Pseudoprophetæ in Mundo, multi Magistri mendaces; qui plebem seducebant, & ad eorum mendacia reflecteda, & opus diaboli dissoluendum Christus in Mundum visibiliter venit, [omnes enim, inquit Io: 10. Quotquot venerunt à se ipsis, & antequam ego mitterem eos, fures sunt, & latrones, fur non venit, nisi vt furetur, mactet, & perdat,] & vt huic malo Christus medicinam adhiberet, inquit, [Ego veni, vt oues vitam habeant, & abundantius habeant, ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ,] ergo per Christi visibilem principatum oues Christi, idest fideles à seductione mendacium magistrorum liberatæ sunt.

Tunc vltra, sed modò etiam sunt Pseudoprophetæ, & magistri mendaces; ergo ne ab illis fideles seducantur aliquo visibili pastore indigent, qui verbo, & exemplo illos edoceat fidei veritatem, qui cùm non sit Christus oportet quòd sit aliqua determinata persona Ecclesiæ, §. Vrgetur ampliùs: per fidem efficitur, quod Christi oues nempè fideles Christum agnoscant, fides autem est ex auditu non tantùm interiore, sed exteriore, ergo dum præsens Ecclesia gubernatur modò per fidem sicut tempore Christi, oportet quòd exteriori auditu regatur modò sicut tempore Christi, sed non auditur modò Christi vox, ergo vt Christum fideles agnoscant, oportet dari in terris aliquem vice Christum, & non sufficit regi Spiritu inuisibili Christi, §. Resp. Hæretici, vocem Christi supplere multos pastores, & sic non esse necesse venire ad vnum tantùm caput visibile, §. Sed contra insto, nam esto admittantur in Dei Ecclesia plures pastores, si tamen vnus omnibus non præeminеat, vt omnium eorum Princeps, non assimilabitur præsens Ecclesia Ecclesiæ, quæ gubernabatur à Christo dum viueret, tunc enim erant multi Apostoli, varij Discipuli, qui prædicabant Euangelium, & baptizabant plebem, vt ex ipsis Euangelijs manifestè liquet, & præter illos omnes erat vnus Christus omnium moderator, & Princeps, ergo etsi modò sint innumeri Prædicatores Euangelij, si tamen in terris nullum supremum visibilem pastorem agnoscant, præsens Ecclesia non assimilabitur Ecclesiæ, quæ erat tempore Christi, §. Præterea si multi pastores ponantur, à quibus fideles audiant Christi vocem, sine subordinatione ad vnum supremum visibilem pastorem, & illi diuidantur, & opposita doceant iam tot erunt fides nostræ, quot sunt pastores, contra illud, *vna Fides, vnum Baptisma*, ne ergo hoc sequatur, poni debet in Dei Ecclesia aliquod visibile caput, cui alij subordinentur omnes.

Secundò principal. probatur concl. nam Christus in Ecclesiæ suæ regimen vnum tantùm visibile caput statuit, dum Matth. 16. dixit, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Sic Anacletus Papa in epist. 2. ad Episcopos Italiæ inquit, [In nouo Testamento post Christum Dominum à Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primò pontificatus in Ecclesia datus est, Domino dicente ad eum, tu es Petrus.] Patetque hoc ipsum, quia Christus vsus est voce Syriaca *Cephas*, quæ *capitis* dignitatem significat, vnde sponsa de capite sponsi dicit Canticorum 5. *Caput eius aurum optimum*, vbi septuaginta legunt, *caput eius Cephas*, & Symmachus, *lapis aureus*, & Rabbi Selomoch, *sphærula aurea*, ad denotandum dignitatem capitis Ecclesiæ, & Tiaram Pontificiam Petro indefectibiliter collatam, ergo voluit Christus Ecclesiam post se visibiliter gubernari sub vno visibili capite:

§. Vrgetur, hoc vel Ecclesia post Christi abscessum à terris solo Spiritu inuisibili Christi gubernabatur, vel gubernabatur ab ipso Petro tamquam ab vno eius visibili capite; si dicatur primum, quid ergo Christus Petro tradidit gubernandum dum dixit, [Pasce oues meas, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis?] Si enim Spiritus Christi solus, & inuisibilis Ecclesiam gubernabat, profectò nihil gubernandum testabat Petro. Si dicatur secundum dicant Lutherani quare modò Deus non gubernabit Ecclesiam suam eo modo quo tempore D. Petri? quod si eodem modo gubernat, ergo gubernat illam per vnum visibile caput.

§. Tertiò principaliter prob. concl. ratione qua vtitur D. Thom. hic quæst. 1. at. 10. nam Christus Dominus debuit suæ Ecclesiæ optimum modum regiminis tradere, vtpotè quam tamquam sponsam diligebat, sed optimus modus regiminis est principatus vnius, ergo. Probatur min. nam id docet Philosophus

phus 8. Ethicorum cap. 10. & 3. lib. politic. cap. 7. & 4. metaphysic. cap. vlt. docet similiter D.Thom. 1. par. qu.103.ar.3. 12.qu.95. art.4. & qu.105. art.1. & 22.qu.5.art.5. ad 2. & 4. contrag.cap.76. & opusc. de regim. Principum lib. 1. à cap. 5. vbi multis exemplis illam probat.

Quorum hæc est summa; illud regimen est optimum, quod est efficacius ad finem politiæ consequendum qui est vnitas, & pax subditorum, sed principatus vnius, qui dicitur regnatiua est efficacior, quàm aliæ duæ species politicæ scilicet aristocratia, quæ est principatus Optimatum, & democratia, quæ est principatus mediocrium, si quidem vnum per se magis est causa vnitatis, quàm vnum per accidens, sicut per se calidum magis est causa calidi, quàm per accidens calidum, ergo optimus modus regiminis est principatus vnius. Ex quibus colligit D.Thom. quod ad vnum scilicet Pontificem attineat Symbolum ordinare, vt in rebus fidei vna sententia & concors seruetur animus.

§. II.

Soluuntur argumenta contra Conclusiones.

PRimò arguitur nam Christus omnibus Apostolis æqualem tribuit potestatem, sic quod nullus eorum alijs præfuerit, ergo regimen suæ Ecclesiæ tradidit pluribus, & non vni tantùm. Prob. ant. nam sicut Petro dixit Christus, [tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis,] sic omnibus Apostolis dixit Matth. 18. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo.] Vnde Leo Papa serm. 3. anniuersarij sui dictum illud, *tibi dabo claues Regni Cœlorum* ad omnes Apostolos pertinere dixit, illis verbis; [transiuit in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit.] Iuxtà quem sensum dixit Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum, [hoc erant & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.]

Et Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, super omnes Apostolos fundatur Ecclesia, & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos fortitudo Ecclesiæ solidatur; & Clemens Alexand. citatus ab Eusebio lib. 1. hist. cap. 1. inquit: Petrus, Iacobus, & Ioannes, post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus Apostolorum Episcopum statuerunt, & Chrysost. homil. 3. in Acta Apost. inquit, Apostolos Iacobo concessisse solium. Igitur non constat primatum Ecclesiæ vni soli Petro fuisse concessum. Aliqui pro solutione huius argum. aduertunt in Apostolis duplicem formalitatem posse distingui, aliam legationis aliam membri Ecclesiæ,

Secundùm primam formalitatem dicunt non fuisse Legatos Petri, sed Christi, ab ipso enim immediatè missi sunt ad prædicandum Euangelium in vniuersum Mundum, iuxtà illud, [sicut misit me Pater ita & ego mitto vos,] dicunt etiam secundùm hanc considerationem inter eos non fuisse primatum, sed omnes fuisse in auctoritate legationis pares, nam vnus non accepit ab alio, sed à Christo acceperunt omnes. Vnde omnes acceperunt primitias Spiritus, plenitudinem scientiæ, confirmationem in gratia, dona linguarum, potestatem ad miracula, directionem spiritus ad canonicè scribendum, & alia huic legationi connexa. Vnde omnibus dicitur [quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in Cœlo, & quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata, & in Cœlo.]

Secundùm autem aliam formalitatem nempè membrorum Ecclesiæ sic, dicunt, non omnes fuisse pares, sed tantùm in vno Petro rationem capitis Ecclesiæ fundatam fuisse, Quod probant ex eo, quod soli Petro dicitur: *pasce oues meas*. Vbi non fit distinctio inter oues, sed omnes Christi oues, inter quos fuerunt ipsi Apostoli traditæ sunt gubernandæ, vt optimè notat Innocentius in cap. solitæ, de maioritate, & obedientia. Soli etiam dicitur Petro, [& tu conuersus confirma fratres tuos;] & quamuis omnibus dicitur, [quæcumque solueritis, &c. & quæcumque ligaueritis, &c.] Soli tamen Petro dicitur, *tibi dabo claues Regni Cœlorum*, vt appareret discrimen in primatu inter Petrum, & alios. Vnde inquit Cyprianus loco allegato; [super vnum ædificat Ecclesiam, hoc erant vtique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna esse monstretur;] Et Hier. lib. 3. contra Iouinianum; etsi super omnes Apostolos fundaretur Ecclesia, vnum tamen caput constitutum dixit, quod & dixit Gelasius epist. 1. capitulo 51, licèt omnium Apostolorum par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret, de qua forma Episcoporum quædam orta est distinctio, per quos ad vnam sancti Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil à suo capite dissideret. Hinc Ignatius epistola ad Philadelphienses scribit, vna est caro Domini Iesu, & vnus sanguis eius qui pro nobis effusus est. Vnus etiam panis pro omnibus confractus, vnus calix totius Ecclesiæ, & vnus Episcopus simul cum omnibus Presbyteris, & Diaconis. 5. Ex his ad argum. factum dist. ant. sub formalitate membrorum ex quibus construitur Ecclesia, neg. ant. sub formalitate Legatorum, transf. ant, & negant con. Neque oppositum huius voluerunt Sancti adducti; non quidem Leo oppositum voluit; nam in eius verbis non fit loquutio de potestate regiminis quæ tantùm capiti inest, sed de illa potestate extraordinaria quam habuerunt immediatè à Christo omnes Apostoli sub formalitate legatorum eius ab ipso immediatè missorum ad prædicandum. Neque oppositum voluit Cyprianus, nam post illa verba dicit: [sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna esse monstretur.] Hieronymus etiam loquitur de Apostolis, vt Christi legatis, non verò vt membris Ecclesiæ. Illud autem quod adducitur de Clemente, emendandum est, &

le-

legendum *Hierosolymorum Episcopum*, non verò *Apostolorum*. Sic habetur in lib. historiæ ecclesiasticæ Eusebij editæ Parisijs 1571. Videatur Bellarm. de scrip. ecclesiast. §. Etsi contra hanc doctrinam instes, nam in illa fatentur Apostolos omnes Christi fuisse Legatos, & ad huiusmodi functionem potestatem immediatè accepisse à Christo in omnibus parem; ergo solùm dependebant à Christo vti eius virtutes, & sic in regimine Ecclesiæ non subdebantur Petro vt capiti. Prob. conf. nam membrum ei tantùm vt capiti subditur, ex cuius influxu gubernatur, sed Apostoli vtpotè solius Christi Legati solùm ex influxu Christi gubernabatur, ergo non obediebant Petro vt capiti visibili. §. Ad hoc dicunt in Apostolis fuisse duplicem potestatem, aliam ordinariam quæ debebat derivari ad Episcopos Ecclesiæ eorum successores, aliam extraordinariam consistentem in auctoritate legationis à Christo illis immediatè concessam; iuxtà primam Petro subdebantur vt capiti, illiusque ones erant in spiritualibus ab eo pascendi. Iuxtà secundam olim Christo subdebantur vt subduntur palmites viti. Vndè ad instantiam dist. ant. si fiat loquutio de omni potestate tam extraordinaria, quàm ordinaria, neg. ant. si fiat locutio de potestate tantùm extraordinaria, conced. ant. & dist. cons. quantùm ad potestatem extraordinariam conced. con. quantùm ad potestatem ordinariam, neg. cons. Ad prob. dicunt, quòd ad rationem capitis visibilis non requiritur influxus, sed sufficit subiectio, & recognitio primatus illius, quam habebant Apostoli respectu personæ Petri, quem venerabantur vt caput corporis Ecclesiæ, cuius se membra esse humiliter recognoscebant. Sic aliqui philosophantur, sed infeliciter quidem post determinationem Innocentij X. cui se opponunt. Determinauit enim hic Pontifex quod hæc propositio S. Petrus, & S. Paulus sunt duo capita Ecclesiæ ità explicata vt ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate regiminis vniuersalis Ecclesiæ sit hæretica. Huic autem determinationi se opponunt qui relatam doctrinam tradunt, nam verè fatentur supremam potestatem in Paulo nullo modo subordinatam, & subiectam Petro, nempè illam secundùm quam sine dependentia à Petro Christi Legatus dicitur. Vndè hac solutione omissa vtpotè non conformi præfatæ Innocentij determinationi ad argum. factum aliter resp. neg. ant. Ad prob. dico omnia ea, quæ in argumento narrantur intelligi debere concessa Apostolis semper cum subordinatione ad S. Petrum, & subiectione sic quod ipse potuerit eum coarctare aut auferre.

Secundò arg. nam in lege veteri Pontificatus supremus non fuit in vno tantùm, ergo atque in lege noua id videtur seruandum. Con. à Catholicis debet iudicari bona, & ant. prob. nam tempore Dauid, Sadoc, & Abiatar erant summi Sacerdotes, de Sadoc patet, quia descendebat ex Aaron per familiam Eleazar, vt habetur 1. Paralipom. 24. de Abiatar etiam patet, quia descendebat ab Aaron per familiam Ithamar, qui etiam cæteris omnibus præfuit vsque ad Salomonem, qui eum deposuit, & posuit Sadoc pro eo, vt habetur 3. reg. 2. igitur in lege Veteri non erat vnus tantùm supremus Pontifex. §. Ad hoc argum. dist. ant. non fuit in vno tantùm, per se, neg. ant. per accidens hoc est ex ignorantia iuris huius vel alterius, conc. ant. & dist. cons. per se, & de iure, neg. cons. per accidens ex ignorantia iuris illius ad quem solùm attinere deberet Pontificatus trans. con. Ad prob. dico, quod Sadoc, & Abiatar probabile ius habuerunt ad Pontificatum, donec Dauid ex Dei speciali reuelatione, non Regia potestate, vt declarauit Innocent. III. in cap. *solitæ* de maiorit. & obedientia, iudicauit attinere ad Sadoc, vtì habetur 1. Paralip. 29. Ratio autem dubij ea erat, nam inueniebantur duæ familiæ descendentes ab Aaron, vna per Eleazar, altera per Ithamar, familiæ Eleazar primò annexum fuit summum Sacerdotium, & in ea perseuerauit vsque ad tempora Samsonis, vt docet Abulens. super 3. reg. 2. tunc autem propter peccata eorum seu ineptitudinem cessauit summum Sacerdotium in filijs Eleazar, & transiuit ad Heli de familia Ithamar, in linea seu progenie Heli aliqui habuerunt summum Sacerdotium vsque ad mortem Abimelech, quem occidit Saul in odium Dauid, vtì habetur 1. reg. 22. tunc Abiatar filius Abimelech fugit ad Dauid, prætendens Pontificatum, eò quòd Pater eius Abimelech summus Sacerdos fuisset, & retentus est à Dauid in officio Patris sui; Ex alia parte Sadoc prætendebat apud Saulem Pontificatum, quia interfectis à Saule Sacerdotibus descendentibus ab Heli redibat summum Sacerdotium iterum ad familiam Eleazar, quod ius maximè fouebatur ex pacto Domini inito cum Phinees filio Eleazari, de eo quòd in domo eius perpetuò maneret Sacerdotium, vndè Saul confirmauit eum in iure suo. Successit Dauid in Regno, & vterque istorum in officio toleratus est, quousque clariùs constaret de iure vniuscuiusque & hoc fuit in causa, quòd duo summi Sacerdotes simul inuenti fuerint tempore Dauid. Quod & accidit tempore Concilij Constantiensis in illo grauissimo Schismate, in quo tres simul Pontifices extiterunt, quorum quilibet habebat suum ius prætensum, & tolerati sunt quousque omnibus eiectis Martinus V. Pontifex creatus est. Vndè ex casu Sadoc, & Abiatar non fit argum. alicuius roboris, ad infringendum vnitatem capitis visibilis, quam fides Catholica profitetur, cùm illi non fuerint plures de iure, sed per accidēs.

Tertiò arguitur ad probandum hoc ipsum difficiliori argum. etenim summus Sacerdos Iudæorum tantùm se extendebat ad eos, qui credebant intra Iudaismum, non verò se extendebat ad fideles, qui erant inter gentiles, qui veram fidem Dei habebant, & credebant, & vtebantur Sacramentis legis naturæ pro iustificandis paruulis, ergo istis debebatur alter summus Sacerdos ad quem in dubijs de rebus fidei confugerent, & sic de iure debebant esse tunc plures Sacerdotes.

§. Ad hoc dico, quòd illi qui credebant extra Iudæos, summum Sacerdotem non habebant, sed de rebus fidei instruebantur per Prophetas, nec aliud congruebat illi misero

ftatui ob fui imperfectionem, fides enim tunc apud paucos reperiebatur explicita, vnde ferè omnes faluabantur per fidem Trinitatis, & Incarnationis implicitam, etfi aliquod dubium circa res fidei occurrebat, confugiebant ad Prophetas à quibus edocebantur. Fundabat enim tunc Deus Ecclefiam fuam per Prophetas fuos, & fic per os eorum populos edocebat. Neque ex hoc fumi poteft argum. alicuius roboris ad tempora legis gratiæ: nam ille qui multifariam multifque modis olim loquutus eft per Prophetas, nouiffimè loquutus eft nobis in Filio, tamquam in vno totius Orbis Principe, & Sacerdote, & filius vnum tantùm toti Ecclefiæ præfecit Sacerdotem, vt fic vfque ad finem mundi continuatio fiat fummum Pontificum.

§. Vel dicatur, eos qui in lege naturæ faluabantur, alium habuiffe fummum Pontificem ab eo qui Præerat populo Iudaico, Deo tunc hoc fic ordinante, quòd fub vna fide mediatoris Chrifti fecundùm diftinctas leges naturalem fcilicet, vel veterem, vel fcriptam fideles faluarentur, Vbi autem eft legis diuerfitas, diuerfum quoque facerdotium adeffe docet Paulus ad Hebræos 7. translata lege transfertur, & facerdotium. Modò autem quando omnibus eadem lex Euangelij promulgata eft, multiplicitas fummor. Pontif. locum habere non poteft. Moueor ad hanc cogitationem, nam ante legem veterem, & fcriptam dum fideles fub vna tantùm lege naturali erant, vnus tantùm fummus Sacerdos toti Ecclefiæ præfidebat, de quo videatur Sanderus lib.7. de vifibili Monarchia, vbi ab Adam incipit enumerare fummos Sacerdotes toti Ecclefiæ præfidentes. Voluit autem Deus ob fibi peculiares fines populum fibi peculiariter eligere, & legem fpecialem concedere, non fic quòd extra iftam legem nullus alius faluari poffet. Vndè non tenebantur omnes vni capiti vifibili fubdi, fed ficut poterant extra legem faluari populo Iudaico conceffam, faluari quoque poterant abfque fubiectione ad fummum Sacerdotem legis Iudaicæ, & fideles effe. Modo autem ficut vna fides omnes obligat, vna lex omnes tenet, fic quod extra illam nullus faluari poteft, & fic omnes tenentur vni vifibili Ecclefiæ capiti fubdi, vt ficut eft vnum ouile ita & fit vnus paftor.

Quartò arguitur, faluatur Ecclefiæ vnitas abfque vno vifibili capite, ergo non eft conueniens dignitatem capitis ad vnam tantùm perfonam reducere. Prob. ant. Ecclefia habet fuum caput in Chrifto, qui eft caput Ecclefiæ, fummus autem Pontifex, & alij Epifcopi funt tantùm Vicarij Chrifti in terris, ergo dum Chriftus conferuatur Ecclefiæ caput, quamuis multiplicentur in terris eius Vicarij, Ecclefia non amittet fuam vnitatem. Prob. à fimili: etenim dum ex varijs Prouincijs vnum fit regnum fub vno Rege, non eft inconueniens pro vnaquaque prouincia fuum multiplicare Proregem, nam Regni vnitas conferuatur, dum vnius fupremi Principis feruatur vnitas. Cùm ergo Pontifex & alij Epifcopi tantùm fint Vicarij Chrifti, non diffoluetur vnitas Ecclefiæ fi ifti fint plures, & inter fe independentes, dummodò Chriftus fit & perfeueret Ecclefiæ caput.

§. Confirm. 1. ficut regimen Ecclefiæ per totum diffunditur Orbem, ità & politicum, fed regimini politico fufficienter prouidetur per hoc, quòd multi fint Reges inter fe independentes in poteftatis iurifdictione, ergo fufficienter prouidebitur regimini Ecclefiaftico, fi fint plures poteftates fupremæ, puta plures primates inter fe independentes.

§. Confirm. 2. efto plures effent fupremæ poteftates in proponendis rebus fidei, id tamen fentirent omnes ficut contingit in Concilijs generalibus vbi plures parem poteftatem habent, & tamen idem prorsùs definiunt de fide tenendum, ergo efto non daretur vnum fupremum Ecclefiæ caput, non tamen fcinderetur noftra fides. Quod explicat factum temporibus Apoftolorum: etenim omnes parem inter fe poteftatem habebant in rebus fidei proponendis, & tamen id ipfum docebant omnes de fide tenendum, ergo & poterit ità accidere modò in Ecclefia, abfque periculo quòd fides noftra fuam vnitatem amittat.

§. Ad hoc argum. negoant. ad prob. dift. maior. Ecclefia habet fuum caput in Chrifto in ftatu vifibilitatis in terris, ficut habebat dum vixit in eis, neg. maior. fub ftatu inuifibilitatis conc. maior. & dift. mio. Pontifex eft eius Vicarius fuppleos in terris illam capitis vifibilitatem, quam Chriftus habuit dum viueret, conc. mio. non fupplens neg. mio. & con. Itaque cùm corpus Ecclefiæ modò fit vifibile, oportet modò ficut & tempore Chrifti illi caput vifibile confignare, cùmque Chriftus modò non fit vifibilis in terris, oportet aliquem eius Vicarium confignare, qui repræfentet Chriftum fub forma capitis vifibilis, quam habuit dum in terris viueret, neque enim dignitas capitis vifibilis repræfentari poteft per plura capita vifibilia vni capiti vifibili non fubordinata. Ad fimile quod adducitur in arg. dico, non adduci ad propofitum, quia omnibus illis prouincijs præeft vnus fupremus Rex, & fic ex multiplicatione proregum non fcinditur vnitas Regni, Chriftus autem in terris non præeft vifibilis: vnde fi multiplicentur fupremæ poteftates vifibiles, vnitas Ecclefiæ vifibilis fubfiftere non poterit.

§. Ad confirm. dift. maior. ficut regimen Ecclefiæ per totum diffunditur Orbem ità & politicum, ità & eodem modo, nego maior. ità & diuerfo modo conc. maior. & conceffa mio. neg. conf. Itaque gubernium temporale ob diuerfitatem legum quibus conftat, in varia Regna diuifum eft, & fic per diuerfas eafque fupremas poteftates gubernari debet; Ecclefia autem vifibilis vnum tantùm regnum eft, quod indicat vnica lex Euangelij, vna fides, & eadem Sacramenta: Vnde Paulus probat vnitatem corporis Ecclefiæ, quia de vno pane & de vno calice participamus, & fic illi vna poteftas fuprema vifibilis in terris debet affignari. §. Ad 2. confir. nego ant. nam efto Concilia generalia idipfum definiant de fide, hoc eft quia talia Concilia ab vno vifibili capite congregantur, & confirmantur, hac enim de caufa Spiritus fancti affiftentia debetur & non alio modo, vnde Chriftus dicebat, *vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati*. Congregatur autem Concilium

cilium in nomine Christi quãdo Summus Pontifex, qui nomen Christi porrat in terris, Concilium congregat, & confirmat,

Ad factum temporibus Apostolorum dico, quòd in Apostolis vtpotè primis Ecclesiæ fundatoribus fuit paritas in potestate extraordinaria legationis Christi, quoad amplitudinem, & extensionem cum subordinatione tamen, & subiectione ad sanctum Petrum, quia omnes Apostoli Petto gubernandi traditi fuot, dicente Christo, *Pasce oues meas*, vbi non distinxit inter oues & oues, sed quascumque Christus visibiliter gubernabat oues, Petro regendas commisit. Constat autem Apostolos omes Christi fuisse, & sic constare debet sub vno Petri capite fuisse gubernatos.

Instabis contra solutionem principalis argomenti: licèt Christus non appareat in terris, adhuc tamen conseruat formam visibilis capitis, quam habuit dùm degebat in terris, ergo ad seruandam vnitatem Ecclesiæ visibilis non requiritur vna suprema visibilis potestas in terris.

Prob. ant. si Christus non conseruaret, sed amisisset formam capitis visibilis, inde sequeretur Sommum Pontificem non esse Vicarium Christi, sed successorem eius, sicut & dicitur successor Petri. Conseq. autem asseuerari nequit, est enim error, ergo prob. seqoela, ideo dicitur successor Petri, & non eius Vicarius, quia succedit illi in dignitate visibilis capitis, quam Petrus per mortem amisit, & non dicitur Vicarius Petri, quia Vicariua expirat morte principalis, ergo si Christus amisit, & non conseruat dignitatem capitis visibilis Ecclesiæ, Summus Pontifex diceretur eius successor, & non eius Vicarius.

§. Confirm. hoc: ex Ecclesia triumphante, & militante fit vnum indiuisibile regnum, & vna Ecclesia, sed Christus modò visibilis apparet in parte principaliori huius Regni, nempe in Ecclesia triumphante, ergo absolutè dicendum erit, quòd conseruet rationem capitis visibilis Ecclesiæ, sic quod ab illo suam vnitatem sumat Ecclesia visibilis, ergo quantùmuis in Ecclesia visibili militante plures supremæ adessent potestates, vni tertio non subordinatæ, non scindetur vnitas Ecclesiæ.

§. Confirm. seu explicatur hoc: quando Princeps de vna Regni parte in qua antea viuebat, ad aliam sui Regni partem venit, ibique commoratur, non ex hoc respectiuè ad illam primam partem rationem capitis visibilis amittit, sed per hoc, quòd Christus à terris vbi visibilis apparebat ad Cœlos ascendit vbi visibilis adest, non exiuit ab Ecclesia, neque ab eius regno, siquidem triumphans & militans vna indiuisibilis sponsa est, ergo dum in triumphante visibilis apparet, rationem capitis visibilis Ecclesiæ non amisit, & sic ab illo Ecclesia in ratione visibilis accipiet vnitatem.

Ad hoc dist. ant. conseruat rationem visibilis Capitis in se, concedo ant. quoad nos nego ant. & conf. Itaque Christus in se visibilis manet, & à Beatis videtur, non tamen visibiliter nos gubernat, & regit, sicut faciebat quando nobiscum erat, vnde indiget vna persona, quæ modo visibili nos regens ipsum vt Caput visibile repræsentet, & eius vices in Ecclesia gerat, vt detur intelligi, quòd per Christi mortem, & Ascensum in Cœlos regimen Ecclesiæ non est muratum, sed adhuc perseuerat sicut ab illo institutum est. Aliquale huius assignemus exemplum, in politico, & temporali regimine: quia regnum es. gr. Neapolitanum antequam veniret in hæreditatem Regum Hispaniæ, vnius tantùm Principis erat sub forma regia, vt denotetur, quòd sub ea forma sub qua illud hæreditauit modò conseruat, vnum Proregem mittit cui omnes alios superiores per vastum Regnum dispersos subordinat,

Idem dico de Regno Siciliæ, ad quod vnum Protegem mittit, cui alios Gubernatores subordinat, vt sic Regna ista sub eisdem foris & legibus, quibus dum Reges peculiares habebant gubernabantur, modò paritee gubernentur. Quod si ad gubernandum Regnum Neapolis, vel Siciliæ plures Proreges mitteret, inter se, vel vni tertio non subordinatos, profectò Regnum non conseruaret in ea forma sub qua illud hæreditauit. Sic in casu nostro Christus dum in terris vixit Ecclesiam hanc militantem seipso visibiliter gubernauit, sibique omnes alias potestates subijci voluit, abseessit à terris, vt in carne triumpharet in Cœlis, & vt Ecclesia visibilis suam vnitatem, quam primò habuit non amitteret, vnum Vicarium constituit in terris, cui omnes alias potestates subijci voluit, quod si vnum tantùm non instituisset, sed plures vni non subordinatos, sanè vnitatem in qua Ecclesiam hanc visibilem instituit dissoluisset, & aliud ei regimen assignasset. Quia ergo Christus in Cœlis adhuc visibilis viuit, non successorem, sed Vicarium in terris instituit, vnum autem, vt Ecclesiam in vnitate in qua eam instituit conseruaret.

§. Ad confirm. dist. conf. ergo absolutè dicendum est, quod conseruat rationem capitis visibilis in se, trans. conf. quantum ad modum conseruandi visibiliter Ecclesiam militantem, nego conf. & dist. conf. subillatum, non scinderetur Ecclesia sic, quod nulla remaneat vnitas in illa conc. conf. non scinderetur Ecclesia quaotùm ad illam specialem vnitatem, quam militans Ecclesia habebat dum à Christo modo visibili gubernabatur nego conseq. Itaque quando Christus degebat in terris, Ecclesia non solùm habebat Caput visibile, sed vltra habebat Caput visibile visibiliter Ecclesiam regens, & visibiliter in illam influens, modò hoc caput visibile in se conseruatur, sed seipso visibiliter Ecclesiam non gubernat, sed tantùm inuisibiliter: vnde oportet, quod modò aliquam personam assumat, per quam visibiliter Ecclesiam gubernet, vt sic Ecclesia perseueret in ea forma, & vnitate peculiari, quam habebat, dum Christus viuebat in terris. Quòd si Christus plures supremas potestates assumeret sine subordinatione ad vnum solum, Ecclesiam suam visibiliter gubernaret, sed illam camdem vnitatem cum qua instituta est non haberet, vtpotè quæ ab vno capite visibiliter influente non gubernaretur.

§. Ad 2. confirm. dico ad min. quòd Christus terras derelinquens, & ad Cœlos vadens non exit ab Ecclesia, sed exit à modo influendi

di in illam, nam dum in terris erat eam se ipso visibiliter regebat, modò se ipso tantùm eam inuisibiliter regit: vnde est necessè, quod aliquem Vicarium sibi eligat in terris, à quo gubernatio visibilis exeat, & in hoc est discrimen inter Principem de vna Regni sui parte ad alium commigrantem, & inter Christum à terris ascendentem in Cœlum, primus enim relinquit modum regiminis visibilis, sed adhuc distans visibiliter regit terram à qua distat, Christus autem dimisit modum visibilis regiminis, qui in Cœlis degens visibiliter terram gubernare se ipso nequit, & sic oportet, quòd per sibi Substitutum, seu Vicarium regimen visibile Ecclesiæ conseruet.

Quintò arguitur nam Apostolus numerans omnes partes Ecclesiæ tum ad Ephes. 4. tum 1. ad Corinth. 12. numquam meminit vnius Summi Pontificis, solumque admonet seruare vnitatem spiritus, non autem dicit vnus Pontifex Maximus. Insuper omnes Apostolos Christus æqualiter misit, & dedit eis spiritum, Ioann. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: insuper omnibus eis prohibuit modum imperandi quem habent Reges, quod est regimen Monarchicum, Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*. id etiam cõstare potest, nam si Christus vnum tantùm Caput elegisset, ab Apostolis hoc fuisset cognitum, sicque non orta esset contentio inter eos quis eorum videretur esse maior; non ergo regimen Ecclesiæ reducendum est ad vnum, sicut regia potestas reducitur ad Regem.

§. Confirm. quia sine miraculo nequit Ecclesia sic per Orbem diffusa ab vno gubernari: si enim Moyses vnum tantum populum se solo gubernare non potuit, vt habetur Ex odi 18. & Num. 21. quomodò poterit absque miraculo Ecclesia ab vno solo cap. gubernari? Insuper in cap. finali 90. distinct. prohibetur, ne quis etiam Romanus Pontifex, *Vniuersalis Pontifex* appelletur, quia si esset vniuersalis cæteri non essent Episcopi, at si daretur vna tantùm potestas, illa diceretur vniuersalis Pontifex, ergo.

§. Ad hoc dico, quòd argum. negatiuum nullius est roboris, cùm constet non solùm verbum scriptum, sed & traditiones multa facere de fide: quod autem commendans Paulus vnitatem Spiritus seruari in vinculo pacis, dixit *quia vnum corpus sumus, & vnus spiritus*, & non dixit, quia vnus summus Pontifex, nihil etiam conuincit, quia dum dicit nos vnum corpus visibile esse, vnum visibile Caput adesse monstrauit, cùm corpus nisi monstruosum sit vno tantum capite constare debeat, & cum Christus se ipso officium visibilis Capitis exercere absens non posset, planè docuit debere in hoc Ecclesiæ visibili corpore aliquam eius partem vnius Capitis visibilis exercere officium. Quando autem prohibuit imperare modo Regio, non vnitatem Capitis abstulit, sed ambitionem regnandi, & dominandi libidinem cohibuit, docens superioritatem in Dei Ecclesiam non esse introductam dominandi causa. Vnde dicebat: *qui maior est in vobis, fiat sicut minister*. Quis enim dubitare poterit, quòd ipse Christus dum vixit Caput supremum Ecclesiæ fuerit? & tamen de se dixit: *non veni ministrari, sed ministrare*, & alibi, *ego autem in medio vestrũ sum sicut qui ministrat*; vt planè ostenderet supremã potestatẽ Ecclesiæ non in dominatione, sed in vniuersali ministerio esse statutam. Vnde S. Pontifex non dominij sed seruitutis insignitur nota dum *Seruus seruorum Dei* est, & dicitur. Quando autem est orta contentio inter Discipulos, quis eorum videretur esse maior, adhuc non erat declarata Petri superioritas, esto essec aliqualiter præsumpta ex facto tributi soluti Cæsari pro Christo, & solo Petro; si quidem moris erat dari tributum pro Patre familias & pro primogenito, cùmque vidissent Apostoli pro Christo, & solo Petro datum statere tributi, inde orta est præsumptio de maioratu Petri, & ideo mota est contentio inter eos.

§. Quòd in confirmatione adducitur nullius est roboris, nam esto in Dei Ecclesia vnus tantùm sit Pontifex summus, dantur tamen Episcopi per varias diœceses dispersi, à quibus vniuscuiusque diœcesis regimen prodit, cum subordinatione tamen ad vnum supremum caput. Hincque facilè redditur totius Orbis gubernium, nec tempore Moysi aliud accidit, siquidem 70. Seniores, qui ei in adiutorium regiminis dati sunt, non sine subordinatione ad Moysen ministeria sua explebant.

Prohibetur autem in dicto cap. finali ne Pontifex Romanus *vniuersalis* Pontifex appelletur ne detur intelligi, quòd ipse cuiuscumque diœcesis in particulari sit Episcopus, cùm ipse tantùm sit Episcopus Vrbis Romæ, non autem prætendit prædictum Capitulum Capitis dignitatem à Pontifice Romano auferre, ad quam non requiritur quod cuilibet Ecclesiæ particulari præsit vt Episcopus, sed quòd habeat ampliissimam iurisdictionem per quam possit facere quid quid potest facere Episcopus, & aliquid amplius omnium criminum causas cognoscere aliaque innumera in quibus Episcopi illi subordinãtur, qui non habent eam subordinationem, quam pro Reges habent ad Regem, sed potius illam, quam habebant olim Reges ad vnum supremum Imperatorem. Potest enim Pontifex aliorum Episcoporum causas cognoscere, extendere, aut restringere eorum auctoritatem, & si conueniens fuerit, ipsos amouere, & à dignitate deponere.

§. III.

Vtrùm soli Petro inter Apostolos concessa fuerit hæc supræmi Capitis summa potestas.

IAm circa hoc quæsitum aliqua docuimus obiter in præcedenti §. Modo hanc difficultatem placet tractare ex professo. Nam anno 1645. prodijt liber in lucem tum Gallico, tum Latino idiomate, cum Epistola ad Innocentium X. de suprema Romanæ Ecclesiæ amplitudine in Petri, & Pauli auctoritate fundata, in qua epistola inueniebatur hæc propositio, *S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui vnicum efficiunt Caput*. Contrà quam propositionem promanauit dere-

cretum S. Romanæ Inquisitionis die 24. Ianuarij 1647. quo hæretica declaratur præfata propositio, in supradicta epistola propugnata. Contra eundem errorem dilucidè scripsere Diana, Augustinus de Bellis, Leo Allatius, & Pater Macedo eruditissimè, lib. 1. de clauibus Petri. Nos qui tantorum virorum eruditionem æquare non possumus, in hoc toti erimus, vt præcipua, quæ ipsi dixerunt, ad formam scholasticam reducamus, §. Sit ergo conclusio: D. Petrus solus fuit institutus Pastor supremus super cæteros Apostolos. Prob. primò ex illo Ioan. vltimo, *pasce agnos meos, pasce oues meas*, quæ verba soli Petro dicta sunt à Christo; & faciunt sensum vniuersalem, sic quod dum Christus non distinxit inter oues & oues, sic nec nos Catholicè distinguere poterimus. Cùm ergo Apostoli omnes essent oues Christi dum illa Petro dicta sunt, planè colligitur Christum super omnes Apostolos Petrum statuisse Pastorem. In hac ratione solùm hoc probandum restat, illam propositionem vniuersaliter debere intelligi; quod sic confirmo auctoritate sanctorum Patrum, & Doctorum. In primis Theophilathus exponens hæc verba ait: *pasce oues meas, præfectura ouium totius Mundi Petro commendatur, non alteri, sed huic traditur*. Cyprianus lib. de vnit. Eccles. sic ait: Petro iterùm post resurrectionem suam dicit *pasce oues meas*, super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas; & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, *Sicut misit me Pater, ità & Ego mitto vos*, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vni talis eiusdem originem ab vno incipiente sua auctoritate disponit.

Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod & Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscens Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur. Bernar. lib. 2. de consideratione cap. 8. oues meas inquit, cui non planum non designasse aliquos, sed assignasse omnes, nihil excipitur vbi nihil distinguit, & fortè præsentes condiscipuli erant cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & in vno pastore. Chrysost. homil. 87. in Ioannem, *pasce*, inquit, *oues meas*, cur tandem alijs prætermissis de his solum Petrum affatur? Singularis & eximius ea Apostolis, & os discipulorum, & cætus, ac vertex erat. Sed audiamus Caietanum tract. 3. de Rom. Pontifice, *pasce oues meas*, propterea non oportuit apponere omnes, quia quæcumque oues ad quas extenditur pronomen *meas* comprehenduntur cùm dicitur *pasce oues meas*. Sicuti Ioan. 10. omnes comprehensæ sunt Christi oues cum dixit Dominus, *animam meam pono pro ouibus meis*, & rursùs, *oues meæ vocem meam audiunt*. Vnde li *meas* vniuersalis signi supplere effectum altiori ratione necessariò appositum paret. Et hinc confirmatur sensus Catholicus, quoniam quod ibi Ioannis 21. videlicet Christus promisit, hic exhibuit, & propterea quia ei totam Ecclesiam promisit, hic omnes oues commisit.

Quod confirmat ex verbis Ioan. 10. *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor*, si enim ea omnibus ouibus ouile vnum constare debet sub vno pastore, consequens fit vt cùm vnus Pastor instituitur, & dicitur *pasce oues meas*, illius vnius ouilis cura committatur.

Sed dices: dato quòd vniuersaliter illa propositio intelligenda sit, adhuc debet pati exceptionem in persona Pauli, propter priuilegium illi concessum, sicut & ab hac vniuersali *omnes in Adam peccauerunt* in multorum sententia excipitur Beata Virgo ob singulare illi priuilegium datum, §. Sed contra est, nam non est eadem ratio, siquidem de Beata Virgine assignatur priuilegium ea hoc quod sit Mater Dei, & ea eo quòd quæ habuit priuilegium ad numquam peccandum venialiter, à fortiori videatur habuisse priuilegium ad non peccandum originaliter.

Pro Paulo autem nequit adduci priuilegium, neque formaliter neque virtualiter, non formaliter, quia hoc non extat, non virtualiter, quia ex sacra Scriptura cum commentis certissimis Ecclesiæ habetur, quòd solus Petrus fuerit Pastor supremus omnium Apostolorum, fundaturque in illo Ezechiel. 34. de fidelibus nouæ legis pronuntiatum, *Suscitabo super eos pastorem vnum*; & cap. 37. *Et erit vnus pastor omnium vestrum*.

Opponitur etiam hoc assertum priuilegium vnitati Corporis Ecclesiæ, quod cùm sit vnum tantùm, vnicum debet habere caput, ne sit monstruosum, §. Sed dicit Auctor epistolæ: se non lædere vnitatem Ecclesiæ per hoc quod dicit, quòd D. Paulus fuerit simul cum Petro caput, nam ipse non dat Ecclesiæ duo capita sed vnum, dum dicit ea Petro & Paulo non fieri duo capita, sed vnum tantùm coalescere caput, §. Cæterùm solutio nullius est ponderis, primò quia postquam auctor hic in Ecclesia statuit duos Pontifices, Petrum & Paulum, quorum vnus non subordinetur alteri, deindè dicit, ex illis effici vnum tantùm caput, ac si duo diceret monstruosum corpus Ecclesiæ faceret.

Ex quibus sic argumentor, per te Petrus & Paulus, duæ supremæ potestates sunt, quarum vna alteri non subordinatur, ergo in rei proprietate duo capita sunt, hoc enim intelligimus per Caput Ecclesiæ, cui omnia membra subordinantur, & illud nulli alteri personæ Ecclesiæ subordinetur, si ergo in Ecclesia dantur duo supremi, quorum vnus alteri non subordinetur, ergo vel nullum est caput supremum: vel dantur duo capita in Ecclesia.

Patet conseq. nam, vel quod vnus alteri non subordinetur non tollit rationem supremi capitis, & sic erunt duo capita, quia sunt duo inter se nullo modo subordinati; vel tollit rationem veri capitis, & sic nullum erit in Ecclesia supremum Caput.

Si enim quis assereret dari duos supremos Deos inter se nullo modo subordinatos, & tamen assereret ea illis fieri vnum Deum, iste profectò conuinceretur, quòd vel nullum Deum supremum agnosceret, vel duos Deos supremos admitteret, de primo, quia Deus supremus ille tantùm dicitur, qui omnia alia

ſibi ſubordinat, & cum tunc vnus Deus non ſibi ſubordinaret alium, iam Deus non eſſet ſupremus.

De ſecundo conuinceretur, quia ad rationem deitatis ſupremæ ille diceret non requiri, ſibi ſubordinari omnia alia à ſe diſtincta, & ſic non obſtante quòd vnus alterum ſibi non ſubordinaret non ex eo rationem ſupremę deitatis amittere cenſeretur, & ſic duos Deos ſupremos fateretur. Sic in præſenti.

§. Præterea, eſto hic modus dicendi non tollat omne genus vnitatis Eccleſiæ, nam adhuc in aliquo ſenſu poſſet dici vna, tollit tamen eam vnitatem, quam communis conſenſus ei aſſignat, videlicet quæ proficiſcatur ab vnitate Petri; ſicut docent ſancti Doctores, Pacianus enim epiſtola 3. ad Sempronianum ſic habet, ad Petrum, inquit, loquutus eſt Dominus, ad vnum, ideò vt vnitatem fundaret ex vno.

Audias Cyprianum in lib. de vnit. Eccleſiæ ſic ſanrem, tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originis ab vno incipiente ſua auctoritate diſpoſuit, & epiſt. 40. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce ſundata. Iulius II. ſic ait: cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. Optatus lib. 2. contra Parmenionem, Cathedra vna eſt, quæ eſt prima de dotibus, in ea ſedit primus Petrus. Alexander Secundus in Concilio Romæ celebrato, Petro pro omnibus claues Regni cœleſtis ſe daturum promiſit, quicumque ergo ab vnitate Eccleſiæ, qua per Petrum intelligo fuerit alienus, exerceri poteſt, conſecrare non poteſt. Anſelm. in cap. 16. Matth. ideò vni Petro conceſſit ſpecialiter, vt ad vnitatem nos inuitaret. D. Auguſtinus lib. de paſtoral. cap. 14. multi erant Apoſtoli, & vni dicit; *Paſce oues meas*. Boni facius Octauus in extrauag. *Vnam ſanctam*. Sic inquit: vnam ſanctam Eccleſiam vrgente fide credere cogimur & tenere, igitur Eccleſiæ vnius vnum corpus, vnum caput, non duo capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet Chriſti Vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor. Itàque cùm dixiſſet vnum caput, vt iugularet ſententiam, quam impugnamus, dicit, Chriſti Vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor. Vnde dum hic Auctor contra quem procedimus addit Paulum, vtique Bonifacio contradicit.

Sed probemus hoc ipſum, adducendo plura quæ congeſſit Nicolaus Sanderus de Claue Dauid lib. 3. c. 5. Deus per naturam. Vnus, & in perſonis trinus, atque adeo nec vnitatis priùs fabricandæ, nec multitudinis ex Vnitate poſteà propagandæ vmquam immemor, ſicut primum firmauit in vnum Adam, ac deindè ex illo vno fecit omne genus hominum, itemque ſicut populum ſibi peculiarem ſelecturus, primum vocauit vnum Abrahamum, ac deindè benedixit ei, & multiplicauit eum, ſicut etiam ex Ægypto populum ſuum educturus primum vocauit vnum Moyſen, deindè tulit de ſpiritu eius tradiditque eum ſeptuaginta viris, vt ſuſtinerent onus populi vnà cum illo, ſic etiam veteribus adaptans noua, naturam perficiens, figuram adimplens, & regem ſtatuens, vnum Simonem Ioannis filium vocauit Cepham, hoc eſt petram, deindè Ieſu Chriſti natiuitatem ei primùm, ac per eius confeſſionem alijs reuelans promiſit ſe ſupra petram ædificaturum Eccleſiam ſuam mox eidem Petro claues Regni cęlorum contulit, quarum vſum poſteà cæteris Apoſtolis communicauit. Eum quoque fecit primum Apoſtolorum, cui poſteà vndecim ſocios adiunxit, qui onus Eccleſiaſticæ molis, vnà cum illo ſuſtinerent. Et præterea fidem contulit tam ſtabilem, ac firmam, vt fratres ſuos confirmare tum poſſet, tum deberet. Eum poſtremò in gradu ſingulari quo Chriſtum cæteris Apoſtolis plùs amauit, paſtorem ouium atque agnorum conſtituit, alios poſteà ſimul cum illo ad docendum, ac baptizandum omnes gentes mittens, ita & in Eccleſia ædificanda primus, ac ſolidiſſimum militantium lapidum eſt Petrus, & in familia gubernanda Princeps moderandarum clauium eſt Petrus, & in legatione obeunda chori Apoſtolici Coriphæus eſt Petrus, & in fidei cauſis decidendis columna maxima immobilis eſt Petrus, & in grege plus alijs amando paſcendoque vnus, ac ſingularis paſtor eſt Petrus. Vndique igitur Apoſtolici ordinis caput eſt, cui Dominus tam eminentem gratiam, ac poteſtatem contulit, vt nemini maior, nemini par, nemini aliqua omnino poteſtas daretur. Vna eſt igitur Eccleſia ſuper Petrum fundata, ab ipſo incepit, per ipſum conſeruatur. Plura alia poſſem adducere ad hoc probandum, ſed hæc ſufficiant ad concludendum, quod Eccleſia non ſolùm debet ſignificari vna, ſed debet ſignificari vna quia ſuper vnum ſolum Petrum, tamquam ſuper primum omnium Apoſtolorum fundata eſt. Sic Chriſto dictante de Petro, quod de nullo alio dictauit; ***Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam***.

Sed inſtat Auctor, opponens, quòd perfectiſſima Monarchia qualis eſt illa cæleſtis non ſuper vnam perſonam fundata ſit, ſed ſuper plures, ergo & Eccleſiaſtica militans non congruè ſuper vnam ſolam perſonam fundabitur, vt cæleſtem illam imitetur.

§. Cæterùm quis diſparitatem non videat? etenim illa in tribus perſonis fundatur, quia vnius omninò naturæ, vnius intellectus, vnius voluntatis, vnius virtutis ſunt indiuiſę, vnde non poſſunt habere niſi vnum ſapere, vnum intelligere, vnumque velle. In quo fundamentum militantis Monarchiæ illam imitari non valet, quia Petrus, & Paulus non in vna natura, nec intellectu, nec voluntate, nec virtute valent conuenire, vnde non poterant eſſe vnius omninò ſapere, intelligere, & velle. Vnde mirificè dixit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: [Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.]

§. Tandem probo Primatum Petri ſuper cæteros Apoſtolos, ex modo loquendi Scripturæ, nam quoties ſe offert occaſio loquendi de Apoſtolis ſemper mentionem facit Petri in ſingulari, Matth. 10. *Primus Simon, qui dicitur Petrus*. Sic Marci 3. Lucæ 6. & act. 1. item dum confuſa tantùm de alijs conglobatim fit mentio, Petrus proprio nomine vocatur: Marci 1. [Proſequutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant, & cap. 16. Dicite Diſcipulis eius, & Petro. Lucæ 8. & 9. Petrus, &

qui

qui cum eo erant, Act. 2. Stans Petrus cum vndecim &c. Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, & cap. 5. Petrus & Apostoli dixerunt.] Insuper Matth. 17. Christus iussit solui tributum pro se tantum & Petro, soluere autem tributum propriè spectabat ad patrem familias. Præterea Act. 1. Petrus tamquam is, qui præest toti cætui fidelium, monet eos vt alios eligant loco Iudæ, immò cap. 15. in Concilio Apost. Hierosolymis in proprio Iacobi Episcopatu, & ipso præsente. Primus loquitur Petrus, & post ipsum Iacobus, insuper quamuis Paulus simul cum Petro dicatur Apostolorum Princeps, non tamen diuisim à Petro, è contra Petrus seorsim à Paulo Princeps Apostolorum passim dicitur. Ex quibus planè constat Petrum solum inter Apostolos obtinuisse Primatum.

§. IV.

Soluuntur argumenta contra Conclusionem.

FVlcitur sententia huius Auctoris aliquibus locis sanctorum Patrum, quæ oportet adducere, & soluere, vt magis appareat nostri asserri veritas; & primum argum. format auctoritate quatuor Pontificum.

Primò, Leo Pontifex serm. 1. de natiuitate, vbi ait, [Christus Petrum, & Paulum inter omnia Ecclesiæ membra prouexit in tantum apicem, vt duo lumina constituant in corpore, cui caput est Christus.] Igitur Petrus, & Paulus secundùm quod vno Christi capite reguntur, Spiritu vnum caput Ecclesiæ efficiunt.

Secunda auctoritas est Greg. libro 4. in 5. Regum, vbi de Paulo dicit, [quòd est effectus caput nationum, & quod obtinuit totius Ecclesiæ Principatum,] & in Oratione de diuo Petro, & Paulo dicit, [Deus qui ligandi soluendique licentiam tuis Apostolis contulisti.]

Tertia auctoritas est Hadriani in 1. epistola ad Constantinum, & Helenam Imperatores, in qua habetur, [quòd Papæ Petri, & Pauli Vicarij, eorumque Throni successores dicuntur, quòd Ecclesia Romana eorum Ecclesia, quòd Petrus, & Paulus Apostolorum Coryphæi, & Orthodoxæ fidei fundatores appellantur, & quod vtriusque collata est potestas ligandi, atque soluendi peccata in Cœlo, & in terra.]

Quarta auctoritas est Nicolai Primi in epist. 1. ad Michaelem Imperatorem, in qua asseritur, [Paulum Apostolorum Principem in Ecclesia Romana tanquam luminare maius diuinitus constitutum, & non à Petro, sed à Domino facultatem potestatis super omnem Ecclesiam recepisse.] §. Resp. per singula; ad D. Leonem dico, quòd ex hoc, quòd Petrus, & Paulus sint duo maiora luminaria Ecclesiæ, non infertur, quòd Petrus non habeat primatum supra Paulum, Sol enim & Luna duo luminaria, & fulgentissima sidera sunt, nec tamen ex hoc licet inferre, quòd Sol non habeat in lucendo sibi subordinatam Lunam, nec infertur, quòd Sol non habeat primatum super illam. Vel dicatur, quòd duo luminaria Ecclesiæ dicuntur, quia illam ambo fundarunt per prædicationem, manente tamen illibato primatu Petri; & quòd hæc sit legitima mens D. Leonis, patet ex his, quæ dictat in epistola 84. vbi sic ait: [Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, voi tamen datum est, vt cæteris præemineret.]

Hic autem vnus tantum certè non fuit Paulus, sed Petrus, non ergo Leo diuiditur à veritate Catholica, quam docemus; quod expressit in epistola 87. ad Viennenses, ibi: [Sed huius muneris Sacramentum, ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.] §. Ad 2. auctoritatem D.Greg. dico, quòd hoc encomium, quod protulit de Paulo, potuit proferre de singulis alijs Apostolis, nam omnes illi singulatim accepir fuere nationum capita, & obtinuere totius Ecclesiæ principatū, secundùm potestatem extraordinariā, qua fungebantur, secundùm quod ab ipso Christo immediatè missi sunt ad prædicandum Euangelium per vniuersum Mundum, subordinatum tamen Petro vnde excessit Petrus omnes in potestate ordinaria Pastoris ordinarij Ecclesiæ, quam ipsi, & non alij vidimus tradidisse Christum, dicendo *Pasce oues meas, pasce agnos meos.*

Et quòd non distet ab hac doctrina Gregorius, constare potest ex his, quæ docet in epistola 37. & lib. 4. cap. 32. vbi ad Mauritium Imperatorem scribens sic ait: [Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est; ipsi quippè dicitur, Petre amas me? pasce oues meas.] Sed & quòd Paulus fuerit inferior Petro, & illi subditus, satis indicat idem Gregorius, dum homilia 18. in Ezechielem sic ait: [Pensate ergo in quo mentis vertice stetit Petrus, qui epistolas Pauli laudauit, in quibus scriptum se vituperabilem inuenit; ecce à minori reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.] Quibus Paulum minorem dictat Petro.

Sed dicit Auctor oppositus, Paulum vocaret minorem, quia in ætate erat minor Petro. Sed falsam esse istam responsionem colligo ex verbis Gregorij, ibi: [vt qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus in humilitate.] Quibus respectiuè ad Paulum Petrus dicitur habere primatum.

§. Ad 3. auctoritatem ex Hadriano dico, omnia illa esse vera, nec indè sequi Petrum non habuisse primatum respectu Pauli, dicuntur enim Petri, & Pauli successores Papæ, aliter tamen, & aliter, Petri quidem quantùm ad plenitudinem potestatis, Pauli verò quantùm ad plenitudinem scientiæ.

Dicitur etiam Ecclesia Romana Petri, & Pauli, quia ambo illam prædicatione, & martyrio fundarunt, & eius fuerunt Episcopi. Petrus in proprietate, & Paulus in adiutorio, & ideò quia Paulus fuit socius, & collega Petri in fundanda Ecclesia Romana,

rectè dicit Hadrianus, Ecclesiam Romanam esse Petri, & Pauli, dicuntur etiam Coryphæi, aliter tamen, & aliter, Petrus potestate regiminis, & Paulus plenitudine doctrinæ; vel quia Petrus institurus est pastor ouium, In quibus Paulus munus Apostolicum exuberantissimè adimpleuit.

Dicuntur etiam Orthodoxæ fidei fundatores, sicut & alij Apostoli, quia illam prædicando fundarunt, & pro eius defensione martyrium gloriosum subierunt. Sed hoc sine Petri præiudicio, qui solus à Christo meruit audire, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

§. Ad 4. auctoritatem Nicolai dico, Paulum vocari Apostolorum Principem, & Ecclesiæ luminare maius, excellentia doctrinæ, non plenitudine potestatis ordinariæ; Vel sic dici, quia vt ipse de se asserit in fundanda Ecclesia, plus omnibus alijs Apostolis laborauit, sed aliud est plùs omnibus Apostolis laborasse, aliud est omnibus Apostolis præfuisse.

Quod autem dicitur à Domino, & non à Petro potestatem accepisse, hoc nihil valet, oam etiam de alijs Apostolis hoc dicitur, de qnibus tamen non probatur, quòd non fuerint Petro inferiores attenta potestate regiminis Ecclesiæ soli Petro concessæ.

Secundò arguit auctoritate Patrum: Nam Chrysost. homil. 18. in epistolam ad Rom. sic asserit: [Christus sancto Paulo omnem Euangelij prædicationem, omnia vniuersi Muodi negotia, mysteria sua, & omnem denique Ecclesiæ administrationem concedit,] & homil. 2. In epist. ad Rom. ait: [quę si tunc temporis non potuisse à Paulo, cur sese in magni huius Vrbis regimen, seu gubernationem ingereret? respondisset enim, hanc sibi necessariam esse curam, vtpotè à Deo imperatam,] & homil. 7. in epist. ad Ephes. asserit, [Petrum, & Paulum ambo ea, quæ sursum sunt, & deorsum, & ipsas Cœli, & terræ claues hæreditate accepisse, ac possedisse,] & in cap. 2. ad Galat. explicans verba Pauli, [qui dedit Petro in Apostolatum dedit, & mihi inter gentes, asserit, non se comparat Paulus alijs Apostolis, sed eorum capiti, ostendens eandem dignitatem vtrique collatam fuisse;] & in homil. 1. in epistol. ad Rom. ait, [mutatum fuisse Paulo sicut, & Petro nomen, vt eandem, quam habebat Petrus ea; ut Apostolorum super eos prærogatiuam, & ipse haberet,] & in cap. 1. epist. ad Galat. ait, [Paulum Petro nullla in re indiguisse, sed dignitate parem fuisse,]

Secundo loco adducitur Ambros. qui in cap. 1. epist. ad Galat. ait, Paulum à Petro visum proptet affectum Apostolatus, & vt sciret Petrus hanc sibi datam licentiam, quam ipse acceperat,] & in caput 2. eiusdem epist. ait, [de Paulo, gratiam primatus sibi vendicat soli concessam à Deo, sicuti soli Petro concessa est inter Apostolos,] & In 2. caput eiusdem epist. [quis eorum, nempè Apostolorum, auderet Petro primo Apostolo, cui claues Regni Cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat,] & in epistola 2. ad Coeinth, capit. 11. ait: [Paulus quia minor non est, neque in prædicatione, neque In signis faciendis Apostolis prædecessoribus suis, non in dignitate, sed tempore,

§. Tertio loco adducit Augustinum, qui in serm. 25. de Sanctis sic ait: Christus etsi Petrum priorem, tamen ambos scilicet Petrum, & Paulum vno dirauit honore.

§. Quartò adducit auctoritatem Maximi Taurinensis Episcopi homil. 4. in natali Apostolorum Petri, & Pauli, vbi ait: [quos pro iustitiæ, pietatisq; plenitudine Saluator Mundi humano generi, & patres dedit esse, & iudices.]

§. Quintò adducitur Fulgent. serm. 58. in natali Apost. Petri, & Pauli sic aiens: [O beata Apostolorum merita, vt vna duobus concessa sit gratia, vt pote non ab alio, quàm à Christo.]

§. Sextò adducitur Primasius Vticens. Episcop. in epist. 2. ad Galat. dicens: [non illi idem Petro ait Paulus, sum inferior, quia ab vno simul ambo in vnum ministerium ordinati.]

§. Septimò adducitur Synodus Oecumenica 8. in epist. Synod. ad Hadrianum secundum vbi sic habetur: [Christum olim quidem illustrem, & præcipuam operatus est vestram magnam Ciuitatem Romanam per eos sanctos lapides, qui ab Oriente ad eam deuoluti sunt, Petrum aio, & Paulum eximiam, & principalem Apostolorum summitatem.]

Octauò adducitur Laurentius serm. de sanctis Apostolis Petro, & Paulo, dicens: [ambo dum Apostolatus adepti sunt apicem, Dei gratiam in se exhibuere laudabilem, de imia siquidem ad summa prouecti omnium fidelium effecti sunt principes.]

Ad hæc suo ordine resp. ad 1. ex Chrys. dico, illa omnia verificari de Paulo iuxtà id, quod Paulus dicit de se ipso, nempè habere sollicitudinem omnium Ecclesiarum, vt potè ad illum attinentem ratione muneris, & officij vniuersalis prædicatoris Orbis, quòd longè distat a dignitate primatus, & potestate ordinaria regiminis,

Ad 2. dico, illa conuenire Paulo ratione legationis Christi, in qua erat par Petro quantum ad amplitudinem delegatæ iurisdictionis semper tamen sub Petri regimine constitutæ. Sicut Episcopis competit auctoritate propria suæ dignitatis prædicare, at fratribus prædicatoribus hoc ipsum incumbit officium commissione solius Papæ delegantis eis id officium, hancque prædicationis exercendæ potestatem, Sic Petrus ex propria sui pontificatus auctoritate Ecclesiam gubernabat, alij autem Apostoli ex delegatione Christi, vel ex priuilegio eis concesso sub Petri potestate,

Ad 3. concedo totum totum, nam licèt ea acceperint, & possederint, aliter tamen, & aliter, nam Petrus accepit, vt ordinarius Pastor, Paulus verò ex priuilegio speciali, & vt Christus Legatus,

Ad 4. dico, non loqui de dignitate primatus Ecclesiæ, sed de sola prædicatione, ad quam Paulus specialiter à Christo electus est Doctor, & prædicator gentium, & Petrus Iudæorum.

Ad 5. dico, quòd Paulo mutatum est no-

nomen, sicut & Petro, vt eandem habeter prærogatiuam, quam habebat caput, non eandem quò ad dignitatem capitis, sed quò ad variationem nominis.

Ad 6. dico, quòd Paulum nulla in re indiguisse Petro non sonat Petrum non fuisse primatem, sed tantùm indicare vult Paulum ad officium prædicationis à Christo fuisse missum, non à Petro licèt sub Petro à Christo mittente omnem sufficientiam plenè habuit.

§. Ad 1. ex Ambrosio, concedo quòd Paulus vtpótè à Christo missus ad prædicandum non indiguerit accipere à Petro licentiam prædicandi, nego tamen, quod Paulus fuerit Petro æqualis in primatu: non enim valet, in ordine ad prædicationem Paulus fuit independens à Petro, quod tamen iuxtà dicta intelligendum est, ergo Petrus non habuit primatum etiam super Paulum.

Similiter dico ad 2. Quòd primatus est duplex, alter prædicationis, & alter iurisdictionis.

Primum habuit Petrus quo modo Paulus.

Secundum tantùm Petrus; primus finiuit in Paulo, & in secundo successores alios Pontifices habet Petrus. Quod & explicat ibidem Ambrosius, dicens: vt dignus esset habere primatum in prædicatione gentium, sicut, & Petrus in prædicatione circumcisionis, quibus exprimit, de quo primatu loquatur.

Ad 3. dico, Paulum non fuisse imparem Petro in gratia Apostolatus, benè autem in regimine Ecclesiæ, quod solum vult Ambrosius.

Ad quartum dico, ibi nullum verbum haberi de primatu Ecclesiæ, sed solùm de prædicatione, & miraculis.

§. Ad auctoritatem Augustini, illa verba non debere intelligi de honore primatus, sed de honore Apostolatus; vt benè notauit Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 6. annotat. 271. sicut enim ad Apostolatum Christus Petrum immediatè assumpsit, sic & Paulum, vnde dicuntur eodem honore ditati.

Nec de diuo Augustino audiri potest, quòd oppositum nostræ doctrinæ docuerit, cùm lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. sic dicat; [In Scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas postulat de circumcisione agere solitum à posteriori Apostolo Paulo fuisse correctum,] & lib. 3. de Baptis. cap. 15. ait: [vnus est Petrus, qui figuram Ecclesiæ gerat, & rursùs vni Petro in typum vnitatis Dominus dedit potestatem,] & in serm. 27. de Sanctis Paulum cum Petro laudans dicit, [in vno Petro figurabatur vnitas omnium pastorum.] Non ergo ex D. Augustino probari potest oppositum.

§. Ad auctoritatem Maximi, dico nihil dixisse, quod cæteris Apostolis non possit adaptari, de omnibus enim illis canit Ecclesia: *Vos secli insti iudices*; & *Vera Mundi lumina*.

§. Ad D. Fulgentium concedo totum, ibi enim non est loquutio de primatu regiminis, sed de gratia prædicationis, seu Apostolatus; fuerunt enim ambo in hoc æquales, & ideò Petrus dicitur Apostolus circumcisionis, & Paulus præputij, nam ex speciali gratia præter Gentiles cura Iudæorum fuit Petro commissa, & præter Iudęos cura super Gentiles præcipua fuit Paulo à Deo concessa, ita vt posset vnusquisque tam Gentibus, quàm Iudæis Euangelizare Regnum Dei, cum subordinatione tamen Pauli ad Petrum.

§. Ad Primasium Vticensem dico, Paulum non fuisse inferiorem Petro in Apostolatu modo dicto, quia ambo fuerunt ad hoc ministerium ordinati à Deo, cum subordinatione tamen Pauli ad Petrum, vnde non sequitur ex hoc, quod fuerit Petro æqualis in Primatu, nam non valet argumentum de vno ad alterum vt pluries dixi.

§. Ad Synodum dico, eam Petrum, & Paulum dixisse principalem Apostolorum summitatem, non in eodem genere sed in diuerso. Petrus enim fuit Summus dignitate capitis, Paulus dignitate scientiæ, vnde tota Ecclesia Paulum quasi Summum Doctorem colit, & per autonomasiam vocat Apostolum; vnde & dicitur in collecta eius: [Deus qui vniuersum Mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, & Chrysost. dicit de eo, homo ignobilis, abiectus, & circumforancus, qui artem exercebat in pellibus, in in tantum virtute progressus est, vt vix triginta annorum spatio Romanos, Persas, Parthos, Medos, Indos, Schytas, Æthiopes, Sauromettas, Sarracenos, & omne prorsùs humanum genus sub iugum mitteret veritatis.]

§. Ad Laurentium Iustinianum, concedo Petrum, & Paulum adeptos apices Apostolatus, & ad summa peruenisse in diuerso tamen genere summitatis, vt sæpius dixi, alter nempè regiminis, alter verò doctrinæ, & prædicationis. Et quod aliud non prætendetit in hoc dicto suo constat ex eo, quòd capite 12. de obedientia sic fatur: [Huius Apostolicæ Sedis arcem, huiusque Ecclesiæ Catholicæ Monarchiam Apostolicam Petrus primus accepit, quando Dei filium esse Dominum nostrum Iesum Christum confessus est, dicens: *Tu es Christus filius Dei vini*, quam ob rem ab eodem Domino audire promeruit, *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

Tertiò, arguitur auctoritate Cardinalium: Nam Petrus Damianus opusc. 31. capitulo 4. ait: [Quandam si dici liceat cum Christo similitudinem Paulus tenet, dum non vni dumtaxat Ecclesiæ, sed omnibus præsidet.]

Et infrà: [Planè ipse in toto terrarum Orbe fundauit Ecclesiam, sic enim in omnibus ius tenet præsidendi.]

Et in opusc. 4. dicit: [Sacrilegium esse negare Petrum, & Paulum in Apostolici Senatus culmine Principatum tenere.]

Et in lib. 2. epist. 1. vocat Petrum, & Paulum Lateranensis Ecclesiæ brachia, ex quibus infert, ergo Petrus, & Paulus inæquales inter se esse non possunt.

§. Adducitur 2. Sancti Georgij Cardinalis libro de Iubilæo cap. 12. vbi vocat Petrum, & Paulum [Bases Ecclesiæ, religionis api-

apices, fidei conditores, auctores, & praeduces, & fontes.]

§. Adducitur 3. Godofredus Cardinalis sanctae Priscae lib. 1. epist. 7. dicens: Romanum Pontificem sedere in Petri, & Pauli Sede.

§. Adducitur 4. Cardinalis de Cusa epist. 2. de vsu communionis ad Boemos, vbi habet Petrum, & Paulum vnicam communis Principatus Sedem fundauisse, ambos suum Principatum successoribus reliquisse, ambos potestatis vniuersalis tam in Iudaeos, quàm in gentes plenitudine praeditos fuisse.

§. Adducitur 5. Cardinalis Contarenus tractat. de potestate Pontificis, vbi videtur tenere, quòd Petrus, & Paulus vnum caput Ecclesiae constituant. Tandem adducitur Bellarm. lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 2. vocans Petrum, & Paulum Episcopos Romanos.

§. Ad primum dico, Damianum dum illa verba dixit subiunxisse, saluo caeterorum Apostolorum iure, ergo pariter illa dixit saluo Petri iure, quòd prae alijs omnibus est maius, & de quo ibi dixerat, quòd erat Apostolici Senatus primus Princeps, quod nunquam de Paulo dixit. Ad illud de fundatione Ecclesiae vniuersalis dico, id dici de Paulo, quia eius doctrina omnem Ecclesiam illustrauit, non quia omnium Ecclesiarum fuerit caput, sicut fuit Petrus, ideòque vniuersali Ecclesiae praesidere dicitur praesidentia vtique Doctoris non capitis, & Pastoris, sicut Petrus. Ad ea, quae adducuntur ex Opusculo 4. dico, quòd cùm Paulus Ecclesiam docuerit praedicatione sua vt vidimus ex eius collecta, ideò sacrilegium erit negare, quòd Petrus, & Paulus in culmine Apostolici Senatus teneat Principatum, si quidem Petrus tenet potestate regiminis, & Paulus splendore doctrinae. Neque ex eo, quòd simul cum Petro dicatur Princeps Apostolici Senatus, inferri potest, quòd Paulus Pontificiam habuerit dignitatem, nam cùm Pontifex in Cardinalem aliquem ordinat illi dicit, *esto Princeps mecum*: nec tamen ex hoc licet inferre Cardinales Pontificis gaudere dignitate. Ad aliam auctoritatem concedo, quòd Petrus, & Paulus sint duo brachia Ecclesiae, sed brachium dextrum est Petrus sinistrum Paulus, brachia etiam quamuis quantitate aequalia sint, tamen virtute dissimilia sunt, nam virilitas reperitur in solo dextro, non in sinistro. Et certè Damianus non potest stare pro sententia opposita, nam epistola 8. lib. 6. loquens cum Paulo de correctione facta Petro, sic ait: [Quid est beate Paule, quòd priorem tuum increpationibus laceras, quo pacto non vereris, eum ante hominum ora confundere, cui speciali iure concessum est vniuersi totius Ecclesiae Orbis praesidere?] Quibus expressè tribuit Ecclesiae primatum Petro, etiam respectiuè ad Paulum, si quidem eum vocat Paulo priorem, idest superiorem.

Et serm. 27. sic ait de Petro: [Vnus est enim quem praenobilitant singularis primatus insignia.] Hoc attendat oppositus auctor, & discat non appellare primatum communem cum Paulo, de quo Damianus affirmat esse singularem.

Et serm. 31. dicit: [Curam ouilis totius vniuersalis Ecclesiae Petro fuisse commissam.]

§. Ad Cardinalem sancti Georgij dico, omnia illa encomia omnibus Apostolis posse adaptari. Sed difficultas est in eo, quod dicit, Petrum, & Paulum in eiusdem loci primatu iunctos fuisse. Sed euacuatur difficultas ex eo; quòd Paulus fuit Coadiutor Petri in Episcopatu Romano, in quo Petrus titulum, & rem habuit veri Episcopi, Paulus verò verè Episcopus Romanus non fuit. Vnde verificatur, quòd in loci primatu iuncti sunt Petrus, & Paulus, non sicut duo primi, sed sicut vnus primus, & alter Coadiutor eius: Vel dicatur, Petrum, & Paulum in eiusdem loci Primatu iunctos fuisse quia inter caeteros Apostolos solus Paulus praedicationis Romae habuit primatum, nam Petrus Regimine, & Paulus doctrina, & praedicatione Romanam Ecclesiam fundarunt.

§. Ad Godofredum dico, illa verba verificari, quia Pontifices verè succedunt Petro, & Paulo, & in eorum sedent Sede, aliter tamen, & aliter, Sedem iurisdictionis haereditant ex Petro, & Sedem Apostolatus ex Paulo. Fuit enim Paulus quoad doctrinam, & sapientiam quasi habent sapientiae claues, sed Petrus habuit claues ordinariae iurisdictionis, & hac de causa Pontifices dicuntur sedere in Sede Apostolorum Petri, & Pauli.

§. Circa dicta Cardinalis de Susa parum curandum est quia hic Cardinalis non est dignus interpretatione pia, cùm alibi pessimè doceat Concilium generale esse supra Papam & docuit etiam in Concilio Basileae vbi interfuit, per solum consensum Ecclesiae, & non ex iure Diuino primatum Petri, & successorem eius fuisse introductam.

§. Cardinalis Contarenus pariter interpretandus venit iuxta traditam supra à nobis doctrinam.

§. Ad Cardinalem Belarminum, iam supra dixi, Paulum vocari Episcopum Romanum, quia Romae Episcopalia exercuit officia vt adiutor tamen Petri, non verò vt verus Romae Episcopus. De hoc autem Cardinali nulla haberi potest suspicio, quod in sententia opposita fuerit siquidem lib. 1. cap. 27. per totum demonstrat inaequalitatem, quae inter Petrum, & Paulum reperitur, & in capit. 16. dicit Paulum fuisse Petro subiectum, & Petrum fuisse maiorem Paulo in officio gubernandi.

Coronat tandem auctoritatibus opusculum suum hic Auctor, adducendo in fauorem suum D. Thom. eo quòd in cap. 2. Epistolae ad Galath. dixit: [Licèt essent magnae auctoritatis Petrus, & Ioannes, nihil tamen addiderunt doctrinae, & potestati Pauli.]

§. Cui resp. D. Thom. apertissimè in eodem capite docere: [Paulum non fuisse aequalem Petro in regimine, & Primatu.]

Et hic quaest. 33. artic. 4. ad 2. dicit: [Paulum fuisse subditum D. Petro.]

Et in opusc. 1. contra errores Graecorum docet: [Primatum Ecclesiae soli Petro, & non alijs datum fuisse.]

Vnde verba eius sic sunt intelligenda, nihil Petrum addidisse doctrinae Pauli quia omnia, quae pertinebant ad fidem planè Pau-

lus didicit à Christo. Similiter Petrum nihil addidisse potestati Pauli quoad amplitudinem, & extensionem potestatis extraordinariæ quam Paulus habuit vt Legatus Christi ab ipso Christo immediatè missus, sicut, & cæteri Apostoli cum subordinatione tamen ad Petrum caput. Restet ergo, hanc propositionem quam vult hic Auctor defendere, nempè quòd Paulus fuerit simul cum Petro Pontifex Romanus, falsissimam esse, & omninò detestandam, quia Paulum facit Pastorem, & non Petri ouem, contra illud *Pasce oues meas*. Sub quibus continebatur, & Paulus, & contra illud: *erit vnum ouile, & vnus Pastor*.

Tandem ratione arguitur, nam si Ecclesia super personam Petri ædificata est sequitur, quòd negante Petro Christum Dominum suum, perierit, tota Ecclesiæ ædificatio. Cons. non est admittendum, ergo. Prob. sequela, pereunte fundamento perit ædificium, sed Petrus esset fundamentum ædificij Ecclesiæ, ergo pereunte Petro per negationem Christi periret Ecclesiæ ædificatio.

§. Ad hoc nego maior. Ad prob. dist. min. sed Petrus esset fundamentum Ecclesiæ antequam Christum negasset neg. min. post negationem conc. min. & nego cons. Itàque ante Christi passionem Petrus non erat caput Ecclesiæ, neque enim Christus de præsenti dixerat, *Super hanc petram ædifico Ecclesiam meam*, sed de futuro loquutus est dicens, *ædificabo*; vt daretur intelligi, non fundandam Ecclesiam super personam Petri nisi post pœnitentiam eius, vnde etiam non dixit, & tu aliquando *confirma fratres tuos*, sed dixit, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, idest postquam per pœnitentiam fueris ad me reuersus, tunc confirma fratres tuos.

§. Sed instas, etiam post pœnitentiam de peccato negationis, Petrus errauit, & à Paulo reprehensus est, ergo si Caput Ecclesiæ esset, tota Ecclesia errasset in illo.

§. Resp. errorem illum Petri non fuisse in doctrina fidei, sed in simulatione facti, quod alijs verbis prænotauit Tertullianus, dum dixit: *conuersationis fuit vitium, non prædicationis*, & August. in epist. 19. ad Hieronymum, neque enim negamus in hac sententia fuisse iam Petrum in qua, & Paulus fuit, non itàque tunc eum quid in ea re verum esset docebat, sed eius simulationem, qua gentes iudaizare cogebantur arguebat. Itàque Petrus, & Paulus pariter sentiebant legalia iam non esse necessaria, sic enim definitum fuerat sub Petro in primo Apost. Concilio Hierosolymis habito. Nihilominùs pro aliquali conuenientia, tam Petrus, quàm Paulus ea seruabant, nam Paulus etiam aliquando caput raserat, & Timotheum circumciderat, & omnia omnibus factus erat vt lucraretur omnes. Sed cùm vterque eas ceremonias iam non necessarias doceret, & in breui cessaturas sciret, & vterque cùm opportunum videretur eas omittere in animo haberet. Paulus existimabat iam aduenisse illud tempus in quo esset necesse prædictas ceremonias omittere, Petrus verò existimabat adhuc aliquantò diutiùs ob Iudæorum conciliationem tolerari posse, & sic ne Iudæos scandalizaret abstinebat à suffocato, & sanguine, & super hoc facto reprehensus à Paulo est.

Non ergo Petrus errauit in doctrina fidei, sed tantùm in facto simulationis.

Sed vrgentiùs argues, instando contra fundamentum nostræ conclusionis, fundatur enim in eo, quòd Christus soli Petro dixit: *Pasce oues meas*, & quòd sub li *oues* comprehenduntur omnes oues Christi inter quas erat, & Paulus sicut, & cæteri Apostoli. Contra, quod sic arguitur, per li *oues meas* non comprehenduntur vniuersaliter omnes oues Christi, igitur ex hoc non probatur primatus Petri.

Prob. ant. tantum intelligitur ille locus de Iudæis, qui in Christum erant credituri, & non de Gentilibus, nam Paulus ad Gal. 2. dicit sibi concreditum Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis, qui enim efficax fuit in me, inquit Paulus, erga Gentes, ergo oues commissæ non sunt omnes oues ouilis Christi, sed tantùm conuersi ex Iudæis.

§. Ad hoc nego ant. Ad prob. dico, quòd oues Christi dupliciter consignatæ sunt Petro, vno modo vt regendæ per supremam potestatem, & tunc non distinxit Christus inter oues, & oues, sed dixit: *Pasce oues meas*; alio modo vt edocendæ ex partitione prædicationis, & isto modo per se primò signatæ sunt Petro oues circumcisionis, & Paulo oues præputij. Vnde ex hoc loco non infertur, quòd Petrus non sit supremus Pastor respectiuè ad omnes oues Christi, sed quòd pro obiecto per se suæ prædicationis habuerit fideles ex Iudæis conuersos, & sanctus Paulus Fideles conuersos ex gentilibus esto ex consequenti tam Petrus, quàm Paulus potuerit prædicare tam Iudæis, quàm gentilibus, sicut & alij Apostoli quibus dictum est, *prædicate Euangelium per vniuersum Mundum*: pro quo debet aduerti, quòd licèt singulis Apostolis totus Mundus pro sphæra prædicationis sit assignatus, tamen ne vel omnes manerent in Iudæa, vel plures ad eundem locum prædicationis causa venirent Spiritus sancti instinctu sortiti sunt Prouincias, sic vt vni ista Regio præ alia in sortem suæ prædicationis euenerit. Vndè, inquit Eusebius Ecclesiastica historia libro 3. cap. 1. Thomas, vt memoriæ proditum est Parthiam obtinuit, Andreas Schytiam, Ioannes in Asiam abijt, Petrus autem, vt videtur Iudæis, qui in Ponto Galatia, Bithynia, Cappadocia, & Asia dispersi vixerunt, verbum Dei prædicauit, qui ad extremum cùm Romæ versaretur, capite deorsum statuto cruci affixus est.

Quid attinet de Paulo dicere, qui simul ab Hierusalem ad Illyricum vsque fuerat Euangelij Christi prædicandi munus expletorus? Hinc ergo Paulus dicit de Petro, quòd fuerit circumcisionis Apostolus, quia fors Petri fuerunt prædicti Iudæi; quod non sine Diuino consilio est actum, vt his Petrus, qui Vicarius Christi esset prædicaret præcipuè, pro quibus præcipuè Christus est missus, qui de se ait: [Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israel;] quia ergo gratia prædicationis Petri præcipuè illuxit inter circumcisos Iudæos, ideò Apostolus circumcisionis à Paulo dictus est: sicut Paulus esto prædicauerit Iudæis, præputij est dictus Apostolus, quia eius gratia prædicationis præcipuè illuxit in gentibus, vndè ex illo dicto

Pauli

Pauli nihil concluditur contra Primatum Petri.

§. V.

Vtrùm hæc supremi Capitis dignitas reperiatur in solo Episcopo Vrbis Romæ.

DE fide est Episcopum Vrbis Romæ esse Caput totius Ecclesiæ; nàm in Concilio Florentino in literis sanctæ Vnionis hæc habentur verba: [Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem habere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam tradiderunt esse, etiam in Extrauag. Vnam sanctam, de maioritate, & obedientia sic determinat Bonifacius VIII. Porrò sub esse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omninò esse de necessitate salutis.]

Et Nicolaus Papa in cap.Omnes,dist.22. dicit: [Qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, & dicendus est hæreticus; fidem quippè violat, qui aduersùs illam agit, quæ est Mater fidei.]

5. Verùm, quia nihil potest definiri, vt tenendum de fide, nisi iàm reuelatum fuerit in aliqua Scriptura, vel ex Diuina traditione constet, difficilè quibusdam apparet assignare aliquem locum Scripturæ, vel aliquod Christi oraculum primò destinatum ad Apostolos], ab & Apostolis per Pontifices perductum ad nos, cui innitantur prædictæ definitiones. Neque enim de Romano Pontifice, quòd teneat Primatum in Ecclesia vllum extat Christi testimonium.

Nàm circa Papatum ex ore Christi solùm habemus illud Petro dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & illud, *Pasce oues meas*; & illud, *Confirma fratres tuos*; & illud, *Tibi dabo claues Regni Cælorum*, ex quibus esto possit deduci, quod modò in Dei Ecclesia extet aliquis successor Petri; quia Christus non fundauit Ecclesiam tantùm duraturam tempore Petri, sed sic in perpetuum duraturam, quòd portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, cumque in perpetuum non posset durare in persona Petri, quam necessè erat aliquando mori, constat euidenter non soli Petro illa fuisse dicta, sed in Petri persona dicta fuisse Petri successoribus. Tamen, quòd successor, iste Petri in Papatu esse debeat Romanus Pontifex, de hoc nihil habemus à Christo dictum, immò neque ab ipso Petro; nàm, quòd refertur in epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini, quòd Petrus Clementem ordinauit in Episcopum Romanum, illique tradiderit suæ prædicationis Cathedram, & potestatem ligandi, atque soluendi, nullius firmitatis robur habet; nàm, vt infrà probabimus, prædicta epistola apochrypha est, & nullius auctoritatis.

Neque ex morte Petri in Romana Sede videtur colligi Episcopum Romanum illi succedentem hæredem fuisse Papatus; tùm quia hodiè multi Hæretici negant Petrum in Sede Romana obijsse, & alij affirmant non fuisse Romanum Pontificem, & alij asserunt admisso, quòd Petrus Romæ obierit, adhùc non sequi, quòd, qui illi successit in Episcopatu, successerit quoque eidem in Papatu: nàm Papatus non est alligatus alicui Episcopatui, vt per se patet, cùm Petrus fuerit Papa per quinque, aut sex annos, priùs quàm Antiochiæ Sedem figeret, vt constat ex Eusebio in Chronico, & ex alijs antiquissimis historijs.

Denique fuit Summus Pontifex in Sede Antiochiæ per septem annos, nempè ab vltimo Tiberij anno, vsque ad tertium Claudij, & 44. vel 45. anno aduentus Christi Ecclesiam Romanam fundauit, ac Sedem suam in eam transtulit, non ergo Papatus alicui Episcopatui determinato alligatus est, & sic potuit Episcopus Romanus succedere Petro in Episcopatu Romano, & non in Papatu.

His, & alijs infrà referendis non obstantibus constantissimè tenendum est Episcopum Romanum successisse Petro, sicut in Episcopatu, ita & in Papatu. Hæc veritas iàm definita est in Concilijs supra relatis.

Restat autem nobis assignandum, in quo loco Scripturæ, vel in qua Apostolica traditione definitiones prædictorum Conciliorum fundatæ sint.

Dico ergo, huiusmodi definitiones primò fundari in verbis illis, quibus Christus regimen vniuersale Ecclesiæ tradidit Petro, eiusque successoribus. In hoc enim virtualiter habetur, quòd ille, qui Petro succederet in Episcopatu Romano, in quo Petrus mortuus est, idem quoque deberet succedere Petro in Papatu, nàm Petrus Sedem Apostolicam fixit Romæ, & neque viuens, neque moriens illam mutauit, ergo morte sua Romæ firmauit, & declarauit Sedem Romanam esse in perpetuum Sedem Apostolicam, & sic omnis ille, qui Petro succedit legitimè in Episcopatu Romano, succedit Petro in Papatu.

5. His se opponit recens hæreticus Spalatensis, asserens Petrum non fixisse Sedem suam Romæ, esto dictus fuerit Episcopus Romanus, nàm non ideò Episcopus Romanus dictus est, quia Sedem Romæ fixerit; sed ideò præcisè, quia Romæ vixit: Erat enim, inquit, commune cunctis Apostolis iure Apostolatus totius Ecclesiæ gubernationem habere; sed dicebantur Episcopi illius loci, in quo actu exercebant munera Apostolatus; & ideò quamdiu Petrus vixit Antiochiæ Episcopus Antiochiæ fuit dictus, & quamdiu vixit Romæ Episcopus Romanus dictus est.

Quod similiter habuit Paulus, qui cum Petro par erat in Apostolatu, & ab vtroque Ecclesia Romana fundata est, & vterque in ea obijt.

Quinimmò addit, quando Ioannes Romæ

mæ fuit, & ibi missus in feruentis olei dolium, Episcopus Romanus dictus fuit, iure Apostolatus, quem tunc Romæ exercuit. Vndè concludit, Petrum nullatenus alligasse Papatum Episcopatui Romano, & sic, qui Petro succedit in Episcopatu Romano non succedit Petro etiam in Papatu, sed est purus minister, & Vicarius Petri.

5. Cæterùm Petrum Papatum alligasse Episcopatui Romano constare potest ex 1. epist. Petri cap. 5. ibi: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta*; quæ verba de Roma intelligi debere affirmant ferè omnes Interpretes, nec enim de alia Babylone, (in qua Petrus numquam fuit) intelligi valent. Et hæc Roma vocatur Babyloo, eò quod super septem montes fundata sit, quæ veluti septem capita dicta sunt; vndè mulier illa Apocalypsis 17. *Babylon magna* dicta est, quòd haberet capita septem: quem locum de Roma intelligi debere cunctis est manifestum.

Vnde Tertullianus contra Iudæos c. 9. & 3. contra Marcionem cap. 13. ait: [Babylon apud Ioannem nostrum Romanæ Vrbis figuram portat.]

Dicitur autem coelecta, vt habetur in Biblijs correctis, eò quòd Petrus sibi eam elegerit in successionem sui Papatus. Vnde Caietanus legit, *sibi electa*; quibus vult significare Petrus, Sedem Romanam à se *sibi electam* in successionem Papatus sui.

Confirmat hanc veritatem antiquissima Ecclesiæ traditio per Pontificum dicta vsque ad nos traducta.

Anacletus enim Papa, qui fuit quartus Episcopus Romanus post Petrum, in epist. 2. inquit: [Ecclesiæ gubernacula tenemus.] Et epistola 3. ex professo hanc veritatem confirmat, & declarat, dicens: [Romanam, & Apostolicam Ecclesiam ab ipso Saluatore primatum obtinuisse, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias.]

Euaristus in epistola 3. Romanum Episcopum caput vocat, [ad quod in dubijs recurrendum est.]

Alexander I. in epistola 1. [Romanum Episcopum apicem, & caput vocat.]

Sixtus I. epistola 1. Romanam Ecclesiam vocat [omnium Ecclesiarum caput.]

Anicetus de Romana Ecclesia inquit in epistola vnica, [ad illam pertinere terminare omnia iudicia.]

Idem dictat Eleutherius in sua epistola cap. 2.

Victor epistola 1. ad Theophilum inquit: [Contrarium agere, nihil aliud esse, quàm Apostolorum, successorumque ipsorum terminos transgredi, ac decreta violare.]

Zephyrinus sic de Ecclesia Romana, in qua sedebat, ait: [Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes semper destruit errores.]

Fabianus in epistola 1. Pontificum auctoritatem statim ostendit, dùm illam mittit ad omnes comministros vbique Catholicæ Ecclesiæ. Et in exordio epist. sic habet: [Diuinis præceptis, & Apostolicis monemur institutis, vt pro cunctarum Ecclesiarum statu impigri vigilemus affectu, vnde cons. est debere vos scire, quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, vt eius sequentes exempla eius veri filij inueniamur, quæ vestra est Mater vocata.]

Cornelius Romanus Pontifex epistola ad Cyprianum, quæ est quadragesima sexta inter epistolas Cypriani, refert quosdam per ignorantiam deceptos schisma contra ipsum fecisse, posteà verò veritate agnita resipuisse, per verba sequentia: [Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo Omnipotente, & Christo Domino Nostro scimus.]

Et infrà; [Mens nostra semper in Catholica Ecclesia fuit, neque enim ignoramus, vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.]

De qua confessione ità scribit ad Cyprianum: [Has literas existimo te debere ad cæteras Ecclesias mittere.]

Lucius Papa in epistola ad Occidentales sic inquit: [Literas dilectionis vestræ, quas ad beati Petri Apostoli Sedem pro vestri causa negotij misistis, libenter suscepimus;] quibus posteà tamquam vniuersalis Ecclesiæ Pastor respondet, & multa disponit circa quæsita.

Sixtus II. Pontifex Romanus in epist. 1. dicit: [Se illius nomine in Ecclesia præsidere, cuius à Christo est laudata confessio, & cuius fides nullum vnquam fallit, sed omnes hæreses destruit.

Et posteà subdit: [De Ecclesia Romana, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia antiqua Apostolorum eorum, quæ successorum, atque Canonum auctoritas reseruauit, quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papa fieri voluerit.]

Dionysius Papa in epistola 2. ad Seuerum Episcopum: [Ab initio, inquit, tantam accepimus à beato Petro Apostolo Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem, auxiliante Domino vniuersali Ecclesiæ subuenire.]

Felix epistola 1. maiores causas totius Ecclesiæ sibi reseruatas esse confirmat.

Marcellus epistola 1. ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ sic inquit: [Sollicitudinem omnium Ecclesiarum iuxtà Apostolum circumferentes.]

Et infrà: [Nullam Synodum legitimè fieri posse sine Romanæ Sedis auctoritate.]

Eusebius Papa epistola 3. sic incipit: [Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam beati Petri Apostoli Sacerdotio dicauit, nobisque viam monstrandam circa nos, propter vniuersalem curam, quæ nobis est, propter priuilegium eiusdem Ecclesiæ inuicem charitatis indulsit.]

Melchiades Romanus Pontifex in epistola ad Episcopos Hispaniæ sic inquit: [Hos enim Dominus suo iudicio reseruauit, hocque priuilegium beato Clauigero Petro sua vice solummodò commisit, quòd eius iustè

præ-

prærogatiuum succrescit Sedi, futuris hæreditauuum, atque tenendum temporibus, quoniam & inter Apostolos fuit quædam discretio potestatis.]

Siluester in vltimo Canone Romanæ Synodi sub ipso constitutæ, sic de Romana Sede ait: [Nemo iudicauit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni Cleto, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur.] Cui dicto subscripserunt 284. Episcopi, & ipse etiam Constantinus Augustus.

Marcus Pontifex Maximus in epistola ad Athanasium, & Episcopos Ægypti de Romana Ecclesia, inquit: [Hæc est sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia.]

Iulius I. de Sede Romana inquit, quod ad illam pertinet [dicere iura, conuocare Synodos, iudicare Episcopos, & causas maiores ad se reseruare, quia omnibus prælata est non solùm Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini nostri Saluatoris voce.]

Liberius in rescripto ad Athanasium dicit [auctoritatem se in Petro super vniuersam accepisse Ecclesiam.]

Damasus in epistola 2. ad Episcopos Africæ dicit: [Nos, qui supra domum Domini, hoc est vniuersalem Ecclesiam Catholicam Episcopale suscepimus ministerium.]

Syricius in epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum: [portamus, inquit, onera omnium, imò hæc portat in nobis B. Apost. Petrus,] & epist. 3. ad vniuersos Orthodoxos, [nobis loqui necessitas imperanit, cui omnium Ecclesiarum cura est.] Innocentius I. in ep. 17. ad Arcadium Imperatorem, illum excommunicans inquit: [ego minimus, & peccator cui Thronus magni Apost. Petri creditus est, segrego, & reijcio te à perceptione immaculatorum, mysteriorum Christi Dei nostri.] Innumeros alios Pontifices adducere possem, qui dictis, & factis suis Ecclesiæ traditionem de successione Romani Pontificis in primatu Petri firmarunt, & vsque ad nostra tempora perduxerunt, qui voluerit horum prolixiorem deductionem, legat Suarium in defensione fidei contrà Regem Angliæ, lib. 3. cap. 15. Super hanc ergo traditionem Ecclesiæ tot dictis SS. Pontificum firmatam definitiones ex Concilijs suprà adductæ, quibus definitur Pontificem Romanum habere primatum Petri, fundatæ sunt. Etenim nisi Petrus, vel ex Christi speciali reuelatione, vel si solo humano iure pontificatui Romano Papatum alligasset, credendum non est tot sanctissimos Pontifices, quotquot numerati sunt, & quotquot alij innumeri adducuntur à Suario, ea quæ relata sunt ex ipsis, tam constanter, & vniformiter fuisse vnquam prolaturos.

Sed resp. heretici protestantes, in hac causa non esse audiendos, vt testes Romanos Pontifices, quia nemo in propria causa legitimus testis est.

§. Cæterùm solutio hæc minùs audiri debet, primò quia hæc causa potiùs causa Christi est, & totius Ecclesiæ, quàm ipsorum Pontificum Romanorum.

§. Tum etiam 2. quia dicta horum Pontificum non sunt ab illis tamquam à testibus, sed tanquam à iudicibus, est enim materia spectans ad fidem, de qua iudicare non spectat ad Summos Pontifices, tanquam ad testes, sed tanquam ad iudices in causa fidei.

§. Prætereà viri isti sanctissimi, sapientissimique fuere, & temporibus Apostolorum valde propinqui, ex quo enim sapientissimi, ignorare non potuerunt veritatem in hac materia, ex quo sanctissimi, alienam potestatem non vt sibi propriam attogarunt. Esset enim hæc iniustitia, & superbia, quæ in tam sanctis Viris locum non habuit; ex quo autem fuerunt temporibus Apostolorum proximi, non ex litigio contrà Caluinum, Lutherum, & alios huius temporis nouatores loquuti sunt, vt putari possint, id asseruisse hoc tantum fine, vt recentibus hæreticis contradicerent, sed sincero animo, & à Christo edoctus hanc veritatem docuisse non solùm verbo, sed & vita, & martyrio eam firmasse censendi sunt.

§. Sed si fidem his sanctissimis Viris dare recusent protestantes, dent fidem antiquissimis Concilijs, quæ iam propono. In Concilio Niceno lib. 3. in canonibus desumptis ex Iulio Papa primo epist. 2. in canone 1. sic dicitur: [Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari,] & Canone 5. [Episcopi in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant,] & Can. 3. [dum iteratò iudicat Apostolicæ Sedis Pontifex causam Episcopi, nullus alius in eius ordinetur, quia inconsulto Romano Pontifice non est permissum tales causas omninò definire.]

Prætereà in Canonibus 80. ex græco in arabicum translatis Can. 39. sic definitur: [Ita præest patriarcha his omnibus, qui sub potestate eius sunt, sicut ille qui tenet Sedem Romæ caput est, & princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus: sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi D. N. super omnes populos, & super vniuersam Ecclesiam Christianam, & quicunque contradixerit à Synodo excommunicatur.] In Concilio Chalcedonensi, cui præsides fuerunt Legati Leonis Pontificis Romani, vnus ex eis Paschasius dixit: [Beatissimi, atque Apostolici Viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præmanibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur.] Et totum Concilium tanquam capiti Ecclesiæ Leoni obediuit. Alia plura ex hoc Concil. in fauorem nostræ conclusionis adducit D. Thom. Opusculo contrà errores Græcorum cap. 32.

§. Ostenditur etiam quòd Petrus. In Concilio Toletano 11. in assertione fidei in vltimo anathematismo sic habetur: [Si quis salutari Baptismo contrà Sedem S. Petri aliquid faciat, anathema sit.] In sexta Synodo generali in sermone ad Imperatorem vocatur Agatho Papa [summus Pontifex, & princeps Apost. successor.] Similiter in 7. Synodo actio-

actione 2. recipitur, & prob. epistola Hadriani I. ad Tarasium, in qua Sedes Rom. Pontif. [totius Orbis terrarum primatum tenere, & omnium Ecclesiarum caput esse,] ditur. Item in Concil. Lateranen. sub Innocent. III. cap. 5. [Romana, inquit, Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpotè mater omnium Christifidelium, & magistra.]

§. Et si his non contenti vltra alia nobilissima desiderent testimonia, audiant antiquissimos Ecclesiæ Patres. Irenæus lib. 3. c. 3. Romanam Ecclesiam, [maximam, & antiquissimam vocat, & ab Apostolis Petro, & Paulo fundatam] dicit, subiungens, [ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam,] hoc est eos qui sunt vndique fideles. Athanasius in ep. ad Marcum Romanorum Episcopum, sic eum salutat, [Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco S. R. & Apost. Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Patri, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi salutem, & infrà: Optamus vt à vestræ sanctæ Sedis auctoritate quæ est mater omnium Ecclesiarum; & infrà: Vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis, & sumus, & semper esse volumus.] Idem in ep. ad Felicem II. quæ inter acta ipsius Felicis in tom. 1. Concil. habetur, simul cum alijs Episcopis Ægypti auxilium Apostolicæ Sedis implorat his verbis: [vestro sancto suggerimus apostolatui, vt nostri more solito solicitudinem gerere dignemini, & infrà, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta Sede auxilium haurimus, & nostri vos curam gerere nouimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus iuxta Canonum decreta sedem, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes cæperunt, ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus.] Basilius scribens ad Athanasium cap. 52. sic dictat: [visum est mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hìc geruntur consideret.] Innumeros alios patres refert Suarez loco cit. c. 16. legatur, quia eruditissimè rem istam pertractat. Huic ergo sanctissimæ Pontificum, & Patrum catenæ inixa Ecclesia prædictas definitiones edidit, quibus Romanum Pontificem Petri in papatu successorem, Christique in terris Vicarium esse determinat.

Ex quibus ad rationem dubitandi in principio positam dico, quod cùm omnia dicta Christi Petro, & eius successoribus secundùm Patrum intelligentiam communem dicta iudicentur, & solus Rom. Pontif. Petro successerit in papatu, vt ex traditione Ecclesiastica adducta patet, hìc Concilia prædicta sufficientissima principia habuere ad prædictas definitiones condendas.

§. Neque huic veritati obstare potest, quòd cùm Petrus in sua libera voluntate habuisset relinquere papatum, cui ipse voluisset, & non constet illum reliquisse successori suo in Episcopatu Romano, perperam videamur asseuerare, Episcopum qui Petro successisset in Episcopatu Romano successisse quoque in primatu. Non inquam hoc obstat, nam cùm Petrus signare debuisset sui papatus hęredem, si quidem illum non sibi tantùm acceperat, sed pro suis etiam successoribus, hoc ipso quòd in Episcopatu Romano obijt, morte sua firmauit, & declarauit illum futurum sibi successorem in Papatu, qui ei succederet in Episcopatu.

§. Quod autem hæreticus Spalatensis blaterat, quod Paulus simul cum Petro dum vixit Romæ dicebatur Episcopus Romanus, imò & Ioannes Euangelista, si propriè de episcopatu loquamur, absque fundamento dicitur; si autem verbum Episcopus, non strictè sed latè accipiat, sic illi concedimus, sed nihil contrà nos, quia Paulus non habuit auctoritatem ad alios traducēdam, & sic quàmuis Romæ mortuus fuerit, sibi tamen successorem non reliquit. Petrus autem fuit verè, & propriè Episcopus Romanus, vt ex historijs ecclesiasticis clarè patet, & insuper auctoritatem habuit non pro se tantùm, sed transferendam in suos successores, nullum autem ex traditione ecclesiastica inuenimus Petri successorem nisi Episcopum Romanum, & sic illum tantum censemus successorem in papatu.

§. VI.

Soluuntur Argumenta contrà Conclusionem.

Contrà hac veritatem catholicam non cessant calumniari protestantes, prætendentes Episcopũ Romanum non habere primatum, ex eo quod successerit Petro in Episcopatu Romano in quo Petrus obijt, sed dicunt aliqui, hoc habuisse ex statuto Imperatoris Phocæ. Quod probant auctoritate Bedæ, qui de hoc Imperatore sic inquit: [Hic rogante Papa Bonifacio statuit Sedem Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium scribebat.] Quod ipsum enarrant Paulus Diaconus lib. 4. de gestis Longobardorum cap. 11. & Anastasius Bibliothecarius in sua historia, & Antonius Sabellicus æneade 8. & Pomponius Lætus in compendio historiarum Romanorum. Alij prętendunt Romanam Ecclesiam à Constantino IV. habuisse primatum, quia Platina in Benedicto II. dicit, Constantinum Benedicti sanctitate permotum ad illum sanctionem misisse, vt ille quam clerus, populus, exercitusque Romanus Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi Vicarium esse omnes crederent, nulla vel Constantinopolitani principis, vel Hexarchiæ Italiæ expectata auctoritate, vt ante fieri consueuerat. Alij prętendunt, Constantinum I. Episcopo Romano hanc supremam dedisse dignitatem; nam in edicto Constantini I. in cap. penult. dist. 96. sic dicitur: [Constantinus Imperator quarta die sui Baptismi priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto Orbe Romano Sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut iudices Regem.]

§. Verùm hæc iniustissimè, & absque fundamento ab hæreticis proferuntur. Constat enim ex nostro discursu, ante Imperatores Christianos Romanum Episcopum primatum habuisse omnium Ecclesiarum, eumque

non accepisse ab homine puro, sed ex sola Christi institutione, qui instituit Petri successorem in sede, eidem succedere in Episcopatu. Vndè si aliqua Imperatorum statuta in fauorem huius causæ leguntur in historijs, non debent intelligi de statutis instituentibus hanc dignitatem, sed de defendentibus, vel declarantibus illam pertinere ad Episcopum Romanum. Ad id ergo quod primò adducitur: ex Beda dico, quòd inter Gregorium Bonifacij prædecessorem, & Ioannem Constantinopolitanum Patriarcham orta fuit contentio super eo quod Ioannes prætendebat titulum vniuersalis Episcopi, à qua prætensione, vt desisteret non suffecerunt neque monita, neque iussa ipsius Gregorij Papæ, neque interuentus Imperatorum. Vndè Cyriacus Ioannis successor in eadem perseuerauit dementia. Tunc Bonifacius, qui post Sabinianum vnius tantum anni Pontificem Gregorio successit, obtinuit apud Phocam, vt compelleret Cyriacum, illum titulum non vsurpare, declarando soli Ecclesiæ Romanæ posse competere. Tunc ergo Phocas auctoritate sua Romanam Sedem defendit, & Cyriaci compressit superbiam, vnde nihil noui Benedicto contulit, sed tantùm quod eius erat defendit. Hoc & non aliud Beda, & alij suprà citati auctores dicunt.

§. Ad id quod dicitur de Constantino IV. dico, quod cum contrà ius Imperator Constantinopolitanus, & Exarchæ Italiæ se in electionem sum. Pontificum intromitterent, sic quòd pro consummanda sum. Pontif. electione, deberet adhuc eorum sensus expectari, hic Constantinus IV. sua sanctione illam consuetudinem abrogauit, & voluit etiam quòd Exarchæ Italiæ ampliùs non desideraretur consensus, sed hoc ipso quod prædicti ad quos pertinebat consensus electionis Pontificem elegissent, statim vt Pontifex, & Christi haberetur Vicarius. Hoc & non aliud vult Platina in adducta historia.

§. Ad id qod vltimò adducitur de statuto Magni Constantini, dico hunc magnum Imperatorem non potuisse primò dare præfatum priuilegium, siquidem iam ante ipsum per aliquot sæcula Pontifices Romani possidebant primatum. Fuit ergo tantùm quædam concessio recognoscitiua eorum, quæ ad Pontificem Romanum pertinebant. Itaque quamuis Pontifices Romani, quia Petri successores primatum super omnes alias Ecclesias haberent, multoties ob malitiam, vel potentiam Imperatorum, qui eorum iura cognoscere, & venerari nolebant, impediebantur in sua iurisdictione, Constantinus ergo accepto beneficio sanitatis à Beato Syluestro, & ab ipso baptizatus, dum eum Petri successorem agnouit, iura primatus super omnes Ecclesias haberent cognouit, vndè inquit in eodem edicto, iudicauimus, vt sicut in terris Sanctus Petrus Vicarius Filij Dei fuit constitutus, etiam & Pontifices, qui eius successores sunt ipsius Principis Apostolorum principatus potestatem ampliùs, quam terrena Imperialis amplitudo habere videtur, obtineant, concessam à nobis, & à nostro Impetio. In quibus primis verbis solùm habetur recognitio, & acceptatio eorum, quæ Pontifici Romano competebant. Illud autem quod vltimo loco dicit, concessum à nobis, & à nostro Imperio, idem valet, quod admissam, & acceptatam à nobis, & à nostro Imperio, & procuratam conseruari, iuxta illud quod Ioannes Papa Secundus scripsit ad Instinianum Imperatorem, Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei euncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem hoc est Apostol: primum Domino loquente præceptum est, *pasce oues meas*, quam esse verè omnium Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi testantur affectus.

Arguit 2. Caluinus: priuilegium primatus vel est personale, vel reale, vel mixtum, si personale, ergo nihil pertinet ad locum, neque ad Ecclesiam Romanam, magis quàm ad aliam, si reale seu locale, ergo cùm semel fuerit Antiochiæ concessum non potuit ab ea tolli, si mixtum, ergo siue locus desit, siue persona perit priuilegium, & sic Romæ iam neutrum reperietur.

§. Quod confirmat, nam si Romano Pontifici prima deberetur Patriarchia, quia succedit Petro, deberet in sedibus alijs ordo proportionabiliter constitui, sic vt alia Sedes Antiochena Petri haberet locum secundum, tertium Ioannis Ephesina. Quartum Iacobi Hierosolymitana, & similiter de alijs Apostolicis sedibus, at longè aliter se res habet, cum neque Ioannis, neque alterius Apostoli, quàm Iacobi sedes computetur inter Patriarchias, è contra verò etiam ante Antiochenam numeretur sedes Alexandrina Marci, qui non fuit Apostolus, ergo.

§. Ad hoc respon. huiusmodi priuilegium fuisse personale in recto, & locale in obliquo, nam fuit concessum personæ Petri, & personis successoribus eius in eo Episcopatu in quo mortuus est Petrus, quia in Episcopatu in quo mortuus est, vt supra vidimus, sedem primatus fixit duraturam in perpetuum, vndè hoc priuilegium non fuit concessum Ecclesiæ Antiochenæ, quia in hac Petrus tantùm ad tempus Papam agere voluit, sed est concessum Ecclesiæ Romanæ, quia in ea Petrus dum Episcopus moritur, sedem fixit in perpetuum.

§. Ad confirm. dico, quòd in omnibus alijs sedibus quas rexit Petrus, vel per se ipsum, vel per alios, habetur ordo Patriarchatus, nam solæ istæ, veram & propriam rationem patriarchiæ habent. Vndè secundus patriarcha est Alexandrinus, & tertius Antiochenus, quia Petrus Alexandrinam sedem rexit per Marcum Euangelistam, & Antiochenam dum fuit Romæ rexit per Euodium, qui nec Apostolus, nec Euangelista fuit. Ecclesia autem Hierosolymitana vera patriarchia non fuit, quia Episcopus Hierosolymitanus suberat Archiepiscopo Cæsariensi, & patriarchæ Antiocheno, habebat tamen honorem seu sessionem post tres præfatos patriarchatus. Postmodùm autem concessione summorum Pontificum, caput & dignitatem patriarchatus obtinuit, prout etiam Constantinopolitanus Episcopus.

§. Sed

§. Sed instat Caluinus; patriarcha Romanus, quia primus auctoritatem babet super omnes alios, ergo secundus patriarcha nempè Alexandrinus etiam habebit auctoritatem super omnes alios sibi in dignitate inferiores, & sic deinceps de alijs, quod nullus dicet.

§. Sed respon. negando causalem, videlicet, quòd Pontifex Romanus, quia primus patriarcha auctoritatem habeat super omnes, non enim hæc auctoritas illi competit, quia primus patriarcha, sed quia ipse solus est Petri successor, cui soli primatus, & auctoritas super omnem Ecclesiam concessa est.

Arguit 3. Pontifex Romanus non hæreditauit Petrum, quantùm ad hoc quòd quidquid Petrus scripsit, aut dixit oraculum fuit Spiritus Sancti, ergo non successit Petro in Papatu. Antecedens est certum, quia Summus Pontifex non promulgat nouam fidem, nec edit Scripturas Canonicas, vt fecit Petrus in dictis, & in scriptis, ergo.

§. Respon. Pontificem Romanum hæreditasse Papatum quantùm ad ordinariam iurisdictionem concessam Petro, & in eius persona successoribus eius, non autem hæreditauit illum in personalibus soli Petro immediatè concessis, qualia fuere inter alia, quòd Petro reuelationes à Deo immediatè factæ sunt, fundabat enim tunc Deus Ecclesiam, & fidem suam in illo, & sic opportuit nouas reuelationes ei à Deo immediatè concedi, modò autem his Ecclesia non indiget, quia iam omnia quæ ad fidem pertinent reuelata sunt, vndè sola declaratione, de hoc quòd illa reuelata sint Ecclesia indiget. Et quantùm ad hanc vim declaratiuam, plenam potestatem habet Pontifex Romanus, & ipse solus est, qui eam habet.

§. VII.

Vtrùm sit de fide tenendum, quod Clemens IX. quomodò regnat, sit verus Petri in Papatu successor.

Illud supponimus propriè esse de fide tenendum, cui fides immediatum præbet assensum ex vi solius reuelationis diuinæ, immediatè nobis ab Ecclesia propositæ. Diximus enim supra *credibile de fide* esse id quod continetur in Scriptura Sacra, & in Ecclesiæ Catholicæ doctrina, ea autem quæ per discursum ex prædictis credibilibus deducimus, conclusiones dicimus theologicas. Inquirimus ergo vtrum de hoc Clemente IX. quem constat ritè esse electum in Papam ob communem totius Ecclesiæ acceptationem, fide diuina sit credendum esse verum Papam, & verum Petri in papatu successorem, an verò id tantùm sit conclusio theologica, deducta ex vna de fide, nempè ex ista, omnis persona ritè electa, & acceptata in Papam est Summus Pontifex, & alia naturali lumine adquisita, nempè Clemens IX. ritè est electus in Papam.

§. In hac ergo quæstione plures sunt modi dicendi, primus est, nullo modo pertinere ad fidem, neque per se primò, neque per se secundò aliquem hominem in particulari, & determinatè esse verum Papam. Pro hac sententia citantur à Suario hìc plures Thomistæ ex antiquis, & alij non Thomistæ, nempè Castro, Albertinus, Corduba, & alij, itaque asserit hæc sententia, solùm esse certùm morali certitudine hunc hominem in particulari esse verum Papam. Secunda sententia affirmat esse mediatè de fide, hoc est esse conclusionem theologicam, quòd hic homo in particulari sit Papa, eò quòd deducitur ex vna præmissa, de fide & altera cognita morali certitudine seu naturali experientia, ita tenet Cano. lib. 6. de locis cap. vltimo, ad quam sententiam reducitur alia, quæ affirmat solùm esse scandalosum, & temerarium, negare quòd hic homo in particulari sit Summus Pontifex, quam sententiam tenent Bannez hìc quæst. 1. artic. 10. Azor tom. 2. lib. 4. cap. 5. §. *In hac controuersia*, & Arauxo quæst. 1. artic. 10. dub. 2. conclus. 2. & tertia, 3. sententia affirmat esse immediatè de fide hunc hominem in particulari ritè electum, & ab Ecclesia pacificè acceptatum esse Summum Pontificem. Ita tenent Suarez hìc disput. 10. sect. 8. Nugn. tom. 2. quæst. 26. artic. 3. dub. 1. Ioan. à S. Thoma hìc tract. de auctorit. Papæ disput. 8. artic. 2. & modò est adeò communis, quod nullus præsumit asserere oppositum. Vndè pro eius defensione sit conclusio.

Dico ergo, immediatè est de fide tenendum Clementem IX. qui nunc regnat esse verum Papam, & legitimum Petri successorem. Probatur primò, nam de fide est immediatè tenendum deffinitiones, si quæ edantur à Clemente IX. esse veras deffinitiones, sic quod illis immediatè debeamus assentiri per fidem, ergo de fide tenendum erit illum esse verum Papam. De antecedenti nullus dubitare potest, & consequentiam probo, prædictæ deffinitiones nequeunt esse veræ deffinitiones, nisi à vero Papa tanquam à regula animata fidei oriantur, ergo si fide immediatè credendum est eas veras esse deffinitiones, eadem quoque fide immediatè credendum erit, illum esse verum Papam. Explicatur hoc, quæ proferuntur in sacris litteris, quæ sunt regulæ fidei inanimatæ, non creduntur de fide immediatè, nisi postquam creditur prædictas sacras litteras canonicas esse, & veras regulas inanimatas fidei, ergo similiter non poterimus credere deffinitiones à Clemente factas esse de fide immediatè credendas, nisi eadem fide immediatè credamus ipsum esse verum Papam.

§. Poterit quis respon. esse magnum discrimen inter sacros libros, & hunc hominem qui est Papa, in eo quòd qui libri sint canonici scimus per Ecclesiæ deffinitionem, quæ in Concilijs generalibus legitimè congregatis definiuit, qui libri canonici sint, de eo autem quòd hic homo in particulari verus Papa sit, nulla habetur Ecclesiæ deffinitio, sed solùm scitur ipsa naturali experientia, qua videmus illum, vt Papam à tota Ecclesia acceptari.

§. Sed contra insto primò, quia ratio nostra prætendit, quòd debeat esse Ecclesiæ

dessinitio de eo quòd hic homo sit Papa, vt de fide immediatè præfata veritas credatur, ex hoc principio, videlicet quòd fideles tenentur credere de fide dessinitiones ab ipso editas, sicut & necessè est definire hos, vel illos libros esse Canonicos, vt his quæ in illis habentur assensum demus per fidem. Vndè non soluitur ratio à nobis facta per hoc, quod dicatur, quod de primo datur definitio, & de secundo solùm datur naturalis experientia.

§. Sed secundò impugno respons. nam ipsa acceptatio communis, qua Ecclesia hunc numero hominem acceptat, vt Pontificem, & verum Petri successorem, & illi se subijcit, æquiualet dessinitioni qua ipsa Ecclesia dessiniret in actu signato, hunc hominem esse Pontificem, at hanc communem acceptationem Ecclesiæ habet Clemens IX. igitur sicut datur dessinitio de eo quod isti, vel illi Libri sint canonici, datur etiam dessinitio de eo quod Clemens, qui nunc regnat, Papa sit. Maior probat. acceptatio communis Ecclesiæ alicuius obiecti per se spectantis ad fidem rem facit de fide, sicut & dessinitio ipsius Ecclesiæ, sed Ecclesiam esse de facto vnitam huic visibili capiti est de spectantibus ad fidem, ergo dum Ecclesia hunc in particulari communiter acceptat, & illi se subijcit acceptans eum, vt suum caput visibile, verè in exercitio dessinit hunc hominem in particulari esse Pontificem.

§. Dices, Ecclesiam sine capite nihil posse determinare de fide, cumque hæc acceptatio sit à corpore Ecclesiæ sine capite, non poterit prædicta acceptatio determinare de fide hunc hominem in particulari esse Papam.

§. Sed contra sic argumentor, nam licèt in alijs actionibus, quæ per se supponunt caput Ecclesiæ, Ecclesia nihil possit determinare de fide, tamen in actione per se factiua capitis non est negandum Ecclesiam habere infallibilitatem ad determinandum hunc vel illum esse caput Ecclesiæ visibile, hoc enim ipso quod Deus Ecclesiæ tradidit potestatem eligendi Summum Pontificem, debet ad illam spectare, determinare de vero, & legitimo Pontifice, ergo solutio nulla est. Probatur antecedens à simili. Concilium congregatum sine auctoritate Summi Pontificis, non potest determinare aliquid de fide, est enim Acephalum, & nullius prorsùs auctoritatis, cùm hoc tamen stat, quòd quando Concilium congregatur circa personam Papæ, vel ad deponendum eum in casu hæresis, vel ad tollendum schisma, vt contigit in Concilio Constantiensi congregato tempore schismatis, quando erant tres, qui prætendebant Pontificatum, veram habeat auctoritatem ad determinandum de fide istum, vel illum non esse legitimum Papam, ergo similiter, esto corpus Ecclesiæ in his quæ supponunt caput eius visibile, non habeat auctoritatem ad determinandum aliquid de fide, in actione tamen per se factiua capitis Ecclesiæ habere poterit, imò & debebit habere auctoritatem ad determinandum de fide hanc, vel illam personam cui se subijcit, vt vero capiti visibili, esse verum Pontificem.

§. Tum secundo, nam licèt subiectio, & acceptatio à solo corpore Ecclesiæ sit, confirmatur tamen per ipsum Summum Pontificem dum ipse quoque reciprocè acceptat pontificatum, fit enim Ecclesiæ Sponsus, per hoc quod acceptat pontificatum, ergo prædicta acceptatio Ecclesiæ ex defectu capitis visibilis non amittit infallibilitatem ad determinandum, hunc hominem cui visibiliter se subijcit esse verum Papam.

§. Explicatur hoc, sicut non fit Matrimonium carnale per hoc quòd Sponsa aliquem acceptet in Sponsum, nisi adsit mutuus consensus ex parte Sponsi, quo velit illam habere pro Sponsa, ita non fit Matrimonium spirituale inter Ecclesiam, & hunc hominem, qui eligitur in Papam, quantùmuis Ecclesia illum, vt Papam acceptet, quousque hic homo vicissim papatum non acceptat, & sicut posito consensu ex parte vtriusque coniugis, vterque fit Sponsus, ita præcedente acceptatione Ecclesiæ, & huius hominis, Ecclesia fit Sponsa, & hic homo fit Sponsus Ecclesiæ ergo acceptatio Ecclesiæ firmatur per acceptationem ipsius Summi Pontificis. Vndè ex nullo capite claudicat infallibilitas Ecclesiæ, & sic erit potens ad declarandum hunc esse Summum Pontificem, de fide ergo erit, quòd hic homo, qui Pontificatum ritè acceptauit, & quem Ecclesia acceptat in suum caput visibile, esse verum, & legitimum Papam.

Solet secundo respon. rationi nostræ principali, dicendo quòd dessinitiones Conciliorum, & Pontificum, prout ab hoc Concilio, vel Pontifice in particulari fiunt, non esse de fide, quia potest contingere, quod aliquod Concilium non sit verum, & legitimum, vel quòd aliquis non sit verus Papa, fieri autem de fide posita acceptatione Ecclesiæ, & sic sufficere habere certitudinem moralem, de eo quòd hic homo in particulari sit verus Pontifex, vel de eo quod hoc Concilium in particulari sit legitimum.

§. Sed contra insto, nam si dessinitio, quæ non habet esse de fide, secundùm quod egreditur ab hoc Papa in particulari, per Ecclesiæ acceptationem fit de fide, ergo similiter affirmandum erit, quòd acceptatio Ecclesiæ, qua hunc hominem acceptat, & recognoscit, vt Pontificem verè faciat de fide hanc propositionem, hic homo est Summus Pontifex.

§. Secundò insto. Christo Petro, & successoribus eius dixit non deficiet fides tua, ergo dessinitiones Summi Pontificis independenter ab acceptatione Ecclesiæ debent habere suam infallibilitatem, ergo illam habent secundùm quod ab hoc Pontifice in particulari procedunt, & sic erit necessè, quòd sit de fide immediatè, istum sic dessinientem esse Summum Pontificem.

§. Confirmatur ea quæ Concilia definiunt, de fide non sunt donec à Pontifice confirmentur, ergo dessinitiones Pontificum independenter ab Ecclesiæ acceptatione de fide sunt, secundùm quod procedunt ab hoc Pontifice.

Probatur secundò principaliter conclusio Ecclesia hic, & nunc mihi proponit Clementem IX. vt regulam fidei, ab ipso enim dessinitio-

finitiones exspectat, regulam morum desiderat, Sanctorum Canonizationes expetit, pro indulgentijs rogat, & de dubijs in materia fidei solutiones quæritat, at Ecclesia in materia spectante ad fidem errare non potest, ergo ex vi huius propositionis redditur de fide hunc esse Summum Pontificem. Probatur conseq., nam assensus datus alicui propositioni ex eo quòd Ecclesia illam dictat, si sit materia spectans ad fidem à fide immediatè elicitur, sed assensus quem do huic propositioni Clemens IX. est Summus Pontifex, solùm nititur propositioni Ecclesiæ, qua mihi illum, vt regulam fidei proposuit, ergo cùm hæc sit materia spectans ad fidem, erit assensus immediatè elicitus à fide.

§. Dices huic argumen. Clementem IX. esse Summum Pontificem non esse materiam capacem deffinitionis formalis, vel æquiualentis; nam Pontifex vel Ecclesia, id tantùm potest deffinire de fide, quod in Sacra Scriptura continetur, vel habetur ex traditione, quorum neutrum habet hæc propositio Clemens IX. est Summus Pontifex.

§. Sed contra insto, probando esse falsum, non haberi ex traditione virtualiter, Clementem IX. esse Summum Pontificem à temporibus Apostolorum habetur certum & ab Ecclesia practicatum, omnem illum verum esse Pontificem, Petrique successorem, quem Ecclesia elegerit, & communiter, vt Summum Pontificem acceptauerit, ergo cùm Clementem Ecclesia elegerit, & pacificè acceptauerit, virtualiter habebitur ex Ecclesiæ traditione, Clementem esse Summum Pontificem.

§. Confirmatur & explicatur hoc, dum Pontifex deffinit, non solùm est immediatè de fide, id quod deffinit, sed etiam est immediatè de fide, quòd benè hic, & nunc deffiniat. Inquiro tunc, in quo loco Scripturæ, vel in qua Ecclesiæ traditione continetur, quòd hæc singularis deffinitio benè, & rectè facta sit? vtique non in alio quàm in eo, quòd Christus rogauit pro Petro, & successoribus eius, vt non deficeret eorum fides. Vndè hoc ipso quòd Petri successor deffinit, de fide est quòd rectè, & benè deffiniat, quod tantùm constat ex praxi Ecclesiæ sic intelligentis prædictum Scripturæ locum; sed etiam; ex praxi Ecclesiæ habetur, quòd ille verus Petri successor sit, quem Ecclesia communiter, vt talem acceptauerit, ergo pariter erit de fide immediatè, quod hic homo pacificè electus, & communiter ab Ecclesia acceptatus sit verus, & legitimus Papa.

§. Confirm: secundo, etenim sicut electio huius personæ potest pati defectum, vel ex parte electi, vel ex parte eligentium, ita deffinitiones huius hominis in particulari possunt pati defectum, vel ex parte deffinientis, vtpotè si non habeat requisita, vel ex parte rei deffinitæ, vtpotè si res deffinita ad fidem non spectet, sed ad puram curiositatem, & nihilominùs est de fide immediatè tenendum, quòd hæc deffinitio in particulari sit recta, & bona deffinitio, quia iuxta praxim Ecclesiæ antiquam hoc est receptum, quòd quotiescunque Pontifex deffinit, benè & rectè deffiniat, ergo similiter, quàmuis in electione huius vel illius personæ potuerint committi defectus, vel ex parte eligentium, vel ex parte electi, tamen quia antiquissima traditio Ecclesiæ sic portat, quod omnis ille sit verus Pontifex quem Ecclesia pacificè acceptat, vt talem, erit immediatè de fide Clementem IX. quem Ecclesia pacificè acceptat in Papam esse verum, & legitimum Pontificem.

Dices, quòd cum ex defectu, qui committi potest in deffinitione sequatur error communis, hoc ipso quod Papa deffinit Deus supplet omnes eius defectus, & sic deffinitio semper euadit recta.

§. Sed contrà, etiam ex acceptatione pacifica Ecclesiæ huius hominis in particulari in Summum Pontificem sequitur error communis, si ille qui acceptatur ritè electus non sit, falleretur enim tota Ecclesia habendo pro regula animata fidei eum qui reuera talis non esset, ergo similitèr dicendum erit, vel quòd Deus non sinet pacificè acceptari ab Ecclesia in Papam eum, qui ritè non fuerit electus, vel quod si sinat eum in Papam pacificè acceptari supplebit defectus in eius electione commissos, & sic fides qua credimus eum esse Papam non naufragabit.

§. Quod si iterùm resp. errorem communem circa deffinitiones esse errorem circa materiam fidei, quem Deus permittere non potest, qui dixit Petro, & eius successoribus, *non deficiet fides tua*: errorem autem circa personam Papæ non esse errorem communem circa fidem, & sic non teneri Deum ad supplendos defectus electionis eius, etiam si sinat eum communitèr acceptari.

§. Sed contrà hoc iam probatum est, non maiori iure esse materiam fidei, quod hæc deffinitio exiens ab hoc homine in particulari sit bona, & recta, quàm quòd hic homo communiter ab Ecclesia in Papam acceptatus sit Summus Pontifex.

§. Sed secundo sic arguo: solis Petri successoribus promisit Christus infallibilitatem in deffiniendo res fidei, ergo nequibit esse de fide, quod hæc deffinitio in particulari sit recta, & infallibilis, nisi sit etiam infallibile eadem infallibilitate, quod hic homo in particulari cuius definitio acceptatur, vt infallibilis, infallibilitate fidei sit verus Petri successor.

Prob. cons. nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed prob. de fide esse, quod hæc deffinitio sit recta, quia à vero Petri successore procedit, ergo à fortiori de fide erit, quod hic homo legitimus Petri successor sit.

§. Probatur hoc ipsum specialiter contrà M. Arauxo, ille enim vt probet hanc propositionem, *Vrbanus Pontifex est successor Petri*, esse mediatè de fide, arguit sic: id quod deffinit Vrbanus Pontifex est de fide. Sed hæc nititur his duabus propositionibus, quidquid definit verus Petri successor est de fide, sed Vrbanus VIII. est verus Petri successor, ergo veritas definita ab Vrbano VIII. est de fide. Modò sic discurrit, si minor illa *Vrbanus VIII. est verus Petri successor*, non esset de fide, illa propositio illata, nempè *veritas definita ab Vrbano VIII. est de fide*, esset falsa, quia illa minor *Vrbanus VIII. est suc-*

cessor

cessor Petri si non esset de fide, non posset inferri, quod veritas ab eo definita esset de fide, conclusio enim sequitur debiliorem partem. Modò ego sic argumentor: Veritas definita à Clemente IX. est immediatè de fide, at hæc nititur his præmissis, quidquid definit verus Petri successor est immediatè de fide, Clemens est verus Petri successor &c. ergo oportet quod minor sit immediatè de fide, nam conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum, ergo si minor non sit immediatè de fide, falsum erit dicere, quod veritas definita à Clemente sit immediatè de fide.

Potest resp. ex doctrina huius Magistri, quod infallibilitas definitionis non nititur infallibilitati diffinientis tanquam rationi formali, sed tantùm tanquam conditioni, & organo per quod Deus loquitur, non requiritur autem tanta infallibilitas in instrumento, quanta requiritur in ratione formali, cui effectus assimilatur: Vndè videmus, quod assensus conclusionis scientificæ præstantior est dispositione syllogistica in modo, & figura, à qua tamen dependet tanquam à conditione, sufficiet ergo ad infallibilitatem definitionis Pontificiæ, quod sit infallibile hunc hominem, qui definit esse Summum Pontificem, & non requiretur esse immediatè de fide, sicut definitio eius immediatè de fide est.

§. Sed contrà insto sic: nam esto infallibilitas definitionis, tanquam ad rationem formalem tantùm reducatur ad primam veritatem reuelantem, & ad verum Pontificem reducatur tanquam ad condicionem *sine qua non*, tamen est talis connexio inter hanc rationem formalem, & præfatam conditionem, in ordine ad dandam infallibilitatem definitioni Pontificiæ, quod secundùm Arauxo si non sit mihi infallibile infallibilitate metaphysica, hunc hominem definientem esse Summum Pontificem, non poterit mihi esse infallibile infallibilitate metaphysica, quod eius definitio infallibilis sit infallibilitate metaphysica, ergo similiter non poterit mihi esse immediatè de fide definitio Pontificia, nisi mihi sit de fide immediatè, quod hic definiens Summus Pontifex sit.

§. Explico hoc: ego assentio hic, & nunc immediatè per fidem huic propositioni definitæ à Pontifice, quia mihi Deus illum reuelat per successorem Petri, ergo est necesse, quod immediatè per fidem asseutiam, quod mihi Deus loquitur per Petri successorem, at si non assentiam per fidem Clementem esse Petri successorem non possum immediatè assentire per fidem huic propositioni *Deus mihi loquitur per Petri successorem*, ergo requiritur necessariò per fidem immediatè assentiri huic propositioni, Clemens est Petri successor.

Prob. min. illa propositio continet istas duas, veritas prima loquitur, & hanc, & per successorem Petri loquitur, ergo vt toti illi propositioni assentiam immediatè per fidem, est necesse quòd vtrique propositioni assentiam immediatè per fidem.

§. Vrgetur hoc exemplo huius auctoris, etenim licet assensus conclusionis scientificæ ex parte materiæ sit præstantior dispositione in modo, & figura syllogistica, quia ad modum, & figuram non reducitur tanquam ad causam, sed tantùm tanquam ad conditionem, tamen non possumus habere certitudinem metaphysicam de assensu conclusionis, nisi habeamus certitudinem metaphysicam æqualem de eo, quòd syllogismus inferens prædictum assensum in modo infallibili, & figura syllogistica demonstratiua sit, si enim hoc non habeamus certum, vel per scientiam, vel per lumen principiorum, scientiam de conclusione habere non poterimus, ergo similiter, esto veritas prima, cui tanquam rationi formali nititur infallibilitas definitionis, longè præstantior sit persona Pontificia, tamen dum veritas prima non loquitur nisi per verum Pontificem, non poterimus habere infallibilitatem immediatam de fide de definitione Pontificia, nisi nobis sit infallibile, infallibilitate immediatè de fide hunc definientem esse Summum Pontificem.

§. Exemplis theologicis hoc confirmo: etenim Christi redemptio est causa nostræ salutis efficiens, & meritoria, & fides illius (quamquam non ipsa sola) tantum est medium, & conditio per quam nobis Christi redemptio applicatur. Ex hac doctrina, quę communis est inter Theologos, infertur alia similiter communis, nempè quòd eadem necessitate medij, qua nobis est necessaria Christi redemptio ad salutem, est pariter nobis necessaria fides Christi redemptoris, sic enim argumentantur Theologi: Christi redemptio est indispensabilitèr, & insupplebilitèr nobis necessaria ad salutem, sed hæc non alio modo nobis applicatur nisi per fidem Christi redemptoris, igitur fides Christi redemptoris est nobis indispensabilitèr, & insupplebilitèr necessaria ad salutem. Sic etiam argumentari nobis liceat, tota ratio assentiendi immediatè per fidem definitioni Pontificiæ nititur in eo, quòd quis immediatè credit hic, & nunc Deum nobis loqui per verum Pontificem, sed non possumus immediatè credere Deum nobis hic, & nunc loqui per verum Pontificem, nisi immediatè credamus istum hominem, per quem nobis Deus loquitur esse Summum Pontificem, ergo non possumus immediatè credere per fidem definitionem Pontificiam, nisi immediatè credamus per fidem istum hominem esse Summum Pontificem.

§. Itaque hic auctor hallucinatur in eo, quòd sibi persuadet, quòd sicut Summi Pontificis loquutio tantum est conditio, & primę veritatis reuelatio est ratio formalis ad fidem definitionis, ita paritèr non debeat esse ex parte credentis tanta certitudo de positione huius conditionis, quanta est de positione diuinæ reuelationis.

§. Sed fallitur, nam esto de existentia rationis formalis, & conditionis *sine qua non* eadem habeatur certitudo, stat tamen, diuinam reuelationem esse causam formalem infallibilitatis definitionis, & loquutionem veri Pontificis esse tantùm conditionem, quia fides de existentia diuinę reuelationis est fides de obiecto increato; fides autem de existentia veri Pontificis est fides de obiecto creato cui fides definitionis tantùm, vt conditioni inniti potest. Adest simile: vt mihi causet scientiam hic syllogismus; omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal ratio-

rationale, ergo omnis homo est risibilis, indispensabiliter requiritur euidentia de eo, quòd prædictus syllogismus in forma, & figura sit demonstratiua, & tamen forma demonstratiua syllogistica tantùm est conditio ad scientiam, ergo pariter, esto de existentia huius veri Pontificis requiratur immediata fides, sicut & de existentia diuinæ reuelationis, stabit benè, fidem definitionis Pontificiæ reduci in diuinam reuelationem, tanquam in rationem formalem, & in Pontificis loquutionem, tanquam in conditionem.

§. VIII.

Soluuntur argumenta contrà Conclusionem.

PRimò arguitur, nam tota ratio ob quam necesse est esse de fide immediatè, hunc hominem esse Pontificem, est propter certitudinem, quam habemus de Ecclesia, quòd sit vera, & legitima congregatio fidelium, etiam illa numero, quam nunc videmus, & sic necesse est, quòd eadem certitudine teneatur, quòd qui est nunc legitimè electus, sit Papa. Sed hæc ratio nihil probat, ergo prob. min. nam non est minùs necessaria certitudo Sacramentorum in Ecclesia, puta Baptismi, vel Eucharistiæ, quàm sit necessaria certitudo huius Capitis in particulari, pro certitudine autem Sacramentorum sufficienter prouisum est, vt per fidem credamus eorum veritatem in communi, in particulari autem solùm certitudine morali nobis constet de veritate huius, aut illius Sacramenti, nec enim est de fide hanc hostiam in particulari esse consecratam, licèt sit de fide omnem hostiam ritè consecratam realitèr continere in se Corpus Christi, ergo eodem modo sufficit, quòd sit de fide omnem hominem ritè electum esse verum Papam, non tamen, quòd hic homo in particulari si ritè electus, & quòd sit Papa.

§. Ad hoc negatur min. ad prob. neg. mai. nam credere veritatem Sacramentorum tantùm est necessarium, quia fides explicita Christi Redemptoris, & Saluatoris per Sacramenta est necessaria necessitate medij ad salutem, vnde quòd hic, vel ille minister verum Sacramentum conficiat, ad salutem necessarium non est, & sic de eo communis Ecclesiæ acceptatio non habetur, credere autem hominem ritè electum in Papam esse Sum. Pontif. non sufficit, sed vltrà requiritur credere, quod iste cui Ecclesia se subijcit, tanquam vero Capiti visibili sit ritè electus, & Caput Ecclesiæ. Et ratio est, quia fideles non solùm debent credere definitiones ortas à Pontifice ritè electo esse de fide, sed vltrà est necessarium credere definitiones ortas ab hoc numero Pontifice in particulari cui Ecclesia se subijciat, vt suo Capiti visibili, esse de fide tenendas; quod non posse fieri probauimus suprà, nisi credamus per fidem immediatè, hunc hominem in particulari esse Sum. Pontif. vndè Ecclesia hunc, vt Papam verum, & legitimum communiter acceptat. Itaque solutio huius argumenti sistit in hoc, quòd vt ego hìc & nunc iustificer, vel saluer, non est necesse credere per fidem me hìc, & nunc iustificari, & saluari, & sic non est necesse credere, quòd hic, & nunc verum Sacramentum recipiam, vndè non est necesse credere, quod hoc vel illud Sacramentum prout ab hoc, vel illo ministro fit, verum Sacramentum sit, sed sufficit credere, quòd Christus vera Sacramenta instituerit ad salutem: at verò necesse est credere, quòd definitiones, quæ à Clemente Pontifice procedunt, hìc & nunc sint de fide, & sic est necesse credere, quòd ipse sit regula animata Ecclesiæ, verus Pontifex, & verus Petri successor, quia solis Petri successoribus Christus promisit infallibilitatem in suis definitionibus.

Instabis contra hoc: quando Concilium generale congregatum ex varijs Episcopis aliquid definit de fide, credere debemus prędictam definitionem in particulari esse de fide, & tamen non debemus credere quòd illi congregati verè Episcopi sint, ergo esto teneamus de fide, definitionem hìc, & nunc à Pontifice egredientem esse de fide, non debebimus credere, hunc hominem definientem esse verum, & legitimum Pontificem. Prob. cons. quia sicut Summo Pontifici concessa est à Christo auctoritas definiendi, ita & Episcopis congregatis, qui verè Episcopi sunt, auctoritas definiendi concessa est, ergò si credimus definitiones eorum sine eo quod credamus illos in particulari esse verè Episcopos: ità credere poterimus definitiones huius Pontificis esse de fide, sine eo quod necesse sit credere hunc hominem definientem esse verum Petri successorem.

§. Ad hoc concessis præmissis nego cons. & ratio est, quia infallibilitas in definiendo non debetur his, vel illis personis, quia Episcopi sint, sed competit soli Concilio legitimè congregato hoc est congregato auctoritate Summi Pontificis: vndè ad credendum de fide definitiones Concilij sufficit credere quòd prædictum Concilium legitimè congregatum fuit. At verò definitioni Clementis, ver. gr. debemus credere hoc ipso quòd ille dicat se definire de fide, & sic est necesse credere quod Clemens Summus Pontifex sit.

§. Instabis: Concilium non est legitimè congregatum, nisi congregati verè Episcopi sint, cùm soli veri Episcopi sint hæredes Apostolorum, & tamen non est necesse ad credendum eius definitioni credere, quod verè Episcopi sint, qui in eo congregentur, ergò etiam non erit necesse ad credendum definitioni Pontificis, credere Fide diuina hunc esse verum Pontificem, & verum Petri successorem.

§. Ad hoc neg. ant. ad prob. concedo, quòd soli Episcopi sunt hæredes Apostolorum, verùm auctoritas definiendi solùm deriuatur ad illos, quia congregantur à Summo Pontifice, qui solus est hæres primatus Petri, cui, & successoribus eius auctoritas definiendi concessa est, licèt, enim Apostoli, vt legati Christi potestatem extraordinariam habuerint ad determinandas res fidei, tamen quia hæc potestas extraordinaria erat, ad Episcopos eorum successores deriuata non est, sed in ipsis Apostolis finita: potestas autem definiendi, quia in Petro erat ordinaria, eius successoribus est concessa sicut, & ipsi Petro, & sic est necesse credere hunc esse verum Petri

eri fucceffotem, vt eius definitionibus credatur.

Arguitur 2. non conftat de fide, quod illi, qui elegerunt Clementem IX. fuerint legitimi electores, neque Cardinales, neque eft de fide quòd in electione eius feruata fit forma iuridica, nempè quòd fuerit à duabus partibus electus, neque eft de fide, quòd feruatæ fint aliæ conditiones fine quibus electio nulla eft, fimiliter facta promulgatione electionis Papæ quando Ecclefia illum, vt Papam pacificè acceptat, Ecclefiæ acceptanti non conftat ex vi diuinæ reuelationis, vel traditionis, quòd in electione conditiones fine quibus electio legitima non fit, fuerint de facto feruatæ, fed hoc tantùm illi conftat ex fide promulgantium electionem, ergò nunquam certificatur Ecclefia certitudine fidei de Papa electo, quòd ritè electus fit.

§. Ad hoc diftin. ant. non conftat de fide &c. pofita in re acceptatione pacifica huius hominis in verum Pontificem nego ant. ante pofitionem pacificè acceptationis Ecclefiæ tranf. ant. & neg. conf. Itaque cùm ipfa acceptatio pacifica huius hominis electi in verum Papam fit æquiualenter, vel virtualiter definitio de eo quod ifte fit Papa, ante ipfam acceptationem nequit de fide conftare iftum hominem effe ritè electum, & etiam quæ in antecedenti continentur, per ipfam autem acceptationem quafi per definitionem declaratur, quod hic qui pacificè acceptatur in Papam, verus Papa fit, & tunc per confequentias Theologicas infertur, quod ifte fit ritè electus, & quod electores fuerint legitimi, & alia, quæ defiderantur ad rectam electionem.

§. Inftabis primò: nam antequam aliquid definiatur fic quod ex vi diffinitionis illi demus fidem oportet quod illud fit, faltim mediatè de fide, hoc eft quod virtualiter præcontineatur in Scriptura, vel in traditione Ecclefiæ, at ante acceptationem Ecclefiæ non eft mediatè de fide hunc hominem effe Papam, quia nec continetur in aliquo loco Scripturæ, neque in Ecclefiæ traditione ergo illa acceptatio communis Ecclefiæ nequit habere rationem virtualis definitiouis.

§. Secundò acceptatio Ecclefiæ non declarat aliquid effe de fide, nifi priùs illud proponatur, vt de fide credendum, & ante communemEcclefiæ acceptationem qua hunc hominem acceptat in Papam, non eft qui proponat Ecclefiæ illum, vt credibile quod fit Papa, igitur ex vi talis acceptationis non declaratur effe de fide immediatè quod hic homo fit Papa.

§. Ad 1. dico falfam effe minorem, cùm enim poft electionem hic promulgatur, vt ritè electus à Cardinalibus, ex illo tunc iam præcontinetur in illa propofitione Scripturæ, *tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam*, cum enim ifta dicta fint Petro, & fucceffotibus eius per electionem Ecclefiæ defignandis in Papas, fit indè quod ex quo Cardinales in perfona Ecclefiæ hunc promulgant vt ritè electum, & vt Papam, iam hic numero egreditur ordinem fucceflorum Petri, & fic iam eft mediatè de fide quòd Papa fit, vtpotè cùm iam hęc perfona fit vna exptæcontentis in illo loco Scripturæ, & poftmodùm fubfequuta acceptatione declaratur effe de fide hunc fic ritè electum effe Papam.

§. Ad 2. neg. min. Cardinales enim electores dum hunc promulgant ritè electum, illum proponunt, vt credibile de fide quod Papa fit, vndè Ecclefia iam poteft acceptare tanquam de fide quod hic numero Papa fit.

§. Et fi inftes quod prædicti Cardinales non habent auctoritatem ad proponendum, vt credibile quòd hic homo Papa fit, quia ad hoc non funt legitimè congregati ab aliquo Pontifice: ficut neque Concilium habet auctoritatem ad proponendum aliquid, vt credendum de fide, nifi ab aliquo Papa congregetur. Refpondeo legitimè congregari Cardinales ad huiufmodi propofitionem de fide, quia fecundùm leges, & iura Pontificia congregantur ad ritè eligendum, & ad legitimè promulgandum electum, & ad proponendum illum Ecclefiæ, vt tanquam de fide acceptet illum, quem elegerunt in Papam. Cùm enim illa actio fit factiuaPapę, nequeuut vi Papæ exiftentis decreto congregari, & fic congregantur ex vi decretorum prædeceflorum Pontificum: ficut legitimè congregatur Concilium in cafu fchifmatis dum virtute decretorum præcedentium Pontificum congregatur.

§. Et fi iterum inftes, quòd fi Cardinales dum promulgant iftum, vt Papam, proponunt, vt credibile quod ifte fit Papa, ergò ante Ecclefiæ acceptationem iam erit de fide quod ifte fit Papa, quod eft contradicta.

Prob. feq dum Pontifex proponit aliquid, vt credendum de fide, & illud, vt de fide acceptatur, illud antequam acceptetur iam eft de fide, ergo fi prędicti Cardinales ante acceptationem Ecclefiæ proponunt, vt de fide credendum, quòd hic homo fit Papa, ante acceptationem iam erit de fide, quod Papa fit.

Refp. neg. fequelam, ad prob. con. ant. nego conf. Nam propofitio qua Summus Pontifex proponit aliquid, vt credendum, & vt acceptandum de fide, non exfpectat fui confirmationem ab acceptatione Ecclefiæ, & fic ante acceptationem iam habetur de fide id quod Papa proponit, vt credendum, & vt acceptandum: propofitio autem prædictorum Cardinalium exfpectat fui confirmationem ab Ecclefia acceptante: ficut & id quod definiunt Concilia etiam legitimè congregata, exfpectat, vt de fide fit confirmationem fummi Pontificis. Vndè ante acceptationem non proponitur, vt de fide immediatè credendum.

Arguitur 3. Non eft de fide, quòd hic homo ritè Baptizatus fit, vel quod fit ritè ordinatus ergo neque erit de fide quod fit fum. Pontifex. Aut. videtur certum, & Con. probfolùm eft fubiectum capax Pontificatus homo ritè baptizatus, & ritè ordinatus, ergò fi de hoc non datur fides, neque de eo quòd fit fum. Pontifex fides decernet.

§. Secundò, hæc eft bona confeq. hic homo eft Pontifex, ergò eft ritè baptizatus, ergò fi ant. eft neceffarium; & de fide, conf. nequit effe contingens, alias in bona conf. poffet dari ant. verum, & conf. falfum. At hoc conf. eft contingens, ergò ant. nequit effe de fide.

§. Tertiò, quia hunc hominem effe Petri fucceflorem eft conditio fine qua non ad hoc, vt definitio, quæ ab eo promanat fit de fide, diximus debere effe de fide, quòd hic homo fic

fic definiens fit fum. Pontifex, at quòd hic homo fit baptizatus, eft conditio fine qua non ad hoc, vt fit fum. Pontifex, ergo fi non habetur fides de eo quòd hic homo fit ritè baptizatus, non habebitur pariter fides de eo quòd Pontifex fit.

§. Ad hoc nego con. nam licet ad Pontificatum ex parte fubiecti requirantur illę conditiones, tamen fides de eo quòd hic fit Pontifex non innititur illis difpofitionibus, fed creditur hunc hominem effe Pontificem, quia illi, vt vifibili Capiti Ecclefia fe fubijcit, illumque pacificè, vt Papam acceptat: vndè non oportet quòd, fi eft de fide quòd homo fum. Pontifex fit, fit etiam de fide quòd baptizatus fit.

§. Ad 2. prob. conc. ant. dift. conf. non debet effe contingens exui terminorum neg. conf prout infertur ex antecedenti conc. con: & dift. min. fub fumptam nempè hoc confequens eft contingens, ex vi terminorum conc. min. prout infertur ex ant. de fide neg. min. & conf. Itaque hæc propofitio *hic homo* fignato Pontifice *eft ritè baptizatus* ex vi connexionis prædicati cum fubiecto contingens eft, ex vi terminorum, at verò per modum conclufionis illatæ ex hoc antecedenti *hic homo eft Pontifex* neceffaria eft, & Theologica. Sicut hoc conf. *Petrus erit* ex vi terminorum eft contingens, vt verò infertur ex hoc antecedenti neceffario *Deus fcivit Petrum futurum*, neceffarium eft.

§. Ad 3. dift. maior. quia eft conditio *fine qua non*, vtcunque neg. maior. quia eft conditio per fe influens ad hoc quòd deffinitio Pontificis fit de fide, conc. ma. & dift. min. eft conditio *fine qua non* per fe influens in eo quòd fit de fide quod hic homo fit Pontifex, neg. min. eft conditio *fine qua non* tenens fe ex parte materiæ fupra quam cadit Pontificatus, conc. min. & neg. conf. Itaque fides de eo quod deffinitio Pontificis. legitima fit, nititur in eo quod Deus loquitur per os veri Pontificis, & fic reducitur immediatè in Deum loquentem tanquam in rationem formalem influentem, & in os veri Pontificis tanquam in organum per quod diuina veritas nobis innotefcit. Et fic eft neceffe credere, & quòd Deus loquatur, & quòd per verum Pontificem loquatur, Fides autem de eo quòd hic homo fit Pontifex, tantùm reducitur in acceptationem Ecclefiæ, qua illum acceptat in Papam, non verò reducitur in hoc quod baptizatus fit, vndè licèt effe haptizatum ex parte materiæ requiratur, dum tamen non influit neque principaliter, neque inftrumentaliter in fidem huius veritatis *hic homo eft Pontifex*, non eft neceffe credere immediatè de fide quòd hic homo baptizatus fit.

Arguitur 4. Non eft hærefis negare Clementem IX. effe verum Papam, ergo neque eft immediatè de fide quod fit Papa. Prob. ant. qui hoc negat, tantùm fchifmaticus eft fi nihil aliud de fide negat, effe autem fchifmaticum non eft effe hæreticum, nam fchifma tantum opponitur charitati à qua habetur Ecclefiæ pax, hærefis verò opponitur fidei, igitur non eft hærefis negare hunc hominem effe Papam.

§. Confir. modò non eft de fide Sixtum V. & Pium V. ver. gr. fuiffe Papas, hoc enim tantùm conftat ex humanis hiftorijs, ergo neque fuit de fide tempore quo ifti regnarunt, illos effe Papas.

Prob. conf. nam fi regnante Sixto fuiffet de fide illum effe Papam, etiam modò effet de fide illos fuiffe Papas, quòd enim modò de præfenti eft de fide, præterito hoc tempore erit de fide, illud fuiffe de fide.

§. Confir. 2. modò funt de fide definitiones editæ à Sixto V. & à Pio V. & tamen non eft modò de fide illos fuiffe Papas, igitur poteft effe de fide aliqua definitio alicuius Pontificis, fine eo quòd fit de fide illum fuiffe, vel effe Pontificem.

Confir. 3. hoc ipfo quòd Pontifex hæreticus fit, definit effe Papa Dei iudicio inuifibili, non per fententiam, aut depofitionem Ecclefiæ, at de fide non eft quòd Pontifex præfens hæreticus non fit, ergo nequit effe de fide quod hic Pontifex verus, & legitimus Papa fit.

§. Ad hoc argum. nego ant. Ad prob. nego maior. nã qui negat Clementem IX. quem Ecclefia credit ritè electum, & legitimum Petri fucceffòrem, verum effe Papam, directè recedit à fide quam tenet Ecclefia, & fic hæreticus eft, & non folùm fchifmaticus, dicit enim Auguft. lib. 20. contra Fauftum cap. 3. in princ. tom. 6. [fchifma eft eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, quo cæteri, folo congregationis delectari diffidio, hærefis verò diuerfa opinatur ab his, quæ credit Ecclefia.] Ille ergò, qui negaret Clementem IX. effe Papam, diuerfum quid opinaretur ab eo quòd credit Ecclefia: & fic hæreticus effet, & non tantùm fchifmaticus. Inftas: Ecclefia non credit de fide Clementem IX. effe Papam, ergò qui hoc negaret non fentiret oppofitum huius quod Ecclefia credit.

Prob. ant. nam huc vfque non eft definitum Papam pro tempore regnantem effe verum Papam. Infuper innumeri Auctores tenent hoc non effe de fide, ergò Ecclefia non credit Clementem IX. effe verum Papam.

§. Ad hoc neg. ant. Ad prob. neg. antec. etenim Martinus V. in damnatione errorum Witcleph. in Concilio Conftantienfi, in interrogationibus, quæ faciendæ funt fufpectis in fide, ad indagandum, an legitimè credant, ponit hanc interrogationem, [item vtrùm credat, quòd Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit (eius nomine expreffo) fit fucceffor Petri habens fupremam auctoritatem in Ecclefia Dei?] quæ verba non fonant illam vniuerfalem, [omnis ritè electus eft Summus Pontifex,] fed iftam Clemens IX. quem Ecclefia, vt ritè electum agnofcit, & vt verum Papam acceptat, credi debet verus Papa hoc enim declarant illa verba [qui pro tempore fuerit, & pro nomine expreffo.] Ad 2. prob. concedo, quod multi Auctores teneant hoc non effe de fide, fed iam probauimus falsò illos opinari neque nos volumus noftram fententiam ita effe certam, quod à nemine negetur, fed tantùm, vt magis probabilem illam elegimus.

§. Ad 1. confir. tranf. ant. & neg. conf. Ad prob. dico, illud quòd femel fuit de fide femper effe verum illud fuiffe de fide, quando illud fuiffe de fide conftat ex aliqua facra Scriptura, vel ex traditione Ecclefiæ, vel ex aliqua

aliqua definitione; at Sixtum V. Pium V. & alios fuisse ritè electos, & vt veros Papas acceptatos, nobis non constat nisi ex historia humana, vndè non possumus modò credere fide supernaturali illos fuisse Summos Pontifices. Hoc dico de illis Pontificibus, quorum in Ecclesia non extant modò vllæ definitiones; nam si loquamur de illis quorum definitiones in deposito Ecclesiæ reseruantur, & fidelibus, vt credendæ proponuntur, de his dico modò nos habere fidem de eo quòd quando isti sic definierunt, veri fuerunt Pontifices. Depositum enim Ecclesiæ quod reseruat eorum definitiones, reseruat quoque veram fidem de eo quòd veri Papæ fuerunt.

§. Ex hoc patet ad 2. confir. debemus enim negare min. nam fides definitionum à prædictis Pontificibus editarum conseruat nos modò in fide de eo quòd ipsi qui talia definierunt, veri fuerunt Pontifices.

§. Ad 3. neg. ant. quantumuis enim Papa hæreticus sit ante Ecclesiæ declarationem, vt verus Papa habendus est. Vndè quamuis modò de fide non sit Clementem IX. non esse hæreticum de fide tamen tenendum est illum esse legitimum Papam. Sicut enim Deus Papatum non confert, nisi ei quem Ecclesia designat, sic nec Deus Papatum aufert nisi ab eo quem Ecclesia hæreticum esse declarat.

Arguitur 5. Possumus credere Ecclesiam esse vnam numero, etiam si non credamus, hunc hominem numero esse verum Papam, ergò ex fide quam habemus de eo quòd Ecclesia catholica modò sit vna numero, non colligitur de fide esse quod hic homo sit verus Papa.

Prob. ant. ad credendum Ecclesiam esse vnam tantùm numero, sufficit credere quod vnum tantum caput habeat, siuè sic hoc, siuè sit illud: sicut idem locus numero dicitur, siuè sit sub hac numero superficie, siuè sub illa, dummodo tamen vna superficies sit sub eadem distantia à polis mundi, & centro terræ, ergò ad credendum quòd Ecclesia sit vna numero non requiritur credere, quòd hæc numero persona caput Ecclesiæ sit, sed sufficit credere, quòd vni tantùm capiti visibili verè subiecta sit, siuè illa ratio capitis in hoc, vel in illo reperiatur.

§. Ad hoc neg. ant. Ad prob. neg. ant. nam non solùm debemus credere Ecclesiam esse vnam numero, vtcunque, sed debemus credere hanc vnitatem illi conuenire ex vno illo capite, cui illa visibiliter vnitur, & quem, vt caput suum acceptat: sicut enim locus vnitatem numericam habet non ex superficiebus vtcunque, sed ab illis secundùm quod ab eisdem polis mundi, & centro terræ non vagè sumptò, sed omninò determinatis suam numericam desumit vnitatem: ita Ecclesia catholica accipit vnitatem suam numericam ex capite vno, cui pro tempore visibiliter se vnit, & quod in Papam communiter acceptat. Et sic non debemus tantùm credere illam esse vnam, quia vnum tantùm caput habeat, sed debemus credere esse vnam, quia ab illo, cui temporaliter visibiliter se vnit, hanc vnitatem habet.

§. Dices: ex Symbolo tantùm haberi, quod Ecclesia sit vna Catholica, non verò haberi, vt credibile quòd sic sit vna, quod suam vnitatem accipiat ab eo capite, cui se vnit visibiliter, ergò perperam à nobis superadditur aliud credibile.

§. Ad hoc dico quod hoc ipso quod ex simbolo habeatur, quòd Ecclesia sit vna Catholica necesse est, quod vni tantùm capiti sit vnita, nam si plura capita haberet, vna esse posset, sed non vna catholica, idest vniuersalis, vndè ex verbis, simboli non solùm habetur quod sit vna, sed etiam quod talem vnitatem accipiat ab vno capite, cui se visibiliter vnit.

Tandem arguitur: Ad hoc, vt definitiones Pontificiæ sint de fide non requiritur credere quòd hic numero Pontifex à quo promanant sit verus Papa, ergò ratio qua probauimus conclusionem est nulla.

Prob. ant. nam vt præfatæ definitiones credantur fide supernaturali, sufficit indubitatè tenere, quòd hic homo Papa sit, sicut modò ego, qui nunquam vidi Neapolim, indubitatè teneo dari Neapolim, & tamen non credo fide diuina Neapolim dari, neque etiam de hoc habeo euidentiam metaphysicam, sed tantùm moralem ergo non requiritur credere fide diuina quod hic homo verus Pontifex sit.

Prob. ant. fides qua ego credo quod hic numero homo sit Pontifex, non influit in fidem qua ego credo definitiones eius esse infallibiles veritates fidei, nam ad fidem huius solùm influit veritas prima reuelata in Scripturis sacris; neque enim, vt supra vidimus Deus loquitur per os Pontificis definientis, sicut loquutus est olim per Prophetas, ergo non requiritur credere fide diuina, quòd hic numero Pontifex, qui definit, verus Papa sit ad hoc, vt credamus de fide eius definitiones esse infallibiles de fide.

§. Ad hoc argum. neg. ant. Ad prob. nego conſ. Ad prob. dico, quod in fidem qua credimus definitiones Pontificias, non influit per modum rationis formalis ad credendum auctoritas Pontificia, influit tamen per modum conditionis *sine qua non* applicantis rationem formalem ad credendum, nam licèt Pontifex definiendo tantum declaret id quod definit esse de fide, & esse credendum, quia Deus reuelauit illud, tamen necesse est credere de fide quod illa declaratio procedat ab habente auctoritatem declarandi res de fide, vndè si per certitudinem metaphysicam non habeatur quod ille, qui declarat verè in re habeat auctoritatem declarandi, non poterimus credere certitudine metaphysica, quòd legitima sit.

Itaque cùm credimus definitionem Pontificiam, duo credimus de fide, alterum id quod dicitur in tali definitione, & hoc credimus, quia Deus reuelauit, & alterum, quod præfata definitio legitima sit, & hoc solùm credimus ea fide, qua credimus hunc definientem verè habere auctoritatem ad definiendum. Vndè esto fides qua credimus hunc definientem esse verum Papam, respectu rei definitæ tantum se habeat, vt conditio, tamen, vt credamus definitionem esse legitimam non se habet, vt conditiò, sed est ipsissima fides, quia non alio modo credimus definitionem esse legitimam, nisi quia credimus à verò Pontifice oriri.

Ex

Ex dictis infero hunc hominem in particulari electum, & communiter acceptatum à tota Ecclesia credi debere esse verum Papam antequam quidquam definiat de fide: tum quia definitionem eius credimus esse legitimam, quia credimus promanate à vero Pontifice, igitur antequam quidquam definiat de fide, iam debemus credere de illo, quòd verus Papa sit. Tum etiam, nam vt supra vidimus, acceptatio communis totius Ecclesiæ est declaratio, vel æquiualens definitio, de eo quòd hic numero electus verus Petri successor sit, igitur siuè is aliquid definiat, siue non dummodo communiter à tota Ecclesia acceptetur, erit tenendum de fide. quòd verus Papa sit. Verùm autem aliquis fuerit à tota Ecclesia in Papam acceptatus, de quo postea dubitatum sit illum non esse verum Papam, infra examinabimus.



QVÆSTIO XII.

De infallibilitate supremi Capitis Ecclesiæ in definiendo veritates fidei, Religionis, ac morum populi Christiani.

§. I.

Vtrùm in definiendis præfatis veritatibus Pontifex possit errare.



Irca hoc quęsitum sunt quatuor sententiæ: .prima negat Pontificem tantam habere auctoritatem, vt nullatenùs possit errare in definiendo veritates fidei morum, & religionis populi Christiani. Hanc ex Catholicis tenuere Gratianus dist.19. cap. *ita Dominus.* §. *hoc autem*, & §. *quia ergo.* Thomas Vvaldensis lib. 2. doctrinalis fidei cap.19.

Hadrianus in 4.qu. vltima de confirmatione Alphonsus de Castro lib. 1. aduersùs hæreses, cap.2. sequutus Gersonem, Almainum, Okamum, & alios Parisienses Doctores. Ex hæreticis tenent hanc sententiam Lutherus in lib. qui in lingua Theutonica inscribitur *aduersùs nouum idolum, & antiquum diabolum*, vbi dixit Pontificem Adrianum VI. errasse in canonizatione S. Bennonis Episcopi. Wicleph. relatus à Waldensi tom.2. de Sacramentalibus c.122. Caluinus lib. 4. instit. c.7. §.28. Erasmus super epist. B. Hieron. ad Damasum, & in lib. de tatione veræ Theologiæ. Iacobus Rex Angliæ in præfatione à pag. 57. vsque ad 62. dicens, nullum esse Monarcham Ecclesiæ, qui infallibilitate spiritus nunquam in suis sententijs possit errare, ac proinde soli Scripturæ Sacræ esse credendum. 2. sent. asserit sum. Pontificem tanta infallibilitate spiritus præmuniri, vt nequeat etiam, vt Doctor particularis, vel vt persona priuata errare.

Hanc tenent Albertus Pighius lib.4. Ecclesiast. Hierarchię cap.4. Couarrubias lib.4. variar. c.13. Illescas tom.1. Pontificall lib. 3. cap. 3. in vita Anastasij Secundi, quam tamen doctrinam retractare videtur lib. 2. c. 4. dum in vita Liberij admittit Sum. Pontif. vt personam particularem errare posse circa fidem, 3. sent. affirmat, quòd Sum. Pontifex etiam in quantum est caput Ecclesiæ possit dupliciter considerari, vel vt associatus Concilio generali, aut Concilio Cardinalium, vel vt solus, & independens ab illo; primo modo affirmat non posse errare, bene verò secundo hanc sententiæ tenent Ildefonsus de Castro lib. 1. contrà hæreses cap. 8. & lib. 1. citato, vbi hoc, & non aliud habet, vt vidi in fonte. Nilus in lib. aduersùs primatum Papæ, & Hadrianus VI. in quæst. de confirmat. quatenus dicunt auctoritatem ad non posse errare non reperiri in Pontifice solo, sed in illo associato, vel Concilio generali, vel cœtui Cardinalium. 4. sent. affirmat Sum. Pontificem, vt Christi Vicarium errare non posse, bene verò vt Doctorem particularem, & personam priuatam.

Hæc sententia defenditur à D.Thom. hic qu.1. art.10. & opusculo contrà errores Grę corum cap. 65. & quodlibeto 9. art. vltimo, tenet etiam Caiet. de auctoritate Papæ, c.4. & de primatu Ecclesiæ Roman. cap. 13. Cano. lib.6. de locis cap.7.

Petrus de Soto in Apolog. part.1. c. 33. Turrecremata lib.2. summæ à cap. 107 vsque ad 112. Bannes hic qu. 1. in comment. ar. 10. Bellarm. tom.1. controuer. lib.4. cap. 1. Valentia disp.1. p. 7. estque hæc sententia iam communis inter Catholicos expositores. Vndè in eius defensionem sit prima conclusio.

Dico 1. Sum. Pontifex, vt caput Ecclesiæ, & vt Christi Vicarius nequit errare in definiendis veritatibus spectantibus ad fidem, Religionem, & mores populi Christiani. Prob. ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quibus firmitudinem petræ Christus promisit Petro, & successoribus eius, in eo quo Petro succedunt, & Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* In quibus non solùm promittitur Petro fidem eius personalem non defecturam, in qua non hæreditant ipsum successores eius, sed promisit in eius successoribus hęreditantibus illum in primatu Ecclesiæ non defecturam fidem.

§. Nec valet expositio aliquorum Parisiensium, affirmantium hìc Christum tantùm promisisse fidem non defecturam Ecclesiæ fundatæ super Petrum, non verò promisisse non defecturam in successoribus Petri seorsim ab Ecclesia sumptis. Non inquam valet,

valet, nam cùm Christus dixisset, *Sathan expetiuit, vt cribraret vos*, ibi loquutus est de Ecclesia, quam repræsentabant Apostoli: at quando promittit non defecturam fidem mutauit modum loquendi, dicens, *ego autem rogaui pro te Petre*, satis designans hanc infallibilitatem non promissam Ecclesiæ, vt seorsim à capite, sed promissam capiti, vt ex illo deriuetur ad Ecclesiam. Deinde pro illo rogauit cui dixit *confirma fratres tuos*, hæc sanè non Ecclesiæ, sed Sum. Pontif. possunt adaptari, ergo inepta est horum auctorum explicatio.

§. Nec etiam valet aliorum expositio, dicentium Christum in adductis verbis rogasse pro perseuerantia in gratia, vsque ad finem vitæ solius Petri, quod ad alios Pontifices non erat transferendum. Non inquam valet, nam hic aliquid in speciali promittitur Petro, quod alijs Apostolis non promittitur, hoc autem non est perseuerantia finalis in gratia, nam constat ex perseuerantia finalis in gratia, nam constat ex illo Ioan. 17. pro hac habenda ab omnibus Apostolis Christum orasse, dum dixit, *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*: promisit ergo Christus Petro fidem non defecturam ab eo, neque ab eius successoribus, circa id in quo eius successores sunt, quod & dixit Agatho Papa in epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est in 6. Synodo generali actione 4.& postmodum actione 8.his verbis: [Ego rogaui pro te Petre, &c. hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper est agnitum.]

Et Nicolaus Papa in epist. ad Michaelem ibi: [Priuilegia istius Sedis perpetua sunt, diuinitùs radicata, atque plantata, inpingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, euelli non possunt, quæ ante Imperium vestrum fuerunt, permanent Deo gratias hactenùs illibata, manebuntque post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit illa subsistere non cessabunt.] Et assignans rationem ob quam ista sic liberè dicat subdit: [nam & inter cæteras is per quem nobis sunt ista priuilegia collata, tu aliquando conuersus audiuit à Domino confirma fratres tuos.]

Leo etiam IX. in epist. ad Petrum Antiochenum ibi: [nimirùm solus est pro quo, ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator asseruit, ego rogaui pro te, &c. quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.]

Prob.2. concl. ex illo Ioan.vltimo: *pasce oues meas*: in quibus iuxta communem Patrum expositionem Sum. Pontifex institutus est pastor, & doctor totius Ecclesiæ. Ex quo sic argumentor: Summus Pontifex Doctor, & pastor totius Ecclesiæ est, ergo Ecclesia illum debet sequi, & audire in omnibus, in quibus vt Doctor Ecclesiæ procedit, ergo si ille erret tota Ecclesia errabit; cùm ergo Ecclesia errare non possit, neque Sum.Pontifex, vt caput illius errare poterit.

§. Dices Ecclesiam illum debere sequi si recta doceat, alioquin magis est Deus sequendus, quàm Sum. Pontifex.

§. Sed insto: nam iudicare vtrùm recta doceat, vel non, non spectat ad Ecclesiam, sed ad supremum eius Doctorem, ad quem in rebus dubijs Ecclesia recurrit vt instruatur, ergo hoc ipso quòd, vt caput Ecclesiæ eam doceat, hæc illum sequi, & audire absolutè debet.

Præterea ab Ecclesia ad Sum.Pontif. datur appellatio, à sum. verò Pontifice ad Ecclesiam non datur, ergo debemus stare in sententia definitiua Sum. Pontificis.

§. Et si dicas, posse recurri ad generale Concilium. Contrà arguo, nam vt infrà docebo, Papa etiam suprà Concilium generale est, ergo ad illud non est appellandum. Tum quia aliqua Concilia inuenta sunt errasse quando Sum. Pontif. auctoritate destituta erant, vt legitur de Ephesina 2. Ariminensi, & alijs, &c.

§. Et si iterum dicas, posse recurri ad generale Concilium, cui Papa intersit; nam generale Concilium simul cum Papa maius est, quàm solus Pontifex.

§. Contrà arg: nam soli Petro dicitur *confirma fratres tuos*, soli Petro dicitur *non deficiet fides tua*, ergo infallibilitas non est maior in Concilio, & Papa, quàm in solo Papa, neque partim est in Concilio, & partim in Papa. Sed tota infallibilitas deriuatur ad Concilium ex Papa. 2. Nam si Concilium generale conuocari non possit, vt accidit trecentis annis primis propter Ethnicorum persequutiones, numquid carebit Ecclesia aliquo supremo Iudice cui debeat firmiter adhærere? etsi in tali Concilio Patres oppositum sentirent ab eo quod sentiret Papa, staremus Concilio, vel Papæ? vtique Concilio stare non possumus Papa oppositum sentiente, & ab illo discordante. Vel staremus sine aliqua visibili regula? quod dicere non possumus; fatendum est ergo necessariò, debere nos stare Pontifici, & dicendum, illum vt caput errare non posse.

§. Confir. hoc in capite Ecclesiæ debet esse tanta auctoritas, quanta ad vnitatem fidei in Ecclesia conseruandam necessaria est; hoc enim exigit prouidentia Dei, quæ nunquam deficit in necessarijs, maximè erga Ecclesiam suam, quam vt vnicam sponsam dilexit, tradendo semetipsum pro ea. Sed ad hunc finem requiritur teste D. Th. in hoc articulo vnitas Iudicis supremi, qui dubia explicet, & controuersias definiat infallibilique auctoritate muniatur, ergo.

Prob.3.princip.concl.ex doctrina D.Th. 3. qu.3. art.1. [Sicut enim, inquir, omnis motus animalis, & sensatio à capite, & à corde procedit, ita omnis sensus Ecclesiæ, & definitio Pontificia à Christo, vt à capite, & à Spiritu sancto, vt à corde procedit, & ipsis dictantibus tribuitur,] ergo sicut impossibile est à Christo, & Spiritu sancto falsum dictari, ita & à Pontifice, vt Christi Vicario impossibile est falsum decretum proferri; & sicut dictum Christi, & Spiritus sancti est verum de fide, vtpote à prima veritate dictatum, ita dictum Vicarij Christi in publicis decretis fidei de fide erit certum, vtpote à prima veritate dictatum per os Pontificis.

§.II.

§. II.

Soluuntur argumenta contra Conclusionem.

Arguitur primo. Si infallibilis esset, ac de fide iudicium Pontificis dum deffinit hæretici essent, qui pertinaciter contra decretum Pontificis sentirent, at hoc est falsum, ergo. Probatur minor. S. Cyprianus pertinaciter restitit Stephano Pontifici deffinienti hæreticos non esse rebaptizandos, vt patet ex epistola eiusdem Cypriani ad Pompeium, & tamen Cyprianus in hoc neque fuit hæreticus, neque mortaliter peccauit, vt communiter tenetur, ergo non est hæreticus, qui pertinaciter resistit deffinitioni Pontificis.

§. Confirmatur hoc ex Augustino, qui lib. de Baptismo capit. 18. dicit, *Ecclesias nutasse de illa quæstione, & sic potuisse Cyprianum, & alios salua charitate dissentire, donec non accessit generalis Concilij definitio*, ergo non in Pontifice seorsim à generali Concilio extat infallibilis deffiniendi auctoritas.

§. Quod si his respondeas cum Bellarmino loco citato Stephanum non definijsse hæreticos non esse rebaptizandos, sed iussisse eos non rebaptizari, vt patet ex eo quod non excommunicauit Cyprianum, & alios oppositum sentientes. Contra est, nam Eusebius lib. 7. historiæ cap. 4. & Augustinus lib. de vnico Baptismo cap. 14. dicunt, quòd Stephanus non solùm imperauit ne rebaptizarentur ab hæreticis baptizati, sed etiam censuit excommunicandos, qui non obedirent, ergo verè deffiniuit.

§. Ad hoc argumentum rectè dictum est, erat enim materia valdè ardua, vtpote cuius oppositum tenebat Cyprianus cum alijs 80. Episcopis, & sic vt pleniorem satisfactionem Stephanus daret, noluit deffinire solus, esto posset, sed deffinitionem distulit vsque ad generale Concilium, in quo partes audirentur, & eius argumentis fieret satis, sed interim iussit, vt baptizati ab hæreticis non iterùm baptizarentur. Et ad replicam ex Eusebio, & Augustino adductam dico, illam excommunicationem fuisse tantùm comminatoriam contra oppositum facientes.

§. Ad confirmationem ex Augustino verbis formatam dico, illud dixisse Augustinum, iudicando Stephanum non definijsse, sed imperasse, ideòque Ecclesias nutasse de illa quæstione, nec tam dilatam ad Concilium generale, quia Stephanus non potuisset sine Concilio generali deffinire, ea deffinitione cui omnes Ecclesiæ obedire, tenerentur, sed dilatam fuisse ad generale Concilium, vt pleniùs partibus satisfieret, vndè non infertur, iuxta Augustinum, infallibilem auctoritatem deffiniendi in solo Concilio generali reperiri, non verò in Summo Pontifice.

Arguitur ex varijs dictis, & factis Pontificum cum veritate Catholica, & bonis regulis morum populi Christiani pugnantibus.

Primò, Ioannes XXII. publicè docuit, iustorum animas non videre Deum vsque ad diem Iudicij, cauitque ne Parisijs Theologiæ gradum quisquam consequeretur, nisi priùs in hanc sententiam iurasset, errare ergo potest Summus Pontifex in materia fidei.

Secundò. Occurrit Cælestinus III. qui deffiniuit, quòd cum alter coniugum labitur in hæresim, dissoluitur matrimonium, vt patet de diuortijs cap. *Quanto*, quæ sententia cùm contraria Euangelio sit, constat errasse in materia fidei Cælestinum.

Tertiò, Alexan. III. de Sponsa duorum cap. *Licèt*, asserit, quosdam suos prædecessores iudicasse, quòd si post matrimonium contractum per verba de præsenti, non tamen consummatum, aliud nouum matrimonium consummetur, primum dirimitur, secundum est validum, quod est error manifestus in fide, & contra bonos mores. Et idem cap. *Cum esses*, de testamentis deffinit, alienum esse, & à generali Ecclesiæ consuetudine, & à diuina lege, & à S. Patrum institutis, quòd testamenta, nisi quinque, vel septem testium fuerint subscriptione firmata pænitùs rescindantur. Constat autem huiusmodi legem ciuilem, quæ similia restamenta minori solemnitate facta irritat, hodiè à Viris Ecclesiasticis comprobari, igitur falsò deffiniuit Alexander, vtpotè enuntians legem aliquam esse diuinæ contrariam, quæ reuera contraria non est.

Quartò, Innocentius I. in epist. ad Rufum, & Eusebium cap. 1. inquit, qui viduas acceperunt vxores, ad summum Sacerdotium aguosetimus peruenisse. Quod contra legis esse præcepta nullus ignorat, cùm Moyses clamitet, *vxorem virginem sacerdos accipiat*. Contra quod præceptum diuinæ auctoritate subnixum, nulla defensio opponitur, nisi consuetudo vestra, quæ ex ignorantia profecta est, quibus determinat, veteris legis præcepta in noua obseruari debere, quod sacris litteris, & Concilio Florentino aduersatur.

Quintò, Nicolaus IV. in extrauagan. *Exijt qui seminat*, de verborum significatione decernit, abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali, quàm in communi Christum Dominum, & verbo, & exemplo docuisse. Quod erroneum esse Ioannes XXII. docet in extrauagan. *Cùm inter nonnullos*.

Sextò, Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum, refertur que de consecratione dist. 4. cap. *A quodam Iudæo*, deffinit, quòd si in nomine Christi aliquis baptizetur, rebaptizari non debet. Cuius oppositum Pelagius Papa determinat in epistola ad Gandentium Episcopum, referturque in eadem distinct. cap. *Multi*, & cap. *Si reuera*, quæ ambo Capitula ex eadem epistola sunt deprompta, aut ergo Nicolaus, aut Pelagius falsum aliquid de fide decreuit.

Septimò. D. Gregorius in epist. quadam ad August. Cantuariæ Archiepiscopum, Gregorius quoque III. in epistola ad Bonifacium Episcopum ex Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ auctoritate pronuntiarunt, quòd si scilicet mulier infirmitate aliqua fuerit correpta,

repta, nec valuerit debitum marito suo reddere, maritus quidem aliam vxorem ducere potest, ea lege tamen vt subsidij opem coniugi priori non subtrahat, quod doctrinæ euangelicę opponitur, vt docet Gratianus 32. quæst. 8.

Octauò, Gelasius Papa contra Eutichen, & Nest. deffinit in Altaris Sacramento facta etiam consecratione, panis vinique substantiam manere. Quod sanæ, fidei repugnat. Tandem adducitur Vigilius Papa, quem Liberatus in Breuiario cap. 22. refert, epistolam scripsisse ad Theodoram Imperatricem, & alios hæreticos, qua confirmabat hæresim ipsorum, & anathema dicebat eis, qui in Christo duas confiterentur naturas.

Ad hæc respon. per singula ad primum falsum esse Ioan. XXII. post Pontificatum susceptum aliquid circa prædictam materiam deffinijsse, quinimò ait Benedictus XII. in sua extrauaganti, quòd cùm ad deffiniendum aliquid circa illam materiam se parasset, morte præuentus definire nequiuit. Quod autem dicitur præcepisse Scholæ Parisiensi, vt nullus acciperet gradum, nisi iurasset illam sententiam, hoc facere potuit, vt Doctor particularis. Sed hoc ipsum indicat illum non definijsse. Si enim definijsset, non erat opus impositione talis præcepti, cum definitioni de fide omnes obedire teneantur.

§. Idem dico ad secundum; Cęlestinus enim ibi non definiuit, quod patet ex verbis Innocentij III. in cap. adducto, vbi ita habet, licèt quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur, quibus sensisse, ait Cælestinum, non verò definijsse.

§. Idem dico ad tertium; Verbum enim non *iudico*, non est idem quod deffinio, sed est idem quod *sentio*, vel *opinor*, qua acceptione Alexander ibi vtitur dum dicit, quosdam prædecessores aliter *iudicasse*. Ad illud etiam quod ex eodem Alexandro II. adducitur, primò fatendum est ibi eum loqui auctoritate Pontificia, nam sub in terminatione anathematis prohibet, ne quis huiusmodi audeat rescindere testamenta, quæ tantùm duobus vel tribus testibus fuerint obfirmata, vndè in cap. immediatè sequenti Iudicibus mandat, vt in his causis tres, duosue solummodò testes exigant, nec ciuiles leges, sed canonica decreta sequantur, procedit ergo, vt Pontifex, & non vt persona priuata.

Sed distinguere oportet inter rem deffinitam, & causam, quam Pontifex assignat suæ deffinitionis, quod enim sub anathemate prohibet, videlicet ne quis huiusmodi audeat rescindere testamenta, quæ duorum vel trium testium fuerint subscriptione firmata, hoc deffinitum est, quod autem præmittit, nempè alienum esse à diuina lege, & Ecclesiæ consuetudine, vt in testamentis requirantur plures, quàm tres testes, hoc deffinitum non est, vndè in hoc errare potuit, quia vt Pontifex hoc non dicit, sed vt Doctor particularis.

In primo autem non errauit, quia legem illam tantùm apposuit pro sibi subditis in temporalibus, & spiritualibus (Ostiensibus enim subditis, & iudicibus eorum loquebatur) quos voluit in firmandis testamentis non debere sequi leges ciuiles, quibus alij Principes vtuntur in suis Regnis, sed tantùm ius canonicum. Vndè reliquit locum, vt alij Principes Christiani secundùm legem ciuilem, quæ præcipit quinque, vel septem testes requiri ad valorem testamentorum, suos subditos gubernent. Et sic cum deffinitione Alexandri benè componitur, quòd modò in alijs Regnis ab Ecclesiæ Regno distinctis testamenta, quæ quinque, vel septem testium subscriptiones obfirmata non sint, nullius valoris facta censeantur.

§. Ad quartum dico, aliquas leges veteris Testamenti non modò ad gubernandum vtiles, & accomodas, verùm etiam ad plebis cuiusque mores, ac religionem instituendam propè modum necessarias Ecclesiam Christi in suum vsum vendicasse, quæ quidem à nobis obseruandæ veniunt, non quia leges sunt veteris Testamenti, cùm lex illa pænitùs sit abolita, sed ex Ecclesiæ noua institutione. Inter has autem vna fuit, quòd Sacerdos vxorem virginem acciperet, vndè benè potuit illud Moysis præceptum dici à Pontifice diuina auctoritate subnixum quondam, sed modò noua Ecclesiæ institutione obligans, sine eo quòd opponeretur sacris litteris, neque Concilio Florentino. Neque enim mens eius fuit dicere, legem veterem modò debere obseruari, sed ex institutione noua Ecclesiæ aliquas leges, quæ antiquitus obligabant, modò etiam obligare.

Ad quintum dico nullam habere inter se oppositionem dicta præfatorum Pontificum, nam Nicolaus tantùm voluit, aliquando Christum verbo, & exemplo docuisse abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali, quàm in communi, non verò voluit, quod Christus semper hunc modum viuendi seruauerit, nam subiunxit, nec his quisquam putet obsistere, quod interdum Christus loculos dicitur habuisse, infirmorum enim personam Christus suscepit in loculis, quibus satis declarat, Christum non semper vixisse, iuxta primum modum paupertatis, sed aliquando sub vno, aliquando alterum docuisse. Ioannes autem XXII. dum definit hæreticum esse asserere, Christum nunquam in terris aliquid habuisse proprij saltem in communi, non vult Christum sub hoc modo paupertatis semper vixisse, sed tantùm vult aliquando sub illo vixisse, per quod rectè consonat cum dictis Nicolai.

§. Maior difficultas est circa istos duos Pontifices, in eo quòd Nicolaus in eodem capite affirmat, quòd in rebus vsu consumptibilibus vsus separari possit à dominio, cuius oppositum docet Ioannes XXII. in Extrauaganti *ad conditorem canonum*. Præterea Nicolaus docet ibidem, paupertatem quæ omne dominium à se remouet solo vsu relicto, esse sanctam & meritoriam, quod Ioannes loco citato negat, ergo isti Pontifices sibi contradicunt.

§. Respon. circa primum, sibi aduersari præfatos Pontifices ductos varijs rationibus, nam Ioannes sensit, in rebus vsu consumptibilibus vsum non posse separari à dominio, ex eo quòd dominari est rem posse destruere pro libito dominantis, cùm ergo

qui

qui habet vsum, rei quæ ipso vsu consumitur, posse rem qua vtitur destruere, videtur necessarium in his rebus vsum à dominio non posse separari. Nicolaus autem sensit, id fieri posse, quod & docuit postea Clemens V. in Clement. *Exiui de Paradiso*, de verb. signi-ficat. ea ductus ratione, quia esse Dominum rei non est posse rem destruere quocunque modo, sed posse rem destruere quando, quomodò, & vbi quis voluerit. Insuper est posse vendere, donare, proijcere, &c. constat autem, omnes religiosos habere vsum panis, quem comedunt, & vini quod bibunt, nec tamen posse illa donare, vendere, mutare, proijcere, &c. & sic constare debet, vsum à dominio posse separari. Nec tamen pro inconuenienti habendum, quòd sic præfati Pontifices disceptent inter se in hac materia, quæ fidei non est, vt ipse Ioannes in adducta Extrauaganti docet.

§. Possemus tamen conciliare illos, in eo quod dominium rei suscipit magis, & minùs, magisque amplè, & magis restrictè accipi potest, dominium enim absolutum, & amplum non consistit tantùm in posse rem destruere, sed etiam se extendit ad posse vendere, donare, &c. dominium autem minùs amplum potest intelligi, quòd se tantùm ad posse destruere liberè extendit, videmus enim quòd libertas, quæ in dominio consistit, alia est libertas à coactione, quando in potestate voluntatis solùm est actus, non verò eius negatio, quæ libertas non sufficit, neque ad meritum, neque ad demeritum, alia est libertas tantùm contradictionis, quando actus, & eius contradictorium sunt in potestate voluntatis, non verò actus contrarius, quæ sufficit ad meritum, & non ad demeritum. Alia est libertas contrarietatis, quando in potestate voluntatis est benè, & malè operari.

Iuxta hæc ergo possumus dicere, quòd loquendo de dominio absoluto, & amplo, ita est, quòd potest separari ab vsu in rebus vsu consumptibilibus, propter rationem Nicolai, loquendo verò de dominio minùs, amplo & magis restricto dicere possumus, quod inseparabile sit ab vsu in rebus vsu consumptibilibus, quia ille qui habet rei vsum illam vsu solo destruere potest, & consequenter ad hanc doctrinam possumus dicere, prædictos Pontifices non sibi aduersari. Nam Nicolaus locutus est de dominio absoluto, & non restricto, Ioannes verò loquutus est de dominio restricto.

Vndè ille dixit posse separari vsum à dominio in rebus vsu consumptibilibus, & Ioannes dixit non posse separari vsum à dominio.

§. Circa secundum punctum fateor esse dissidium inter præfatos Pontifices, nam Nicolaus tenens illam sententiam, quam ibi protulit, sibi reseruauit dominium bonorum omnium, quæ dantur Franciscanis, & illis solum vsum reliquit. Ioannes verò sentiens oppositum, prædicto dominio renunciauit, & Franciscanis non solùm vsum, sed & dominium concessit, quod vterque Pontifex facere potuit, nec tamen ex hac oppositione sequitur inconueniens prætensum ab hæreticis, quia Nicolaus non deffiniuit prædictam paupertatem esse sanctam, & meritoriam, nec similiter Ioannes oppositum deffiniuit.

Circa sextum. Omnes conueniunt in eo, quòd Nicolaus I. non dixit deffiniendo, id quod in argumento adducitur, sed dixit casualiter inter respondendum quæstioni sibi propositæ, ex propria opinione, quam ipse affirmat fuisse opinionem D. Ambrosij. Itaque Nicolaus I. cùm ab eo quæsitum esset, vtrùm validus esset Baptismus collatus à Iudæo, vel Pagano? postquam respondit quòd sic, postmodùm intermisce illud dictum, nempè Baptismum esse ratum, siue in nomine trium personarum, siue in nomine solius Christi detur, & sic definitioni Pelagij, & Zaechariæ non se opposuit deffinitiuè. Dissidium autem potest esse in eo, vtrùm videlicet præfatum dictum fuerit hæreticum? Bellarminus prætendit, quòd non, nam non inuenitur aliqua certa deffinitio, de eo quòd in forma Baptismi debeant exprimi tres personæ Sanctissimæ Triados, nam Pelagius in epistola ad Gaudentium solùm, inquit, explicauit suam opinionem, quam vt Doctor particularis habebat, non verò deffiniuit.

§. Etsi contra obijcias id fuisse deffinitum in Concilio Anglicano confirmato à Summo Pontifice Zaccharia, qui Nicolaum I. præcessit, vt patet ex canone in Synodo de consecrar. distinct. 4.

§. Resp. prædictum Concilium Anglicanum non extare, nam Beda in historia gentis suæ, vbi aliorum Conciliorum Anglicanorum meminit, illius Concilij non meminit, imò ipse Beda contrariam sententiam sequitur, nam in cap. 10. Actorum approbat sententiam Ambrosij de Baptismo nomine Christi collato: quòd si oppositum in Concilio Anglicano fuisset definitum, Beda id non teneret, sed admissa auctoritate Concilij, dicit quòd ibi tantùm dicitur, non esse ratum Baptismum sine inuocatione trium personarum Trinitatis, non autem est definitum, quòd Baptismus sine explicita inuocatione Trinitatis non sit ratus. Cùm ergo in nomine Christi implicitè inuocentur tres personæ Trinitatis, fit inde, quòd Nicolaus non expressè contradixerit dicto Concilio, & sic hæresim non protulerit.

§. Alij affirmant, quòd Nicolaus in illo dicto suo hæresim protulit. Sto in prima sententia, non quia existimem Pelagium Papam in epistola ad Gaudentium non dictasse ex Cathedra Apostolica ea, quæ in argumento adducuntur, puto enim ibi loquutum, vt Pontificem directè resp. quæst. sibi propositæ; quod vt pateat adduco verba Pelagij vti illa refert D. Thom. 3. par. quæst. 66. art. 6. in argum. *Sed contrà*, ibi: *si hi qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, sed solùm modò in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiuscumque dubitationis ambiguo eos ad fidem Catholicam venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis*. Pondero illud *sine vllo dubitationis ambiguo*, quæ non proferri possunt à Pontifice, vt doctore particulariter opinante, sed vt dictante de Cathedra, & decidente fidei quæstionem. Existimo ergo Nicolaum

colaum non protuliſſe hæreſim, quia vt docet D. Thomas loco citato, tantum voluit, Baptiſmum in nomine Chriſti collatum eſſe validum,ſi adſit diſpenſatio ipſius Chriſti, quod probat D. Thomas, quia hic Pontifex probat dictum ſuum ex eo, quòd legitur in actibus Apoſtolorum, quòd Apoſtoli baptizabant in ſolo nomine Chriſti, hoc autem (inquit Diuus Thomas) ſolùm fiebat ea ſpeciali Chriſti diſpenſatione, & ſic hoc tantummodò Nicolaus voluit, dum dixit Baptiſmum eſſe ratum in nomine Chriſti collatum, in quo non opponitur his, quæ Pelagius dictauit in epiſtola ad Gaudentium, qui tantum loquitur de Baptiſmo ex vi inſtitutionis ſuæ, & ſic Nicolaus neque hæreſim, neque falſitatem protulit.

Ad 7. placet ſolutio Cani lib. 6. de locis cap.vlt. ibi enim docet Pontificia illa decreta vtriuſque Gregorij non loqui de ea vxore, quæ poſt contractum, & conſummatum matrimonium ea infirmitate corripitur, qua impediatur à reddendo debito, ſed loqui de ea, quæ ante matrimonium iam inepta erat ad reddendum debitum, talia enim coniugia ſi ex errore ſint contracta, inualida cenſentur, vt habetur in decretalibus titulo *de frigidis*, cap. *ex literis*. In quo ſenſu idem Gregorius ſententiam ſuam explicat in epiſtola ad Rauennatem Archiepiſcopum, quæ refertur à Gratiano 33. quæſt. 1. cap. *requiſiſti*. Sicque decreta horum Pontificum non aduerſantur Euangelicæ doctrinæ.

§. Ad 8. dico, prædictum librum in quo illa habentur non eſſe Gelaſij Papæ, vt multis euidentiſſimis rationibus probat Cano loco citato, & Bellarminus.

§. Ad 9. dico, Vigilium illam epiſtolam ſcripſiſſe, non quando erat verus Papa, ſed quando erat Antipapa, nempè dum Siluerius verus Papa erat in exilio, cùm enim Syluerius Papa Authemium hæreticum depoſuiſſet ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano, & Imperatria petijſſet à Sylutrio, vt Anthemium reſtitueret, Sylucrius recuſauit, & tunc Vigilius eo tempore Archidiaconus promiſit Imperatrici, ſe reſtituturum Anthemium in ſedem ſuam, ſi Pontifex crearetur Romanus, & ſic tunc Syluerius de Sede Romana expulſus eſt, & loco eius intruſus eſt paga Vigilius, eoque tempore prædictam epiſtolam ſcripſit. Poſtmodum Syluerio mortuo, cùm Vigilius tantùm in occulto hæreticus eſſet, eum Clerus, & Populus Romanus in Pontificatu confirmarunt, & tunc verus Papa eſſe incepit; & cùm accepiſſet literas Imperatricis quibus poſtulabat, vt Anthemium reſtitueret, reſpondit, ſe non teneri adimplere promiſſum, quia grauiter in ea promiſſione peccauerat. Tunc Imperatrix irata illum in exilium miſit, & vſque ad mortem miserè vexauit. Sic habetur in Pontificali; quod & adnotarunt Paulus Diaconus in vita Iuſtiniani, & Aimonius lib. 2. cap. 32. de geſtis Francorum, & hæretici Magdeburgenſes Centuria 6. cap. 10. in vita Vigilij.

Arguitur 3. princip. Nam Summus Pontifex, vel hanc infallibilem auctoritatem,qua non poteſt errare in definiendo res fidei, habet ex iure diuino, vel ex iure humano, ſed ex neutro iure illam, ergo.

Prob. min. quoad primam partem, nam ius diuinum non dependet ex facto alicuius hominis, ſed à Deo immediatè, quod autem Summus Pontifex ſit Epiſcopus Romanus, & tantæ auctoritatis, quod errare non poſſit in definitionibus ſuis, dependet à facto Petri, qui voluit alligare Sedi Romanæ Pontificatum, ergo Romanus Epiſcopus non habet talem auctoritatem à iure diuino.

Quoad 2. partem prob. ex eo, quòd id quod iuris humani eſt mutari poteſt ex voluntate hominis, & non eſt in poteſtate Pontificis mutare Sedem Romanam,cuius ſignum eſt, quod nunquam mutata eſt formaliter, ſed tantùm materialiter vna vice, videlicèt quando Clemens V. illam tranſtulit Auinionem, in quo caſu non eſt dictus Epiſcopus Auenionenſis, ſed ſemper dictus eſt Epiſcopus Romanus, ergo.

§. Reſp. neg. min. Ad prob. concedo, quòd id quod eſt de iure diuino ſit immediatè à Deo dependens, & do *tranſeat* ad minorem, & ad conſequens. Itaque hic ſunt duo, alterum eſt, ex quo iure Summus Pontifex habeat non poſſe errare, alterum eſt ex quo iure hoc conueniat Epiſcopo Romano.

Primum ſine controuerſia inter Catholicos habet ex verbis Chriſti, dictis Petro, & ſucceſſoribus in Papatu, *non deficiet fides tua, confirma fratres tuos, paſce oues meas, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ex quibus habetur, quòd de iure diuino omnis verus ſucceſſor Petri errare non poteſt, quando loquitur, vt ſucceſſor Petri.

Io 2. diſſidium eſt, alij enim dicunt coniunctionem Papatus cum Epiſcopatu Romano eſſe de iure diuino, dependentèr tamen ab aliqua hypotheſi, & conditione humana, videlicèt quòd Petrus voluerit Romæ vſque ad mortem ſedere, & ibi vitam finire. Hanc tenent Suarez hîc diſt.10. de Pontifice ſect.3. Bellarm. lib. 2. controuer. 3. cap. 12. Banez hic quæſt.1. art.10. dubio 2. Araujo hîc q. 1. art.10. dub. 3. & valdè probabilem illam iudicat Ioannes à S. Th. hîc tract. de auctoritate Papæ art.4. concl.3. quod dictum duas habet partes, alteram quòd ſit de iure diuino Epiſcopum Romanum eſſe Petri ſucceſſorem, alteram quòd hoc ius expletum ſit per voluntatem Petri.

§. Primum probant iſti auctores ex Marcello Papa,qui in epiſt.2. quæ habetur in cap. rogamus 24. diſt.1. dicit, Petrum ex iuſſione Domini tranſtuliſſe Sedem Antiochiæ Romam, & ex Innocentio III. in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, vbi inquit: locus quem elegit Dominus Apoſtolica Sedes eſſe dignoſcitur. Et adducit illam hiſtoriam, quod fugienti Petro ex Vrbe Chriſtus occurrit, & Romam auocauit, vt ibi vitam glorioſo martyrio finiret; quam hiſtoriam narrat Ambroſius oratione contrà Auxentium, lib.5.epiſt.32. & Athanaſius in Apologia pro ſua fuga, & Hegeſippus de excidio Hieroſolymitano cap. 2. facitque pro hac ſententia Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap.5. ibi, *Romana Eccleſia diſponente Domino ſuper alias omnes ordinariæ poteſtatis obtinet principatum*; & Euſebius Papa in epiſtola 2. *Benedictus Dominus Deus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli ſacerdotio dicauit*, & Anacletus Papa io

 Dd 2

in cap. sacrosancta 22. dist. ait: *Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatum obtinuit*, & Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem, & refertur citata dist. cap. *omnes*, inquit, *non qualibet terrena sententia, sed illud Verbum per quod constructum est cœlum, & terra, Romanam fundauit Ecclesiam*.

§. Ratione etiam vtuntur non ignobili, nam si non esset de iure Diuino, quod Episcopus Romanus successerit Petro in Papatu, esset vtique in potestate Summi Pontificis separare Papatum ab Episcopatu Romano; Sicque posset dari casus, in quo non omnes fideles subditi eius essent. Quod videtur valdè absurdum, & pugnans cum Extrauagant. Bonifacij VIII. *vnam sanctam*, in qua determinatur esse de necessitate salutis, quòd omnis humana creatura subsit Romano Pontifici. Sequela patet, nam in his, quæ sunt de iure positiuo, tantùm, potest Summus Pontifex mutare, & alterare prout sibi conueniens fuerit visum, ergo si coniunctio Papatus cum Episcopatu Romano fuisset de iure tantum positiuo, posset Summus Pontifex diuidere Papatum ab Episcopatu Romano.

§. Quoad secundam partem probant sic: quia quòd Episcopus Romanus succedat de facto Petro in Papatu, hoc tantùm habetur ex eo, quod Petrus voluerit Romæ mori in Sede Romana, at de hoc facto non constat esse de iure diuino, nam quod adducitur in illa historia superiùs relata, tantum fide humana creditur, neque enim ius canonicum habetur de illa, & licèt canonicum esset, posset tamen explicari de eo, quòd martyrium subiret Romæ, vtpotè loco magis apto ad conuersionem gentium. Et licèt Christus ei voluerit explicare, quòd voluntas eius erat, quod Romæ moreretur, vt Episcopi Romani ei succederent in Papatu, hoc tamen non sufficit ad ius Diuinum, ad quod non sufficit voluntas Dei per internam aliquam inspirationem explicata, sed vltrà requiritur, quòd fuerit expressa per modum statuti, & decreti, quod non legitur esse factum.

Secunda sententia tenet, non esse de iure Diuino, quod Episcopus Romanus succedat Petro in Papatu. Fundatur hæc sententia, quia nullibi inuenitur statutum Diuinum, decretumue promulgatum de eo, quòd Episcopus Romanus succedat Petro in Papatu. Nam Pontifices adducti pro prima sententia ad summum probant tantùm ex Dei voluntate expressa Petro per inspirationem internam, factam fuisse coniunctionem successionis Episcopi Romani in Papatu, quod non sufficit ad ius Diuinum, licèt sufficiat ad ius positiuum humanum, etenim decreta Pontificum ex Dei inspiratione speciali facta illis procedere creduntur, & tamen prædicta illa decreta rem quam statuunt non faciunt esse de iure Diuino, sed tantùm de iure humano, ergo esto Christus inspirauerit Petro, quòd sedem ex Antiochia transferret Romam, & ibi moreretur, vt sedem ibi figeret, & fixa maneret, dum tamen hæc omnia per Petri voluntatem sunt executioni mandata, solùm fundabunt ius humanum, & non Diuinum.

§. Sum in hac sententia, quia sententiam Suatij non benè percipio, nam si de iure Diuino est, quòd Episcopus Romanus Summus Pontifex sit, Petroque succedat in Papatu, ergo coniunctio Papatus cum Episcopatu Romano de iure Diuino est. Quando ergo Petrus Romæ voluit mori, vt sedem ibi figeret, & succedens ei in Episcopatu succederet ei in Papatu, non tunc primò Papatum Episcopatui Romano inseparabilitèr alligauit, sed actum iam per Diuinum statutum egit, & sic independentèr ab hac hypothesi asserendum erit, Episcopum Romanum succedere Petro in Papatu, esse de iure Diuino.

§. Potest dici ad hoc, Christum statuisse, Episcopum Romanum successorem à futurum in Papatu, determinare autem modum, quo ista coniunctio fieret relictum fuisse voluntati Petri. Sicut de iure naturali est, quòd malefactores puniantur, cæterum determinatio, vel taxatio pœnarum; quibus debent puniri iuxtà quantitatem, ac qualitatem delictorum hoc iuri humano relictum est. Similitèr Sacramentum Matrimonij de iure Diuino est, quod celebretur inter legitimas personas, quæ autem personæ legitimæ sint declarare iuri humano relictum est. Sic ergo quòd Pontifices Romani Petro succedant in Papatu de iure Diuino est, determinatio autem modi, quo ista coniunctio Papatus cum Romano Episcopatu fieret, hoc fuit relictum voluntati Petri, qui Romæ mori voluit, vt qui ei succederent in Episcopatu, succederent quoque in Papatu.

§. Sed contrà insto, nam ad hoc, vt hæc doctrina sit vera, deberet assignari Diuinum statutum, vel decretum, de eo quòd Pontifex Romanus Petro succederet in Papatu, at in Scriptura Sacra, vel Apostolica traditione non inuenitur tale statutum Diuinum, solùm enim legimus, Christum statuisse Papatum pro Petro, & successoribus eius: quòd verò huiusmodi successores futuri essent Romani Pontifices, hoc nullo modo legitur, ergo hoc tantum debebit reduci ad ius humanum, non verò ad ius Diuinum. Neque aliud probant exempla adducta: si enim inquireretur ex quo iure habetur determinatio, quòd illud Matrimonium tantum sit validum, quod fit coràm parocho, & testibus, vtique respondebitur hoc haberi ex iure humano, etsi quęratur ex quo iure habeatur, quòd Pontifices Romani sint successores Petri in Papatu? vtique dicetur, ex facto Petri, nempè quia mori voluit in Pontificatu Romano, vt eius successor esset Pontifex Romanus.

Per hæc patet ad ea, quę adducta sunt ex Suarex in fauorem suæ sententiæ. Dicta enim illorum Pontificum tantum significant, ex voluntate Christi insinuata Petro per internam inspirationem, Petrum elegisse pontificatum Romanum pro stabiliendo sibi in perpetuum successori, non verò indicant de hoc adesse aliquod diuinum statutum, seu decretum promulgatum. Sicut de facto cùm omnes Pontifices in suis literis dicunt, se Dei prouidentia, & electione assumptos ad pontificiam dignitatem, nolunt dicere, quòd applicatio Pontificatus ad eorum personas in particulari sit de iure diuino facta, sed mediante electione humana, ducta tamen à speciali inspiratione Spiritus sancti.

§. Ad argum. ex ratione desumptum primò

primò potest concedi sequela; videlicet quod aliquis sit possibilis casus in quo possit separari papatus iure humano à pontificatu Romano; vt si Ciuitas Romana funditus extingueretur, vt plerique Auctores tenent euertendam tempore Antichristi, tunc enim periret Episcopatus Romanus, & nihilominùs Ecclesia non periret, ergo aliquod caput visibile tunc habitura esset, quod Romanus Pontifex non esset, pertineret ergo ad Ecclesiam tunc sibi in alia persona, quæ Pontifex Romanus non esset quærere visibile caput. Et ad dictum Bonifacij in cap. *vnam sanctam*, dico, præfatum caput intelligendum rebus, vt nunc, non verò in casu quem posse contingere grauissimi Patres determinant.

Vel resp. 2. neg. sequelam, & ad eius probationem dico, quòd transferre Sedem ex Antiochia Romam, & ibi illam figere in perpetuum, non fuit datum Petro iuxtà eius ordinariam potestatem, & sic non sequitur, quòd alij Pontifices hoc imitari possint.

Sed instas contra hanc resolutionem, de fide est in Dei Ecclesia non solùm dari Petri successorem in Papatu, sed etiam est de fide, quod hic sit Romanus Pontifex, ergo erit de iure diuino, quod Pontifex Romanus succedat Petro in Papatu. Probat. conf. nam ius humanum nihil potest facere de fide.

§. Ad hoc neg. conf. nam, vt aliquid sit de fide, sufficit quod sit à Deo reuelatum, & ab Ecclesia propositum, vt credibile, probauimus autem supra esse reuelatum à Deo, quòd Romanus Pontifex sit Petri successor, idque in plurimis Concilijs vidimus deffinitum, & sic est de fide. Ad hoc autem, vt sit de iure diuino, est necesse quod de illo sit diuina visio, præceptum, vel decretum. Vnde non sufficit esse à Deo reuelatum. De fide enim est quod Petrus Christum negauit, non tamen est de iure diuino Petrum Christum negasse, quia esto de tali negatione reuelatio sit, Iussio tamen diuina non est.

§. Sed, instas subtiliter: in eo loco ex quo probatur reuelatum diuinitus Rom. Pontif. esse Papam non habetur sola reuelatio, sed iussio, & institutio, ergo ex quo probatur esse de fide Rom. Pontificem succedere Petro in Papatu, probabitur etiam hoc esse de iure diuino. Probat. ant. locus Scripturæ ex quo probatur reuelatum Romanum Pontificem esse Papam, est illud dictum Petro *pasce oues meas, & illud tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & illud *confirma fratres tuos*, sed in his non sola habetur Papatus reuelatio, sed etiam institutio pro Petro, & eius successoribus, ergo si ex isto loco probatur reuelatio præfatæ veritatis, probabitur etiam quod sit de iure diuino, quod Episcopus Romanus Petro succedat in Papatu.

§. Ad hoc dici potest, in locis prædductis non præcontineri illam veritatem, quasi in eis mentio fiat in particulari de Romano Pontifice, sed tantùm in communi sub ratione successoris Petri. Vnde Ecclesia non definiuit Romanum Pontificem esse Papam ex illis locis, sed ex illis adiuncta applicatione Petri, hoc enim ipso quod Christus instituit Papatum pro Petro, & eius successoribus, & Petrus facto suo declarauit Pontifices Romanos succedere Petro in papatu, Ecclesia habuit sufficiens fundamentum ad deffiniendum, Romanos Pontifices succedere Petro in papatu. Vnde non sequitur, quod si illa loca sufficiunt ad faciendum de fide quod Romanus Pontifex sit Papa, sufficiant etiam ad colligendum, quòd sit de iure diuino, quod Romanus Pontifex Papa sit.

§. Sed instas: factum Petri fuit sola declaratio, de eo quòd Pontifices Romani erant veri successores eius, ergo non fuit institutio Pontificum Romanorum in Papas, sed supposuit iam institutionem de iure diuino, sicut neque fecit de fide hanc veritatem, Pontifex Romanus succedit Petro in papatu, sed tantù declarauit esse de fide.

§. Resp. factum Petri non fuisse puram declarationem de eo quod successores eius in papatu essent Romani Pontifices, sed fuisse veram institutionem.

Itàque in præfatis locis Scripturæ tantum habetur institutio papatus pro Petri successoribus, non autem habetur institutio de eo quod Romani Pontifices sint illi successores, sed hoc tantum habetur ex facto Petri virtute cuius facti Ecclesia determinat Romanos Pontifices Petro succedere in papatu. Itàque fides de coniunctione papatus cum Pontificatu Romano ad solum Petri factum reducitur, & virtute illius facti Ecclesia definit Pontifices Romanos esse veros Papas vnde non sequitur, quòd si est de fide, quòd Pontifex Romanus sit verus Papa, sit etiam de iure diuino quòd Romanus Pontifex Papa sit.

Hoc argumentum cum instátijs suis mihi valdè probabilem facit oppositam sententiam, quia ægrè soluitur. Vndè non possum non iudicare, oppositam sententiam valdè esse probabilem.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

Dico secundò Pontifex, vt Doctor particularis, & vt persona priuata errare potest. Iam hoc patet ex varijs erroribus Pontificum, quos recensuimus inter soluenda argumenta contra primam conclusionem militantia: cùm enim illi errores à Pontificibus sunt commissi, & non processerint ab ipsis, vt ex Cathedra Petri dictantibus sequitur processisse ab illis vti à Doctoribus particularibus, & priuatis personis.

§. Sed secundo concl. prob. ex capit. si Papa 40. dist. vbi sic habetur: [culpas Pontificis redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius.] Vbi Canon supponit Pontificem posse diuiare à fide, quod cùm non possit esse verum de ipso, vt Ecclesiæ capite, erit verum de ipso vt priuata persona.

§. Etsi dicas, Consilium loqui conditionaliter, conditionalis autem nihil ponit in esse, & sic non poterit inferri ex dicto capite Pontificem absolutè posse errare in fide. Sicut ex eo quòd omnes illi Theologi, qui ci-

gorosum præceptum de morte subeunda in Christo recognoscunt concedere tenentur, quod si Christus non moreretur de facto peccasset, nam præceptum rigorosum de morte subeunda obligabat Christum sub mortali, nec tamen ex hoc inferri potest, quòd Christus potuerit absolutè frangere præceptum, neque quod potuerit absolutè peccare, quoniam ex fractione præcepti conditionali, vel peccato conditionali non sequitur absolutum posse.

Vnde qui concedit istam, *Petrus volare non potest nisi habeat alas*, non sequitur, quòd debeat concedere istam Petrus potest habere alas.

§. Sed contra iusto, nam casus in quo Concilium potest indicare Papam de facto est possibilis, at possibilitas huius casus dependet à conditione hac nempè quòd Pontifex deuiet à fide, ergo asseuerandum erit Papam, vt personam priuatam posse errare in fide; Et in alijs, quæ non sunt materia fidei. Ex qua doctrina assignatur discrimen inter exemplum de Christo, & nostro casu, etenim auctores, qui ponunt præceptum in Christo de morte subeunda, primò conueniunt cum meliori parte. Theologorum, In eo quòd Christus sit impeccabilis,& quòd impossibile sit illi violare præceptum.

Et hoc supposito ad controuersiam de præcepto Christo imposito, vel non, respondent affirmatiuè: vnde nihil mirum quod, & si teneantur concedere istam conditionalem, si Christus non moreretur peccasset, non teneantur concedere hanc Christus potuit peccare.

Casus autem noster non supponit Papã non posse errare in fide, sed potiùs hoc probare intendit,& sic benè illud probat ex conditionali adducta in prædicto capite, quam doctrinam applicabis alteri exemplo adducto,

Et certè si textus illius capitis non supponeret pro certo Papam posse iudicari in casu quo deuiet à fide, sicut sentiret impossibile esse eum deuiare à fide, ità determinaret impossibile esse eum ab aliquo Iudicari. Sicut, quia Christus cognoscebat suam impeccabilitatem, intrepidè pronuntiabat *quis ex vobis arguet me de peccato*? quasi diceret, dum ego peccare non possum,non potest aliquis iustè me de peccato arguere; cùmque possibile assignetur ab illo textu Papam ab aliquo iudicari in casu quo à fide deuiet,vbique supponit Papam posse à fide deuiare.

§. IV.

Soluuntur Argumenta contra Conclusionem.

Arguitur primò, nam si semel admittitur, quod Pontifex potest pertinaciter errare in fide, vt persona priuata, sequitur quod etiam, vt Caput Ecclesiæ errare possit, sed hoc admitti nequit, ergo nec primum. Prob. sequela, hoc ipso quod Pontifex, vt persona priuata errare possit, nullus est qui eum prohibeat ne errorem suum publicè prædicet, & doceat, ergo & poterit errare, vt Pontifex.

§. Confir. nam, quia ratio nostra errare potest credendo esse Dei legem id quod ei contrarium est, potest etiam voluntati proponere suum errorem, vt sequendum,& illam obligare, vt illum sequatur etiam si in sequendo illum voluntas peccet, ergo si Pontifex falli in se potest, poterit suum errorem alijs, vt credendum proponere,sic quod existiment esse de fide, quod reuera de fide non est.

§. Confir. 2. Pontifex non habet euidentiam diuinæ attestationis, vnde non scit euidenter discernere quando Deus illi loquitur, vel non, ergo si potest, vt persona particularis errare, cùm nesciat discernere, an illum errorem à Deo habeat, vel à se, poterit illum vt credendum Ecclesiæ proponere, cogitans illum à Deo esse.

§. Explicatur hoc ideò nos indigemus regula visibili fidei, quæ nobis proponat, vt credenda ea, quæ verè de fide sunt, quia cùm vnusquisque nostrum errare possit, nesciat euidenter discernere quando Deus ei loquitur, & quando non, multoties contingeret credere aliquid esse de fide, quod contra fidem esset, vt contingit de facto in his, qui hac visibili regula non gubernantur, sed solùm instinctu interiori ducuntur;ergo si Pontifex errare potest, & nescit discernere euidenter quando Deus ei loquitur, & quando non, poterit aliquando credere aliquid sibi à Deo dictari, cùm tamen non dictetur, & illud Ecclesiæ, vt credendum proponere.

§. Ad hoc argumen. nego sequelam, ad prob. neg. antec. prohibet enim illum Deus ne errorem, vt veritatem Ecclesiæ proponat: cuius eam assigno rationem, nam Deus promisit Ecclesiæ, quòd fides eius non deficeret, & quod portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, cumque Ecclesiam suo capiti visibili regendam, & gubernandam commiserit, ad eum pertinet sic dirigere, & gubernare Ecclesiæ Caput quod, vt tale non deficiat, alias fides Ecclesiæ deficeret, nam Pontifici proponenti rem de fide, Ecclesia tenetur credere, & obedire, & sic si ille errorem proponat errabit Ecclesia.

§. Ad 1. confir. neg. conf. & ratio discriminis est clara; nam Deus non promisit voluntati indefectibilitatem moralem in actibus suis, & sic permittere potest, quòd ratio non solùm in se fallatur, sed etiam quòd voluntati prædictum errorem proponat,vt iuxtà illum operetur voluntas, promisit autem Ecclesiæ numquam esse defecturam, & sic numquam permittet Deus, quod ei Pontifex aliquid vt credendum de fide proponat, nisi in re vtrè credibile de fide sit.

Ad 2. confirm. neg. consequ. esto enim nesciat euidenter discernere summus Pontifex, quando ei loquitur Deus & quando non, tamen in proponendo res fidei sic illum infallibiliter dirigit, vt numquam errare sinat. Hoc enim sonant illa Euangelica dicta [dabitur enim vobis in illa ora quid loquamini;] & illud Pauli, [an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?] neque enim Deo est impossibile infallibiliter loqui per organum fallibile.

§. Ad explic. neg.conf. non enim Philosophandum sic in hac materia, de membris,

& de

& de capite. Sicut enim bona prouidentia exigit, vt membra gubernentur per caput, ita bona prouidentia exigit, vt caput à causa extrinseca immediatè accipiat id, quod membris communicare debet membra, autem accipiant à capite.

Cùm ergo fideles sint membra Ecclesiæ, Summus Pontifex sit caput, illis non est debita immediata infallibilitas, benè verò Summo Pontifici; & sic cùm fideles aliàs sint fallibiles, si visibili regula supremi principis non gubernarentur in his, quæ sunt fidei, passim inciderent in errores. Summus autem Pontifex esto alia visibili regula non gubernetur, neque ipse euidenter sciat discernere quando ei loquitur Deus, vel quando non, tamen quia ei debita est infallibilitas, quia per illum Ecclesia erudienda est, quamuis aliàs, vt persona particularis falli possit in rebus fidei, tamen in proponendo illas Ecclesiæ, vt credendas falli non potest quia prout sic ei infallibilitas debita est; ac promissa.

Arguitur 2. Per medium aliàs fallibile nequit Deus infallibiliter loqui, ergo si Pontifex, vt persona priuata est fallibilis, non poterit Deus per illum infallibiliter loqui. Prob. ant. per medium indifferens ad vtramque partem contradictionis nequit Deus infallibiliter alteram partem contradictionis operari; hac enim ratione dicunt Thomistæ, quod Deus nequit efficaciter mouere voluntatem per auxilium indifferens; idest quo posito potest voluntas vtranque partem contradictionis disiunctiuè operari, quia voluntas efficax Dei de eo, quòd hoc prælio determinatè fiat nequit effectum habere per auxilium ex se non determinatum ad vnam partem præalia, ergo similiter per medium, quod potest errare in fide, nequibit Deus infallibiliter loqui res fidei.

§. Dices ad hoc, quòd quamuis Pontifex ex se sit indifferens ad errandum, & non errandum in his, quæ sunt fidei, tamen quando Deus vult, quòd definiat, illum intrinsecè determinat, dando ei determinatos conceptus, & verba, quibus & non alijs loquatur, & sic Deus non loquitur infallibiliter per medium fallibile, sed priùs, quàm illo vtatur præparat sic, quod illud reddat organum infallibilis loquutionis.

§. Sed contra hoc est, cùm Deus inspirat Pontifici, vt aliquam veritatem de fide definiat, tunc Pontifex liberè credit illam inspirationem esse à Deo, ergo sic credit, quod potuit discredere, non ergo illum ab intrinseco determinat, vt determinatos conceptus, & verba determinata ei infundat, quibus, & non alijs indefiniendo vtatur.

§. Ad hoc nego conf. nam vt liberè credat sufficit, quod possit non credere nam sufficit libertas contradictionis, & non requiritur libertas contrarietatis. Similiter quando Pontifex vult aliquid determinare de fide dat ei Deus auxilium efficax ad dicendum verum, & liberè dicit verum, quia habet potentiam contradictionis, non tamen habet potentiam contrarietatis, quam ob rem, quod Pontifex non possit dicere falsum est omninò necessarium, quia vel Deus non daret auxilium suum ad discernendum, vel auferret à Pontifice indifferentiam iudicij inspirando conceptus quibus ad verum dicendum determinatur, vt dictum est.

§. Sed inquiris ex quo habeat tale auxilium efficax ad dicendum verum tollere libertatem ad falsum, cùm auxilium efficax ad amandum Deum non tollat in alijs hominibus libertatem ad odio habendum.

Resp. hoc oriri ex eo, quod tale auxilium est debitum Pontifici ex suppositione, quod vellit aliquid determinare de fide, nam ex quo Petro dictum est ne deficiat fides tua tenetur Deus dare ei auxilium efficax ad dicendum verum quoties vult determinare de fide, & quia dum Deus tenetur dare ei auxilium ad dicendum verum nequit ei permittere falsum, indè ex isto debito habet Pontifex dum definit carentiam libertatis ad dicendum falsum, quod non contingit in alijs auxilijs efficacibus, quæ sine aliquo debito conferuntur.

Arguitur 3. si Pontifex dum definit non potest errare, sequitur, quòd dum actu experitur se definire, euidenter quoque cognoscat Deum esse, qui ei loquitur, & sic habeat euidentiam rei credibilis in attestante, quam supra docuimus non componi cum fide eiusdem obiecti, ergo asseuerandum erit, quod Pontifex dum definit possit errare, aliàs ponemus simul in eo euidentiam diuinæ attestationis cum fidei rei attestatæ, quod iudicauimus supra fieri non posse. Prob. sequela, definitio summi Pontificis non potest non esse effectus diuinæ loquutionis, ergo Summus Pontifex, qui euidenter cognoscit se definire, euidenter quoque cognoscet talem loquutionem esse à Deo loquente, ergo habebit euidentiam, quò ad an est de eo, quod Deus ei loquatur.

§. Ad hoc neg. sequelam, ad prob. dist. ant. ità quòd talis propositio sit lumine naturali nota, neg. ant. ità quòd sit credita per fidem, conc. ant. & nego conf. Itàque quamuis certissimum sit, definitionem Summi Pontificis esse à Deo dirigentem illum sua interna inspiratione ad loquendum res fidei, non tamen hoc est ei certum certitudine euidenti, sed tantùm certitudine fidei, & sic quantùmuis experiatur euidenter se definire, non tamen potest euidenter cognoscere Deum esse, qui eum ad loquendum sic dirigit.

§. V.

Statuitur tertia Conclusio.

Dico 3. Summus Pontifex habet auctoritatem infallibilem determinandi circà Sacras Scripturas, quæ sint canonicæ, & quæ non. Prob. concl. sic, nam præfata auctoritas fuit in diuo Petro, & de facto est in Ecclesia, ergo & residet in Summo Pontifice, qui successor est Petri, & ex cuius infallibilitate ea, quæ Ecclesia facit roborantur. Prob. ant. ex illo, quod Paulus refert de se ipso ad Galat. 2. [Deindè, inquit, post annos 14. ascendi Hierosolymam cùm Barnaba, assumpto, & Tito: ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod

præ-

prædico in gentibus, seorsum autem his, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem,] super quæ Hieronymus in epist. ad Augustinum, & cap. 11. inter epistolas Augustini, [ostendens, inquit, se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.] Tertullianus 5. contra Marcionem super verba adducta Pauli: [ad patrocinium Petri, cæterorumque Apostolorum ascendisse Hierosolymam Paulus scribit, vt conferret cum illis de Euangelij sui regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset, & citra formam eorum Euangelizaret, adeò ab illis probari, & stabiliri desiderabat,]ergo Paulus recognouit in Petro, & in Ecclesia, quæ cum eo erat infallibilitatem determinandi circà Euangelia, & idem est de alijs Scripturis, quæ canonicæ sint, & quæ non.

Prob. 2. Deus ità tradidit nobis Scripturam, quòd voluit illam multis contrarietaribus patere, multisque figmentis permittere eius sinceras veritates oppugnari, ergo oportuit, quod relinqueretur aliqua auctoritas infallibilis in Ecclesia, quæ posset similes quæstiones terminare, & dijudicare quænam Scripturæ legitimè annunriarenr Christum, & quæ non aliàs deficeret diuina prouidentia in re, tàm necessaria ad salutem, qualis est sinceritas, & puritas fidei, quæ in Scripturis habetur patet ant.ex illo 2.Petri 3. vbi de epistolis Pauli sic habetur: [in quibus sunt quædam dificilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.]

Idque satis manifestat multitudo librorum apocryphorum, qui pro Scripturis reuelaris obtrudebantur, & damnati sunt à Gelasio Pontifice in cap. *sancta Romana*, distinct. 15. vbi plura numerantur Euangelia apocrypha, vt Euangelium Thadæi, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, &c.plures etiam ex sacris Scripturis sunt, quæ pænitùs interierunt, multi enim Libri citantur in veteri Testamento, qui modò non extant, vt est Liber iustorum Iosue 10. Primi Paralipomenon cap. 29. citatur liber Nathan prophetæ, & volumen Gad. videntis 3. Reg. 4. dicitur Salomonem scripsisse tria millia parabolarum, & quinque millia carminum, & quod disputauit de lignis, de reptilibus, & de iumentis, quæ tamen modò non extant. Paulus similiter ad Colofs. 4. in fine meminit epistolæ ad Laodicenses, & iubet vt in Ecclesia legatur, quæ tamen modò non extar, ergo Scripturæ sacræ deprauationi, perditioni, & apocryphorum admixtioni obnoxiæ sunt, requiritur ergo aliqua infallibilis auctoritas, per quam sine errore aliquo decernatur, qui nam sint legitimi libri, & qui nam non, qui nam deprauati, qui nam puri, & sinceri; quæ non est alia nisi ea, quæ residet in Summo Pontifice, & in Ecclesia.

§. Prob. 3. nam Summus Pontifex iudicat, & discernit circà diuinas reuelationes, quæ fiunt in Ecclesia, neque probat eum, qui dicit se à Deo missum, nisi hoc miraculo comprobet, vel per aliquem locum Scripturæ, ergo similiter iudicare debet de reuelationibus ipsiusmet Scripturæ, quando de illis dubitatur an veræ, & legitimæ sint. Prob. conf. nam ad sinceritatem fidei nō minus pertinet, quòd Scripturis canonicis constet esse legitimas, quàm de reuelationibus particularibus, & priuatis, ergo si de istis iudicare attinet ad Summ. Pontif. & ad Ecclesiam eius nomine congregatam, pariter ad illum, & ad Ecclesiam pertinebit infallibiliter iudicare de Scripturis sacris, quæ nam legitimæ sint, & quænam non.

§. V I.

Soluuntur argumenta. Contra Conclusionem.

PRimò arguitur: Verbum Dei ab homine iudicari non potest, habemus enim ex Scriptura sacra, quod hominum testimonium reijcit, vt patet ex illo Ioann. 5. *Ego testimonium hominum non accipio*, & 1. Ioann. 2. *Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed vnctio docet vos de omnibus*, & illud: *cùm venerit Paraclitus, ille docebit vos omnem veritatem*, ergo neque in Ecclesia neque in Summo Pontifice adest auctoritas iudicandi infallibiliter de sacris Scripturis, quæ nam legitimæ sint, & quæ nam non.

§. Confirm. ab hæreticis sic: Papistæ dicunt, quod quia Pontifex Romanus omnia dijudicat, non est potestas in hominibus ad iudicandum de eo, ergo cùm à Verbo Dei scripto omne fidei iudicium habeatur, non erit potestas in terra, quæ de illo infallibiliter iudicare possit.

§. Antequam hoc argum. dissoluam, non possum non mirari, quod hæretici contra Catholicos hoc argumento vtantur; etenim si Verbum Dei scriptum ab homine iudicari non potest, quare ipsi pro libito suo, vel aliqua ratione illis apparenti has sacras Scripturas recipiunt, & illas respuunt? non ne hoc est iudicare de Verbo Dei scripto? vtique sanè; quomodò ergo non erubescunt hoc argumentū contra Catholicos enomere?

§. Sed placet argumento facilè respondere, dicendo Verbum Dei scriptum non iudicari ab homine innixo auctoritati humanæ, quæ fallibilis est, sed annixo auctoritati diuinæ, quam habet vt Caput Ecclesiæ visibile, iudicat ergo de Verbo Dei scripto per ipsum Dei Verbum traditum Apostolis, & ab istis in Ecclesiæ deposito relictum, Deo sic prouidente ad præscindendas lites, & quæstiones, quæ circà Scripturas sacras exirandæ erant. Illæ ergo Scripturæ, quæ doctrinæ Apostolorum consonant, probantur à Summo Pontifice, vt legitimæ, & sinceræ, quæ verò dissonant iudicantur spuriæ, Audiant Tertullianum lib. de præscriptionibus aduersùs hæreticos cap. 15. sic fatentem: [vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianorum. Quid autem Apostoli prædicauerint non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tàm viua voce, quàm per epistolas. Postcà: si hæc ità sunt, constat proindè omnem doctrinam, quæ cum illis

illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei veritati conspitet, veritati depurandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, & & Christus à Deo suscepie.] Et reuoluens faciem ad Ecclesiam Romanam sic inquie: [Vnde nobis auctoritas præsto est statnta, Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum Sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adęquatur, vbi Paulua Ioannis exitu coronatur.] Per hoc ergo verbum ab Apostolis à Christo acceptum, & ab eis prædicatum, & in Ecclesia Romana relictum iudicat Pontifex de ipso verbo Dei scripto, an sit ab Hęreticis deprauatum, an in sua sineeritate permaneat; & determinat quænam legitima sint, & quænam non.

Instabis, modò non constare, Apostoloa istas Scripturas tradidisse, & non alias, neque Ecclesiam hoc probare posse aliqua ratione infallibili, ergo nequibit infallibiliter iudicare quænam Scripturæ legitimæ sint, & quænam non.

§. Resp. hæc constare per Episcoporum successiones à tempore Apostolorum vsque ad nos, quod docet August. lib. 28. contra Faustum cap. 3. & 4. ibi: [In Scripturis discernendis recurrendum est ad traditionem Ecclesiæ, quæ per successionem Episcoporum illas deriuauit vsque ad nos.] Docuit etiam Irenęus lib. 3. de fide cap. 3. ibi: [non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi indepositorium diues plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis.]

Hinc Aug. 1s. contrà Faustum cap. 3. & 4. sic eum redarguit, quia ex Scripturis aliquas pro libito suo probabat, & alias reijciebat: [quam Libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? nam si hoc facere conaberis, nihil valebis, & videbis hac re quòd Ecclesię Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem Succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensu firmatur.[Hinc in Concilijs generalibus definitis, & determinatis quæstionibus, quæ de fide tractantur, solet à Patribus illud quod determinatur acclamari, fides Petri, & fides Apostolorum,] vti factum legitur in synodo Ephesina cùm legeretur epistola S. Leonis Papæ ad Flauianum, & in 6. synodo lecta epistola Agathonis Papæ.

§. Verùm contra hanc doctrinam instabis, si Apostoli, vt diximus tradiderunt Ecclesiæ omnes Scripturas canonicas, & hoc non obstante Ecclesia primitiua Apostolis vicina de aliquibus libris dubitauit an legitimi essent, & hoc dubiū successione Episcoporum vsque ad nostra tempora perductum est, ergo Ecclesia in hoc statu præsenti nequibit determinare circa tale dubium, & discernere aliquos libros esse canonicos, de quibus vsq; modò in Ecclesia dubitatum est.

Patet conf. nam Ecclesia nequit hæc dubia determinare nisi virtute verbi Dei traducti ad nos per Episcoporum successionem, ergo si per hanc successionem tantum traducta est dubitatio, Ecclesia pro præsenti habebit quo dubitet, sed non habebit quidquam virtute cuius dubium decidere possit.

§. Pro solutione huius instantiæ aduerto quòd primitiua Ecclesia Apostolis vicina dupliciter potuit se habere in dubitatione circa aliquam sacram Scripturam, vel ita quòd positiuè iudicauerit illam Scripturam esse dubiam, & si ita fecit non potest Ecclesia præsens modò discernere talem Scripturam esse canonicam. Vndè de nulla Scriptura, quæ modò in canonem relata est Ecclesia aliquando positiuè iudicauit esse dubiam; alio modo potuit dubitare negatiuè hoc est non determinando talem Scripturam esse certam, & permittendo aliquos in Ecclesia dubitare de illa propter aliquas difficultates, quæ relinquebantur vincendæ, & isto modo esto Ecclesia vsque modo de aliqua scriptura dubitauerit, potest nihilominùs modò determinare illam esse certam, quia difficultates, quæ vsque modò victæ non fuere, possunt de præsenti vinci per exactam diligentiam, quæ modò adhiberi potest.

Instabis secundò si Ecclesia iudicaret, qui Libri sint Canonici virtute traditionis Apostolorum, sicut aliquos Libros iudicauit statim esse Canonicos, ita iudicasset de omnibus alijs quoa modò pro canonicis veneramur; at hoc non ita factum est, ergo non est verum Ecclesiam determinare, qui Libri sint Canonici virtute traditionis Apostolorum, min: patet: nam liber Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, & Apocalypsis ab initio primitiuæ Ecclesiæ non fuerunt in canonicos recepti, vnde in Concilio Laodiceno, vbi determinatur qui Libri sint Canonici prædicti Libri non numerantur, qui tamen modò recepti sunt, igitur Ecclesia primitina non simul recepit in canonicos omnes sacras Scripturas, quæ modo canonicæ sunt. Maior autem probatur nam secundùm nostram doctrinam omnes libros quos modò, vt canonicos Ecclesia habet, simul ab Apostolis recepit, ergo si quia ab Apostolis recepit determinat, qui canonici sint, cùm simul omnes ab Apostolis receperit, simul omnes debebit declarare esse canonicos.

§. Confirmatur hoc, nam in canone 84. Apostolorum ponitur inter Libros Canonicos liber secundus Machabæorum, & duæ Epistolæ Clementis, qui tamen nunc canonici non sunt, ergo Ecclesia non determinat eas Scripturas esse canonicas, quas habet ex Apostolorum traditione.

§. Quod si dicas, prædictos canones non esse receptos ab Ecclesia, sed reputari, vt apocryphos, vnde ex illis tantum 50. recepti sunt, & 70. sententiæ in illis 50. inclusæ, & sic talis canon 84. vti apocryphus non potest nostram doctrinam infringere. Contra sic arguo, nam in 6. synodo generali approbantur 85. Canones Apostolorum, & inter eos ille 84. citatur, igitur ista euasio admittenda non est.

§. Ad hoc argumentum negatur min. Ad prob: dico, prædictos Libros ab initio simul cum alijs Canonicis receptos fuisse; Cæterùm insurgentibus nouis hæresibus in Ecclesia exemplaria deprauari ceperunt ab illis, & sic nouæ difficultates circa legitimitatem prædictorum Librorum exuberarunt,

Vnde materia ista aliqualiter inturbidata est, & innumeris difficultatibus implicata. Vnde Ecclesia temporum successione dum paulatim vincebat difficultates suborras, Libros paulatim determinabat esse Canonicos. Cumque Concilij Laodiceni tempore circa prædictos Libros veritas planè explorata nondum esset, definitum est de alijs Libris quòd Canonici essent, de Libris autem Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, & Apocalypsis, non est tunc definitum esse canonicos, sed res mansit pro tunc in æquilibrio, reseruando pro alio tempore circa horum quatuor librorum legitimitatem id quod statuendum esset desoire.

Nec tamen hinc inferas, Ecclesiam non habuisse apud se instrumenta Apostolica iuxtà, quæ potuisset tunc definire, prædictos quatuor Libros esse Canonicos: si enim tunc non habuisset, neque modò haberet, sed ad definiendum requirebatur vinci aliquas difficultates industria hæreticorum introductas, & sic esto adessent in corde Ecclesiæ vera exemplaria, & vera instrumenta, res tamen ad aliud tempus dilata est.

§. Ad confir. bene dictum est: ad replicam dico 6. synodum generalem non recepisse illos 85. canones, sed finita synodo cùm in ea canones non fuissent editi, sine auctoritate Summi Pontificis, & absque eius Legatis collecta fuit alia Synodus Constantinopolitana post aliquot annos ad assignandos canones aliquos quintæ, & sextæ synodi, & inter illos approbauit 85. Apostolorum in capit. quoniam 16. dist. de qua re videri potest Baronius anno Christi 692. Itaque Liber ille 85. Canonum Apostolorum inuara sanctiones Patrum inter apocryphos semper fuit relatus, vt constat ex Gelasio Papa cap. sancta Romana dist. 15. & ex Leone IX. cap. Clementis 16. dist. vbi habentur hæc verba: Apostolorum canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis Capitulis 50.

§. Plura alia argumenta poterant hic adduci contra conclusiones, continentia difficultates speciales circa Libros, quos iam Ecclesia determinauit esse canonicos, sed quia ea soluere longum requirit tractatum illa omitto. Videatur Cano de Locis lib. 2. cap. 9. 10. & 11. qui ea proponit, & solita eruditione dissoluit.

§. III.

Statuitur quarta conclusio.

Dico quartò summus Pontifex, seu Ecclesia cum ipso, vel ipsius auctoritate congregata habet auctoritatem determinandi circa editiones translationem, & correctionem Sacræ Scripturæ. Probatur concl. nam Scriptura sacra per omnia ista tria capita deprauari potest, ergo vt in sua puritate, & sinceritate fidelibus proponatur, velut fidei regula oportet in aliquo adesse supremam auctoritatem definiendi, quænam editio quænamue translatio legitima sit; & quia Librariorum incuria, aut hæreticorum malitia Sacri Libri deprauari etiam possunt, vt aliqui aliquando deprauati sunt, ad eandem supremam dignitatem pertinebit Scripturas sacras à mendis corrigere. At suprema hæc auctoritas in nullo alio esse potest quam in supremo Pontifice, vel in Ecclesia eius nomine congregata, ergo in illo adest prædicta auctoritas.

§. Probatur secundò. Nam Ecclesia de facto determinauit, editionem veterem Vulgatæ nostræ esse autenticam, illique nos debere stare ergo habet auctoritatem illud faciendi, neque enim credendum est eam fecisse quod facere non poterat. Ant. Prob. ex Concilio Tridentino, quod sess. 4. in hæc verba definit: [Sacra Synodus considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex multis editionibus Latinis, quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro autentica habenda sit innotescat, statuit, & decernit, vt hæc ipsa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, aut expositionibus pro autentica habeatur, & quòd eam nemo reijcere quouis prætextu audeat, seu præsumat.]

Ex hac conclusione infero, quòd cum sola nostra Vulgata, vt autentica scriptura sit à Concilio declarata, illa sola auctoritatem habet regulæ fidei. Vnde translationis Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quæ ab initio Ecclesiæ regebantur, & deinceps aliæ à Catholicis nostris factæ, vti à Pagnino, Caietano, Oleastro, Varablo, Isidoro, Clario, &c. rem de fide facere non possunt, nec editio septuaginta, quia licèt illa, vt ab ipsis facta est, vt per multos annos apud Ecclesiam viguit in sua puritate, infallibilem auctoritatem haberet, modò tamen in multis deprauata est, & sic in omnibus regula fidei esse nequit, sed tantum in illis in quibus nostræ Vulgatæ consentit:

§. Neque huic doctrinæ obstat, quod Sixtus V. in quodam breui, quod habetur in libro editionis septuaginta, eam tanquam emendatam, proponit, & præcipit ne aliter possit euulgari.

§. Non inquam, obstat, nam Pontifex non definit, illam editionem Septuaginta, quam proponit esse omninò purgatam, & emendatam, sed tantum proponit eam, vt emendatiorem, & purgatiorem præ alijs editionibus 70. quæ nunc extant; quod probatur hac ratione, nam Ecclesia tantum recognoscit vt autenticam nostram Vulgatam, sed editio illa 70. adhuc sic emendata à Sixto V. in multis non consentit cùm nostra Vulgata, ergo nequit in omnibus proponi vt fidei regula, sed tantum in his quibus Vulgatæ consentit. Prob. min. nam Genes. 26. vbi nostra Vulgata dicit, seruos Isaac dixisse de puteo *inuenimus aquam* 70. habent *non inuenimus aquam*, & Iosue 3. vbi 70. *dicunt, adhuc tres dies, & Niniue subuertetur*, nostra Vulgata dicit, adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Ex supputationibus etiam annorum circa vitam Mathusalem quas habent 70. Genesis 5. sequitur, quod Mathusalem superuixerit post diluuium 14. annis, ex quo sequitur plures quàm 8. animas fuisse saluatas, quod repugnat Vulgatæ nostræ. 1. Petri 3. cap. vbi loquens de Noe arca dicit, *in qua pauci, idest octo*

octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, ergo in multis dissentit à nostra Vulgata, quæ sola cùm sit autentica, nequiuit Sixtus editionem 70. proponere vt fidei regulam in omnibus, sed tantùm in his in quibus à nostra Vulgata non dissentit.

Infero 2. in his quæ ad mores, & fidem pertinent, non esse nostram Vulgatam per Hæbraica, vel Græca exemplaria corrigendam.

Probatur nam Concilium Tridentinum de nostra Vulgata dicit definiens Sess.4. [Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.] In quibus definitur, nostram Latinam Vulgatam cum omnibus, quæ continent esse canonicam, & autenticam, ergo in his quæ ad fidem, & mores pertinent, non est corrigenda nostra Vulgata per exemplaria Hebraica, vel Græca.

§. Prætereà vel nostra Vulgata in omnibus, quæ continet tradit verum, vel in aliquibus tradit falsum, si primum ergo illi standum erit in omnibus. Si secundum ergo Ecclesia fideles fallit, dum pro canone fidei aliquid falsum proponit; quod asserere absurdissimum est.

§. Præterea, si nostra Latina Vulgata corrigenda est per Hebraica, & Græca exemplaria, ergo expungere debemus ab illa historiam puerorum, & Susannæ apud Danielem, & historiam mulieris adulteræ, apud Ioannem; & illud egregium de SS.Trinitate testimonium *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Patet hoc quia ista enumerata non habentur modò in exemplaribus Hebraicis, & Græcis; ergo si nostra Latina corrigenda est per illa, hæc enumerata à Vulgata expungere necesse est.

§. Prætereà Hebræorum Doctores vtpote nostri inimici multo studio procurarunt textum Hæbraicum corrumpere, vt vetus Testamentum nostris exemplaribus facerent dissonare, prout etiam Eusebius lib.4. Ecclesiasticæ historiæ refert. Græci quoque multis in locis, vt Scripturam ad suum sensum traherent, in his quibus cum Latinis colliduntur, nouum Testamentum violarunt; vt probant Eusebius, vbi supra cap. vltimo, & Irenæus aduersùs hæreses lib. 1. cap. 23. Tertullianus lib. 5. aduersùs Marcionem, Basilius lib.2. contrà Eunomium, & Ambrosius super epistolam ad Romanos; qua ergo securitate poterimus nostram Vulgatam corrigere in his, quæ spectant ad fidem, & mores per Hebraica, & Græca exemplaria, de quibus tam vehemens suspitio est, quod à nostris inimicis deprauata sint.

§. Nec huic doctrinæ refragatur, quod Hieronymus super caput 6. Esaiæ non credat esse verosimile, quod Hebræi Scripturam suam deprauarint. Nam quidquid sit de temporibus Hieronymi, tamen modò si viueret à Iudæis deprauatam non negaret: & forsan non ita fuit sicut Hieronymus tunc existimauit, nam Iustinus conuicit Triphonem, probans quod à Iudæis multa Prophetarum loca detruncata fuerint, inter quæ commemorat illud: [dicite in nationibus quia Dominus regnauit à ligno,] è quo Versu illud verbum *à ligno* detractum fuisse contendit. Et illud Genes. 8. vbi latina nostra habet, quod Coruus à Noe emissus egrediebatur, & non reuertebatur, ibi nunc Iudæi legunt, *egredi, & reuerti*; faciamus iam hanc digressionem; Si modò insurgeret quæstio in Ecclesia, an coruus reuersus fuerit ad Arcam, inquiro an Catholicus posset impunè, & liberè dicere, quod non, nō obstante, quòd in Hebraicis exemplaribus habeatur oppositum, vel non posset illud dicere. Si hoc secundum asseratur igitur modò non possum ego affirmare, quòd authentica scriptura vt talis ab Ecclesia declarata mihi dicendum proponit. Si dicatur primum, ergo non est corrigendus textus Vulgatæ nostræ per hebraica exemplaria, quæ nunc extant, vtpotè quæ deprauata sunt.

§. Idemque argum. conficio circa græca exemplaria. Etenim ad Rom. 12. vbi nostra editio legit *Domino seruientes*, Græci Recentes legunt *tempori seruientes*; & tamen nostra litera sequenda est, quam olim habebant ipsimet Codices Græci antequam deprauarentur. Similiter ad Corinth. 7. vbi nos legimus, [qui cum vxore est sollicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est; recentes Codices Græci habent, qui cum vxore est cogitat quæ sunt Mundi quomodo placeat vxori, diuisa est vxor, & virgo,] quam versionem D. Hieronymus in primo libro aduersùs Iouinianum docet non esse Apostolicæ veritatis; non ergo corrigenda venit Vulgata nostra per exemplaria Gręca, quæ nunc extant.

§. Sed dicunt oppositi Auctores, quod sic habetur in Codicilibus Grecis aureis literis scriptis à septingentis annis, ideòque illis quasi primis fontibus esse standum. Quasi aurum scripturæ idem sit, quod veritatis aurum; Audiant potiùs Hieronymum in præfatione super Iob: [Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro, argentoque descriptos, vel vncialibus vt vulgò dicunt literis onera magis exarata, quàm Codices, dummodò mihi mei æquè permittant pauperes habere schedulas, & non tam pulchros Codices, quàm emendatos.] Et certè cuilibet Catholico plus debet placere aurum definitionis Tridentinæ, quæ nostram vulgatam authenticam scripturam, & canonicam declarat, quàm aurum characterum prędictorum Codicum.

§. VIII.

Soluuntur argumenta contra Conclusionem.

PRimò arguitur, nam Ecclesia non habet principia, quibus certificari possit infallibiliter de legitimitate editionum, seu translationum, igitur falsa est conclusio. Probatur ant. nam Scriptura dictata fuit à Deo in alia lingua ab ea, qua nunc vtimur, similiter Apostoli Ecclesiæ tradiderunt Scripturas in ea lin-

lingua, & editione, qua ipsi tunc vtebantur; interpres quoque ecclesiasticus non habuit infallibilem assistentiam Spiritus sancti ne erraret io traditione facienda, & ne illam Ecclesiæ proponeret aliter quàm esset in re; neque circa hoc speranda est nunc noua reuelatio, cùm nec ista fiat modò Ecclesiæ, neque ex modo ordinario gubernandi Ecclesiam expectari possit, non ergo Ecclesia habet aliquod principium infallibile, quo gubernari possit in definiendo quęnam editio Scripturæ canonica sit, & authentica.

§. Confirm. uam esto Ecclesia possit approbare sensum, tamen verba, & clausulas non potest facere, quòd sint infallibilis authoritatis, cùm necessariò debeant esse alia verba ab illis, in quibus Scriptura, primò tradita est, & scripta.

§. Deindè temporibus Apostolorum non erant tot diuersæ versiones, aut editiones, quæ modò extant, quomodo ergo Ecclesia discernere poterit inter vnam, & alteram editionem, & hanc præ alia proponere fidelibus vt canonicam?

§. Ad hoc nego ant. ad prob. concedo, quod Deus in alia lingua ab ea, qua Ecclesia vtitur scripturas dictauerit; concedo similiter Apostolos illam tradidisse Ecclesiæ in illa lingua, qua tunc ipsi vtebantur, quæ distincta est ab ea, qua nunc vtitur. Concedo similiter, quòd Interpres non habet assistentiam Spiritus sancti, dum transfert ex vna lingua in aliam, teste Hieronymo, præfatione in Pentateuchum, ibi aliud est esse vatem, aliud interpretem, ibi spiritus ventura prædicit, hic erudirio verborum copia, qua intelligat conferrur.

Habet tamen Ecclesia multos Doctores qui possint editionem aliquam, de qua sit quæstio conferre cum exemplaribus, & eius translationis modum inuestigare, & approbationem, quam habet in Ecclesia per multos annos etiam apud sanctos Patres considerare; & quamuis in his omnibus præambulis ad definiendum non adsit infallibilitas de fide, ramen hoc examine rigorosè, & exactissimè præmisso potest procedere ad determinandum quęnam editio authentica, & canonica sit.

Sicut enim dum alia definit de fide, præcedunt disputationes Theologorum, & alia similia, ex quibus tamen definitio suam infallibilitatem non accipit, quia decisiones Theologorum, quæ præcedunt defecere à veritate possunt, definitio autem Pontificis omninò indefectibilis est: sic esto interpres falli, & fallere possit, esto etiam alij Doctores, qui consuluni antiquos Codices deficere possint, hac tamen diligentia præmissa Ecclesia determinare potest de fide circa legitimitatem editionis, quia infallibilitas determinationis Ecclesiæ esto requirat illa præambula, ab illis tamen indefectibilitatem non accipit, sed à solo Spiritu sancto specialiter illi assistente dum definit, ne in definiendo erret.

Instabis: Ecclesiam definire aliquid esse de fide, non est rem facere de fide, sed tantùm est declarare esse de fide id, quod anteà ex defectu talis declarationis de fide quoad nos non erat, secundùm se autem de fide erat, vel quia in Scriptura continebatur, vel quia ex Traditione Apostolica habebatur, sed quod hæc editio sit authentica, & canonica ante Ecclesiæ definitionem non erat de fide, neque secundùm se, neque quoad nos, quia illa veritas, neque continebatur in aliquo loco Scripturæ, neque haberi potuit ex Traditione Apostolica igitur Pontifex, vel Ecclesia nequit determinare de fide quænam editio authentica sit.

§. Ad hoc neg. min. ad prob. dico, talem editionem esse authenticam præcontineri in verbo scripto, & in verbo ab Apostolis tradito, sicque iudicarunt sancti Patres, dum hanc editionem verum transumptum esse verbi scripti, & verbi traditi ab Apostolis iudicarunt, sicque Ecclesia iudicauit, dum per innumeros annos illam editionem, vt verum transumptum eorum, quæ reliquerunt Apostoli acceptauit.

Sicut enim ad definiendum, quòd Christus habeat humanam voluntatem, vtitur fide quæ dictat, quòd Christus sit verus homo, & vtitur etiam iudicio Philosophi qui dictat, quòd omnis verus homo humanam habet voluntatem, sic Pontifex ad determinandum de fide, quòd hæc editio canonica sit, vtitur primò fide, quæ dictat veram Scripturam Ecclesiæ suæ Deum tradidisse; & similiter Apostolos vera transumpta illius reliquisse in Ecclesiæ deposito, & vtitur iudicio Patrum Ecclesiæ peritissimorum in linguis, qui indicarunt hoc ipsum haberi in hac editione latina, quod habebatur in transumpto Apostolorum; quibus positis definit hanc editionem esse canonicam, & sicut non opponitur definitioni Ecclesiæ, quòd physicus iudicet omnem verum hominem humanam habere voluntatem: ita non opponitur definitioni Ecclesiæ, quod Patres per peritiam suam indicauerint hanc editionem præcontineri in transumpto Apostolorum.

Sicut enim primum iudicium spectat ad Philosophum naturalem, ita & secundum spectat ad peritos in linguis. Præcontinetur ergo hæc editio in verbo scripto, & tradito, quia sic præcontineri iudicarunt peritissimi in linguis Ecclesiæ Patres, quo iudicio præhabito Ecclesia definire potest, hanc vulgatam esse authenticam, sicut & iudicio Philosophi præhabito Ecclesia definiuit Christum humanam habere voluntatem.

Ad confirm. dico: de verbis Scripturæ posse nos loqui dupliciter, vel de illis materialiter sumptis, vel de illis vt significatiuis, & quatenus conducunt ad significandum eum sensum, quem Deus per illas explicare intendit.

Primo modo loquendo fateor verba nostræ vulgatæ editionis non esse infallibilis veritatis, quia Deus sensum Scripturarum non dictauit per hæc verba materialiter sumpta, cùm in alia lingua Scripturas dictauerit.

Secundo autem modo infallibilitatem habent, quatenus idem sensus explicatur per hæc verba latina, qui explicatus est per verba hebræa: Vnde sumendo hæc verba vt significatiua, & explicatiua huius sensus à Deo intenti explicare per verba, tantùm est discrimen materiale inter verba latina, & ea quæ Deus dictauit & Apostoli tradidere Ecclesiæ, & sic potest Ecclesia determinare verba non ma-

materialiter, sed formaliter, idest quatenus per illa idem sensus explicatur qui explicabatur per verba à Deo primò dictata: sic quòd non liceat fidelibus vti alijs verbis, si per illa idem sensus non significetur qui per Scripturam sacram à Deo dictatam significabatur.

Sic contingit in Sacramentorum formis, quas Christus non instituit sub verbis latinis, sed in ea lingua, qua ipse communiter vtebatur; Ecclesia verò determinat verba in lingua latina, quæ eamdem significationem habeant quam habebant illa, per quæ Christus formas Sacramentorum expressit, & sicut fit Sacramentum etiam non appositis iisdem verbis materialiter sumptis, quæ Ecclesia determinat, sed appositis alijs, quibus tamen idem prorsùs significatur, vt si dicas, hic est Sanguis meus, hic est Calix Sanguinis mei, ita pariter licebit mutare verba vulgatæ nostræ materialiter tantùm, non verò formaliter, & hoc modo Ecclesia habet non tantùm approbare sensum, sed etiam determinare verba, per quæ idem sensus, & eadem proprietate fiat, qua factus est per verba à Deo dictata. Quam doctrinam apertè tradidit Hieronymus in epistola ad Pammachium, dum dicit: [discrepant Euangelistæ, septuaginta Interpretum, nostraque translatio, & tamen sermonum varietas spiritus vnitate concordat.]

§. Ad id, quod dicitur in 2. confirm. de varijs versionibus, quæ non erant factæ temporibus Apostolorum, & modò sunt, oportet scire, quòd à tempore Moysi vsque ad captiuitatem Babylonis conseruata est Scriptura in sua primæua puritate, in captiuitate autem Babylonis omnes sacri Libri fuerunt combusti, & deinde mirabiliter per Esdram renouati secundùm aliquos maioris notæ Auctores, vel secundùm alios magnam iacturam passi sunt, & postmodùm ab Esdra ex eorum fragmentis speciali assistentia Spiritus sancti reparati, & in integrum restituti 2. postmodùm 280. annis ante Christi aduentum cœpit mirabilis illa 70. Interpretum translatio, non sine speciali miraculo, & speciali assistentia Spiritus sancti, vt omnes Patres tenent, hac translatione vsa est Ecclesia quamdiù præfata editio in sua puritate perseuerauit.

Sic testatur Hieronymus in præfatione ad Libros Paralipomenon. Irenæus lib. 7. de fide cap. 25. & sanctus Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, hac etiam versione vsi sunt Apostoli, fuitque vulgata in Ecclesia, vt testatur S. Philastrius de hæresibus cap. 134. illis verbis: sequitur Ecclesia Catholica septuaginta interpretationem, legit, colit, & prædicat, alia autem superuacua, & contraria tantæ editioni contemnit, & abijcie. Postmodùm negligentia librariorum, vel hominum malitia cœpit corruptelam pari 70. Interpretum editio, & cœperunt multiplicari diuersæ versiones, nempè Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, & testatur Epiphanius lib. de mensuris, & ponderibus, Aquilam hæreticum in odium 70. & in odium Christiani nominis multa perperàm addidisse.

Post corruptionem autem, & deprauationem 70. Origenes ex exemplari antiquissimo Hebræo, quod apud Ægyptum in Bibliotheca Ptolomæi seruabatur 70. editionem emendauit, & ad puritatem reduxit. Post Origenem Lucianus martyr, & post istum Hesychius presbyter, & post hunc Hieronymus 70. versionem emendarunt; Verùm numquam ad suam pristinam sinceritatem adæquatè eam perducere potuerunt.

Post hæc cœpit translatio Latina, quæ fuit duplex, alia quæ appellatur vetus, cuius auctor ignoratur, quamque Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 15. Italam appellat, post istam sequuta est translatio latina Hieronymi, quam coactus est facere, quia circa puritatem 70. erat in Ecclesia contentio, alijs eam sequentibus, alijs eam reprobantibus.

Facta autem Hieronymi translatione etiam contentio est suborta super vulgatam veterem, & vulgatam Hieronymi, nam alij præferebant Italam vt Augustinus, alij Hieronymi nam vt Isidorus, qui lib. 6. Etymologiarum cap. 6. Hieronymi versionem cæteris antepofuit. Sicque res durauit vsque ad Gregorij sancti tempora inclusiuè, post quem ex illa veteri, & noua Hieronymi accuratissima adhibita diligentia vna conflata est ad communem vtilitatem Ecclesiæ, qua communis Vulgatæ nomine retento Ecclesia semper est vsa, quousque in Concilio Trident. sess. 4. approbata est, & in Canonem, ac fidei regulam assumpta.

§. Ex hoc discursu facilè constare poterit, quòd Ecclesia semper in corde suo diuina prouidentia id operante retinuerit autentica instrumenta, quibus potuerit emendare, & corrigere errores, qui hominum malitia circa Scripturam sacram irrepserunt, & sic multitudo versionum post Apostolos facta non obstat, quin Ecclesia meliorem potuerit eligere, & eam in Canonem verrere.

Sed contra hanc doctrinam instabis, sequi ex illa, Ecclesiam multo tempore fuisse sine pura, & sincera Scriptura, quæ in publico esset canonica, & fidei regula, quod à pluribus pro magno habetur absurdo.

Prob. sequela, nam postquam 70. fuere corrupti, & deprauati, numquam in integrum fuerunt restituti, sic quòd ob hanc rationem coactus sit Hieronymus ex Hebræo Scripturam in latinum sermonem transferre. Facta etiam translatione Hieronymi vsque ad Gregorij tempora fuit contentio inter Ecclesiæ Patres, an deberet præferri vetus vulgata italæ, an deberet præferri translatio Hieronymi, ergo toto isto temporis interuallo caruit Ecclesia Scriptura, quæ cunctis proponeretur sequenda vt fidei regula.

§. Circa solutionem huius instantiæ discordia est inter auctores, alij concedunt sequelam, & negant min. neque enim reputant pro inconuenienti, quòd Ecclesia caruerit publica historia authentica, pro eo tempore quo curabat eam emendari, & ad suam pristinam puritatem reduci.

Sic tenent inter alios Locca tract. de locis Catholicis lib. 1. distinct. 7. num. 10. negat autem ex opposito Ioannes à S. Thom. aliquod fuisse etiam breue tempus, in quo Ecclesia caruerit Scriptura publica, & autentica, quia iudicat maximum esse inconueniens quòd Deus sic Ecclesiam suam reliquerit; esset enim

enim deficere in necessarijs ad fidem, nam nihil est ad eam magis necessarium, quàm certificari, & habere in vsu sinceram editionem Scipturæ.

§. Inter has sententias placet media incedere via, nam si loquamur de Scriptura prout in omnibus primò fuit pura, & sincera, ante eius deprauationem, & prout modò post Concilium Tridentinum, ad integrum reparata proponitur fidelibus, sic necesse est fateri, quòd licèt semper retenta fuerit in corde Ecclesiæ, nō tamen pro semper in publico prçposita est Ecclesiæ, vt fidei regula, quòd conuincit instantia facta; certè illo tempore quo deprauata fuit editio 70. sancti Patres non in totum illi assentiebant, & tunc non erat alia Scriptura, quæ in publico non possidebat Scripturas cum omni integritate.

Deinde 70. editio, teste Hieronymo, non fuit ad suam pristinam puritatem reducta, nam hac de causa dicit se transtulisse ex Hebræo Vulgatam latinam, deinde alij sequebantur veterem Vulgatam italam, alij Hieronymi translationem, & quod neutra istarum adæquatè fuerit authentica, & canonica patet, quia ex illis duabus postmodùm vna emendatior, & correctior effecta est, ergo toto hoc tempore Ecclesia caruit in publico aliqua Scriptura, quam omnes tenerentur sequi, nam si impunes Fideles inter se alij sequebantur veterem Vulgatam, alij Hieronymi nouam translationem, ergo non aderat tunc vna editio, quæ quoad omnia publicam fidei regulam exhiberet,

§. Si loquamur autem de Scriptura quantum ad ea omnia in quibus aderat conuenientia inter fideles, sic semper Ecclesia publicam habuit Scripturam fidei regulam.

Nec si loqui pro inconuenienti habeo, ne ea circa, quæ diffidlum erat pauca erant, & notissima, vt habet August. 11. contra Faustum cap. 2. vbi affirmat, varietates sententiarum ex exemplaribus Scripturæ subortas paucas fuisse, easque Scripturarum studiosis notissimas, sicque non erat inconueniens circa tam pauca fideles pro tunc donec Deus de corrigendis mendis prouideret, non habere pro fidei infallibili regula aliquam Scripturam, sed sufficiebat probabiliter existimare, hanc præ alia esse de fide, vt de facto fiebat.

§. Ex hac ergo doctrina ad instantiam factam.

Resp. neg. min. nec culpabilis est diuina prouidentia, in eo quòd malitiæ hominum permiserit Scripturarum, quoad prædicta deprauare, sic quod aliquando non fuerit authentica Scriptura, quoad omnia proposita fidelibus, vt infallibiliter tenenda, retinendo tamen in corde Ecclesiæ principia quibus Scriptura aliquando emendari posset, & emendata proponi fidelibus.

§. IX.

Soluuntur argumenta contra vltimum Corollarium.

Diximus in vltimo Corollario, quòd in his quæ spectant ad fidem, & mores non est nostra Vulgata per exemplaria hæbraica, vel græca corrigend a.

Contra hoc arguitur primò, nam Damasus Papa coegit Hieronymum, vt nonum Testamentum ad græcam reduceret veritatem, quod non fecisset nisi intelligeret, noui Testamenti veritatem à græco fonte esse petendam.

Hieronymus quoque in commentarijs veterem interpretem Vulgatæ sæpè vellicat, vt qui interpretando frequenter erraret, non ergo veteri editioni latinæ fides habenda est, sed recurrendum ad fontem hebræum.

Idem Hieronymus in epistola ad Damasum de verbo *Osanna* dicit, cogimur ad hebræum recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quam de riuulis quærere; & in epistola ad Vitalem docet, se ad hebraicam veritatem tamquam in præsidium, & arcem solitum esse confugere.

§. Ad hoc argum. Resp. Damasum, & Hieronymum loquutos fuisse non quasi doctrinam tradentes. In futurum obseruandam, sed prout res ista suo tempore agebatur, in quo hebraica exemplaria, & græca non ità deprauata erant sicut modò sunt, in quo etiam multitudo codicum Latinorum diuersorum, veritatem vulgatæ latinæ perturbabat, in quo etiam Ecclesia non elegerat aliquam editionem vt autenticam, & canonicam in omnibusque sequendam, sicut factum est post tempora Gregorij, & etiam factum est in Concilio Tridentino sess. 4. tunc enim debebant fideles recurrere ad fontes hebræos, & græcos, vtpotè minus turbatos, quàm Latinos Codices, quod varietas ipsa turbarat.

Modò autem postquàm ex verissimis originalibus Ecclesia editionem latinam hausit, eamque ab omnibus sequendam proposuit, & illi antiqui fontes in odium Catholicorum viciati sunt, illos debemus corrigere per nostram Latinam Vulgatam, non hanc per illos, quam veritatem Damasus, & Hieronymus si modò viuerent ità iudicarent.

Arg. 2. ex varijs locis, in quibus Vulgata nostra videtur deficere à veritate, à qua tamen hebraica exemplaria non deficiunt.

Etenim numer. vltimo in nostra Vulgata habetur, quòd omnes fœminæ accipiant maritos de tribu sua, quod quidem videtur falsissimum, nam Moyses non accepit vxorem de tribu sua, Aaron similiter accepit Elisabeth de tribu Iuda; soror Regis Iudæ nupsit Ioiadæ Pontifici, Dauid duxit Michol de tribu Beniamin, ab hac autem falsitate vindicatur exemplar hebræum legens: [sic omnes fæminæ, seu filiæ, quæ hæreditatem accipiunt,] quod verum erat.

§. Micheæ 5. editio latina habet: [& tu

tu Betlehem Ephrata paruulus es in millibus Iudæ,] quod contrariatu Matth. teatui vbi legitur: [& tu Betlehem nequaquam minima es :] Psalmo septimo, versiculo 12. §. Vulgata habet : [Numquid irascitur per singulos dies,] cuius contrarium hebræum habet, cui Hieronymus consensit.

§. Ecclesiastis. 9. Vulgata habet, [nemo scit vtrum odio, vel amore dignus sit,] quod quidem falsissimum est, cùm plerique sciant se esse odio dignos, & aliqui sciuerint se esse amore dignos, quibus reuelatio facta est, quod io gratia sunt.

§. Similiter Matth. 24. Vulgata legit fulgur locofulgoris, vt cuius falsam reddit sententiam, quia fulgur non pertingit ab Oriente in Occidentem, bene verò solis fulgor.

§. Similiter Ionæ 4. Vulgata dicit: [Dominum præparasse hederam, vt esset vmbra super caput Ionæ :] cui se opponit Hieronymus dicens, præparasse Kikaion, quod nec hedera, neque cucurbita est, sed significat quoddam genus fruticis, latiois, & Græcis incognitum, quod tamen familiare valde est Syris.

§. Similiter Genes. 6. Vulgata dicit: [non permanebit Spiritus meus io homine in æternum, in Codice autem antiquo etiam tempore Hieronymi hebraico legitur : [non indicabit spiritus meus hominem in sempiternum :] ergo interpres non fideliter transtulit.

§. Similiter Genes. 3. Vulgata legit, [ipsa conteret caput tuum,] & in omni originali hebræo habetur ipsum, vel ipse, ergo debet corrigi Vulgata per hebræum originale.

Ad hæc omnia suo ordine resp. ad primum Ioano à S. Thoma asserit, quod codex ille ex quo Interpres latinus adductum textum transtulit forsan eodem prorsus modo dictabat sicut, & codex latinus noster, erant enim plura transumpta hebraica alia alijs meliora, & emendatiora. Cùm ergo Ecclesiæ determinauerit legendum sic, [cunctæ fœminæ accipiant maritos de tribu sua,] credendum est, ex codice hebræo emendatiori, qui sic dictabat, interpretem nostrum desumpsisse illam sententiam.

§. Cæterùm hæc solutio non soluit vim argumenti facti, videlicet quòd si illa propositio non restrictiuè accipiatur pro illis fœminis, quæ hæreditatem accipiunt, sicut hebræus legit, falsissima est, vt potè multis oppositis conuincta, quæ in argumento adducuntur.

§. Resp. 2. Cano, quòd ex hoc, quod Interpres omiserit illam restrictionem, videlicet, [quæ hæreditatem accipient, quæ in hebræo habetur, non sequitur illum aliquid falsum transtulisse aliquid, quòd interpretatione indigeat, quæ interpretatio facilè colligitur ex fine prædictæ legis, quæ habebat pro fine, quòd bona vnius Tribus non miscerentur cum bonis alterius Tribus ; ad quem finem assequendum non erat necesse, quòd omnes fœminæ vniuersaliter acciperent maritos de tribu sua, sed sufficiebat ; quòd illæ quæ Parribus suis ob defectum masculorum succedebant in hæreditate, acciperent maritos de Tribu sua, hoc enim dato cùm maritus esset de tribu mulieris, filij eorum essent quoque de Tribu Matris, & sic hæreditas remaneret in eadem Tribu. Cùm ergo hæc interpretatio habeatur facilè ex fine legis qui ibi expressè ponitur, superuacaneum duxit Interpres, illam vniuersalem *omnes fœminæ* signatè restringere, sicut signabat hebræa litera per illa verba, [quæ hæreditatem accipient.]

§. Verùm ego indico, quòd Interpres aptissimè, & verissimè transtulerit sine restrictione; nam illa restrictio esto non sit facta in lege, est tamen facta io quæsito cui respondet lex. Quæsitum enim erat à Principibus Tribus Manasse, quod cùm Deus præcepisset filiabus Salphad, qui erat de Tribu Manasse, & mortuus erat sine masculis dari hæreditatem patris sui, iuberet quoque, quòd istæ filiæ Salphad, de quibus expresserat textus, quòd hæreditatem acciperent patris sui, maritos ducerent ex eadem Tribu Manasse, ne hæreditas Salphad ad aliam Tribum transiret: Moyses respondit, rectè Tribus Ioseph loquuta est, hæc lex super filiabus Salphad à Domino promulgata est, nubant quibus nolunt tantùm, vt suæ Tribus hominibus, ne commisceatur possessio filiorum Israel de Tribu in Tribum, omnes enim viri ducent vxores de cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient. Si ergo hęc lex facta narratur pro solis filiabus Salphad quibus Deus iusserat dari hæreditatem Patris sui, ergo dum lex ait, cunctæ fœminæ, non potest intelligi de cunctis fœminis absolutè, sed tantùm de illis pro quibus lex facta est, & si lex velit ampliari, tantùm poterit extendi ad omnes eas fœminas, quæ hæreditatem Patrum suorum aggressuræ erant. Vnde collata illa lege cum antecedentibus, ad sui veritatem non requirebatur restrictio expressè apposita, sed sufficiebat restrictio iam in antecedentibus posita.

§. Sed instabis, quòd in originali antiquo, & vero illa restrictio; [quæ hæreditatem accipiunt] habetur, ergo pariter debebat dari in Vulgata, vt qui transtulit fideliter translatisse dicatur.

Ad hoc dico, quòd ad fidelitatem Interpretis sufficit sic traducere, quòd sensum, qui habetur in originali non variet, Cumque omissa illa restrictione, quæ habetur in hebræo, per adducta verba adhuc vt manifestè probatum est eadem sententia perseueret, non est accusandus Interpres de infidelitate, sed potiùs de styli breuitate laudandus.

Ad 2. dico, quòd Vulgata nostra culpari non potest, eò quod illud testimonium vt refertur à Matth. 2. capite, in nullo codice neque hebræo, neque 70. habetur.

Vt notat Hieronymus super caput 5. Michææ, remque hanc omnibus notam, & perspicuam esse fatetur.

Quare autem sic citauerit Matthæus rationem assignat Hieronymus his verbis: arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum, & Sacerdotum erga diuinæ Scripturæ lectionem negligentiam, sic etiam posuisse vt ab eis dictum est.

Itàque Matthæus non retulit testimonium Michææ sicut in se erat, sed retulit sicut Scribæ, & Sacerdotes dixerunt Herodi interrogauti, *vbi Christi nasceretur*.

§. Ve-

§. Verùm hæc solutio difficilis apparet, nàm Herodes, vt dicitur Matth. 2. congregauit omnes Principes Sacerdotum, & omnes Scribas populi, & ab omnibus quæsiuit, vbi Christus nasceretur, & illi omnes responderunt, in Bethleem Iuda, sic enim scriptum est per Prophetam: [Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda.] Non est autem credibile, quòd omnes illi vna voce respondtrent contradictorium eius, quod inuenitur in Michęa.

§. Vndè aliter placet respondere, conueniendo cum Hieronymo in eo, quòd Matthæus non retulit illud testimonium ad literam, sicut inuenitur in Michæa; sed retulit eo modo, quo à Scribis, & Sacerdotibus prædictum testimonium recitatum fuerat. Conuenio etiam in eo, quòd Scribæ non retulerunt Herodi illud testimonium ad literam, sicut inuenitur in Michæa. Discriminor autem in assignanda ratione, ob quam non retulerunt sic, & dico, non esse, quia ignorauerint veram lectionem scripturæ Micheæ; sed quia responderunt secundùm sensum, & intelligentiam, quæ communis erat inter illos circa prædictum versum, nempè, quòd quamuis Bethleem minima esset (vt Michæas dixit) quantitate spatij, & circuitus, tamen in dignitate erat maxima & nequaquam minima; cuius assignarunt rationem, [quia ex te exitt Dux, qui regat populum meum Israel.]

Quam intelligentiam videtur postmodùm sequutus Bernardus super illum locum Micheæ, dùm dixit: [O Bethleem parua, sed iàm magnificata à Domino, qui factus est in te paruus ex magno.]

§. Sed instat Osiander hæreticus, notando ignorantiam interpretis latini: [Etenim, inquit, Hebræos in dictionum inflexionibus neutrum genus non habere; sed vti masculino, vel fœminino pro genere neutro.] Hebræus ergo habet *paruulus*; sed illo vult significare neutrum, vt dicatur *parum* est tibi, vt sis inter Philiarchos, & Principes Iudæ, quia ex te exiet Dux, &c. Quæ sententia concordat cum Matthæo, nempè, *nequaquam minima es, quia ex te exiet Dux.*

§. Cęterùm, quàm iniustè, & immodestè Osiander hic se gerat, notando de ignorantia interpretem, probo euidenter: nàm credendum non est interpretem vulgatæ, hominem adeò celebrem, & peritum in Hebraismo præ omnibus, qui tunc fuerunt in terra, ignorasse rem ita triuialem, & notam omnibus, videlicet, quòd Hebræus in dictionum inflexionibus careat voce neutra, & vtatur masculino, seu fœminino, pro neutro.

Secundò, hoc ipsum patet, nàm interpres si hoc ignorasset, Gen. 2. dùm transtulit, *non est bonum hominem esse solum;* transtulisset, *non est bonus Adam esse solus,* siquidem ibi Hebræus non vtitur voce neutra, sed masculino pro neutro. Vndè si hoc ignorasset, non posuisset ibi neutrum, sed masculinum; dùm ergo hoc non fecit, signum est, quòd prædicta bene sciebat.

Ad tertium, vbi contendit Osiander illa verba, *numquid irascitur per singulos dies?* non debere legi cum interrogatione, sicut vulgata legit, dico apud 70. ita inueniri, & licèt Augustinus sine interrogatione legat, tamen eumdem prorsus sensum exprimit, dùm legit, *longanimis, & non iram adducens per singulos dies*: quæ idem sonant.

Quòd autem hoc Hieronymo contradicat, non facit ad casum, quia lectio Hieronymi non est fidei regula.

§. Ad quartum dico, verissimè legi à nostra vulgata: *Nescit homo vtrum odio, vel amore dignus sit.* Nàm loquutio est de prædestinatione, & de reprobatione, quas quilibet homo regulariter ignorat. Vndè sequitur in textu, *sed omnia reseruantur in futurum incerta.* Per dilectionem autem, & amorem prædestinationem, & reprobationem significari demonstrat illud dictum Pauli: [Antequam quidquam boni, vel mali egissent, Iacob dilexi Esau autem odio habui.] Quæ litera communiter intelligitur de reprobatione Esau, & de prædestinatione Iacob.

Ad quintum dico, quòd licèt fulgur non pertingat ab Oriente in Occidentem, ad significandum tamen, quod Christus intendebat explicare, non facit ad casum *fulgor*, sed *fulgur*, etenim vndè patet ex contextu Christus intendebat explicare nobis suum secundum aduentum affuturum subitum, & inexspectatum; ad hoc autem significandum non deseruit fulgor Solis, Sol namque paulatim oritur, eiusque aduentus diu præsentitur antequam appareat; vndè eius fulgor non inexspectatus aduenit, & sic ad Christi intentum non facit *fulgor*, facit autem aptissimè *fulgur*, quòd prius, quàm exspectes iàm emicuit, & transijt, Sic respondit Cano loco citato.

§. Sed si inspexisset textum Matthæi, aliter dixisset; licèt enim ex his, quæ in illo capite continentur constet, Christum voluisse explicare suum aduentum affuturum, subitum, & inexspectatum, non tamen de suo aduentu hoc solum explicare voluit, sed inter alia explicare voluit, quòd suus secundus aduentus erit manifestus in gloria, & maiestate, ita vt omnibus pateat, siue his, qui in Oriente sunt, siue his, qui sunt in Occidente, ad explicandum primum non vtitur exemplo *fulguris*, sed *furis* dicens: [Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quia si sciret pater-familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam, ideò & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit.] Ad explicandum autem, quòd veniet manifestus, ita vt nemine lateat, vtitur exemplo *fulguris*, dicens: [Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.] Quam doctrinam comprobo ex communi omnium Expositorum sensu; sed inter eos eligo D. Thom. 3. super Matth. ad istum locum, ibi: [Hic aliam rationem assignat, quia falsum dicunt, quòd Christus veniet occultus, sed non est verum, immò veniet manifestus.] Et ponit duas rationes, vnam ex manifestatione Christi, aliam ex congregatione Sanctorum, dicit, nolite credere, quod non veniet manifestus; nàm sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, ita erit aduentus Filij hominis. Psalm. 49. Deus manifestè veniet, neque con-

tra

tra rationem est, quòd fulgur ex parte Orientis exeat, & appareat in Occidente, hoc enim quotidiè experimur: ob quam rationem Christus vsus est exemplo fulguris, ad denotandum, quòd primus aduentus eius significatus per Orientem fuit occultus, sed secundus, qui erit in occiduo Mundi, erit manifestus. Vbi videbitur gloria eius, maiestas, & potestas magna, quæ latuit in præsepio, vbi recenter natus reclinauit, & humilibus pannis, quibus fuit inuolutus, & paupertate maxima, qua hanc vitam mortalem transegit. Et licèt ista possent explicari per fulgorem, tamen non ita aptè. Siquidem in secundo aduentu apparebit Rex tremendæ maiestatis, horribilis, & formidabilis, quæ formido, & pauor meliùs explicatur per fulgur, quod tremere facit, & non per Solis fulgorem, qui semper delectat. Vndè notanda non est vulgata ex eo, quòd vsa sit nomine fulguris.

Ad sextum dico, quòd licèt in Hæbreo non habeatur *hedera*, vel *cucurbita*, sed aliud genus fruticis, tamen damnanda non venit vulgata, quod legat *hedera*, vel *cucurbita*; primò ex eo, quòd non variatur sensus intentus à Deo in illa Scriptura, etenim Interpres tantùm est vsus illo genere arbusculæ, quarenus deseruire poterat ad designandum, Deum præparasse Ionæ quoddam defensorium à radijs Solaribus, ne illum molestarent, quod defensorium, sicut haberi potest per illud genus fruticis Solis Syris cognitum, ita & potest haberi per folia cucurbitæ, vel foliahederæ, quæ Græcis, & Latinis cognita sunt, & ad ipsum id significandum accommoda, vndè variatio illa tantùm est materialis, non verò formalis, idest, vt conducens ad reddendum eumdem sensum, quem Deus intendebat exprimere in illa sententia.

Habemus enim ex Cicerone, quòd in bona lege interpretandi, non verba sunt enumeranda, sed ponderanda, sensumque sensui ita reddendum, vt quod fieri posset, & liceret verborum quoque interdùm neglecta cura intelligentia iuuaretur.

§. Tùm secundò, quia quando Hebræus vtitur aliqua similitudine alicuius animalis, aut herbæ Græcis, & Latinis incognitæ, non est inconueniens loco illius aliud nominare, quòd cognitum sit transferenti, dummodò sensus sententiæ idem maneat.

Quæ regula habetur ex praxi, nàm Esaiæ, 1. vulgata editio habet *cùm fueritis velut quercus defluentibus folijs*; & hebraicè habetur *ela*, quæ vox iuxtà 70. & Hieronymum in Commentatijs ad illum locum non quercum, sed therebinthum significat.

Legit autem latinus Codex *quercus*, quia hoc genus arboris est Hebræis, Latinis, & Græcis cognitum, therebintus autem arbor est peregrina, & incognita, & ad sententiam à Deo intentatam parùm refert, quòd dicatur *quercus*, *seu therebintus*.

Similiter Psalm. 101. pro Pellicano in Hebræo habetur *liKa*, pro Nicticorace *KeKom*, & nihilominùs pro primo vertunt aliqui monedulam, alij onocrotalum, alij pelicanum; pro secundo alij vertunt bubonem, alij cuculum, alij noctuam, quorum hæc habetur ratio, quòd cùm apud Hebræos horum animalium, seu auium habeatur ignorantia, nihil referre existimarunt vnamquamlibet ex rebus similibus ponere, si idem sensus intentus à Deo permaneret. Et quod ità impunè fieri id liceat hac ratione confirmo, sicut enim Deus voces imposuit ad significandum hoc, vel illud, ita naturis rerum Deus est vsus, ad hoc, vel illud significandum.

Vndè sicut variæ voces penès Hebræum, & Latinum conuenire possunt in eadem significatione ita, & diuersæ rerum naturæ conuenire possunt in eadem significatione à Deo intenta per se.

Cùm ergo ad sensum, quem Deus expressit parum referat natura therebinti, vel natura quercus, parùm referat natura huius, vel illius animalis, vel auis, parùmque referat ad significandum defensorium à radijs Solaribus per modum coopertorij hederæ, cucurbita, aut illud genus fruticis Syris tantùm cognitum, fit indè, quòd siue dicas quercum, vel therebintum, siue dicas monedulam, vel onocrotalum, vel pelicanum, siue bubonem, siue nicticoracem, siue noctuam, siue dicas hederam, siue cucurbitam, siue fruticem illud significatum per *KiKaim*, idem prorsus significabis, sicut per varias herbas significabis defensorium ex herba à radijs Solis, quòd Deus intendit significare, formaliter per verbum *kikaion*.

§. Ad septimum dico, quòd esto in aliquo Codice Hebræo habeatur illud, *non iudicabit spiritus meus hominem in sempiternum*, tamen in Codice, à quo Ecclesia transtulit, non sic legitur, sed ita, *non permanebit spiritus meus in homine in æternum*.

Cuius contrarium Auctores oppositi probare non poterunt, cùm non legerint tot codices, quot Ecclesia legit.

Vel dicatur, illas duas literas eumdem prorsus sensum facere, etenim dùm aliquis alium iudicat, vel eum colitigat, ab ipso non se separat.

Si ergo Hebræus habet, *non iudicabit spiritus meus hominem in sempiternum*, rectè iuxtà eumdem sensum potuit transferre latinos, *non permanebit spiritus meus in homine vsque in sempiternum*.

§. Ad vltimum dico, quòd Hebræus vtitur voce neutra pro fœminina, debet enim legi *ipsa conteret caput tuum*, quia ibi loquutio est de muliere, de qua prædixerat, *inimicitias ponam inter te, & mulierem*. Nec obstat etiam ibi haberi *semen tuum*, *& semen illius*, quòd neutrum cum sit, & vltimò prolatum, videtur, quod relatiuum ipsum debeat referri pro antecedenti.

Non inquam obstat, nàm eius debet esse capitis contritio, quæ nocumentum à serpente accepit; hæc autem fuit mulier, non semen mulieris, nempè Christus nasciturus ex purissima Virgine, & sic illud relatiuum debet referre mulierem in fœminino, non semen in neutro.

§. X.

§. X.

Quid tenendum sit circa correctionem nostræ vulgatæ.

VT hæc prolixa quæstio vndequaque absoluta remaneat, oportet explicare, quid tenendum sit circa correctionem nostræ vulgatæ.

Pro cuius resolutione aduerto, quòd, vt supra notauimus, post Magni Gregorij tempora ex veteri, & antiquissima vulgata, quam Augustinus appellat Italam, Hieronymus vulgatam communem, & Magnus Gregorius veterem, & ex Hieronymi translatione, & emendatione consultis accuratissimè originalibus Hebræis, & Græcis vulgata communis selecta est, qua Ecclesia per plurimos annos est vsa, & vt in sua perpetuò perseueraret puritate, Concilium Tridentinum sanctissimè decreuit, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio emendatissimè quoad fieri posset imprimeretur, neque vlli liceret eam sine facultate, & approbatione Superiorum excudere.

Vndè huic rei perficiendæ selectissimi omnium Vniuersitatum Doctores, inque linguis peritissimi longo tempore insudarunt, & res ad effectum perducta est.

Cæterùm cùm in re tanta numquam diligentia possit esse nimia, Pius IV. ad ipsam iteratò redijt, & pro maiori nostræ vulgatæ puritate sategit.

Vndè lectissimis aliquot Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, alijsque tùm sacrarum literarum, tùm variarum linguarum peritissimis Viris eam Prouinciam assumendam demandauit, videlicet, vt vulgatam editionem latinam, adhibitis antiquissimis Codicibus manuscriptis, inspectis Hebraicis, Græcisque fontibus, consultis veterum Patrum Commentarijs accuratissimè castigarent.

Quod itidem Pius V. prosequutus est, sed ob grauissimas Ecclesiæ occupationes conuentus ille intermissus est, & ab opere incepto cessatum donec à Sixto V. & à Clem. VIII. res ad finem fuit perducta, adhibita priùs diligentia viribus humanis possibili sacraque Biblia typis mandata in lucem communem exire iussit. De his ergo Biblijs sic corectis, & castigatis quæritur, qua certitudine tenendum sit illa ità esse pura & sincera, quòd in ijs nullus iam defectus supersit.

Ad quod respondeo primò, posse impunè asseuerari, quod vulgata nostra in aliqua sui parte aliquem defectum habeat non spectantem tamen ad doctrinam, & mores. Hoc mihi probant verba, quæ in præfatione ad dicta Biblia habetur iussu Clementis VIII. apposita, vbi inter alia sic habetur: [quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est.] Quæ verba sic pondero, difficile est affirmare, hanc vulgatam correctam omnibus esse numeris absolutam, ergo non infallibili certitudine est certum, quòd in aliqua sui parte in particulari nullum defectum habeat, ergo qui affirmauerit hoc ipsum, immunis erit ab omni censura.

Confirmant hoc ipsum alia verba, quæ habentur in fine eiusdem præfationis ibi: [In hac tamen per vulgata lectione sicut nonnulla consultò mutata, ità etiam alia quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt. Tum quòd ità faciendum esse ad offensionem populorum vitandam S. Hieronymus non semel admonuit, tum quod facilè fieri posse credendum est, vt maiores nostri qui ex hebræis, & græcis latina fecerunt, copiam meliorum, & emendationum Codicum habuerint, quàm hi qui post illorum ætatem ad nos peruenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minùs puri, atque integri euaserunt. Tum quia sacræ Congregationi amplissimorum Cardinalium, alijsque eruditissimis viris ad hoc opus à Sede Apostolica delectis propositum non fuit nouam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem vlla ex parte corrigere, vel emendare; sed ipsam veterem, vel vulgatam editionem latinam à mendis veterum librariorum, nec non prauarum emendationum erroribus repurgatam suæ pristinæ integritati, ac puritati quoad eius fieri potuit restituere, eaque restituta vt quàm emendatissimè imprimeretur, iuxtà Concilij Oecumenici decretum, pro viribus operam dare.] Si ergo ea, quæ mutanda videbantur iuxtà eorum peritiam corrigenda, incorrecta relicta sunt, ob solum vitandum scandalum, ergo si aliquis asserat aliquem defectum extare in vulgata, qui emendatus non sit ne offensio fieret in populis, non merebitur aliquam censuram. Dummodò hic error de rebus minimis sit, minimeque ad doctrinam, & mores attinens.

§. Pondero in 2. ratione illud verbum *fortasse, tam longo tempore, &c.* quod certitudinem infallibilem non indicat, sed tantùm probabilitatem sonat, nulla ergo adest infallibilis certitudo, in eo quod vulgata quoad omnia ex quibus integratur sic sit suę pristinę integritati restituta, quòd in nullo defectum consetuet. Prob. conf. nam certitudo infallibilis deberet fundari in certitudine infallibili de eo quòd Maiores nostri habuerint emendatiores codices, quàm hodie Ecclesia possideat, de quo Clemens in præfatione tantùm dicit *fortasse*, quod verbum nullam certitudinem sine formidine partis oppositæ asseuerat. In tertia ratione pondero illud verbum *quoad fieri potuit*, quod sonat vulgatam esse correctam pro posse imbecillitatis nostræ, non autem pro debito.

Ex quo infero, ergo non est certum infallibili certitudine vulgatam esse quoad omnia, quæ continet suæ primæ puritati restitutam, sed tantùm erit certum, quòd circa eius emendationem adhibita sit omnis possibilis humanis viribus diligentia, sicque poterit aliquis absque vlla censura asseuerare, quod aliquis defectus adhuc in illa restet incorrectus.

Tertiò hoc ipsum suaderi potest ex his, quæ leguntur 2. Reg. 15. ibi: *post quadraginta annos dixit Absalon ad Regem Dauid*, quæ verba adeo apparent difficilia, quòd vsque hodie desideretur sana eorum intelligentia.

Neque

Neque enim capi potest, à quo tempore debeat incipere computus horum annorum, nam non possunt numerari ab initio Regni Dauid vsque ad tempus quo ei dicitur hæc dixisse Absalon, siquidem Dauid tantùm quadraginta annis regnauit, & isti anni nondum completi fuerant, quia post hoc per aliquos annos durauit regnum eius.

Neque possunt numerari ab ætate Absalonis, quasi velit Scriptura dicere, quòd Absalon habebat quadraginta annos completos quando hæc dixit Dauid: nam post quàm iam fuerat per duos, vel tres annos Rex Iuda in Hebron, natus est ei tertius filius Absalon de Machaa filia Tholmai Regis Gessur, vt habetur 2. Reg. 3. quando autem fertur Absalon hæc dixisse Dauidi, Dauid nondum egrrat quadragesimum annum Regni sui, quia post hæc per aliquot annos regnauit, non ergo Absalon quando hæc dixit Dauidi, erat quadraginta annorum. Vnde probabiliter credi potest, quòd librariorum incuria error innumero horum annorum irrepserit, & quòd propter rationes supra traditas error præfatus correctus non sit.

Dico 2. Temerarium est affirmare, hanc editionem vulgatæ, prout hic & nunc Ecclesia illa vtitur, non esse correctiorem & emendatiorem cæteris.

Explico sic dictum meum: modò extant varij codices in Ecclesia, & variæ lectiones, quarum aliæ puriores sunt alijs. esto nulla earum ità sit pura, quòd nullum defectum habeat, dico ergo, fore temerarium qui auderet dicere, nostram editionem non esse magis purgatam, & emendatam quàm omnes aliæ, quæ nunc extant. Prob. ex ipsa præfatione Bibliorum, ibi: [accipe igitur Christiane Lector eodem Pontifice summo annuente ex Vaticana Typographia veterem, ac vulgatem sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam, quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ità cæteris omnibus, quæ ad hanc vsque diem prodierunt emendatiorem, puriorem que esse minimè dubitandum.]

Si minimè dubitandum est hanc editionem esse puriorem cæteris, quæ vsque modò prodierunt, ergo tenendum hoc erit tanta certitudine, quòd temeratium sit affirmare oppositum.

§. Insuper Clemens in Bulla, quę habetur in principio Bibliorum determinat, subque grauissimis pœnis prohibet, ne aliquis sacram Scripturam Typis mandare præsumat, nisi habito priùs exemplari in Typographia Vaticana excuso, & addit: [cuius exemplaris forma ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta nisi aliquid occurrat, quod typographiæ incuriæ adscribendum sit manifestè, inuiolabiliter obseruetur.]

Quæ sanè non determinaret Pontifex, nisi iudicaret hanc nostram Vulgatam, prout hic & nunc extat, esse puriorem & sinceriorem omnibus alijs. Temerarium ergo erit asserere, eam alijs non esse puriorem.

At instabis, sequi ex verbis Pontificis, nostram Vulgatam in nulla sui parte, dictione, termino, & iota, habere aliquem defectum, quod est contra primam resolutionem nostram. Prob. sequela, nam Pontifex determinat, quòd huiusmodi exemplaris forma ne minima quidem particula de textu mutata addita, vel detracta imprimatur. ergo iudicat, non solùm hanc editionem esse alijs puriorem, sed etiam determinat, quòd in nulla minima sui parte aliquis defectus sit.

§. Ad hoc neg. cons. ad prob. nego cons. illud enim præceptum, quod librarijs imponitur, non oritur ex iudicio quo Pontifex iudicet istam Vulgatam in nulla sui parte aliquem saltim minimum habere defectum, sed oritur ex eo, quod cùm in correctione huius editionis omnis humana diligentia adhibita sit etiam puriorem alijs iudicat, & sic determinat huic omnes exemplari debere stare, esto in aliquo aliquis defectus incorrectus maneat; vel quia omnes corrigi non potuerunt, vel quia ob rationes supra in præfatione adductas aliqua, quæ mutanda videbantur immutata relicta sunt.


§. Instabis 2. si non est certum, & infallibile, quòd Editio vulgata quoad omnia, quæ continet est suæ puritati restituta, sed possumus affirmare sine temeritate aliquem defectum in ea manere incorrectum, igitur non habemus modò Scripturam autenticam, & quoad omnia, quæ contiuet canonicam, hoc autem non videtur asseuerari posse, ergo, Prob. sequela, Vulgata nostra si aliquem defectum incorrectum habet, quoad illum canonica non est, ergo si sine censura possumus asseuerare aliquem defectum incorrectum habere pariter asseuerare poterimus, nos modò non habere, Scripturam quoad omnia, quæ continet canonicam.

§. Ad hoc dist. maior: quoad illam particulam, & quoad omnia, quæ continet canonicam. Si li *quoad omnia, quæ continet* appellet supra versionem, & interpretationem, neg. maior. Si appellet super omnia verba ex quibus materialiter componitur conc. maior: & neg. min. in eodem sensu.

Etenim Concilium Tridentinum quaodo deffinit Scripturarum libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri latina vulgata editione habentur, esse sacros & canonicos, non vult deffinire, quòd in illis nullus adsit error librariorum incuria introductus, aliàs non licuisset Ecclesiæ post Concilium Tridentinum aliqua corrigere, quæ de facto correxit, sed tantùm definiuit vulgatam editionem in omnibus suis libris quoad versiones, interpretationem, & sententias esse canonicam, & autenticam. Cum quo benè stat quòd illa Scriptura, quæ autentica & canonica est, aliquem defectum habeat librariorum incuria introductum.

§. Instabis 3. in materia tam graui non licet loqui nisi ex certa scientia, at nobis non constat ex certa scientia, quod Vulgata aliquos defectus habeat incorrectos, ergo sine temeritate dici nequibit, eam aliquos defectus incorrectos habere.

§. Ad hoc neg. cons. vt enim absque temeritate illud affirmari valeat, sufficit quod de opposito nulla scientia, vel certa fides habeatur, hanc autem non haberi probauimus supra ex verbis præfationis Pontificis.



QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Pontifex possit errare in Canonizatione Sanctorum.

§. I.

Statuuntur aliqua ad quæstionem necessaria.

PRIMO aduerto, Canonizationem consistere in eo, quòd Sum. Pontifex, visis miraculis, discusa vita, & examinati, virtutibus alicuius, ipsum publicè declarat Sanctum, Cathalogo Sanctorum ascribit, eique cultum & venerationem dari mandat in tota Ecclesia.

Itàque in causa canonizationis Pontifex procedit, vt Iudex, qui iuxtà allegata & probata vltimam sententiam deffinitiuam in alicuius sanctitatis fauorem profert, à qua nulla est appellatio. Quæ autem in hac grauissima causa interueniant, doctissimè enumerat Ostiensis cap. 1. extrauag. *de reliquijs & veneratione sanctorum*, hoc ordine.

Primò adest frequens denuntiatio, vt non solùm semel, sed pluries Papæ denuntietur ille, qui pro Sancto debet declarari, vt sic multiplicatis intercessoribus largiatur, quod petitur.

Secundò causa committitur.

Tertiò commissionis impletæ, fit inquisitio.

Quartò inquisitionis factæ habetur relatio.

Quintò relationis factę habetur diligens examinatio.

Sextò examinis facti in Cardinalium Consistorio habetur discussio.

Septimò habetur secreta definitio, & determinatio.

Octauò habetur huius manifesta publicatio.

Nonò assignatur Cannnizationis dies.

Decimò præit ipsius Papæ, & omnium assistentiam genuflexio, & orationis deuotio ne Deus permittat Ecclesiam suam decipi, vel errare.

Vndecimò fit sermo, & miraculorum, ac operum misericordiæ recitatio, nec non ipsius Sancti in sanctorum Cathalogo conscriptio.

Duodecimò est Missæ in honorem Sancti celebratio. Et cantici spiritualis modulatio. Aliqua autem recentioribus decretis addita, vel parum mutata fuerunt.

5. Aduerto 2. quòd antequam veniatur ad Sancti canonizationem, duo aliquando fiunt circa eius venerationem, primum est corporis eius eleuatio, idest collocatio eius in loco decentiori, quod Ecclesia facit in aliquale testimonium suæ sanctitatis. Post eleuationem sequitur Beatificatio, idest permissio, seu facultas, quam Pontifex concedit, vt quis Sanctus dici possit. Hæc autem concessio cùm non sit vltima sententia deffinitiua de sanctitate personæ, magis & minus suscipit.

Vnde aliquando limitatur ad aliquam Prouinciam, aut locum, aliquando ad totam Ecclesiam extenditur, aliquando etiam ampliatur vsque ad collationem in Cathalogo Sanctorum. Sicuti illam ampliauit Clemens VIII. circa nostrum beatum Ambrosium Senensem, quem publico adscripsit Ecclesiæ martyrologio: Post hæc ex decreto Vrbani VIII. requiritur ad canonizationem, quod postquàm Sanctus Beatificatus est de ijs, quæ post beatificationem superueniunt fiat nouus processus, & si ad sunt miracula requiritur horum Miraculorum Iuridica informatio, relatio, acceptatio, & tandem venitur ad vltimā formam, quæ canonizatio est.

Aduerto tertiò modum istum, ità solemnem canonizandi non semper in Ecclesia obseruatum fuisse. Canonizatio enim Sanctorum antiqua in eo solùm sistebat, vt alicuius dies festus, vel memoria in Ecclesia fieret, & super corpus eius Altare erigeretur, de quo Augustinus 22. de Ciuitate Dei mentionem facit dicens. [In veneratione corporum Sanctorum, & Martyrum non erigimus altaria in quibus sacrificemus Martyribus, sed Vni Deo, & Martyrum, & nostri sacrificium immolamus.] Post hæc fieri cœpit canonizatio per inscriptionem Sanctorum in Martyrologio Ecclesiæ, quod erat canonizatum Sanctorum Cathalogo aggregare.

Hinc multiplicata sunt in Ecclesia huiusmodi Martyrologia, vt Bedæ, Odonis, Vsuardi; & quia hic modus canonizandi de facili fiebat, ideò frequenter fiebat. Quod non accidit modò, quando solemnis canoniza-

zationis ritus tot difficiles informationes requirit, quod non nisi rarò canonizationes istæ contingant.

Hic autem solemnis canonizationis ritus videtur primò incepisse à Leone Tertio, qui ad instantiam Caroli Magni Sanctum Suibertum Cathalogo sanctorum adscripsit. Postmodum Ioannes XV. S. Vdalricum in Concilio Lateranensi canonizauit anno 995. sed adhuc illo in tempore virtus Canonizationis, ità solemnis non erat, sicut modò est. Vnde existimo cœpisse hanc solemnitatem ab Alexand. III. & primum Sanctum sic canonizatum, fuisse S. Thomam Episcopum Cantuariç, qui pro Ecclesiæ immunitate defendenda martyrio coronatus est anno 1170. & postmodùm paucis annis intercurrentibus, cum innumeris miraculis clareret, eum in Sanctorum numerum retulit idem Alex. III.

§. 4. Aduerto, potestatem canonizandi Sanctos semper adfuisse in Summo Pontifice. Cùm enim canonizare sit dare sententiam vltimò definitiuam, quòd aliquis sanctus sit, à qua ad nullum tribunal datur appellatio, est necesse, quod Iudex sic definiens sit supremus omnium, aliàs si daretur alius ipso superior, appellare liceret in hac causa: supremus autem Iudex Ecclesiæ est Summus Pontifex, vnde ad illum attinet auctoritas, & potestas canonizandi sanctos. Tùm etiam quia hæc sententia definitiua intimatur toti Ecclesiæ, vt tota Ecclesia canonizatum colat, & tanquam sanctum Veneretur eum, qui canonizatur, ergo potestas, & auctoritas canonizandi tantùm debet esse in Ecclesiæ Capite, quod solùm toti Ecclesiæ intimare, & iubere potest. Caput autem Ecclesiæ est Summus Pontifex, ergo in illo solo est, & semper fuit auctoritas canonizandi.

§. Hinc patet esse falsum, quod aliqui dicunt, quondam Episcopos habuisse auctoritatem canonizandi, quod falsissimum est; nam canonizare pro tota Ecclesia tantùm spectare potest ad eum, qui legem ferre potest obligantem totam Ecclesiam, quod nulli Episcopo valet adaptari, cùm nullus super totam Ecclesiam habet iurisdictionem, sed tantùm summus Pontifex.

§. Neque huic obstat, quod dicit Petrus Damian. epist. 16. cap. 23. ad Henricum Rauennatem Episcopum, videlicet *super plurium defunctorum cadauera fuerunt altaria erecta ex Sacerdotalis consilij auctoritate*; erigere autem altare super corpus mortuum erat canonizare eum, supra cuius corpus mortuum altare erigebatur, quod & passim fiebat antiquitus ab Episcopis, ergo aderat illis auctoritas canonizandi sanctos.

§. Non inquam hoc obstat doctrinæ datæ, nam prædictæ erectiones altaris si fiebant auctoritate priuata Episcoporum particularium, non erant canonizationes simpliciter, & pro tota Ecclesia, sed tantùm secundùm quid, & pro peculiari Diœcesi; sed & hoc abstulit etiam Episcopis Alexander Tertius, & soli Pontifici reseruauit, vt patet ex cap. *audiamus* de reliquijs, & venerat. sanct. vbi Pontifex dicit, etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis eum pro sancto, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ, venerari.

§. II.

Deciditur Quæstio,

His enim animaduersis ad quæstionis lucem deseruientibus punctus præsentis difficultatis sistit in eo, an in Sanctorum canonizatione Pontifex possit errare. Circa quod quæsitum aliqui existimant, quòd licèt Pontifex de facto non erret, nempè canonizando eum, qui sanctus non sit, non tamen repugnare quin erret. Tenent hoc Glossa in cap. *de reliq. & venerat. sanct. in 6.* Felinus in cap. *Venerabilis* de testibus, Caiet. Tract. de Indulgent. tom. 5. opusc. cap. 8. Alij tenent, quòd Papa nequit errare secundùm præsentem iustitiam, benè autem secundùm æternam Dei sententiam, ex eo quòd Papa procedit ad sententiam definitiuam canonizationis iuxtà allegata, & iuridicè probata, & sic secundùm præsentem iustitiam errare non potest. Verùm quia multa falsa in re possunt iuridicè in hominum iudicio probari vera; poterit Pontifex errare secundùm sententiam Dei. Sicut non errauit Propheta, qui dixit Regi Ezechiæ *cras morieris* secundùm præsentem iustitiam, esto secundùm Dei sententiam, quæ decreuerat vsque ad alios 15. annos vitam Regis prolongare, falsum dixerit. Sic discurrit Augustinus de Ancona de potestate Ecclesiæ quæst. 14. art. 3.

Tertia sententia est eorum, qui dicunt facta canonizatione esse de fide, quod canonizatus sit in gloria, sicque esse de fide, quòd Papa errare non potest in canonizatione Sanctorum. Hanc tenet Valentia 22. disp. 1. q. 1. par. 7. §. 41. contra Cano, eam etiam probabilem reputat Torres hic dist. 16. d. 3.

Quarta sententia affirmat, esse certum Papam errare non posse in canonizatione Sanctorum, esseque temerarium, qui oppositum diceret, non tamen hæreticum; hæc sententia communiter tenetur in scholis, & absque dubio est D. Thom. in quodlibet 3. art. 16. vbi habet, [quòd canonizatio est medium inter iudicium Papæ de rebus fidei definiendo, & de particularibus factis, vt cùm agitur de criminibus, & possessionibus, & addit: quia tamen honor quem Sanctis exhibemus quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quòd neque etiam in his Ecclesia errare possit.]

Sit 1. Concl. Falsissimum est asserere, Papam errare posse in Sanctorum canonizatione. Conclusio statuitur contra primam sententiam, & prob. nam licèt in ferendis legibus particularibus, & priuatis Pontifex errare possit, non tamen errare potest in ferendo legem toti Ecclesiæ communem; periret enim regimen Ecclesiasticum, quod negare hæresis est; sed canonizatio Sanctorum secum fert legem toti Ecclesiæ intimatam de cultu, & veneratione tali Sancto danda, igitur falsissimum erit asserere, Papam errare posse in canonizatione Sanctorum.

§. 2. Cultus, & honor quem Ecclesia dat Sancto canonizato est protestatio fidei, quam Ecclesia habet de eo, quod in Cœlo sit, at

fides quam tota Ecclesia habet de eo, quòd ille quem publicè colit in Cœlo sit, deficere non potest, ergo Pontifex dum talem cultum imperat toti Ecclesiæ, etiam errare non poterit; nam si ipse erret tota errabit Ecclesia. Maior. huius discursus est D.Thom.loco proximè citato, & min. prob. ex eo, quod Ecclesia est columna, & firmamentum, contra quam nec portæ inferi praualere possunt,ergo in fide, qua credit Sanctum esse in Cœlo deficere, & errare non potest.

§. Dices, Ecclesiæ fidem errare non posse, si sit inniza testimonio diuino, vel traditioni Apostolicæ, vel definitionibus Conciliorum, errare autem posse, quando tantùm nititur opinioni hominum, & dictis eorundem. Cùmque fides qua credit hunc Sanctum, quem publicè colit, esse in Cœlo, tantùm sit innixa opinioni hominum, & eorum dictis, non debet haberi pro inconuenienti, quòd errare possit.

§. Sed contra est, nam Ecclesia non tantùm dicitur firmamentum, & columna, contra quam portæ inferi praualere nequeunt quando nititur Scripturæ sacræ, traditionibus, vel definitionibus Conciliorum, sed absolutè dicta est columna, & firmamentum, contra quam praualere nequeunt portæ inferi, ergo numquam est asseuerandum, quòd se determinet ad credendum ex solis hominum dictis, sed quando vniuersaliter credit erit affirmandum credere ex speciali assistentia Spiritus sancti. Itàque dicimus, assistentiam Spiritus sancti esse debitam Ecclesiæ quando vniuersaliter credit, etiam si hominum testimonijs, & dictis vtatur.

Quod ex eo conuincimus, quia error totius Ecclesiæ in re grauissima per se spectante ad mores est turpissimus error, in quem suam sponsam, vel dilectam vniuersaliter labi permitti à Deo posse nefas est dicere, & sic erit necessariò fatendum, illam semper in fide vniuersali specialiter regi à Spiritu sancto, sicque errare non posse etiam si hominum testimonijs ad id vtatur.

§. Quod & tenentur fateri Auctores, quos impugnamus, nam ipsi asserunt, quòd esto hominum testimonijs Ecclesia vtatur in canonizatione Sanctorum, numquam tamen errat, ergo dum sic Sanctum canonizat, & vniuersaliter credit illum esse in Cœlo, non tantùm gubernatur hominum testimonijs, sed & speciali impulsu Spiritus Sancti. Prob. conf. nam hominum testimonia non tantùm fallibilia sunt, sed de facto passim in multis falluntur, ergo si ipsa numquam fallitur, non solis testimonijs hominum vtitur dum canonizat, & vniuersaliter credit canonizatum esse in Cœlo.

§. Dices, semper assistere Ecclesiæ specialiter Spiritum sanctum, non tamen eam assistentiam esse Ecclesiæ debitam, nisi quando res definit de fide tenendas, at quòd canonizatus sit in Cœlo non est de fide tenendum, & sic Ecclesiæ canonizanti non est debita specialis assistentia Spiritus sancti.

§. Sed contra est, nam fundamentum ad asserendum, quòd de facto semper specialiter assistat Spiritus sanctus quotiescumque canonizat, & vniuersaliter credit canonizatum esse in Cœlo, non est aliud nisi, quia Christus promisit Ecclesiæ, quod portæ inferi non praualebunt aduersùs eam, sed hoc fundamentum infert etiam prædictam Spiritus sancti assistentiam esse debitam Ecclesiæ titulo fidelitatis diuinæ, qua tenetur adimplere promissum, ergo dum ex primo fatentur ei semper assistere Spiritum sanctum in canonizando, & credendo, debent quoque fateri, prædictam assistentiam esse Ecclesiæ in prædicto casu debitam.

Probo 3. Sic concl. nam à sententia vltimò definitiua, qua Pontifex Sanctum canonizat non est appellandum ad aliquam humanam potestatem, ergo si Pontifex in canonizando Sanctum errare posset, posset dari casus, in quo Ecclesia in aliquo errore esset, à quo per aliquem visibilem iudicem liberari non posset.

Hoc autem quis Catholicorum non iudicabit maximum esse inconueniens? quòd Ecclesia in re grauissima sic errare possit, vt à nulla potestate visibili ab errore possit liberari, & corrigi? asseuerandum ergo erit, Papam in canonizatione Sanctorum errare non posse, neque Ecclesiam in fide, qua credit canonizatum in Cœlo esse.

§. Confirm. hæc omnia, nam si Pontifex in canonizatione errare potest, quis est, qui sciat, quòd de facto non errarit? quomodò ergo certi erimus Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, Thom. & alios Ecclesiæ Heroes in Cœlo regnare. Sanè de eo, quod in horum canonizatione non errarit, reuelatio diuina non extat, nulla ergo infallibili certitudine affirmare poterimus eos in gloria esse; quod quis non iudicet ipsis Sanctis maximè esse iniurium? si enim, vt tradit Innocentius in cap. *Cùm Marthæ*, de celebratione Missarum, iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, quantò magis ei erit iniurius, qui eum Sanctorum Cathalogo adscriptum è numero Diuorum reijcit.

§. III.

Soluuntur Argumenta contra Conclusionem.

PRimò arguitur ex cap. *à nobis* & ex cap. 2. de sententia excommunicationis, vbi dicitur quod iudicium Dei, veritati quæ, nec fallit, nec fallitur semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ nonnumquam sequitur opinionem, quam & fallere sæpè contingit, & falli, sed in canonizatione Sanctorum Ecclesia non vtitur sacra Scriptura, traditione Apostolica, neque deffinitionibus Pontificum, vel Conciliorum, neque sanctorum Patrum intelligentijs, sed tantùm dat sententiam deffinitiuam de sanctitate personæ iuxtà allegata, & probata per dicta hominum, sequendo eorùm opinionem, ergo potest falli & fallere in canonizatione Sanctorum.

§. Ad hoc dico, caput illud loqui de legibus priuatis, non ad commune bonum Ecclesiæ, ad eius mores, (in quo debet vniformari) spectantibus, canonizatio autem Sanctorum, vt dixi spectat ad bonum commune toti Ecclesiæ, & ad vniformandum illam

ſam in cultu, & ſic non tantùm dicitur hominum opinione, ſed ſpecialiter regitur aſſiſtentia Spiritus ſancti illi debita ne erret in his, quæ ad bonum commune Eccleſiæ ſpectant.

§. Inſtabis: ſequitur ex hoc, Eccleſiam dum canonizat definire de fide, illum quem canonizat eſſe Sanctum, & in Cœlo regnare, hoc autem infra dicemus eſſe falſum, ergo. Prob. ſequela, quæ dictantur ab Eccleſia ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti illi debita, ne in eis dictandis erret, ſunt de fide definita, ergo ſi Sanctorum canonizatio dictatur ab Eccleſia ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti illi debita canonizatio erit definitio de fide.

§. Confirm. quoties Pontifex dictat aliquid ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti dictat vt Eccleſiæ paſtor, & vt docens de Petri Cathedra, nam aſſiſtentia Spiritus ſancti ſolùm eſt ei debita vt Pontifici, & vt ex Petri Cathedra docenti, non enim ei vt Doctori particulari hæc Spiritus ſancti aſſiſtentia debita eſſe poteſt, ergo ſi dum ſanctum canonizat, dictat ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti illi debita, tunc dictabit è Cathedra Petri, & ſic eius doctrina erit fidei definitio.

§. Ad hoc neg. ſequelam, ad prob. neg. ant. nam Eccleſia tantùm definire dicitur res ad fidem immediatè attinentes, quando declarat aliquid eſſe de fide, quod antea iam continebatur, vel in Scriptura ſacra, vel in Apoſtolica traditione; quod autem hæc perſona, vel illa ſancta ſit, & in gloria regnet, non continetur neque in Sacra ſcriptura, neque in traditione Apoſtolica, & ſic quamuis ad canonizandum ei ſit debita aſſiſtentia Spiritus ſancti, non tamen ſequitur quòd definiat dum canonizat rem ad fidem immediatè attinentem.

§. Ad confirm. neg. ant. non enim à Pontifice dictante ex Cathedra Petri tantùm procedunt definitiones fidei, ſed procedunt etiam aliæ definitiones, & leges toti Eccleſiæ communes, bonum eius vniuerſale reſpicientes, eſt enim vt Pontifex non ſolùm Doctor, ſed etiam Paſtor, vndè aſſiſtentia non tantùm ei debetur, vt definiat, ſed etiam vt gubernet Eccleſiam. Quando ergo canonizat non definit illum eſſe ſanctum, quem canonizat definitione rem faciente immediatè de fide, ſed alia definitione, qua declarat ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti veram eſſe ſanctitatem, quam homines teſtati ſunt eum habere, illique vt ſancto dandum eſſe cultum in Eccleſia Dei determinat.

Arguitur 2. Pontifex dum aliquem canonizat nequit certitudine infallibili ſcire, quòd ille canonizandus aliquando veram charitatem habuerit, & quod in ea de hac vita deceſſerit, ergo nequit certò informari, quòd verè ſanctus fuerit, ergo & poterit errare circa eius ſanctitatem. Prob. ant. nam citra diuinam reuelationem nemo poteſt certè ſcire, ſe vel alium à ſe diſtinctum habere, vel habuiſſe charitatem, cum Eccleſiaſt. 9. ſic ſcriptum: *nemo ſcit vtrum odio, vel amore dignus ſit*, ergo neque teſtes, qui deponunt in informatione ſanctitatis alicuius, certò ſcire poſſunt eum charitatem, & gratiam habuiſſe, & in ea de hac vita deceſſiſſe, neque Pontifex poterit hoc ſcire, quando eum canonizat.

§. Ad hoc dicitur, quòd licèt Pontifex de præfatis ſcientiam à priori habere non poſſit, habet tamen ſcientiam à poſteriori per bona opera, quæ illum feciſſe conſtat, videlicèt eleemoſynas, ieiunia, pœnitentiam, orationem continuam, humilitatem, & alia huiuſmodi per quæ à poſteriori, quis probari poteſt habuiſſe charitatem dum viueret, nam exhibitio boni operis eſt probatio dilectionis.

§. Sed contra iuſtas, nam de iſtis bonis operibus maiorem ſcientiam habet ille, qui ea operatur, quàm habeant alij de ipſo, at iſta non ſufficiunt, vt quis cognoſcat certò ſe eſſe in gratia, ergo neque ſufficient, vt alij certò iudicent de illo, gratiam habuiſſe. Secundò prædicta opera communia ſunt bonis, & malis, poſſunt enim fieri benè, & malè, & multoties facta inueniuntur à multis ſeductis à dœmone, ergo in foro externo, & iudiciali nequeunt certam ſcientiam à poſteriori dare de eo, quod ille qui ea fecit habuerit charitatem.

§. Dices, iſta non ſufficere, niſi veris miraculis fuerint comprobata, ad hoc enim miracula requiruntur ad canonizandum aliquem, vt per illa eius ſanctitas comprobetur. Prætereà ſunt aliqua opera, quæ malos diſcernunt à bonis, nempè opera lege prohibita, à quibus ſi quis probetur immunis, & probetur in bonis operibus vitam egiſſe, certa ſcientia haberi poterit de eo, quòd in charitate fuerit.

§. Sed contra primum ſic argumentor, nam ipſe qui miracula facit, eſto ſic ſe cognoſcat miracula facere, ſi tamen reuelationem non habeat, non poteſt habere certam ſcientiam de eo, quòd iuſtificatus ſit, ergo neque alij ſecluſa reuelatione, eſto miracula videant, poſſunt certò iudicare eum, qui talia miracula fecit fuiſſe in gratia, & charitate. Contra ſecundum procedo ſic: nam Paulus dicebat: *Nihil mihi conſcius ſum*, & in bonis operibus ſe exercebat, & tamen non habebat certam ſcientiam de ſua iuſtificatione vndè clamabat, *& tamen in hoc iuſtificatus non ſum*, ergo exercitium bonorum operum, & abſtinentia ab operibus lege prohibitis, non ſufficiunt ad certam ſcientiam habendam de gratia iuſtificante, & charitate.

§. Ad hoc argum. benè dictum eſt, inquit enim Chriſtus Matth. 7. *à fructibus eorum cognoſcetis eos*. Ad 1. replicam in contrarium dico, perſonæ priuatæ non deberi aſſiſtentiam Spiritus ſancti ad iudicandum de propria ſanctitate, vel de aliena. Deberi autem ſummo Pontifici, & ſic poteſt quis in propria cauſa, & aliena errare, non verò ſummus Pontifex vel Eccleſia, ad quam ſpectat huiuſmodi iudicium. Ad 2. fateor, prædicta opera vtpote bonis, & malis communia non diſcernere veram ſanctitatem à falſa in eis, qui vt homines priuati iudicant, diſcernere autem poſſe in ſummo Pontifice, cui aſſiſtentia Spiritus ſancti eſt debita ne in huiuſmodi errare poſſit. Propter hanc etiam rationem ille, qui miracula facit, nequit certa ſcientia cognoſcere, ſe habere charitatem, ſecluſa reuelatione, neque ſimiliter per abſtinentiam ab operibus lege prohibitis. Certò iudi-

iudicare potest se esse iustificatum, quia ad sic iudicandum specialis Spiritus sancti assistentia ei data non est, neque deberet: benè autem Pontifex certò iudicare poterit, quia illi specialis assistentia Spiritus sancti est promissa ne erret, cùm aliquid ad bonum commune toti Ecclesiæ determinat. Doctrinam quam tradimus inuenimus in D. Thom. quodlib. 9. art. 16. ad primum; ibi: [dicendum, quòd Pontifex cuius est canonizare sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus sancti, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei, & ad 3. dicendum, quòd diuina prouidentia præseruat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.]

Arguitur 3. ex illo communi dicto quod Augustino tribuitur, [multa corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna,] ergo errauit de facto Ecclesia in canonizatione eorum de quibus loquitur Augustinus.

§. Ad hoc de facili respond. ibi non loqui Augustinum de corporibus canonizatorum, neque ad hos aliquid cogit loquutionem Augustini extendere, sed loquitur de viris illustribus, qui in seculo vt magni celebrantur quorum animæ in gehenna torquentur. Præterquamquod eleuatio corporum, idest locatio in loco decentiori vt aliquo speciali honore colantur (vt supra vidimus) non est canonizatio, sed prima dispositio ad canonizationem, vnde ex honore, qui in terris datur corporibus non fit infallibile, eos esse sanctos, & in Cœlo regnare, & sic de his locum habere potest Augustini sententia. Præterquam quòd tale dictum ex Augustino probari non potest, quia in eius operibus non extat, vt post accuratissimam diligentiam compertum est.

§. IV.

Statuitur secunda Conclusio.

DIco 2. falsò dicitur, Papam in Sanctorum canonizatione posse errare non quidem secundùm præsentem Iustitiam, benè verò secundum Dei sententiam. Hæc conclusio patet ex præcedenti, rationes enim quas ibi fecimus efficaciter probant, in canonizatione Sanctorum Papam errare non posse etiam secundùm Dei sententiam. Prob. 2. auctoritate D. Thom. proximè adducta ex solutione ad primum, ponderando illa verba, [& præcipuè per instinctum Spiritus sancti, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei,] ergo Spiritus sanctus dirigens Pontificem ne erret in canonizatione Sanctorum, non tantùm dirigit eum ne erret iuxtà præsentem iustitiam, sed etiam dirigit ne erret iuxtà Dei sententiam, quæ latet in profundo Dei.

§. Prob. 3. ratione, nam Pontifex canonizans, non tantùm nititur dictis hominum, qui attestantur in informatione de sanctitate canonizandi, sed præcipuè nititur instinctu Spiritus sancti, ergo non solùm secundùm præsentem iustitiam errare non potest, verùm neque secundùm Dei sententiam. Prob. conseq. nam illa specialis assistentia, non requiritur, neque datur ei ne erret secundùm præsentem iustitiam, etenim ad iudicandum iuxtà allegata, & probata hæc specialis assistentia Spiritus sancti non requiritur, ergo datur ne erret secundùm Dei sententiam. Prob. ant. ad non errandum secundùm præsentem iustitiam sufficit scientia legum, & requisitorum ad aliquam sententiam ferendam, quam vnusquisque Iudex debet habere, vt se intromittat in ferendo iudicio in causis hominum, ergo ad non errandum secundùm præsentem iustitiam non requiritur specialis assistentia Spiritus sancti.

§. Prob. 4. si Pontifex errare potest iuxtà Dei sententiam, cùm Dei consilia nobis ignota sint, quis scire poterit, quòd vsque modò non errauerit, & quis dicere poterit, quòd Ecclesia modò non colat miseros, qui torquentur in gehenna? ad hoc enim non asseuerandum, non sufficit scire, quòd secundùm præsentem iustitiam errare non possit, cùm enim iudices condemnant reos iuxtà allegata, & probata, non errant secundùm præsentem iustitiam, & tamen aliquos subindè in re innocentes condemnant ad mortem, quod & nobis dicere, & affirmare licet; si ergo Papa tantùm errare non potest iuxtà præsentem iustitiam, sine temeritate dici poterit multoties errasse, & canonizasse peccatores.

§. Prob. 5. Pontifex canonizans aliquem, toti Ecclesiæ legem ponit de eius cultu, & veneratione, ergo si tantùm errare non potest secundùm præsentem iustitiam, exponit Ecclesiam periculo colendi, & celebrandi eum, qui in inferno ob sua torquetur crimina, à quo intolerabili errore Ecclesia liberari non poterit, nisi aliqua Dei miraculosa reuelatio fiat, qua sententiam suam circa illius canonizati qualitatem, exprimat, quod quidem intolerabile est.

Contra hanc concl. arguit Augustinus de Ancona, nam dum Pontifex aliquem canonizat, eo tantùm modo sanctum esse canonizatum iudicat, quo modo nouit eius sanctitatem attestari per informationem factam, examinatam, & approbatam, at prædicta certitudo, quæ colligitur de tali persona ex informatione facta, examinata, & approbata, tantùm est certitudo fidei humanæ, ergo tantùm iudicat esse s nctum iudicio certo certitudine humana, ergo ad summum errare non poterit secundùm præsentem iustitiam, non verò secundùm Dei sententiam. Maior. prob. nam in canonizatione tantùm procedit, vt iudex in foro iudiciali, ergo tantùm iudicat de sanctitate, iuxtà allegata, & probata in informatione vitæ canonizandi; Minor etiam patet, nam informatio prædicta tantùm constat dictis hominum attestantium opera bona, miracula, & alia similia, ergo tantùm dare potest certitudinem fidei humanæ.

§. Confirm. auctoritate Augustini super illud Psal. 42. *Iudica me Deus*, vbi habet, quòd difficile est purgatam vitam alicuius inueniri, quia si iam probabilis est vita eius inter homines, vt non habeant, quòd reprehendant homines iustè, inuenit tamen in homine,

ne, quid reprehendat Deus, qui nouit ad liquidum, & purum iudicare, ergo si Papa in canonizatione tantùm hominum iudicio regitur, tantùm errare non poterit secundùm præsentem Iustitiam, non verò secundùm Dei sententiam.

§. Ad hoc argum. neg. maior. Ad prob. dist. ant. tantùm procedit, vt Iudex in foro iudiciali protectus speciali impulsu Spiritus sancti, conc. ant. sibi soli relictus vt homini, neg. ant. & conseq. Itaque vt iam vidimus Papa in canonizando non regitur tantùm attestatione hominum, sed præcipuè regitur, & gubernatur instinctu Spiritus sancti, ne errare possit.

§. Instabis, ergo erit immediatè de fide, quòd hic Sanctus canonizatus sit verè sanctus, & sit in gloria. Prob. conseq. nam iudicium, quod nititur dicto Pontificis tantùm ex instinctu, & impulsu Spiritus Sancti prolato est de fide immediatè, ergo.

§. Ad hoc neg. con. Ad prob. dist. ant. si sit in materia fidei conc. ant. si non sit neg ant. & conf. Dixi enim supra, quod ea tantum est materia fidei, quæ est reuelata diuinitus, vel verbo scripto, vel tradito ab Apostolis. Vnde tunc tantum iudicium prolatum à Pontifice ex instinctu Spiritus Sancti est de fide, quando cadit supra id quod à Deo est reuelatum verbo scripto, vel tradito. Hunc autem hominem canonizatum esse verè sanctum non est reuelatum, neque verbo scripto, nec tradito, & sic Papæ iudicium, quamuis procedat ex impulsu Spiritus Sancti, non facit propositionem de fide.

§. Instabis, hoc ipso quod Papa aliquid dictat ex instinctu Spiritus Sancti dictat id quod tunc ei reuelatur, quamuis antecedenter reuelatum non fuerit, ergo si Pontifex canonizans dictat illum, quem canonizat esse sanctum ex instinctu Spiritus Sancti, non est per modum reuelationis dictantis interiùs, quid verum sit, sed tantùm est per modum prohibentis Papam ne hominum falsam informationem sequatur, & falsum iudicium proferat. Vnde si contingat sinistram informationem fieri, & vt veram acceptari, non tamen sinet Deus Papam prædictum de quo sinistra informatio præcessit canonizare.

§. Ad confirm. dico, quòd esto difficile sit purgatam vitam alicuius reperiri ab hominibus qui falli possunt, non tamen hoc est difficile sum. Pontifici, qui in proferendo iudicio de sanctitate alicuius regitur, & gubernatur instinctu Spiritus Sancti, ne in prædicto iudicio errare possit.

§. V.

Statuitur tertia Conclusio.

Dico tertiò non est immediatè de fide, hunc hominem canonizatum esse verè sanctum, & in cœlo regnare. Conclusio statuitur contra Auctores tertiæ sententiæ Probatur, quæ auctoritate Diui Thomæ in quodlibet adducto, vbi in corpore postquàm docuit quòd summus Pontifex non possit errare in his quæ definit esse de fide, posse autem errare in alijs sententijs, quæ ad particularia facta spectant, vt cùm agitur de possessionibus, aut de criminibus, vel de alijs huiusmodi subdit: *Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo*, ergo sentit non esse de fide id quod Pontifex determinat de persona canonizati circa eius sanctitatem.

§ Ratione etiam probatur conclusio nam ad hoc quod aliquid sit de fide per se requiritur, quòd sit testificatum à Deo, si quidem ratio formalis fidei debet esse prima veritas reuelans, sed quòd canonizatus à Pontifice sit verè sanctus, & sit in gloria, non est attestatum à Deo neque verbo scripto, neque verbo ab Apostolis tradito, ergo non est de fide immediatè tenendum, illum verè esse sanctum, & verè regnare in Cœlo.

§. Dices huic rationi, maiorem esse falsam vniuersaliter intellectam, nam licèt Pontifex definiret aliquid quod in sacra Scriptura non esset, nec in verbo tradito ab Apostolis, talis propositio definita esset de fide, nam quod per se facit illam esse de fide est, quòd procedat à Summo Pontifice ex speciali instinctu Spiritus Sancti, cùmque hoc ipso quòd Pontifex definit, res definita ab illo sit à speciali Spiritus Sancti instinctu, sit inde, quòd esto reuelata antea non sit verbo scripto vel tradito, de fide tamen sit habenda. Vnde esto, quod sanctum esse eum quem Pontifex canonizat, reuelatum non sit à Deo, tamen quia hoc à Papa dicitur ex speciali Spiritus Sancti instinctu, sit inde, quod de fide sit.

§. Sed contra hanc doctrinã militat doctrina D.Thom. hìc quæst.1. art,1. ibi: *non enim fides de qua loquimur assentit alicui, nisi quod à Deo reuelatum est*, ergo nihil quod à Deo reuelatum non sit, vel Scriptura, vel verbo tradito immediatè de fide poterit.

§. Nec valet dicere, quòd illa specialis assistentia Spiritus Sancti, vi cuius Papa definit, sit reuelatio. Non inquam valet, nam si reuelatio esset, nouam fidem Papa dum definit conderet, & sic fides augeretur, non solùm quoad explicationem, sed etiam quoad substantiam, cuius oppositum docet D. Thom. hic quæst.1.art.7. his verbis: [dicendum, quòd quantùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè, sed quantum ad explicationem creuit numerus articulorum, quia quædam explicitè, cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Vnde dicit Dauid, super senes intellexi.] Ex quibus constat Papam non condere nouam fidem cùm definit, sed tantum declarare aliquid esse de fide, quod iam de fide erat secundùm se sed non quoad nos. Vt autem aliquid esset de fide secundùm se, oportebat necessariò, quòd à Deo esset reuelatum. Cùm ergo hunc hominem canonizatum esse verè sanctum, & regnare in Cœlo, à Deo reuelatum non sit, esto Pontifex illum ex speciali instinctu Spiritus Sancti canonizet, non sequitur quòd de fide immediatè sit illum esse verum sanctum.

Respondebis secundò rationi à nobis factæ neg. min. est enim reuelatum, quòd quotiescumque Papa canonizat, ritè canoni-

tum

zat, nam nos dicimus canonizare ex impulsu, & assistentia Spiritus Sancti, est etiam reuelatum Papam habere auctoritatem ad canonizandum, & etiam est de fide quod quotiescumque Ecclesia ritè vtitur hac auctoritate non errat; ergo erit etiam de fide quemcumque canoniaatum à Papa esse ritè canoniaatum, ac per cons. quòd sit verè sanctus, & in Cœlo regnet.

§. Sed contrà hoc est, nam esto reuelatum sit, quòd Pontifex habeat auctoritatem ad canonizandum, & etiam reuelatũ sit quòd quoties hac auctoritate vtitur ritè canonizat, & esto reuelatum sit, quòd omnis qui à Papa canonizatur ritè canonizetur, non tamen est reuelatum, quòd ritè canoniaatus, verè sanctus sit, & in Cœlo regnet, ergo ex discursu facto non sequitur esse de fide, hunc hominem canoniaatum esse verè sanctum, & verè esse in cęlo. Probatur ant. nam potestas data Pontifici ad canonizandum non est potestas data ad definiendum de fide eum qui canoniaatur esse sanctum, sed tantùm est potestas data ad iudicandum de sanctitate canonizandi per informationem factam ex dictis hominum, ex speciali assistentia Spiritus sancti ne Papa sequatur sinistram informationem ne in iudicio, quod facit subsit aliquis error, ergo quantumuis sit de fide Papam habere auctoritatem ad canoniaandum, & sit etiam de fide quòd quoties vtitur hac auctoritate verè canonizat, & sit etiam de fide quòd quotiescumque canoniaat ritè canonizat, & sit etiam de fide, quòd quotiescum; canoniaat ritè canonizet, non tamen est reuelatum, & de fide quod ritè ab Ecclesia canoniaatus sanctus sit, & in cęlo regnet.

§. Dices, hanc doctrinam veram esse non posse, quia ex illa sequitur, non solùm non esse de fide hunc sanctum in particulari canoniaatum esse verè sanctum, & in cœlo regnate, verùm etiam non esse de fide, hominem ritè ab Ecclesia canonizatum esse verè sanctum, & in cœlo regnare, cons. videtur absurdum, ergo. Probatur sequela, nam iuxta doctrinam datam potestas data Ecclesiæ ad canonizandum non est potestas data ad definiendum canonizatum esse verè sanctum, & regnate in Cœlo, ergo hæc propositio non erit de fide, homo ritè canoniaatus est verè sanctus, & regnat in Cœlo.

§. Sed hanc solutionem impugno, eneruando vim eius per negationem Minoris, existimo enim non solùm non esse de fide immediatè hunc hominem canonizatum esse verè sanctum, & in Cœlo regnare, sed etiam illam indefinitam, ritè canonizatus est verè Sanctus, & in Cęlo regnat non esse de fide. Tum quia, cùm Papa canonizet ex speciali instinctu Spiritus Sancti non eo aliquem à Papa canoniaari, & non ritè canoniaari, vnde si illa esset de fide ritè canoniaatus est verè sanctus, & regnat in Cęlo, etiam esset de fide ista, hic homo canonizatus est Sanctus, & in Cœlu regnat, cùmque negem hanc esse de fide, debeo quoque negare illam indefinitam esse de fide. Neque est idem de hostia ritè consecrata circa continentiam Corporis Christi, & de hac Hostia consecrata circa eandem continentiam, quarum prima est de fide, non verò secunda. Cuius ea est ratio, quia de fide est quod quotiescumque quis ritè consecrat, Corpus Christi sub speciebus hostiæ ponat, sed nõ est de fide, quod quoties consecrat ritè cõsecret, cum ad ritè consecrandũ non sit ei debita assistentia Spiritus sancti. Ad hoc autem vt Papa canoniaet est ei debita assistentia Spiritus Sancti, & sic quotiescumque canonizat. Vnde si hæc esset de fide, ritè canonizatus est Sanctus, esset etiam de fide ista, hic canonizatus est Sanctus.

§. Moueor secundò ad theologiaandum sic, nam Papa, etiam quando ritè canonizat non definit eum, qui canoniaatur esse Sanctum, ergo nequit esse de fide quòd ritè canonizatus verè sanctus sit. Ant. quamuis negetur ab auctoribus quos in conclusione proposita impugno, conceditur tamen ab Arauxo, & aliis, qui dicunt hanc indefinitam, *ritè canonizatus est Sanctus* esse de fide, qui meo videri inconsequenter loquuntur, dum ex vna parte dicunt, Papam dum ritè canoniaat non definire esse sanctum eum, quem canoniaat, & quòd quotiescumque canonizat speciali instinctu Spiritus Sancti regatur ne erret, & tamen dicunt illam indefinitam esse de fide, nempè *ritè canonizatus est Sanctus*, istam autem singularem *hic homo canonizatus est Sanctus* negant esse de fide. Si enim Papa quoties canoniaat, speciali Spiritus Sancti instinctu regitur ergo quotiescumque canonizat ritè canonizat, ergo si illa indefinita est de fide *ritè canonizatus est Sanctus*, etiam hæc singularis erit de fide, *hic homo canonizatus est sanctus*.

Secundò nam nihil est de fide nisi procedat à Papa vt definiente, sed secundùm Arauxo canonizatio etiam dum ritè fit à Papa, vt definiente non procedit, ergo non erit asseuerandum hanc indefinitam *ritè canonizatus est Sanctus*, esse de fide.

§. Posset aliquis respondere, Papam non habere sibi debitam assistentiam Spiritus Sancti ad hunc sensum, quod quotienscumque canonizat, semper ex speciali instinctu canonizat, ex speciali instinctu Spiritus Sancti canonizet, & sic hæc vniuersalis erit de fide *quotiescumque aliquis ritè canonizatur, est verè sanctus*, non verò hæc singularis, *hic homo canonizatus est sanctus*. Sed hoc dici nequit in fauorem Arauxo, qui expresè sentit, esse temerarium asserere, Papam errare posse in canonizatione alicuius personæ; eo quod regitur, & gubernatur impulsu Spiritus Sancti; est etiam contra S. Thom. quodlibet citato, vbi dicit, Papam in canoniaatione huius, vel illius personæ præcipuè inniti instinctui Spiritus Sancti, est etiam contra rationes quibus supra probauimus hoc ipsum: quas non oportet iterato repetere. Concedamus ergo, hanc propositionem, *homo ritè canonizatus est sanctus* non esse de fide, Sicut neque hæc est de fide *hic homo canonizatus est sanctus*, vtraque tamen est ita certa quod asserere oppositum temerarium sit, & impium.

§. VI.

§. VI.

Soluuntur argumenta contrà Conclusionem.

Primò arg. nam Pontifex in canonizatione Sanctorum procedit definiendo, ergo facit de fide, quod is qui canonizatur sit sanctus.

Prob. ant. ex Bulla canonizationis Sancti Francisci de Paula, edita è Leone X. vbi Leo definit, S. Franciscum esse sanctum. Verba Bullæ sunt hæc: [Ad honorem Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad exaltationem fidei catholicæ, Christianæque religionis augmentum, ac Ordinis Minimorum consolationem, & incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, Beatorumque Petri, & Pauli Apostolorum eius, & nostra, de Fratrum nostrorum speciali consilio, & assensu decernimus, & definimus, Bonæ memoriæ Franciscum de Paula eiusdem Ord. Minim. Institutorem in cœlesti Ierusalem inter Beatorum Choros iam receptum, æternæque gloriæ condonatum fuisse, ac Sanctorum Confessorum cathalogo adscribendum fore, ipsumque huiusmodi cathalogo in præsentiarum adscribimus, & eum tanquam sanctum publicè, priuatimque colendum esse declaramus.] ergo Pontifex in Sanctorum canonizatione procedit definiendo.

§. Confir. hoc nam in Concilio Constantiensi sess. 8. damnata est 44. propositio Vvicleph, quæ adstruebat. Augustinum, Benedictum, & Bernardum esse damnatos, eo quod admiserint terrenas possessiones; quod si non esset de fide prædictos sanctos verè esse in gloria, non posset damnari, vt hæresis dogma oppositum.

§. Ad primum dico, illud verbum *definimus* non accipi ibi pro definitione fidei, sed pro sententia vltimò definitiua, gerit se enim Pontifex, vt Iudex via iuridica procedens, iuxta allegata, & probata in causa canonizationis, & sic definire dicitur, idest dare sententiam vltimò definitiuam, à qua non sit appellatio.

§. Ad 2. dico, illam propositionem esse damnatam in vi causalis, est enim illa causalis hæretica, videlicet prædictos Sanctos esse damnatos propterea, quod possessiones terrenas admiserint, cùm de fide sit multas Religiones esse perfectissimas, quæ tamen ex proprijs possessionibus viuunt. Vel dicatur non omnes propositiones, quæ ibi damnantur: damnari vt hæreticas, sed alias vt hæreticas, alias vt impias, alias vt temerarias, alias vt scandalosas, inter quas fortè est vna ea qua refertur, quæ damnatur vt impia, temeraria, & scandalosa.

Arguitur secundò nam secundùm Diuum Thomam quodlibet adducto, cultus Sanctorum est quædam fidei protestatio, qua Ecclesia credit gloriam sanctorum, ergo canonizatio, quæ toti Ecclesiæ legem ponit de cultu sanctis ab ipsa canonizatis exhibendo, faciet de fide, prędictos sãctos esse in gloria. Insuper iudicium quòd Papa format de sanctitate personæ ab ipso canonizatę, est ita certum, quod illi nullo modo potest subesse falsum, esset enim error intolerabilis, proponere Ecclesiæ aliquem hominem damnatum colendum, vt sanctum. Insuper Ecclesia in ferendis legibus toti Ecclesię communibus est columna, & firmamentum, ergo in illis errare non potest, ergo dum proponit toti Ecclesiæ sanctum vt colendum, errare non potest, ergo facit de fide, quòd canonizatus sit verè sanctus.

§. Ad hoc Argum. nego, quòd D.Th. dixerit, cultum esse protestationem fidei qua Ecclesia credit gloriam sanctorum in communi, dari enim sanctos in Cœlo regnantes de fide est, habetur enim apud S. Paulum ad Hebræos 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, & hi omnes testimonio fidei probati sunt.* De multis etiam alijs viris sanctis fit commemoratio à cap. 45. Ecclesiastes vsque ad 49. tantum ergo vult D. Th. quod Ecclesia dum colit sanctos canonizatos, profitetur fidem quam ipsa habet de eo quod sancti sint, & in gloria regnant, quæ tamen fides diuina non est, eò quòd circa materiam fidei non versetur, cum ea solùm materia sit fidei diuinæ, quæ vel reperitur Scriptura, vel in Apostolica traditione; quod non conuenit canonizationi Sanctorum, vtpotè quæ non versatur circa materiam reuelatam à Deo.

§. Ad 2. prob. fateor, quòd Iudicium, quod format Pontifex de eo quem canonizat, quòd in Cœlo sit, ita certum sit, quod ei non possit subesse falsum, nec tamen hoc facit illud iudicium esse de fide diuina, tum quia ipse non credit fide diuina, quòd prædicto Iudicio falsum subesse non possit, sed tantùm fide humana infallibili tamen. Tum etiam, quia ipse Pontifex benè scit, se non definire de fide, esto certò iudicet illum hominem esse sanctum. Tum etiam, quia non est iudicium de re à Deo reuelata, sed tantùm est de re in qua ne ipse errer in determinando, protegitur speciali impulsu Spiritus sancti fateor, etiam forè intolerabilem errorem, si Papa proponeret Ecclesiæ adorandum pro sancto eum qui damnatus esset, ideòque ne hoc contingat asserimus, esse debitam assistentiam Spiritus sancti protegentis eum ab errore.

§. Ad vltimam dico, Ecclesiam in ferendis legibus toti Ecclesiæ communibus esse columnam, & firmamentum, non sic quòd de fide faciat id circa quod leges ponit, sed ne erret in illis ferendis.

Arguitur 3. Iudicium, quod Ecclesia habet de sanctitate canonizati quem colit, est iudicium fidei infallibilis, ergo est iudicium fidei diuinæ.

Prob. cons. nam fides humana nequit reddi infallibilis; quod enim essentialiter fallibile est, participare infallibilitatem non potest, sicut illud quod essentialiter est malum nulla circumstantia adueniente porest fieri bonum, vt patet in mendacio, Adulterio, furto, &c. ergo si præfatum iudicium est infallibile, erit necessariò iudicium fidei diuinę.

§. Quod sic confirmo, quia propositio probabilis essentialiter formidolosa est, nequit eleuari ad certitudinem, esto associetur alteri præmissæ de fide, quæ summè certa est, vndè syllogismus procedens ex vna de fide, & altera probabili nequit inferre conclusionem, quæ probabilis non sit, quia præmissa pro-

babilis incapax eſt habendi certitudinem, eſto alteri pręmiſſæ de fide ſit aſſociata, & ſic concluſio cùm debeat ſequi debiliorem partem, debet neceſſariò eſſe tantùm probabilis, ergo quia fides humana eſſenrialiter eſt fallibilis, nequibit ex aliqua circumſtantia reddi infallibilis.

§. Ad hoc nego conſ. Ad prob. diſt. ant. fides humana, quæ purè humana eſt, id eſt quę tantum nititur teſtimonio hominum, nequit reddi infallibilis, conc. ant. fides, quæ purè humana non eſt, ſed præcipuè nititur impulſui ſpeciali Spiritus ſancti nequit reddi infallibilis, neg. ant. & conſ. Itaque hic oportet diſtinguere duplicem fidem humanam, aliam quæ purè nititur dictis hominum, & hæc cùm eſſentialiter fallibilis ſit, infallibilis reddi non poteſt ſicut, & illud quod eſſentialiter eſt malum honeſtè fieri nequit, ſi liberè fiat; alia in qua credens dictis hominum, regitur Spiritu ſancto ne iuxta fallibilitatem dictorum humanorum ipſe quoque falli poſſit, & iſta purè humana non eſt, ſed ſapit diuinitatem, nec tamen eſt perfectè diuina, quia diuino teſtimonio non credit, qui ſic credit, & talis fides infallibilis eſt. Et iſta fide humana Pontifex credit eum quem canonizat eſſe ſanctum, & ſimiliter Eccleſia dum eum colit vt ſanctum.

§. Ad confir. diſt. conſ. loquendo de fide humana purè humana conced. conſ. de illa quæ purè humana non eſt, nego conſ. Itaque præmiſſa probabilia dum à Theologo aſſumitur, ſimul cum alia de fide ad inferendam concluſionem aliquam, eleuari nequit ad infallibilem certitudinem, quia Theologia, quæ illam aſſumit etiam infallibilis non eſt, & ſic præmiſſæ à ſe aſſumptæ infallibilitatem communicare nequit. Spiritus autem ſanctus regens Papam ne ſequendo hominum teſtimonia erret, ſummæ infallibilitatis eſt, & ſic reddere poteſt tale iudicium infallibile. Pro cuius diſparitatis euidentia, aduertendum, quòd dum Theologi dicunt, præmiſſam naturalem ſimul cum præmiſſa de fide concurrere, vt eleuatam ad aſſenſum Theologicæ concluſionis, qui ſupernaturalis eſt, fundantur in eo quòd Theologia, quæ aſſumit talem præmiſſam ſupernaturalis eſt, & effectum concluſionis ſupernaturalis efficere prætendit, & ſic deriuat ex ſe quandam vim ſupernaturalem ad dictam præmiſſam: ſicut dum artifex vtitur ſerra ad faciendum ſcamnum, deriuat in eam quandam vim artefactiuam ex arte ſua, & ſic talis præmiſſa eleuari dicitur ad ordinem ſupernaturalem.

Similiter cum Theologus aſſumit quandam propoſitionem naturalem euidentem, & aliam de fide, vt eliciat quandam concluſionem ſcientificam, deriuat in talem præmiſſam naturalem quandam maiorem certitudinem ea quam ipſa præmiſſa naturalis habet ex ſe, & hoc ideò, quia Theologus vtens tali præmiſſa eſt Theologus ſciens, & Theologia ſcientia ſuperat in certitudine omnem ſcientiam purè naturalem: dum autem Theologus aſſumit præmiſſam probabilem ad inferendam concluſionem tantum probabilem, non procedit vt ſciens, ſed tantum vt opinans, opinio autem infallibilis non eſt, & ſic præmiſſæ probabili infallibilitatem dare nequit. Ex quo euidenter infertur, illam præmiſſam probabilem aſſumptam à Theologo non concurrere ad aſſenſum concluſionis, vt infallibilem, ſed tantum vt formidoloſam, & ſic concluſio illata pariter formidoloſa eſt. At verò cum Spiritus ſanctus regit Pontificem ſpeciali impulſu, ne ſequendo opinionem hominum errare poſſit, iudicium eius infallibile reddit, quia ſummæ infallibilitatis cum ſit, cum infallibiliter protegit, ne ſequendo dicta hominum in falſitatem incidat, ſed tantùm iudicet ſecundùm hominum teſtimonium, quando in re verum eſt quod atteſtantur, quando autem fuerit falſum abſtineat à iudicio.

Arguitur 4. quando Pontifex definiendo declarat aliquid eſse de fide, illa declaratio, vt exit à Pontifice non eſt magis infallibilis, quàm ſit declaratio ſanctitatis eius, qui canonizatur, at prima eſt infallibilis infallibilitate fidei diuinæ, ergo & 2. erit infallibilis infallibilitate fidei diuinæ. Conſ. videtur bona, & maior prob. etenim Papa dum definiendo declarat aliquid eſse de fide, non habet nouam reuelationem, ſed tantùm regitur à Spiritu ſancto, ne erret in declarando aliquid eſse de fide, quod de fide non ſit, ſed eodem prorsùs modo, dum aliquem canonizando ſanctum eſse declarat, ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti regitur, ne erret in declarando ſanctum eum, qui ſanctus non eſt, ergo vtraque declaratio eadem, & non maiori infallibilitate gaudet.

§. Ad hoc argu. neg. maior: Ad prob. diſt. maior: ita quòd in tali declaratione Pontifex regatur à Spiritu ſancto conc. maior: ita quod hoc ſit certum certitudine inferiori, certitudine fidei neg. maior: & diſt. min. ita quod ſit certum, quòd in declaratione ſanctitatis Pontifex errare non poteſt certitudine fidei neg. min. alia certitudine inferiori, conc. min. & neg. conſ. Itaque dum Papa definit aliquid de fide; eſt certum certitudine fidei, quod regitur à Spiritu ſancto, ne errare poſſit, & ſic propoſitio definita eſt de fide, dum autem declarat ſanctitatem, à Spiritu ſancto regitur ne erret, ſed hoc non eſt certum de fide, & ſic talis declaratio rem declaratam non facit de fide.

Arguitur 5. Sum. Pontifex declarat verum eſse, canonizatum eſse ſanctum ſic quod in Dei ſcientia, & iudicio oppoſitum non inueniatur, ergo facta declaratione innoteſcit nobis Dei ſententia, & Dei conſilium circa ſanctitatem canonizati. At hoc nequit haberi, niſi per reuelationem, igitur Pontifex dum determinat de ſanctitate alicuius canonizati, habet Dei reuelationem.

§. Ad hoc diſt. conſ. innoteſcit nobis Dei ſententia, & Dei conſilium circa ſanctitatem canonizati, notitia certa certitudine fidei neg. conſ. certitudine ita magna, quòd oppoſitum non poſſit eſse verum, ſit omninò erroneum, & temerarium, conc. conſ. & neg. min. ſubſumptam. Itaque cùm non ſit certum de fide Papam errare non poſse in canonizatione ſanctorum, ſed tantùm ſit ita certum, & infallibile, quòd oppoſitum ſit falſum, temerarium, impium, & ſcandaloſum, ita notitia quam habemus de ſanctitate canonizati, quòd ſecundùm Dei ſententiam, &

non

non tantùm secundùm dicta hominum verè sit sanctus, non est notitia de fide, sed tantùm est ita certa, quòd oppositum sit falsum, temerarium, impium, & scandalosum. Ad sciendum autem hac certitudine, quòd canonizatus sanctus sit, etiam secundùm Dei sententiam, & consilium, non est necesse, quod adsit de hoc reuelatio, sed tantùm requiritur, quod sit certum certitudine dicta, quòd Pontifex errare non potest in ferendis legibus toti Ecclesiæ communibus, vel in acceptando, vt sanctum eum, qui canonizetur. In quo discrimen assigno inter definitionem de fide, & declarationem sanctitatis: etenim de fide est, quòd Papa in determinando aliquid de fide errare non potest, & sic de fide est, quod id quod definitur verbo sacro scripto, vel tradito continetur, & hoc non secundùm opinionem hominum, sed etiam secundùm sententiam Dei: vndè posita definitione alicuius propositionis de fide innotescit nobis de fide Dei consilium circa fidem talis propositionis. Cùm autem Pontifex declarat aliquem esse sanctum, cùm non sit de fide eum in tali declaratione errare non posse, sed tantùm sit ita certum, quod oppositum sit falsum, temerarium, impium, & scandalosum, posita tali declaratione non innotescit nobis notitia de fide Dei sententia, seù consilium, circa sanctitatem canonizati, sed tantùm innotescit notitia ita certa, quòd oppositum sit temerarium, impium, & scandalosum, & sic ad hanc certitudinem habendam non requiritur noua reuelatio diuina.

Tandem arguitur facta canonizatione Ecclesia tota acceptat canonizatum, vt sanctum, & vt verè existentem in Dei gloria, sed acceptatio totius Ecclesiæ rem facit de fide, ergo verè erit de fide canonizatum esse sanctum.

Prob. min. ex his, quæ suprà docuimus circa hanc propositionem; Clemens IX. est verè Pontifex, quam diximus esse de fide, quia communitèr eum Ecclesia acceptat, vt Pontificem, ergo acceptatio communis totius Ecclesiæ rem acceptatam facit certam de fide.

§. Ad hoc dist. min. acceptatio totius Ecclesiæ rem facit de fide, quando est acceptatio alicuius, vt regula fidei conc. min. in omni materia neg. min. & cons. Itaque sicut de fide est Sum. Pontificem in decernendo de fide errare non posse, ita est de fide, quòd acceptatio totius Ecclesiæ in materia fidei errare non valet; & sicut non est certum de fide, quòd Pontifex errare non possit in canonizatione Sanctorum, licèt sit certum certitudine inferiori, ita est certum de fide Ecclesiam in acceptando communitèr aliquid de fide errare non posse: in acceptando autem aliquid quod ad fidem non pertinet, non est certum de fide, quòd errare non possit, sed tantùm est certum ea certitudine, quod oppositum asserere sit falsum, temerarium, impium, scandalosum.

Ad prob. min. dico, nos non probasse prædictam propositionem esse de fide ex vi solius acceptationis communis Ecclesiæ, sed probauimus ex eo quod Ecclesia acceptat Clementem IX. vt regulam fidei, à quo expectat definitiones de fide, & regimen totius Ecclesiæ, quæ est materia per se spectans ad fidem, & sic est de fide, quòd in tali acceptatione errare non potest; quod non currit in acceptatione communi sanctitatis alicuius canonizati, quæ non proponitur Ecclesiæ, vt reuelata à Deo, sed tantùm vt tenenda ea certitudine, quòd oppositum asserere temerarium, impium, & scandalosum sit, & sic prædicta acceptatio rem acceptatam non facit de fide.

§. VII.

Statuitur vltima Conclusio.

Dico vltimò: Impium, scandalosum, temerarium, ac prorsùs falsum est asserere, aliquem sanctum canonizatum non esse verè sanctum, nec in cœlo verè regnare.

Prob. assertio quæ communi sensui Ecclesiæ opponitur, non potest non esse impia, scandalosa, & temeraria: sed asserere sanctum canonizatum à Sum. Pontifice non esse verum sanctum, neque verè in cœlo regnare, opponitur sensui communi totius Ecclesiæ, ergo est impium, scandalosum, & temerarium.

Prob. min. nam dum Ecclesia colit sanctum canonizatum à Pontifice, profitetur illum esse verè sanctum, verèque regnare in gloria, ergo qui asserit eum non esse verè sanctum, neque verè regnare in gloria, se opponit communi sensui Ecclesiæ.

§. Secundò probatur, esto de fide non sit Ecclesiam errare non posse in canonizatione sanctorum, quia hoc neque reuelatum, neque definitum est, est tamen certum certitudine immediatè inferiori certitudini fidei; hanc enim certitudinem exposci materiæ grauitas, nempè exhibitio cultus toti Ecclesiæ indictus, sensus Ecclesiæ communis, & erroris turpitudo, quæ maxima esset, & in maximum Ecclesiæ vilipendium, si Summus Pontifex errare posset in canonizatione alicuius sancti, sed qui assereret sanctum canonizatum à Papa non verè esse sanctum, neque verè in cœlo regnare, assereret Pontificem errare posse in canonizatione sancti, ergo qui hoc assereret, impius, scandalosus, & temerarius esset.

Prob cons. nam assertio opposita propositioni certæ certitudine de fide immediatè inferiori, est temeraria, impia, & scandalosa, sed asserens canonizatum non esse verè sanctum, neque verè in cœlo regnare, prædictæ certitudini se opponeret, ergo esset impius, temerarius, & scandalosus.

Min. autem prob. nam Papam cannonizare aliquem est eum adscribere, vt sanctum in sanctorum cathalogo, ergo qui assereret canonizatum sanctum non esse, assereret quoque Papam errasse in adscribendo eum, vt sanctum in sanctorum cathalogo, & sic errare in eius canonizatione.

Dices, Papam non errare in canonizatione sancti, etiam si in re non sit sanctus, quia non iudicat eum esse absolutè sanctum, dum eum canonizat, sed tantùm iudicat iuxta merita informationis vitæ, & miraculorum eius eum, vt sanctum in sanctorum numero esse adscribendum, quod iudicium cùm iustum, & rectum sit, omni prorsùs errore carere censendum est.

§. Sed contrà sic insurgo: Pontifex dum canonizat aliquem, non solùm iudicat eum esse sanctum ex meritis informationis factæ, sed absolutè iudicat esse sanctum, nam absolutè; vt adorandum, & venerandum, vt sanctum eum toti Ecclesiæ proponit, ergo si in re canonizatus sanctus non esset, verè Pontifex in canonizatione erraret.

Secundò nam licèt Pontifex non erraret secundùm præsentem iustitiam, erraret tamen secundùm Dei sententiam, at hoc admitti nequit, ergo prob. min. nam vt vidimus suprà ex D. Th. Pontifex non iudicat sanctum innitendo præcisè informationi vitæ eius, & miraculis, sed præcipuè innitendo instinctui Spiritus sancti, at innitens Spiritui sancto, qui Dei profunda scrutatur, nefas est dicere, quòd errer secundùm Dei sententiam, ergo nequibit etiam dici, quòd Pontifex aliquem canonizet, vt sanctum, & quòd ille in re non sit sanctus.

§. VIII.

Soluuntur Argumenta contrà Conclusionem.

PRimò arguitur, potest proponere summ. Pontifex toti Ecclesiæ aliquem colendum vt sanctum, sine eo quod certò iudicet eum esse sanctum absolutè, & in re ergo propter hanc rationem non debemus dicere hæc duo esse inter se incompossibia, nempè Ecclesiam canonizare aliquem, & eum non esse sanctum in re. Conf.est bona, & ant.prob.de facto Ecclesia proponit Linum, & Clerum colendos, vt Papas, & Martyres, & tamen ipsa non habet iudicium certum de eo quod fuerint Papæ, cùm de hoc tantum probabilis sententia sit, ergo & poterit proponere aliquem colendum vt sanctum, sine eo quod habeat iudicium certum, & firmum de eius sanctitate.

§. Confir.facta consecratione hostiæ ipse Papa absolutè adorat hostiam, vt Christum in se continentem, & tamen nequit habere iudicium certum, & infallibile de eo quod Christus sit in illa hostia, quia potest esse non consecrata ob defectum intentionis consecrandi, ergo, & poterit colere vt sanctum, & proponere colendum, vt sanctum toti Ecclesiæ aliquem, quem tantum prudentialiter iudicet esse sanctum, non tamen habeat iudicium speculatiuè verum de eius sanctitate.

§. Confirmatur secundò, cultus ex terminis non requirit iudicium speculatiuè verum de re colenda, sed tantùm practicè verum & prudentialiter, hoc est rationi conforme, ergo neque vt Ecclesia colat aliquem, vt sanctum, requiritur, quod habeat iudicium speculatiuè verum de eius sanctitate, sed sufficit, quod prudentialiter iudicet de eius sanctitate.

§. Ad hoc argumen. neg. antec. Ad prob. neg. min. existimo enim quod postquam Ecclesia in Martyrologio Linum, & Clerum ponit colendos, vt Papas, sentit ita certè eos fuisse Papas, vt oppositum asserere sit temerarium. Vndè non admitto esse sententiam probabilem de opposito.

§. Ad 1. confirmat. dico, Ecclesiam non proponere hanc Hostiam in particulari adorandam, vt continentem Corpus Christi, quod patet, quia ad hanc propositionem deberet præcedere informatio de vera consecratione eius, quam non præcedere constat, Tantùm ergo proponit adorandam Hostiam ritè consecratam, sed quia dum hic, & nunc non se offert aliqua ratio in contrarium, vtpotè quia ille, qui consecrat verè habetur, vt Sacerdos Catholicus, de quo non præsumitur, quòd fideles fallere velit, prudentia dictat, quòd omnes, qui vident elevationem Hostiæ consecratione facta, illam adorent, & sic fit adoratio huius Hostiæ in particulari etiam à non habentibus certum iudicium de eo quòd illa Hostia verè consecrata sit, sicque adoratur à Papa, & à cunctis, qui illam vident. Cæterùm Pontifex, dum aliquem canonizat, proponit illum, vt verè Sanctum, dum eum in Sanctorum Cathalogo adscribit, eiusque cultum toti Ecclesiæ indicit, quod nequit fieri, nisi præcedat iudicium certum de eius sanctitate, esset enim intolerabilis error, quòd Ecclesia aliquem iuberet coli, vt Sanctum, & quòd ille damnatus esset.

§. Ad 2. confirmat. distin. antecedens cultus priuatus fidelium conc. antec. cultus totius Ecclesiæ neg. antec. & conf. Itaque cùm nullum sit inconueniens, quòd aliqua persona priuata in aliqua actione erret, sufficit ad cultum exhibendum, quòd præcedat iudicium prudentiale, tantùm practicè verum, id est rationi, & prudentiæ consonum, Ecclesiam autem errare in cultu Sanctorum maximum inconueniens est, cùm ipsa sit columna, & firmamentum non solùm in rebus fidei, sed etiam in his quæ totius Ecclesiæ mores respiciunt. Et sic ad hoc, vt ipsa aliquem colat, vt sanctum non sufficit habere iudicium tantum prudentialiter, & practicè verum, sed etiam requiritur, quòd de eius sanctitate iudicium ita certum habeat, quod oppositum asserere sit impium, scandalosum, & temerarium.

Instabis, fidelis adorans hanc Hostiam in particulari profitetur fidem Ecclesiæ, de eo quod in illa Christus contineatur præsens, & tamen de hoc iudicium certum non habet, ergo fides, quam Ecclesia requirit ad cultum non certa est, sed tantùm prudentialis.

§. Ad hoc neg. maior. fidelis enim adorans hanc Hostiam non profitetur fidem, quam Ecclesia habeat de eo quod Christus in hac Hostia sit, si quidem de hoc Ecclesia non habet fidem diuinam, sed tantùm profitetur fidem, quam Ecclesia habet, de eo quod in Hostia ritè consecrata Christus adest præsens, & profitetur etiam iudicium suum prudentiale, quo prudenter iudicat, quia nihil in contrarium videt, quòd Christus in hac Hostia determinata contineatur, quia prudenter iudicat illam ritè consecratam esse.

§. *Instabis*, Ecclesia iubet fidelibus, vt adorent hanc, vel illam Hostiam in particulari vt continentem verum Corpus Christi, & tamen per nos non habet iudicium certum quòd Corpus Christi sit in ista Hostia particulari, ergo & poterit iubere fidelibus, vt istum canonizatum colant, vt sanctum, esto de eius sanctitate iudicium certum non habeat.

habeat. Prob. maior. nam Ecclesia iubet fidelibus diebus festis audire Missam, quod impleri nequit, nisi audiendo hanc, vel illam Missam in particulari, ergo iubet adorari hanc, vel illam Hostiam in particulari facta consecratione.

5. Ad hoc dico, quod Ecclesia quàmuis non habeat iudicium certum, de eo quod in ista Hostia in particulari Christus contineatur, credit tamen fide diuina, quòd in Hostia ritè consecrata Christus contineatur, & hac de causa iubet audire Missam, vt illam audiendo hanc Ecclesiæ fidem fideles profiteantur. Si autem Pontifex ritè canonizando Sanctum posset errare, iuxta Dei sententiam circa sanctitatem eius, Ecclesia non habebit iudicium certum, neque in communi, neque in particulari, de eo quòd hic, vel ille in particulari sit Sanctus, & sic fideles colendo, illum non profitebuntur aliquod certum iudicium Ecclesiæ de eius sanctitate, & sic nequit Ecclesia proponere aliquem canonizatum colendum, vt Sanctum, nisi certum iudicium habeat, de eo quòd Sanctus sit. Hic sequebatur agere de beatificatione, sed quia plura ex eis, quæ scripseram non licuit typis mandare, placuit magis in integrum reticere, quam imperfectè loqui.

§. IX.

Vtrùm in ferendis legibus pro vniuersali Ecclesia, & confirmandis religionibus Pontifex errare possit.

IN hoc puncto examinando communis Theologorum est sensus, Papam errare non posse in legibus quas vniuersali Ecclesiæ proponit, & quæ ad bonum commune ordinantur, hocque esse de fide tenendum docuit Antoninus 3. par. sum. titulo 12. Cann. autem lib. 5. de locis cap. 5. tenet hoc non esse de fide, sic quod sit hæreticus, qui oppositum assereret, sed esse ita certum quòd oppositum sapiat hæresim. Illi adhærent Banнеа hic quæst. 1. artic. 10. dub. 6. Molina lib. 2. de Instit. disputat. 325. Bellarmin. lib. 4. de Sum. Pontif. Rom. capit. 5. Suarez tom. de fide disputat. 5. sect. 8. num. 7. Torres hic disputat. 16. dub. 2. Ioan. à S. Thoma hic disputat. 9. artic. 3.

5. Pro explicatione aduerto, quòd Papam non posse errare in condendis legibus pro vniuersa Ecclesia, idem est, ac dicere, eum non posse præcipere aliquid quod bonum non sit, & conducens bono communi, vel non posse prohibere, nisi id quod est verè malum, & bono communi nociuum.

5. Aduerto secundò, quod in eo quod Pontifex proponit per suam legem potest attendi substantia, id est ipsa moralitas, quam habet obiectum legis, quod est ipsa materia, quæ præcipitur, vel quæ prohibetur, vel possunt attendi circunstantiæ, videlicet quòd cum tanto, vel tanto rigore illud præcipitur, vel quod ad has, vel illas personas applicetur in particulari, hic & nunc. Aliud enim est condere legem, & aliud est has, vel illas personas sententiare, iuxta illam legem, inter quæ est manifestum discrimen, quòd primum respicit omnes fideles in commu ni, & sic obiectum eius est bonum commune, secundum respicit has, vel illas personas in particulari. Hnc ergo præsuppositio.

Dico primò hæresis est manifesta asserere, quòd Pontifex potest errare in ferendis legibus toti Ecclesiæ communibus, si tantùm attendatur ad substantiam legis, idest ad id quod proponit sequendum, vel proponit vitandum lex. Probatur, nam de fide est, quòd Pontifex habet authoritatem ad pascendum oues Christi, quæ non tantùm pascuntur doctrina fidei, sed etiam regulis morum, sed ex hoc colligitur esse de fide, Papam non posse errare in doctrina fidei, ergo ex hoc etiam sequitur quòd sit de fide, Papam non posse errare in tradendo regulas morum, quòd sit ferendo leges toti Ecclesiæ communes.

5. Confirmat. non minùs conducit ad salutem animæ rectitudo morum, quàm certitudo doctrinæ fidei, sed Pontifex in tradenda doctrina fidei, ideò errare non potest, quia indè magna pernicies saluti animarum sequeretur, ergo pariter in tradendis regulis morum errare non poterit, quia ex eius errore magna pernicies sequeretur animarum saluti.

5. Dices, intra lineam doctrinæ tantùm esse de fide, quod Pontifex errare non possit, quando materia supra quam cadit definitio eius præcontinetur in Scriptura Sacra, vel in traditione Apostolica, quando autem materia supra quam cadit iudicium definitiuum Pontificis in Sacra Scriptura non præcontinetur, vel in Apostolica traditione, non est de fide, quòd Papa errare non possit, sed tantùm est ita certum, quòd oppositum asserens sit temerarius, impius, & scandalosus, ergo similiter in regulis morum erit theologizandum, videlicet quod quando leges condit, quarum materia desumitur ex Scriptura, vel ex Apostolica traditione, tunc de fide, sic quòd in illis errare non possit, quando autem prædicta materia non desumitur ex Scriptura, vel ex traditione Apostolica, sed ex alijs principijs, de fide non sit eum errare non posse, sed tantùm sit, ita certum quòd oppositum asserens temerarius sit.

5. Sed contra solutionem sic insurgo, ideò in doctrina tradenda, tantùm est de fide Pontificem non posse errare in tradenda doctrina de fide, quia reuelatum est, quòd in hac materia solùm errare non possit, solùm enim dictum est Petro (rogaui pro te Petre, non deficiat fides tua,) in materia autem ferendi leges toti Ecclesiæ communes reuelatum est, quòd in nulla materia errare potest, siue illa præcepta sit iure diuino, siue non, dicitur enim Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite*, seruare enim, & facere ad mores pertinet, si ergo omnia quæ dictantur à Pontifice circa mores tenemur seruare & facere, ergo de fide erit, quod quæcunque, & in quacunque materia dictata sint ad mores spectantia, bona erunt, & sic de fide erit, quod Ponti-

Pontifex in nulla materia aliquid possit per legem proponere Ecclesiæ, vt faciendum, vel vt vitandum, errare possit, sic quod proponat faciendum quod malum est, & vitandum quod est bonum.

Tum 2., nam de fide est, quòd Ecclesia sit Sancta, & per consequens Caput eius, vt Caput est Sanctum, ergo de fide erit, quòd nihil possit proponere in regulam morum, quod sanctum, & bonum non sit.

Tum 3., nam cùm Pontifex fidem nouam non condat, sed tantùm declaret esse aliquid de fide, non censetur definire de fide in omni suo decreto spectaote ad doctrinam, sed tantùm in illo, quod cadit super materiam à Deo reuelatam verbo scripto, vel tradito, & sic tantùm est de fide, quod solùm in materia fidei errare non possit, in regulando autem Ecclesiæ mores de fide est, quòd ipse Legislator sit, & verè legem condat. Vndè leges diuiduntur in diuinas, hoc est à Deo dictatas, naturales ad quas natura instigat, & positiuas Ecclesiæ, quæ ab ipso Pontifice, vt vero Ecclesiæ Legislatore procedunt, ergo in quacunque materia leges communes ferat assenerandum est, quod errare non possit, ad hunc sensum, quod in regulam morum vniuersali Ecclesiæ aliquid perniciosum proponat.

§. X.

Soluuntur argumenta contra Conclusionem.

PRimò arguitur, nam postquàm Concilium Constantiense sess. 13. statuit, eos pro hæreticis condemnandos, qui affirmarint Ecclesiam errare in more communicandi plebem sub vna specie tantùm, Martinus V. dum hnc Concilium approbat, hoc dictum Concilij temperans dicit, [eos qui docuerint Ecclesiam in consuetudine huiusmodi errare, esse velut hæreticos, vel vt sapientes hæresim condemnandos.] Quibus non determinat esse hæreticos cum disiunctiua ad sui veritatem alteram tantùm partem veram habere desideret, si ergo Pontifex non dessinit esse hæreticos determinatè, qui dixerint Ecclesiam in aliquo quod proponit, vt regulam morum errare, ergo neque nos hoc determinatè asserere possumus, & sic non erit de fide, quòd Pontifex errare non possit in proponendo per legem aliquid in regulam morum.

§. Confirmatur enim olim plebs Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie accipiebat, idque erat confirmatum auctoritate Apostolorum, & ipso vsu, & praxi, ergo qui assereret Ecclesiam, in hoc quod est nunc prohibere Laicis vsum vtriusque simul speciei errare, hæreticus censeri non poterit, erit autem sapiens hæresim, quia Vuiclephistæ, ideò dicebant Ecclesiam in hoc errare, quia existimabant necessarium esse plebi ad salutem vtramque Sacramenti speciem sumere, detorquentes ad hoc illa verba Domini, *nisi manducauerities carnem, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, in quo manifestè hæreticabant, qua ratione ductus Martinus definir non hæreticos esse determinatè, qui Ecclesiam in hoc errare assererent, sed vel hæreticos, vel hæresim sapientes.

§. Ad hoc argumentum dico, verba illa Martini V. non temperasse verba Concilij Constantiensis, sed loqnutum fuisse sub illa disiunctione, vt distinctis erroribus distinctas censuras assignaret, adduco verba Martini V. in interrogatorio, iuxta quod hæretici, aut de hæresi suspecti interrogari iubentur, quod habetur in eius Bulla edita 1418. & incipit *inter curas pastoralis*, vbi interrogatione 18. sic habetur: [Item vtrum eredat, quòd consuetudo communicandi personas Laicales ab Ecclesia vniuersali obseruata, sit seruanda, sic quod non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito immutare, & quod dicentes pertinaciter oppositum præmissorum tanquam hæretici, vel sapientes hæresim sint arcendi, & puniendi.] Vbi duo narrantur, nempè quòd non liceat eam reprobare, & aliud, quòd non liceat sine Ecclesiæ authoritate immutare, quæ cùm non sint æqualia in certitudine non inferunt æquales pœnas in oeganribus ea.

Vndè pro his qui primum eum pertinacia negauerint, dicit Pontifex puniendos esse, vt hæreticos, pro his autem qui secundum negauerint dicit, puniendos esse, vt sapientes hæresim. Quod autem non sint æqualia in certitndine patet, quia qui dicit Ecclesiam errare in dicta consuetudine ab vniuersali Ecclesia seruata, & à facro Concilio approbata, immediatè fidei se opponit, dum dicit Ecclesiam errare posse in ferenda lege vniuersali, vel acceptanda consuetudine, & factum etiam Concilium authoritate Summi Pontificis confirmatum in approbatione eiusdem consuetudinis errare, cùm sit immediatè de fide, neque Ecclesiam, neque Concilium generale in his, quæ spectant ad mores totius Ecclesiæ errare posse.

Qui autem affirmauerit licitè absque Ecclesiæ authoritate prædictam consuetudinem mutari posse, hæreticus non esset esto grauissimè erraret, siquidem de couceptu consuetudinis non est perpetuitas, & immutabilitas, sed sicut pro diuersitate temporum, vel personarum introducitur, ita & pro diuersitate temporum, & personarum mutari valet. Vndè non est de fide, quod illa consuetudo in perpetuum durabit, est autem de fide, quod illa bona est, & pro his temporibus conueniens, & sic illa duo præfata eiusdem certitudinis non sunt, vndè qui illis se opposuerit non videtur eadem pœna puniendis, ad quod attendentes Martinus illa disiunctione vsus est.

Vt soluamus, id quod adducitur in confirmatione, operæ pretium est aduertere ex Caietano 3. par. quæst. 80. artic. 12. quod nunquam fuit consuetudo vniuersalis Ecclesiæ primitiuæ communicandi Laicos sub vtraque specie, nam res aliter se habebat apud Hierosolymas, & aliter apud Corinthios, isti enim quia pauci erant, fideles apud ipsos Laicos sub vtraque specie communi-

municabant, vt patet 1. ad Corinth. 11. Hierosolymis verò, quia valdè multiplicati fuere fideles, tantùm sub vna specie communio dispensabatur, sic enim dicitur Act. 2. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. In progressu etiam Ecclesiæ res sub hac distinctione per multa tempora mansit, nam apud sacros Canones inuenitur communio laica, quod interpretatur communio sub vna tantùm specie.

Inuenitur etiam quod pœnitentibus in extremo constitutis Eucharistia infundatur, quod sonat calicis perceptionem, quod enim infunditur liquor est, sicque ab Apostolis non videtur traditum, quòd Laici communicent sub vtraque specie. Vndè Ecclesia vniuersalis in nullo se opponit fidei, dum vniuersaliter acceptat, & approbat consuetudinem communicandi sub vna tantùm specie, ad vitandas irreuerentias, & effusiones, quæ accidere possent, si modò quando fideles sine numero multiplicati sunt, sub vtraque specie communicarent.

§. Ex his ad confirm. neg. antec. si intelligatur de vsu vniuersali Ecclesiæ ab Apostolis confirmato, esto sit verum de vsu aliquarum Ecclesiarum in quibus ob paucitatem fidelium communicantium non poterat timeri aliquod periculum effusionis sanguinis, & neg. consequen. quæ infertur, nam poterat esse, quod communicare sub vtraque specie esset tunc conueniens, ob feruorem deuotionis communicantium, & quia tunc ob rationem datam periculum timeri non poterat in sanguinis effusione, & quod nunc sit moraliter malum ex periculo, cui se exponerent fideles effundendi sanguinem, quod modò vix vitari posset ob multitudinem communicantium.

Vndè consuetudo communicandi sub vna tantùm specie modò dum his circunstantijs vestitur sic sit bona, quod asserere Ecclesiam in illa errare sit hæreticum. Neque enim Ecclesia, aut Concilium approbans consuetudinem communicandi sub vna tantùm specie reprobat communionem sub vtraque specie quasi malam pro tempore præsenti, & etiam pro tempore primitiuæ Ecclesiæ, sed tantum eam reprobat pro nunc, formans iudicium, quod hic, & nunc esset moraliter mala, quia periculosa ob circumstantias, quæ modò occurrunt, & quod nunc est tantum moraliter bonum sub vna tantùm specie communicare.

§. Præterea non ob solum periculum effusionis vetita est communio sub vtraque specie, sed quia existimarunt hæretici, totam vim Sacramenti in vna tantùm specie non contineri, vt constat ex tractatibus de hac re habitis in generalibus Concilijs vbi cùm cogerentur hæretici, quibus indulgentia Ecclesiæ permittendus erat vsus calicis protestari, se credere ex vna tantùm specie integrum Sacramenti fructum haberi, id obstinatè facere recusabant, ideòque Ecclesia vsum calicis negauit, volens per hoc docere tantumdem à Deo accipere, qui commedit, quam qui commedit, & bibit de corpore, & sanguine Domini. Potuit autem temporibus antiquis quando incorrupta fides seruabatur adductæ causæ ratio non haberi, ideòque potuit esse aliquo tempore, vel in aliquo loco licitus etiam vsus calicis, ante Ecclesiæ prohibitionem &c.

Secundò arguitur, ad Iudicium infallibile Pontificis non pertinet, nisi id quod deducitur ex sacra Scriptura, aut traditionibus Apostolicis, idest ex Verbo Dei scripto, aut tradito, quod enim ibi secundùm se, aut implicitè non continetur, non potest explicitè, & quoad nos definiri, sed leges morales quantùm ad bonitatem, & moralitatem earum non deducuntur ex Scriptura, aut traditione Apostolica, sed ex Philosophia morali, & natura talium rerum, & tales leges feruntur à Pontifice iuxta exigentiam occasionum, & temporum, ergò definitio circa tales leges de eo quod sint bonæ, & non possit in eis misceri aliquid erroris, non facit esse de fide quod in illis errari non possit.

§. Confir. hac ratione probauimus supra, quòd quantumuis Papa in Canonizatione Sanctorum procedat definiendo, tamen de fide non est Sanctum Canonizatum esse verè Sanctum, eò quòd hoc non sit præcontentum in sacra Scriptura, vel Verbo tradito, ergò similiter dum leges condit, quantumuis definitiuè præcipiat, non tamen fiet de fide quod in illis legibus condendis errare non possit.

§. Ad hoc argum. distinguo min. leges morales quantum ad bonitatem, & moralitatem earum non deducuntur ex Verbo scripto, vel tradito, postquàm semel latæ fuet à Pontifice, & propositæ toti Ecclesiæ, vt regulæ morum, neg. min. Secundùm se, vt præscindunt ab hoc, vel illo legislatore, conc. min. & neg. conf. Itaque cum reuelatum sit Matth. 23. *omnia quæcunque dixerint vobis seruate, & facite*, reuelatum est quod Pontifex proponens toti Ecclesiæ, vt regulam morum aliquam legem suam nihil perniciosum, aut malum proponat. Vndè quæcunque materia hoc ipso quod est materia legis Pontificiæ, præcontinetur in Verbo scripto sacro quoad esse moraliter bonam, quamuis eadem materia secundùm se non præcontineatur. Et sic quamuis iudicare de illa materia vtrum bona sit, vel mala secundùm se spectet ad Philosophum, Iudicare tamen de illa vtrùm sit bona, vel mala proue obiectum legis Pontificiæ est, non pertinet ad Philosophum, sed tantùm ad fidem, ex qua habemus quòd in ferendis legibus toti Ecclesiæ communibus Pontifex errare non possit. Exemplum huius sit in hac propositione *Antichristus erit*, quam si consideremus præcisè secundùm connexionem prædicati cum subiecto, inueniemus eam omnino contingentem, inueniemus etiam quod iudicium de illa veritate spectet ad metaphisicum: si autem prædictam propositionem consideremus prout subest diuinæ scientiæ, & diuinæ reuelationi, inueniemus eam esse necessariam, Inueniemus etiam quod iudicium de veritate eius spectat ad fidem.

§. Ad confir. neg. conf. quia de eo quod omnis lex à Pontifice lata, & proposita toti Ecclesiæ sit bona, habetur reuelatio, illa enim vniuersalis *omnia quæcunque dixerint vobis seruate*,

uate, *& facite*, comprehendit vniuersaliter omnem materiam in singulari, quæ est materia legis Pontificiæ, & sic posita lege Pontificia toti Ecclesiæ in regulam morum proposita infertur ex Scriptura, quod hæc lex hic, & nunc lata à Pontifice, & proposita, vt regula morum moraliter sit bona, non autem præcontinetur in sacra Scriptura, vel Verbo tradito, quòd hic homo canonizatus in sanctum, sanctus sit, & in Cœlo regnet, & sic non est immediatè de fide quod sanctus sit, & in Cœlo regnet.

Instabis: Papa dum aliquem canonizat, præcipit toti Ecclesiæ, vt eum colat tamquam sanctum, & in Cœlo regnantem, ergo saltim ex vi huius legis erit de fide, quòd hic canonizatus sanctus sit, & in Cœlo regnet.

§. Ad hoc nego conf. quia, vt cultus sit bonus, & sanctus, non est necesse quod id quod colitur sit in re sanctum, vel saltim non requiritur quod de fide sit sanctitas eius, & sic, vt sit de fide, quòd lex de colendo sancto sit bona moraliter, & pariter, vt sit de fide, quòd cultus sit bonus moraliter, non requiritur quod sit de fide, quòd hic, qui colitur sit verè sanctus. Itaque lex de cultu canonizati non habet pro materia immediata sanctitatem Canonizati, sed tantùm habet pro materia immediata cultum canonizati, hic autem cultus bonus est in re, etiam si canonizatus in Cœlo non sit, nam vt sit bonus sufficit quod eum dictet prudentia, vndè dum quis colit prudenter, bene, & sanctè colit, quamuis id quod colitur, in re ita non sit sicut iudicatur esse. Posita ergo lege de cultu canonizati, tantùm infertur quod de fide sit, quòd talis cultus est bonus, & conueniens. Et cùm bene componatur cultum esse bonum sine eo quòd sanctitas, quæ eius obiectum est, in re sit, stabit bene quod de fide sit, cultum illum toti Ecclesiæ præceptum esse sanctum, etiam si de fide non sit, quòd sanctus, qui colitur verè sanctus sit.

§. Instabis: nos supra dixisse, esse temerarium, & scandalosum asserere, quod canonizatus verè in re sanctus non sit ex cultu indicto toti Ecclesiæ, at modò dicimus, quòd prædictus cultus toti Ecclesiæ præceptus non requirit, quod circa sanctitatem, quæ verè in re sanctitas sit, versetur, & sic potest esse de fide quod cultus sit bonus, sine eo quòd sit de fide quod is, qui colitur in re sanctus sit, ergo contradicimus nobis metipsis.

§. Ad hoc dist. mai. diximus, tantum ex eo quod cultus bonus sit, qui de illo præcipitur haberi, nego mai. probauimus ex eo quod intolerabilis error esset, quod Ecclesia eum coleret, vt sanctum, qui in re sanctus non esset, conc. mai. & dist. min. non requiritur &c. vt de fide sit, quòd sit moraliter bonus, concl. min. non requiritur &c. ex quo toti Ecclesiæ præcipitur neg. min. & conf. Itaque hic sunt duo consideranda, primùm, quod de fide sit quod talis cultus sit moraliter bonus, & ad hoc non requiritur quod de facto colatur ille, qui verè sanctus est, sed sufficit quod cultus præceptus secundùm iudicium prudentiæ eliciatur. Secundum est quod Ecclesia non erret in re dando cultum ei, qui verè sanctus non est, & hoc de fide non est, sed tantùm est ita certum quod oppositum asserere error, & temeritas sit. Itaque Ecclesiam præcipere cultum alicuius sancti vnum facit de fide, videlicet quod talis cultus verè bonus est, aliud quod talis cultus in re exhibetur ei, qui sanctus est, & hoc non facit de fide, quia Ecclesia non definit se dare cultum ei, qui verè in re sanctus est, ad primum non requiritur quod ille, qui colitur in re sanctus sit, benè autem secundum, quia intolerabilis error esset, quod Ecclesia præciperet dare cultum ei, qui verè sanctus non, & ex hoc secundo probauimus supra esse ita certum canonizatum esse verè sanctum, & verè in Cœlo regnare, quod oppositum asserere sit erroneum, & temerarium. Vndè in nullo contrarium dicimus ei quod diximus.

Tertiò arguitur, quia multoties vnus Pontifex abrogat legem alterius, ergo alter eorum errat in tali lege. Prob. ant. nam in cap. cùm licet de sponsa duorum Alexander III. determinat, quod postquam mulier per legitimum consensum nupsit alicui, non potest alij nubere, etsi nupserit etiam carnali copula subsequuta, debet separari, quamuis aliter inquit euerit à prædecessoribus nostris iudicatum, ergo vnus Pontifex destruit leges alterius. Item Stephanus VI. irritauit omnia Acta Formosi prædecessoris sui, & ordinatos ab ipso iterum ordinari iussit, ergo. Item Cœlestinus III. vt refertur in capite laudabilem de conuersione infidelium, determinauit, quòd per hæresim vnius coniugis soluitur Matrimonium, quod est manifestus error, ergo.

§. Ad hoc neg. ant. Ad 1. prob. dico, quod Pontifex tantùm dicit, licèt alij nostri prædecessores aliter iudicauerint, non verò dicit, an aliter iudicauerint, vt personæ priuatæ, an verò, vt Pontifices per legem, vel statutum, & sic ex vi illius textus nihil infertur contra conclusionem. Pro solutione eius quod in secunda probatione adducitur, placeat audire causam, ob quam Stephanus irritauit omnia Acta Formosi. Formosus à Ioanne VIII. degradatus cùm iurasset se Romam non rediturum, ac promisisset se perpetuò mansurum in statu laici, posteà Romam veniens, & per Martinum Papam (vt Sigebertus ait anno Domini 900.) à periurio absolutus factus est Pontifex. Hinc nonnulli falsò dicebant, Formosum non potuisse quemquam ordinare. Vndè Stephanus VI. ordinatus à Formoso (vt ait Sigebertus anno 903.) per vim exordinatus, cùm alij saniori iudicio præditi reclamarent, qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officij dignitatem, & fidem eorum, qui ordinati fuerant, consecrationes eius ratas esse debere: at Stephanus sic reclamantibus in fauorem Formosi non acquiescens, forsan ob odium, quo in Formosum ducebatur, magis quam ratione omnia actuata à Formoso irritauit. In quo facto Stephanus turpiter errauit, non quidem legem condens toti Ecclesię, sed determinans circa factum, vt perdoctè Sanderus docet ad annum 891. his verbis; nec vnquam Pontifex Romanus ita in facto publico errauit, facti enim erat, & non iuris. Vndè Theodorus II. Stephani successor violentum Stephani decretũ irritum faciens reconciliauit ordinatos à Formoso, & Ioan. IX.

(vt

(vt refert Sigebertus anno 903.) in Synodo Episcoporum 74. præsentibus Francorum Episcopis, & Rege, apud Rauenam Formosi ordinationes confirmauit. Ex quibus patet, quod Stephanus non errauit in lege quam Ecclesiæ dederit, sed tantùm in illa quæstione de facto, & non de iure errauit, vt homo. Ad illud quod quod adducitur ex cap. laudabilem dico, ibi talia non legi. Castro autem dicit lib. 1. de hæresibus cap. 4. id se vidisse in decretalibus antiquis. Forsan id fuit expunctum, vel quia facta sufficienti inquisitione inuentum est non fuisse dictum à Cœlestino, vel quia tanquam dictum ab eo non ex Cathedra, sed vt à priuata persona.

§. XI.

Statuitur secunda Conclusio.

Dico 2. Summus Pontifex potest errare in legibus priuatis, quas non proponit, vt regulas morum toti Ecclesiæ. Potest etiam errare dum leges communes condit, in dispensatione, & applicatione earum ad has, vel illas personas in particulari. Potest etiam errare in rigore quo procedit in transgressores legum statutarum. Prima pars prob. nam in capite à nobis de sententia excommunicationis Innocentius III. in hæc verba prorumpit: [Iudicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur semper innititur, iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam, & fallere sæpe contingit, & falli. Propter quod contingit interdum, quod qui ligatus est apud Deum apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum Ecclesiastica sit sententia innodatus.] Ex quibus argumentor sic: idem iudicium ferendum est de Ecclesia, & de Summo Pontifice, sed Ecclesia in suis statutis aliquando errare potest; cùm aliquando sequatur opinionem, quæ fallere, & falli potest, ergò idem dicendum de Pontifice. Sed hoc nequit dici de illo dum leges condit toti Ecclesiæ, easque, vt regulas morum ei proponit, ergo erit intelligendum de illo quando priuatim aliquas leges edit, quas de Cathedra non dictat.

§. Secundò prob. licet subditis Pontificem supplicare, vt leges à se latas non cogantur recipere, assignando rationabiles causas ob quas tales leges vtiliter imponi non possint, ergo Pontifex, vt priuatus legislator errare poterit contra prudentiam, & veritatem.

Ant. prob. ex cap. si quando de rescriptis, vbi Alex. III. Episcopo Rauennati hæc scribit, [si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes, sed in qualitatem negotij pro quo tibi scribitur diligenter considerans, [aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.] Ex quibus apparet, quod super leges à Papa latas subditi supplicare possunt, vt eas non recipiant assignando rationabiles causas quibus prædictæ leges aduersantur, ergo.

§. Ratione prob. nam Pontifici solùm de Cathedra dictanti promissa est infallibilitas, quod constare poterit ex illo, Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint seruate, & facite.* Vbi non dicit *Seruate, & facite* omnia quæcunque dixerint vobis Scribæ, & pharisæi, sed præmisit super Cathedram Moysi sederunt; ad denotandum quod Pontifex non habet infallibilitatem dum de Cathedra non dictat, sed multa indulget Pontifex, multaque decernit non de Cathedra, ergo in his multis errare poterit.

§. Secunda pars etiam probatur, nam Pontifex dum dispensat in aliqua lege, nititur informationi factæ de causa rationabili ad dispensandum; similiter transgressores punit iuxta allegata, & probata, at ista multoties fallunt, quia testes in illa, vt homines loquuntur, igitur in dispensando in lege, & in puniendo transgressores errare potest. Hinc dixit Innocentius III. supracitatus, *contingit, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum Ecclesiastica sententia sit innodatus.*

§. XII.

Examinatur Secundus Punctus Quæstionis.

Circa approbationem Religionum, quæ fit à Summo Pontifice, vtrùm in ea possit errare. Cano lib. 5. de locis cap. 5. sic loquitur Ordines igitur, vel probare, vel refellere, quoniam non est à scientia id solùm, sed etiam à prudentia dependet, non ad ea pertinet in quibus Summus Pontifex errare nequit. Oppositam sententiam tenent Recentiores, quos sequitur Ioan. à Sancto Thoma hic disp. 19. art. 3. vbi de Cano subdit, quòd satis audacter asserat, aliquos Ordines ab Ecclesia non solùm inutiliter, sed etiam noxiè approbatos, quod dictum meritò inquit censuræ subijcitur, vel temeritatis, vel scandali, vel proximitatis erroris. Quod probat contrà Cano auctoritate D. Thomæ Opusc. 19. cap. 4. vbi sic habet: [in iure, Videlicet 25. quæst. 1. dicitur, nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare. Cùm ergo per Apostolicam Sedem Religiones aliquę institutæ sint, ad prædicta manifestè se damnabilem reddit, quicumque talem Religionem damnare conatur.] Si ergo nulla Religio à Sede Apostolica approbata licitè damnari potest, ergo sine temeritatis nota, nemo dicere poterit, Papam errare posse in approbatione Religionis.

§. Huic probationi ex D. Thoma respondet Cano, tempore D. Thomæ adeò restrictè, & grauatè noui Ordines admittebantur, vt ex tam graui, angustoque iudicio probabile argumentum prudentis consilij sumeretur; nostro verò hoc sæculo tam multæ sunt Religiones à Pontificibus confirmatæ, vt qui eas omnes tueri voluerit tamquam Ecclesiæ vel vtiles, vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine iure optimo summisque rationibus arguatur. Hæc Canus.

§. Sed insto contrà illum, nam D. Thomas probat, quòd damnabilem se reddit, qui Religionem aliquam à Sede Apostolica approbatam damnat, ex eo quod nulli fas est sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare; ergo siue Religiones sint paucæ, siue multæ, dummodò approbatæ sint per Sedem Apostolicam, hoc ipsum diceret D. Thomas, nam nunquam licet, vel licuit diuinas constitutiones, vel Apostolica decreta temerare.

§. Quod etiam ratione conuincitur: nam Ecclesia approbando Religionem aliquam proponit illam omnibus fidelibus, tanquam regulam, & viam perfectionis, ita vt liberum sit eam sequi vnicuique, non solùm tanquam aliquid pertinens ad communia præcepta, sed pertinens ad consilia, & ad perfectionem, ergo si Pontifex erraret in huiusmodi approbatione proponendo aliquid noxium, & inutile pro vera, & legitima regula religiosæ perfectionis, falleretur Ecclesia in re magni momenti, quia proponeretur aliquid omnibus fidelibus, vt regula sanctitatis, quod regula non esset.

Sed dico 3. Papa non potest errare approbando aliquam Religionem, sic quod approbet aliquam Regulam, & illam toti Ecclesiæ, vt imitandam, vel sequendam proponat, quæ moraliter bona non sit.

Prob. nam id quod Papa toti Ecclesiæ, vt regulam morum proponit, non potest esse moraliter bonum, sed dum approbat aliquam Religionem, illam vt perfectionis viam toti Ecclesiæ commendat, sic quod vnicuique fidelium licet prædictam Religionem ingredi, & in ea profiteri, ergo Religio approbata à Summo Pontifice non potest non esse moraliter bona, & sic in eius approbatione Papa errare non poterit.

§. Dices, illam approbationem non fieri à Pontifice ex Cathedra, sed tantum per modum indulgentiæ, & concessionis: sicut Beatificatio Sanctorum, in qua Papa indulget, & concedit, quòd aliquis possit coli, vt Sanctus: ob quam rationem multi dicunt Papam in Beatificatione posse errare: ergo pariter erit dicendum, quòd in approbatione Religionis errare poterit.

§. Sed contrà est, nam Pontifex sicut nequit, vt persona priuata toti Ecclesiæ legem ponere, sic nequit, vt perfectionis viam toti Ecclesiæ aliquid proponere; ergo cùm Pontifex approbans aliquam Religionem toti Ecclesiæ eam, vt viam perfectionis sequendam commendet, non erit credendum huiusmodi approbationem fieri à Pontifice, vt à persona priuata, & sequente peculiari iudicium. Ad id quod dicitur de Beatificatione dico, quod si propriè Beatificatio simpliciter sit etiam in ea Pontifex errare non potest, quia etiam includit iudicium certum de sanctitate Beati, ita vt sit temerarius, & scandalosus, qui modò diceret B. Rosam nuper simpliciter Beatificatam non esse Sanctam. Si autem sit beatificatio secundùm quid tantum vera est doctrina adducta ab auctoribus, qui ibi citantur. Vndè non est eadem ratio de approbatione Religionis, quia hæc de qua loquimur non diuiditur in eam, quæ est talis simpliciter, & eam, quæ est talis secundùm quid.

Dico 4. Non est licitum asserere, nimis multiplicatas esse Religiones easque, quas modò videmus esse superfluas, & incommodum parturire Ecclesiæ Dei. Nam numerus Religionum approbatarum, qui nunc est, à Sede Apostolica factus, & approbatus est, ergo non est licitum asserere, quòd nimietas eius est inutilis, & Ecclesiæ Dei incommoda.

Prob. antec. qui addit vnitatem nouam ad numerum præcedentem nouum numerum facit, siquidem ab vltima vnitate numerus speciem accipit, ergo qui suprà Religiones approbatas aliam approbat nouam, numerum anteriorem augendo firmat, & approbat. Sed Sedes Apostolica approbando Religionem nouam suprà Religiones approbatas aliam approbat, ergo numeros Religionum, qui nunc est, à Sede Apostolica factus, & approbatus est. Confirmatur hoc. Pontifex hic, & nunc approbans aliquam Religionem certam scientiam habet de multitudine aliarum, quæ per prædecessores suos approbatæ sunt, & tamen istam de nouo approbat, ergo prudenter iudicat, quòd numerus Religionum ad tot vnitates perductus non est inutilis, neque Ecclesię noxius. Quod si Pontifex ad quem pertinet respicere ad bonum commune Ecclesiæ, non iudicat illam multitudinem nocere Ecclesiæ, nec nos debebimus illud iudicare.

Sed contrà has conclusiones arguit Magister Cano vbi suprà: nam in Concilio Lateranensi animaduersum est, Religionum nimiam multitudinem, quam nunc maiorem videmus, valdè Ecclesiæ Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunense fatetur, quod importuna petentium inhiatio contrà Synodi decretum aliquarum Religionum confirmationem extorsit, vnde quasdam Ordines per Sedem Apostolicam approbatos, tanquam Ecclesiæ vel noxios, vel inutiles abolendos esse decreuit, vt nullum deinceps ad eorum probationem admitterent. Et Cœlestinus V. statutum, vitamque Fratricellorum suo priuilegio confirmarat, quod tamen priuilegium Ioannes XXII. infirmum esse dixit, eo quod Bonifacius ex certis rationibus causisque ea, quæ Cœlestinus concesserat viribus penitùs euacuasset. Paulus item III. Ordinem, quem in Italia Frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur, at Ordo ille publico edicto à Venetis est explosus, & Baptistæ doctrina cui illius Ordinis Alumni inhærebant, Romæ est condemnata, ergo.

§. Ad hęc suo ordine respondetur, ad primum placet adducere Caput illud 13. Concilij Lateranensis, quia non bene refertur à Cano. Dicit ergo sic: *ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed quicumque voluerit ad Religionem conuerti, vnam de approbatis assumat.* In quibus, vt patet non prohibentur Papæ in futurum nouas Religiones approbare, sed tantùm prohibentur illæ inuentiones nouarum Religionum, pro ijs, qui independentèr à Sede Apostolica cum religiosam vitam agere volebant, sibi Religionem fingebant suo arbitratu, & in ea vitam agebant religiosam. Vndè præfata prohibitio

non

non nocet conclusionibus nostris. In quibus loquimur de Religionibus à Sede Apostolica approbatis.

§. Ad id quod adducitur ex Concilio Lugdunensi, placet etiam recitare Concilium, & id quod sub Gregorio X. sancitum est c.23. ibi: [Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium consulta prohibitione vetuit; sed quia non solùm importuna petentium inhiatio illarum postmodùm multiplicationem extorsit, verùm etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum Ordinum præcipuè Mendicantium, (quorum nondum approbationis meruere principium) effrenatam quasi quandam multitudinem adinuenit, repetita constitutione districtiùs inhibentes, ne aliquis de cætero nouum Ordinem, aut Religionem inueniat, vel habitum nouæ Religionis assumat. Cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicę meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenùs processerant reuocamus. Confirmatos tamen per sedem eandem, post tamen dictum Concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem redditus, aut possessiones habere professio, siue regula, vel constitutio qualibet interdicit, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, modo subsistere decernimus infrascripto, vt professoribus eorumdem Ordinum ita liceat in illis remanere si velint, quòd nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de nouo aliquam domum, locumue adquirant, nec domos, seu loca, quæ habeant, alienare valeant sine sedis eiusdem licentia speciali.] In quibus, vt patet, solùm prohibentur Religiones à Sede Apostolica non approbatæ. Et de alijs, quæ post dictum Concilium Lateranense à Sede Apostolica confirmatæ sunt, tantùm dicitur, quod sine licentia Sedis Apostolicæ non possint alios admittere ad professionem, neque alias domos, vel loca acquirere. Vndè nihil ex his contrà nostram resolutionem habetur, qui tantùm loquimur de Religionibus à Sede Apostolica approbatis.

§. De alijs autem, quæ ibi adducuntur à Cano, dico quòd Sedes Apostolica habet auctoritatem ad extinguendos Ordines etiam approbatos, non quia regula, & institutum eorum sanum moralitèr non sit, sed quia cultores Religionum non benè se habent in obseruantia Ordinis sui, vel quia multitudo, quæ bona erat Religionum, quando approbata est, tunc mutatis temporibus vtilis non apparet, vel alijs de causis occurrentibus: hisque rationibus Bonifacius VIII. extinxit Ordinem Fratricellorum approbatum à Cœlestino V. & ordo Templariorum quondam approbatus posteà à Clemente V. sicut & Ordo Humiliatorum à Pio V. extincti sunt. Neque in hoc aliquod inconueniens apparet; nam sicut leges latæ reuocari possunt ex causa non quia malæ erant, sed quia propter circumstantias, & alias causas minùs necessariæ, aut secundùm prudentiam nunc minùs idoneæ: ita regulæ aliquæ Religionum, seu potiùs Religiones ipsæ extingui possunt, non quia malæ, sed quia earum Professores non benè vtuntur illis, & ita minùs idoneæ, & vtiles Ecclesiæ iudicantur. Dum autem Ecclesia approbat, & approbatam conseruat Religionem, non auderem illam condemnare neque nota inutilitatis inurere.



QVÆSTIO XIV.

De electione Summi Pontificis.

§. I.

Vtrùm Pontifex possit sibi eligere successorem in Papatu.



Irca hoc quæsitum Magister Victoria Relectione 2. de potestate Papæ partem tenet affirmatiuam; ipsum sequitur Pater Vasquez 3.p. tom. 3. disput. 244. cap. 3. num.26. & Martinus de Ledesma Dominicanus, qui in 2. quarti q. 20. art.4. concl.10. fol.312. sic habet: B. Petrus potuit eligere, & designare sibi successorem, qui defuncto Petro sine alia electione esset Summus Pontifex. Hæc conclusio non recipitur ab aliquibus recentioribus, eò quòd sint Pontificiæ dignitati aliquantum infensiores quam deceret, alioquin pij, & Christiani scriptores, qui si fides adhibenda est vera narrantibus, Clementem ipse viuens in Pontificem nominauit, vt habetur 8.quæst.1. cap. si Petrus, ex authoritate Ioan. III. qui fuit temporibus Iustiniani. Et post parua dicit: vndè sequitur, quòd idem potuit facere quilibet successor Petri, cùm quilibet successor habeat eandem auctoritatem, quam Petrus habuit.

§. Secunda sententia affirmat, de lege ordinaria, & regulariter Papam non posse sibi eligere successorem, benè verò in aliquo vrgentissimo casu. Ita tenet Suarez hic disp.10. sect. 5. num. 16. hanc sententiam magis ampliat Franciscus Amicus in cursu Theologico tom. 4. dis. 6. num. 104. vbi affirmat, quòd posset Summus Pontifex sibi successorem post mortem designare, isque designatus validè electus foret, modò talis electio apertam non contineat iniustitiam, quod tunc esset, quando Pontifex hoc faceret, quasi ex Testamento dignitatis suæ hæredem substitueret, quod dicit declarare Glossam in cap. si transitus Papæ dist.79.

§. Tertia sententia negat Papam posse sibi eligere successorem post mortem. Hanc tenent ex Cardinalibus Iacobatius de Concilijs lib.5. art.22. num.2. & lib. 8. art. 18. Albanus lib. de Cardinalatu q. 32. Turre Cremata in summa Ecclesiæ lib.2. cap. 51. Caietanus tom.1. Opusculorum tract.3. in Apologia de Comparatione authoritatis Papę cum authoritate Concilij p.2. cap.22. Ex alijs tenent Candidus in peculiari disquisitione de hac quæstione, quæ reperitur in fine tom. 2. suorum operum. Tenet Comitolus respons. moralium quæst. 98. Turrianus hic tom. 2. disp. 15. dub. 3. Tarrade in amplitudine beneficiaria disp. 1. & 3. quæst. 2. num.16. Villadiego de Cardinalatu qu. 3. num. 19. Manchinus in disquis. Centuria 2. cap. 177. Acugna in decretum Gratiani parte 1. distin. 79. cap.10. num.1. Laudensis de Cardinal. q. 20. & 39. Lauotius variar. tom.1. titulo 4. c. 43. num.33. Armacanus lib.1. cap. 15. & 19. Paludanus de Republica Ecclesiastica c.7. Tiraquellus de iure constitut. parte 3. limitat. 2. Alphonsus Mendoza in quæst. quod libeticis quæst.4. Rodulphus Cupers tract. de Ecclesia art.2. num.23.fol.151. Diana tom.10.tract.5. resol.4. & ferè omnes moderni. Et quia hęc sententia est veritati conformior, statuitur à nobis pro conclusione.

Dico ergo: Papa non habet potestatem designandi, vel eligendi sibi successorem in Papatu.

Prob. primò ex cap. finali dist. 79. vbi Anacletus Papa dicit, [electionem Summorum Pontificum, vel Sacerdotum sibi Dominus reseruauit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset.] Quæ verba sic sanè debent intelligi, *sic reseruauit*, quia ipse Christus Dominus solus fuit, qui sibi designauit in Vicarium suum: & Ecclesiæ visibile caput Petrum Apostolum, dicens *pasce oues meas*. Electionem autem eorumdem bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessit, quia Ecclesiæ suæ eligendi Summum Pontificem tradidit potestatem.

§. Prob. 2. ex relatione Consistoriali, quam referunt Ioannes Baptista Cassalius de Veteribus sacris Christianorum titibus c. 79. in fine, & Andreas Victorellus in additione ad Ciacconem in Vita Papæ Pij IV. his verbis: [anno 1565. die 18. Nouembris, Cardinales in Consistorio alloquens, ætatem suam senio confectam in occasum, quasi præcipitem ferri narrans; adiecit scitè se, quæsiuisse à iurisconsultis, an Romanus Pontifex sibi successorem deligere queat: & sub Paulo IV. agitatam quæstionem, an idem Pontifex adiutorem cum futura successione adsciscere possit? & quamuis nonnulli, Decius in primis, id

id affirment: eam tamen Pius, vt falsam reijciendam censuit: volebatque declarare, etsi opus fuisset statuere, Pontificem Cardinalibus etiam assentientibus id facere non posse. Maior Cardinalium numerus, decretum faciendum judicauit. Gambara dixit, declaratum olim à Pontifice in Consistorio, & decreto firmatum, hoc à Pontifice effici non posse; quare aiebat videndum, quibus verbis constitutio facienda. Pius auditis sententijs decretum inutile non futurum asseruit; seque declaraturum, Pontificem non posse successorem, adiutoremue cum futura successione sibi eligere.] hæc ibi. Scio posse dicere aliquem, de hoc decreto consistoriali non constare autenticè, & declarationem illam Pontificis in lucem non prodijsse. Cæterùm Authores, qui id enarrant, quos suprà retuli, viri magnæ fidei sunt.

§. Tertiò id probo ex facto Pontificis Bonifacij: etenim cùm Bonifacius II. tentasset ordinare sibi successorem, Vigilium Diaconum: facta tamen iterùm Synodo, ipsemet Bonifacius Papa reum se confessus est maiestatis, eò quòd sibi successorem constituisset; & decretum sua subscriptione munitum in præsentia omnium Sacerdotum, & cleri, & Senatus incendio consumpsit, quod factum refert Baronius tom. 7. anno 531. & addit, *sed & quàm Deo displicuerit illud manifestum est, cùm ad aliorum exemplum eundem Bonifacium citò ex hac vita subtraxit*: quod & repetit Gundisaluus de Illescas in historia Pontificali, in vita eiusdem Bonifacij.

§. Prob. 4. nam ex antiquissima Ecclesiæ traditione constat, nullum iustè ascendisse ad Papatum nisi per Ecclesiæ electionem, quod facit euidentissimum argumentum ad probandum, Papam non habere potestatem sibi designandi successorem. Successus enim Ecclesiæ referuntur varij, persequutione Tyrannorum incredibiles, Schismata innumera, & tamen nunquam legitur, aliquem iustè sedisse in Cathedra Petri, nisi per Ecclesiæ electionem. Signum ergo est, quòd potestas electiua Pontificis non est in Papa.

§. Quod confir. si Papa habuisset hanc potestatem, non posset Ecclesia priuare illum hac potestate, nisi fortè ob malum vsum eiusdem potestatis, at nullo præcedente malo vsu huius potestatis ius canonicum priuat Papas hac potestate; ergo talis priuatio est sola, & solida declaratio eius, quod Pontifices non habent talem potestatem.

Prob. 5. nam Pontifex est sponsus Ecclesiæ, habetur enim inter Papam, & Ecclesiam connubium spirituale, ob quam rationem donec Pontifex Papatum non acceptat Pontifex non est, esto ab Ecclesia ritè electus sit. Sed secundùm omnia iura Sponsa debet sibi eligere Sponsum, & non ab alio accipere electum, vt sic voluntariè contrahat, ergo potestas eligendi Summum Pontificem non extat in Pontifice, sed in Ecclesia sponsa sua.

§. Dices, Petrum fuisse sponsum Ecclesiæ, & tamen non fuisse electum ab Ecclesia, sed ei datum à Christo, ergo ratio adducta nihil conuincit. Sed contra hoc est, nam Christus fuit fundator Ecclesiæ, & institutor huius coniugij spiritualis inter Papam, & Ecclesiam: vndè sicut ipse elegit sponsam, potuit ei dare sponsum, quem iudicauit ei congruere. Summus autem Pontifex, qui posteà regnat, fundator Ecclesiæ non est, non ergo ex paritate adducta conuincitur, quòd possit Ecclesiæ designare sponsum. Explicatur hoc: esto in matrimonijs corporalibus sponsa sibi eligat sponsum, & vice versa sponsus sibi eligat sponsam, tamen in primo matrimonio corporali Deus ipse, qui matrimonium instituit, ipsemet paritèr sponsæ sponsum, & huic sponsam prouidit, ergo similiter cùm primum matrimonium spirituale legis gratiæ fuerit illud, quod celebratum est inter Petrum, & Ecclesiam, potuit Christus eligere vtrumque, nempè sponsum, & sponsam scilicèt Petrum, & Ecclesiam, ergo sicut non fit argumentum à primo matrimonio corporali ad alia deinde sequuta, sic non fit argumentum à primo matrimonio spirituali ad alia matrimonia subsequuta. 2. nam Christus ex quo Deus, & homo erat, erat magis Dominus nostrarum voluntatum, quàm nos ipsi simus earum Domini, Pontifex autem non est dominus voluntaris Ecclesiæ, quæ ipso emortuo restat sine sponso, ergo esto potuerit Christus salua libertate matrimonij spiritualis Ecclesiæ designare sponsum, non tamen ex hoc sequitur, quod id ipsum possit Pontifex.

§. Prob. 6. concl. ex disparitate Summi Pontificatus veteris legis, & Pontificatus legis gratiæ, illud enim ob imperfectionem illius legis carnalis erat, & sic successu generationum in eadem familia conseruabatur, succedentibus filijs, Patribus in Pontificatu, hic autem ob perfectionem legis gratiæ purè spiritualis debet esse, atque adeò debet carere omni sapore carnis, & sanguinis: non autem hoc sapore careret, si Pontifex posset sibi designare successorem, cùm enim in potestate eius esset designare successorem, regularitèr illum eligeret de domo, & familia sua, & sicut nepotes Pontificis modò exaltantur à Pontificibus, tunc etiam exaltarent plerumque eos, vsque ad Papatum, & sic successio Pontificum non esset omni affectu carnis, & sanguinis destituta.

§. Dices non esse timendum, quòd Pontifices tali potestate abuterentur, quia si illam habuissent, illa non vterentur, nisi vt Pontifices, & de Cathedra dictando, in his autem, quæ Pontifex de Cathedra dictat, errare non potest; & sic tunc in vsu illius potestatis Pontifices non errarent.

§. Sed contrà est, nam electoribus Papæ non est debita assistentia Spiritus sancti, ita vt quoties cumque eligunt ritè eligant, constat enim nonnullas electiones Pontificum fuisse vel vitiosas, ac nullas, vel ad minus dubias, vt quando elegerunt Petrum de Luna, qui appellatus est Benedictus XIII. & Angelum de Corario, qui dictus est Gregorius XII. & Ioannem XXIV. qui tres postmodum deiecti fuere à Papatu in Concilio Constantiensi: & quando facta electione Alexandr. III. contrà ipsum alij Cardinales elegerunt Octauiauum Romanum ciuem, qui Victor est appellatus, & durauit schisma per 20. annos, ergo similiter fatendum erit, Pontificem si eligendi Papam successorem habuisset facultatem, posse

posse errare in designatione successoris,& non de cathedra id dictaturum, patet con. à paritate rationis, si enim electores habentes potestatem eligendi, aliquando errauerunt in vsu talis potestatis,quare non similiter timendum esset, ne erraret Pontifex in eodem vsu ?

Tandem hanc concl. probat Caietanus sic: actio per se factiua Papæ debet per se supponere carentiam Papæ, sed electio Summi Pontificis est actio per se factiua Papæ, ergo debet per se supponere carentiam Papæ; non ergo Pontifex dum viuit habet potestatem ad sibi eligendum successorem mai. probat Caietanus, nam nullus potest esse Pontifex alio Pontifice viuente, ergo actio per se factiua vnius Pontificis per se supponit carentiam omnis Pontificis.

§. Hæc ratio multis non placet, nam esto duo Pontifices simul esse non possint, non tamen implicat, quòd dum vnus est Pontifex, alter sit Princeps hæres Papatus, sicut esto non possint esse simul duo legitimi Imperatores, non tamen inde sit, quòd viuente vno Imperatore alius non sit Rex Romanorum, hæres Imperij post mortem Imperatoris præcedentis. Posset enim fieri, quòd Pontifex dum viueret sibi successorem designaret non eo iure, vt Papa esset viuente Pontifice electore, sed tantùm vt Papatum hæreditaret post mortem ipsius. Sicut fit in canonicatibus,in quibus canonicus viuens sibi designat coadiutorem, qui non est canonicus dum proprietarius viuit, sed tantùm habet ius ad canonicatum post mortem eius.

§. Cæterùm ratio Caietani optima est; nam neque duo Pontifices simul esse permittuntur, neque duo quorum alter sit actu Pontifex, & alter sola eius morte Pontifex sit compatibiles sunt, ergo actio factiua per se Papæ non potest conuenire ei, qui de facto Papa est.

Cons. est bona, & ant. prob. quoad secundam partem, (nam quoad primam certissimum est) etenim electio Papæ non est factiua alicuius dignitatis Papatu inferioris, cui iure successionis post mortem Papæ, Papatus debeatur, sed est immediatè factiua Papæ; ergo non sunt compatibiles simul duo, quorum alter actu sit Papa, & alter sit electus in Papam: prob. cons. nam vterque verè esset Papa, at duo Papæ simul incompossibiles sunt, igitur incompossibiles erunt duo, quorum alter sit Papa, & alter sit electus in Papam, & antecedens patet, nam Deus tantum instituit Papas, & non instituit dignitates Papatu inferiores, quibus iure aut hæreditario, aut successorio Papatus debeatur post mortem alterius.

§. Explicatur hoc, ex eo, quia duo Imperatores simul incompossibiles sunt, instituta est dignitas inferior Imperio, nempè Maiestas Regis Romanorum, cui post mortem successorio iure debetur Imperium, quæ eligitur viuente Imperatore, non tamen adest potestas ad eligendum Imperatorem alio viuente Imperatore, ergo cùm electio Papę per se sit factiua Papæ, & non alicuius dignitatis Papatu inferioris, cui titulo successorio Papatus debeatur, & duo Papæ simul incompossibiles sint, non aderit potestas Papa viuente ad eligendum alium Papam.

§. Ex qua doctrina patet ad exemplum primum contrà adductum, etenim inter Imperatorem præsentem, & Imperatorem futurum datur media dignitas inferior vtroque, cui post mortem Imperatoris debetur Imperium, & sic potest viuente vno Imperatore eligi alter, qui primo viuente non sit Imperator, sed cui tantùm post mortem contingat Imperium; ex hoc enim non sequitur dari duos Imperatores simul, sed tantùm dari Imperatorem, & Regem Romanorum. In materia autem Papatus non est designata à Christo aliqua dignitas inferior Papatu, sed tantùm designatus vnus Papa post mortem alterius, & sic Papa dum viuit, & regnat non potest eligere alium in Papam, sic enim simul essent duo Papæ; non ergo ex hoc capite colligitur Papam posse sibi eligere successorem.

§. Ad secundum exemplum de canonicatu dico, non esse simile, canonicatus enim non dantur per electionem, sed dantur à Pontifice prout ipsi placuerit, vnde ex eius auctoritate, & concessione potest canonicus viuens sibi designare alium, qui post eius mortem canonicus sit, neque enim est inconueniens, quòd simul sibi coexistant duo isti, quorum alter sit proprietarius,& alter coadiutor eius,cui post mortem proprietarij, contingat canonicatus, neque enim hoc est facere duos canonicos simul, sed tantùm est facere canonicum, & vicarium eius; si autem Pontifex sibi eligeret alium successorem, isti duo simul essent Papæ, quia electio non est factiua Vicarij, sed Papæ.

§. II.

Soluuntur argumenta contra Conclusionem.

Arguitur 1. D. Petrus de facto sibi elegit successorem Clementem, ergo Pontifex habet potestatem eligendi sibi successorem in Papatu. Prob. ant. authoritate Ioannis III. qui in epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ sic habet: *Si autem Petrus Princeps Apostolorum adiutores sibi adsciuit Linum, & Cletum, non tamen potestatem Pontificij, aut ligandi, atque soluendi eis normam tradidit, sed successori suo S. Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem tradente sibi B. Petro tenere promeruit.*

§. Prob. 2. ex Petro Lirinensi, qui in epistola ad Archiepiscopum Moguntinum Dominum Danielem sic scribit. *Huius Sedem, qui post eius discessum susciperet, & præ cæteris dignus ab ipsomet Petro indicatus est,& coactus,* quod quidem verba Petri in designatione eius, quibus Clementem in suscipiendo Episcopatum modestè tergiuersantem coram populo alloquitur, satis testificantur, quòd si esset alius melior, inquit, si quis mihi alius adiutor tam sedulus adstitisset, si quis tam plenè doctrinæ meæ rationem cœpisset, sed & Ecclesiasticas dispositiones à me tam plenè didicisset, habens alium talem, non te cogerem opus bonum suscipere nolentem. Idem refert Lambertus Venradius in præfatione ad opera S. Clementis, vbi inter alia de ipso dicit: *Sedem, Ecclesiamque Romanam à Petro iam mori-*

morituro sibi commissam cum Lino, & Anacleto viris sanctissimis gubernandam suscepit.

§. Vrgetur valdè hoc ipsum ex ipsa Clementis authoritate in epistola ad Iacobum fratrem Domini, vbi loquens de Petro, iam morti appropinquante dicit: [In ipsis autem diebus quibus vitæ finem sibi imminere præsentit, in conuentu fratrum positus, apprehensa manu mea repentè consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba, audite me fratres, & conserui mei, quoniam vt edoctus sum ab eo qui misit me Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado, & paulò infra. Propter quod ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & soluendi, vt de omnibus quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit, & in Cœlis. Hæc eo dicente ego procidens ad pedes eius rogabam, excusans me, & declinans honorem, vel Cathedræ potestatem, at ille respondens, pro hoc, inquit, non me rogaueris, hoc enim fieri statutum est mihi, & eò magis quò te excusas, quia hæc Cathedra eum qui cupit eam, & audaciter experit, non requirit, sed ornatum moribus, & in verbis eruditum.] Hæc Clemens. Confirmat. hoc ipsum, nam Leo II. in cap. *Si Petrus* 8. quæst. 1. dicit, *Petrum potestatem Pontificiam tradidisse successori suo*. Hoc ipsum affirmant Anacletus, & Fabianus, dum Epistolam Decretalem ad Iacobum fratrem Domini tanquam Clementis legitimum partum agnoscunt, vt refert Caranza in sum. Concil. verbo *Clemens Papa II.* ergo Petrus sibi successorem Clementem elegit.

§. Ad hoc argumentum respon. 1. dato *transeat* ad antec. neg. conseq. nam si Petrus designauit sibi Clementem in successorem, hoc non fecit ex potestate ordinaria, quam ad sic faciendum habuerit, sed tantùm, vt refertur ex speciali Christi statuto, dicitur enim in illa epistola ad Iacobum fratrem Domini: *Hoc enim fieri statutum est mihi*, quæ dicens designauit Petrus speciale statutum à Deo se habuisse ad id faciendum.

Vndè in hoc Petrus non venit imitandus à suis successoribus, quia id non fecit ex ordinaria Papatus potestate, sed ex speciali Dei indulto, sicut neque imitandus venit in eo quòd ipse Sedem Apostolicam transtulerit ab Antiochia Romam, quasi propterea liceat successoribus eius Sedem Roma ad alias Vrbes transferre, quia illud creditur factum non ex ordinaria Papatus potestate, sed ex speciali Dei iussu, vt habetur in cap. *Rogamus*, 2. quæst. 1. 24. distinct. vbi Marcellus Papa dicit, Petrum ex iussione Domini transtulisse Sedem Antiochiæ Romam.

Vndè vanum est, id quod contra hanc respon. obijcit, Vasquez 3. par. tom. 3. distinct. 244. videlicet, nullum fundamentum haberi ad asserendum, hoc fecisse Petrum ex peculiari priuilegio ei concessum. Vanum quidem est hoc, quia ex ipso ore Petri habetur hoc sibi statutum fuisse, quod statutum si non fuisset tantùm personale pro sola persona Petri, descendisset ad successores eius, quod vt apparet falsissimum est.

Sed respon. 2. ad argumentum factum neg. antec. Ad prob. dicu, omnia illa fundari, vel desumpta esse ex epistola illa Clementis ad Iacobum fratrem Domini, illa autem epistola apocrypha iudicatur à Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 2. capit. 10. à Driedo de dogmatibus, & script. Ecclesiasticis lib. 1. par. 3. Bellarminio de script. Ecclesiast. à Petro Comestore historiæ Ecclesiast. cap. 101. super Acta Apostol. à Baronio ad Annum Domini 69. à Binio in notis ad hanc Epistolam, & Posseuino in supplemento verbo *Clemens Romanus*, & meritò iudicatur apocrypha, propter multa, quæ continet incompossibilia, quorum vnicum referam, etenim in illa dicitur, quod Clemens moneat Iacobum fratrem Domini de Nece Petri, quod ab omnibus debet iudicari impossibile, nam Iacobus obijt 7. Neronis anno, & D. Petrus passus est 13. anno Neronis, non ergo fuit possibile, quòd Clemens moneret Iacobum fratrem Domini de Nece Petri, nisi prædictam epistolam miserit ad Paradisum, in quo per sexennium iam habitarat Iacobus quando Petrus mortuus est.

§. Et sanè quod in ea epistola dicitur, quod Clemens successerit Petro in Papatu, ex eo monstratur falsissimum, quia in Canone Missæ vbi ordo Pontificum designatur, post Petrum ponitur Linus, & post Linum Cletus, & demum post Cletum sequitur Clemens. Nec valet dicere, Linum, & Cletum ibi non poni, vt Pontifices, nam etiam ibi apponitur Cyprianus, qui tamen non fuit Pontifex Romanus, sed tantùm fuit Episcopus Carthaginensis. Non inquam valet, nam Ecclesia ibi eos ponit, eo modo quo colit illos, at illos colit, vt Papas, habetur enim in Martyrologio Romano 23. Septembris natalis Sancti Lini Papæ, & Martyris, qui primus post Petrum Ecclesiam rexit, & 26. Aprilis Romæ natalis Beati Cleti Papæ, qui secundum post Petrum rexit Ecclesiam, & 23. Nouembris natalis Sancti Clementis Papæ, & Martyris, qui tertius post Beatum Petrum Apostolum Pontificatum tenuit, igitur in Canone ponuntur, vt Papæ, & non vt Episcopi, sicut Cyprianus, quem Ecclesia celebrat, vt Episcopum Carthaginensem, non verò vt Papam.

§. Apparet secundò, hoc ipsum esse falsum, ex eo quod authores oppositi censent Clementem sedisse in Pontificatu nouem annis, quod est impossibile, si ipse successit Petro, nam hic obijt 13. Neronis anno, qui fuit à Natiuitate Domini 69. Clemens autem mortuus est Traiani anno 3. qui fuit à Natiuitate Domini 101. vndè inter mortem Petri, & Clementis elapsi fuere 32. anni si ergo tantùm nouem annis sedit, quomodò 32. annis regnauit.

§. Respon. ad hoc, quòd Petrus eum designauit in suum successorem, cæterùm quod Clemens noluit acceptare, sed reliquit Ecclesiæ facultatem, vt eligeret, & sic Ecclesia elegit Linum, qui 11. annis sedit, & isto mortuo, elegit Cletum, qui 12. annis regnauit, & isto mortuo Clemens electus

electus est, qui sedit nouem annis. Et sic completus est numerus annorum 32. elapsorum inter mortem Petri, & mortem Clementis.

§. Sed his oppono, quia si vera est illa epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini, iuxta quam hæc solutio traditur, Clemens malè fecisset, imò peccasset, non acceptando Pontificatum, quod credendum non est de tanto Sancto. Hoc sic suadeo, nam in illa epistola refertur, quòd modestè tergiuersanti Clementi in recusationem Pontificatus Petrus respondit, in hoc non me rogaueris, quia sic fieri statutum est mihi, opposuisset se ergo Clemens iussioni Domini sibi intimatæ, & sic peccasset non obediendo diuinis iussis.

§. Secundò mihi apparet, hoc esse falsum, quia si Petrus hoc exemplum reliquisset in Ecclesia, videlicet quòd ipse elegisset Clementem in successorem Papatus, quando Bonifacius II. sibi designauit Vigilium in successorem, & Concilium congregatum illius decretum combussit, vtpotè, quia Papa fecerat, id quod facere non poterat, Bonifacius probasset se fecisse, id quod facere poterat, quia sic fecisset Petrus, dum Clementem sibi in successorem designauit, at Bonifacius factum suum Petri facto probare noluit, sed cessit Concilij decreto, ergo signum euidens est, Petrum non sibi in successorem Clementem designasse.

§. Ad id autem quod obijcitur, hanc epistolam Clementis approbari ab Anacleto, & Fabiano tamquam legitimum Clementis partum. Dico non approbasse ex proprio iudicio, sed tantùm sequendo iudicium eorum apud quos probabilis opinio habebatur, de eo quod prædicta epistola Clementis fuerit, quæ probabilitas iam est amissa consideratione insuperabilium difficultatum, quæ habentur circa hoc factum, scimus enim quod Pontifices errare possunt in quæstionibus de facto, licèt errare non possint in quæstionibus de iure.

Secundò arguitur, potest Episcopus sibi designare successorem in Episcopatu, ergo & poterit Summus Pontifex designare Episcopum Vrbis, & Orbis sibi successorem. Probat. conseq. quia non minoris authoritatis est potentia Papæ circa totam Ecclesiam, quàm sit authoritas Episcopi circa suam Diœcesim, ergo si potest Episcopus sibi designare Episcopum successorem in suo Episcopatu, poterit quoque Pontifex sibi designare successorem in Papatu. Antec. autem probat. ex cap. *Petijsti* 7. quæst. 1. vbi refertur, quòd Zaccharias Papa concessit Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, vt instante die mortis suæ sibi in Archiepiscopatu successorem designaret. Verba Pontificis referuntur à Caranza in sum. Concil. sic: [Si autem contingat aliquem post tui transitus diem superesse, quem tu cognoueris idoneum, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora qua te de præsenti sæculo migraturum cognoueris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, vt huc veniat ordinandus.]

§. Præterea Valerius adhuc viuens Augustinum sibi elegit successorem in Episcopatu, qui ad illius petitionem Cathedram Episcopalem suscepit. Quin & ipse Augustinus, iam senex Presbyterum Eradium sibi elegit successorem, vt constat ex Epistola 110. ipsius Augustini illis verbis: [Presbyterum Eradium mihi successorem volo,] & à populo acclamatum est *Deo gratias*.

§. Quod confirmat. nam sicut Papa est Sponsus totius Ecclesiæ, ita & Episcopus est Sponsus suæ Diœcesis, sed licet Episcopo suæ Diœcesi designare Sponsum futurum, ergo & licebit Papæ toti Ecclesiæ designare Sponsum post eius mortem futurum.

§. Ad hoc distin. antec. potest Episcopus sibi in Episcopatu designare successorem potestate ordinaria Episcopatus, neg. antec. potestate delegata à Summo Pontifice conc. antec. & neg. conseq. Ad proban, transf. antec. & distin. conseq. poterit authoritate ordinaria Pontificatus neg. conseq. authoritate extraordinaria delegata illi à Christo, si quam habeat, transf. conseq. Itaque solus Pontifex habet potestatem ordinatam designandi Episcopos pro peculiaribus Diœcesibus, & sic possunt illam delegare, & ex delegatione possunt Episcopi designare successorem.

Similiter ad designandum futurum Papam, Papa potestatem ordinariam non habet, potest tamen habere à Deo delegatam de qua si Ecclesiæ constet, tenebitur admittere cum quem elegerit, vt verum Papam, neque hoc negamus, nos in conclusione, sed tantùm asseueramus, quòd Papa non habet potestatem ordinariam eligendi Papam successorem. Neque incompatibilia sunt, quòd Ecclesia habeat potestatem ordinariam eligendi Papam, & non Papa, & quod Papa extraordinariè per delegationem à Deo habeat potestatem. Sicut esto tempore Apostolorum, solus Petrus esset Papa potestate ordinaria, tamen potestate extraordinaria, & à Christo delegata omnes Apostoli æqualem habebant potestatem, esto cum subiectione ad Petrum. Ex quibus patet ad factum Zachariæ.

§. Ad factum autem Valerij dico, ipsum Augustinum in eadem epistola retulisse, Clero Hipponensi, Valerium ex ignorantia iuris illum designasse Episcopum, & ex eadem ignorantia Augustinum acceptasse Episcopatum. Ad factum Augustini dico, quòd, vt constat ex eadem epistola, Augustinus non sibi designauit Heradium in successorem, sed illum petijt Ecclesiæ, & populo eligi in successorem post suam mortem, & in coadiutorem sibi dum præ senectute onera Episcopatus portare ampliùs non poterat, quod & factum est.

§. Ad confirmat. dico, quòd Episcopus particularis Diœcesis, est Sponsus illius cum subordinatione ad Papam in omnibus, quæ Papa disposuerit circa talem Diœcesim, est enim Papa Dominus supremus, & vniuersalis omnium Ecclesiarum, & sic potest designare per se ipsum Sponsum cuicunque Diœcesi, & potest pariter delegare potestatem designandi. Ipse autem Pontifex est Sponsus

sus totius Ecclesiæ, cum subordinatione ad Deum, & sic debet stare diuinæ dispositioni, disposuit autem Deus, quòd Ecclesia sibi eligat Sponsum, & sic non debet huic dispositioni contrauenire sibi designando successorem. Vndè nulla fit iniuria peculiari Diœcesi, si ei Pontifex, vel per se, vel per alium successorem designet, faceret autem iniuriam Ecclesiæ si successorem illi eligeret, auferret enim eius ius, & libertatem, quam Deus reliquit in manu consilij sui.

Tertiò arguitur, non minùs Pontifex legis antiquæ erat Sponsus Synagogæ vniuersalis, quàm modò Pontifex sit Sponsus Ecclesiæ, at tunc synagoga non sibi eligebat Sponsum, ergo neque modò Ecclesia debet sibi eligere Pontificem.

§. Confirm. Papa repræsentatus est per Moysen, qui fuit Rex, & Sacerdos, sicut modò Papa est, at Moyses adhuc viuens elegit Iosue, sic enim scribitur Num.27. [Tolle Iosuè filium Num, & pone manum tuam super eum, ne sit populus Domini absque pastore,] ergo similiter poterit nunc Pontifex sibi eligere successorem. Ad hoc concessis præmissis nego conseq. sicut enim lex gratiæ non debet imitari imperfectiones legis antiquæ, ita neque summum Ecclesiæ Sacerdotium debet imitari Sacerdotium synagogæ in imperfectionibus suis, aliàs sicut illi Sacerdotes, carnales sibi accipiebant Sponsas, ita pariter & modò summi Sacerdotes sibi carnales Sponsas deberent accipere. Est enim lex gratiæ lex amoris, & sic Sacerdotium eius debet esse liberimum. Vndè debet Sponsa sibi eligere Sponsum.

§. Ad confirm. primò nego, quòd Moyses repræsentauerit nostrum Papam, cùm ipse non fuerit summus Sacerdos, sed Aaron frater eius, cuius filij post eius mortem hæreditarunt summum Sacerdotium. Sed dato trans. ad maiorem, & concessa minor:, nego consequentiam, nam Iosuè non est designatus à Moyse in Sacerdotem summum, sed tantùm in ducem populi Israel. Tertiò dico, quod illa designatio non fuit facta à Moyse ex potestate ordinaria, sed ex speciali Dei iussu, vt argumentum refert, & sic non militat contra nostram doctrinam.

Quartò. Arguitur, ad Papam attinet modum seruandum in electione Summi Pontificis, & regulam præbere secundùm quam electio fieri debet, igitur & poterit Summus Pontifex determinare regulam, modum, & electores, igitur & poterit determinare, quod adhuc viuens sibi successorem eligat. Conseq. videtur bona, nam inter modos eligendi Papas vnus est, quod per Pontificis designationem eligatur, ergo si potest determinare modum, regulam, & electores, poterit quoque determinare prædictum modum eligendi. Antec. autem probatur ex varijs Textibus iuris Canonici, sic enim determinat Textus in capite *in nomine* distinct. 33. & caput primum distinct. 77. caput *licèt* de electione, & caput *vbi* eodem titulo in 6. & in Clementina, *ne Romani* de electione, & multa refert Gratianus dist. 34. & 63. insuper Iulius II. sine Concilio generali, edidit statutum de electione Papæ, & multi alij Pontifices hoc ipsum fecere, sine interuentu generalis Concilij, ergo.

§. Confirmat. ante Nicolaum II. electio Papæ non erat restricta ad solos Cardinales, sed erat ampliata ad plures alios, & tamen Pontifex Nicolaus illam restrinxit ad solos Cardinales, sic enim habet decretum eius, vt legitur apud Caranzam in sum. Concil. [Si quis pecunia, aut gratia humana, aut populari, militariue tumultu, sine concordi, & Canonica electione Cardinalium fuerit in Trono Petri collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus, idest à ratione deficiens meritò vocetur, liceatque Cardinalibus, Clericis, & Laicis Deum colentibus illum, vt prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à Sede Apostolica propellere, atque quouis in loco (si in Vrbe non liceat) Catholicus huius rei causa congregare;] ergo poterit Pontifex electionem ad solum Pontificem restringere, & vocem actiuam ab alijs auferre, qui enim abstulit vocem electiuam ab aliquibus eam habentibus, cur non poterit illam ab omnibus auferre?

§. Ad hoc argumentum neg. conseq. Ad proban. neg. antec. post quam enim à Deo habet potestatem eligendi Summum Pontificem, Papa non potest determinare, quod Pontifex fiat per designationem prædecessoris, esse enim posse supra id quod Deus determinauit, saluis autem electoribus, qui à Deo habent potestatem eligendi, potest Papa electionem modificare, & formulare, auferre autem illos non potest. Si autem determinaret, quod Pontifex fieret per designationem prædecessoris, auferret de medio electores, qui de iure diuino electores sunt, quod facere nequit.

§. Ad confirmat. concedo antec. nego conseq. nam de iure diuino tantum est, quod Ecclesia Papam eligat, determinare autem quænam personæ Ecclesiæ eligere debeant, de iure diuino non est, & sic salua authoritate eligendi in Ecclesia potest Pontifex determinare, quòd electio ad istas, & non ad illas personas pertineat, & sic Nicolaus determinauit ad solos Cardinales pertinere eligere Papam, & sic potest restringere, & ampliare personas eligentes, auferre autem electionem totaliter ab Ecclesia non potest, quia ad ipsam electio iure diuino translata est.

Instabis, insolubilitas voti solemnis religionis de iure diuino est, ob quam rationem D.Tho. 2.2.quæst.88. attic.11. inquit, [quòd Papa non potest facere, quod ille qui est professus religionem, religiosus non sit,] licèt quidam Iuristæ contrarium dicant, & concludit corpus articuli dicens, [& ideò in voto solemnizato per professionem religionis, non potest per Ecclesiam dispensari.] At hoc non obstante Pontifices dispensarunt in voto solemni religionis, ergo esto de iure diuino sit, quòd Ecclesia Papam eligat, poterit hoc non obstante Pontifex auferre prædictam auctoritatem eligendi Ecclesiæ, & sibi ipsi illam applicare. Prætereà difficile videtur, quòd aliquod possit Ecclesia, quod non possit Ecclesiæ supremum caput, ergo si Eccle-

Ecclesia potest eligere, paritèr & Summus Pontifex id poterit.

§. Ad hoc dico, quod de maiori illius duplex opinio est, altera affirmatiua, altera negatiua; primam tenet D. Thomas, quem multi sequuntur, secundam tenent alij. Pontifices ergo, qui dispensarunt aliquando in prædicto voto, sequuti sunt sententiam eorum, qui affirmant prædictam indissolubilitatem non esse de iure Diuino, & castitatem non esse essentialiter annexam voto solemni religionis. Constat autem ex antiquissima Ecclesiæ traditione Ecclesiam habere de iure Diuino ordinariam potestatem eligendi Summum Pontificem, & sic nequit Pontifex ab illa eam auferre, & sibi ipsi tradere.

§. Instabis, etiam non est certum, quòd sola Ecclesia à Christo habeat potestatem eligendi Papam, Tum quia de hoc non habetur ius diuinum expressum, neque per infallibilem consequentiam hæc veritas deducitur. Tum quia opinio probabilis habetur de opposito, multi enim censent cum Victoria suprà relato, quòd Pontifex solum est prohibitus eligere successorem ex iure canonico, non verò ex iure diuino, alij etiam cum Suarez tenent hanc potestatem esse in Ecclesia per se iure diuino, & quasi ordinariè, ad hunc sensum, quòd elector ordinarius Papę solùm Ecclesia sit, non verò ad hunc sensum, quod Papa extraordinariè, & absolutè Pontificem eligere non possit, vndè aliqua vrgente difficultate poterit Pontifex sibi successorem designare, alij tenent cum Azor quod ex iure diuino expressò non sit quod Ecclesia eligat Papam, sed tantùm supposito iure diuino, quod Episcopus Romanus sit Papa; iure connaturalitatis vis eligendi Papam deuenit ad Ecclesiam quando est viduata Pastore.

§. Resp. in materia ita ardua non posse Pontificem practicè sequi præfatas opiniones, ne se exponat manifesto periculo schismatis in Ecclesia, operando contrà antiquissimam traditionem Ecclesiæ, & destruendo tot canonica iura, quæ ipsi negant potestatem designandi Papam. Et certe me conuincit ad assentendum, quod Papa id non possit facere hoc argumentum; videlicet, quod vsque modò vrgentissimis causis occurrentibus nullus Papa fecit nisi vnus, qui factum a Synodo compulsus est reuocare, & decretum comburet, signum ergo est quod ad sic faciendum non habet posse, cùm enim in alijs materijs sua plenitudine potestatis absolutè sint vsi, si ad designandum successorem in se agnouissent potestatem, secundùm illam aliquando operati essent, & Ecclesia sic operari eos sineret; cuius oppositum constat in facto Bonifacij II. dum Vigilium designauit.

§. Ceterùm contrà hanc rationem instabis, non est bonum argumentum, Papa vsque modò non elegit successorem, ergo agnoscit non habere se potestatem ad sibi eligendum illum, ergo hæc ratio ouæ à nobis facta nulla est.

Prob. ant. vsque ad tempora Cęlestini V. non legitur, aliquem Papam dum viueret renunciasse papatui, imò cum Cælestinus III. graui morbo laborans renunciare vellet Papatui, vt Cardinalem Ioannem de Sancto Paulo titulo sanctæ Priscæ suo loco eligi cuperet Cardinales noluerunt, asserentes inauditum esse in Ecclesia Dei, quòd Sum. Pontifex seipsum deponat, & tamen Cęlestinus V. viuens papatui renunciauit, vt de renunciatione cap. 1. refert Bonifacius VIII. qui tunc temporis erat vnus è Cardinalibus, vt ipsemet testatur, & talis renunciatio valida fuit, ergo non valet illa consequentia, Papa nullus vsque modò hoc vel illud fecit, igitur signum est quòd agnoscit se non habere potestatem ad sic faciendum.

Resp. argumentum esse bonum, & non retundi ex casu Cælestini V. quia licèt primus fuerit, qui papatui renunciauerit, renunciauit tamen secundùm iura, nam antequam papatui renunciasset deliberatione habita cum suis Fratribus S. R. E. Cardinalibus de ipsorum omnium concordi consilio, & assensu auctoritate apostolica statuit, & decreuit Pontificem posse liberè resignare vti refertur de renunciatione in 6. cap. 1. & facto hoc decreto postmodum renunciauit papatui, vndè renunciatio iam supposuit legem, statutum, & declarationem de eo quod ad renunciandum papatui, Pontifex habeat potestatem, nostra autem ratio procedit in casu quod nullum præcedat ius ad faciendum imò multa contradicant iura quod fiat, vti habetur in eo quod Pontifex sibi eligat successorem in papatu. Vndè ratio nostra manet inconcussa.

§. III.

Ad quas Ecclesiæ Personas spectet, & pertinuerit eligere Papam.

IN primis dico, quòd ad Cocilium generale non spectat eligere Papam. Ita tenet Tuscus tom. 3. verbo *electio Papæ*, concl. 57. qu. 1. tenet etiam Albanus de Cardinalibus qu. 35. Azor tom. 2. lib. 4. cap. 3. qu. 13. & alij multi, & probatur, nam nunquam Concilium generale vti prouinciale hac potestate est vsum, esto in aliquo emergenti in Concilijs generalibus Pontifices sint electi, in Concilio enim Constantiensi, vbi tres Antipapæ fuere à Concilio depositi, & Martinus V. electus à Concilio, sed Concilium designauit electores ipsius, vt constat ex sessione 41. vbi habetur decretum quo Concilium de consensu expresso Cardinalium aliquas personas Cardinalibus adiunxit, illisque eligendi Pontificem tradidit potestatem.

Vndè fallitur Suarez asserens Concilium Constantiense Papam elegisse. Similiter in Concilio Lateranensi vltimo cùm Iulius II. moreretur durante Concilio, Concilium non se intromisit ad eligendum nouum Papam, sed soli Cardinales elegerunt illum. Assignare autem rationem ob quam Concilium generale, cùm Ecclesiam representet, & potestas eligendi Papam iure connaturalitatis præsupposito iure diuino de eo quod successores Petri fiant per electionem, translata sit ad Ecclesiam non possit eligere Papam, difficilis semper visa est.

§. Alij enim eam assignant rationem, ex eo quod ius eligendi Papam per se, & ex natura rei tantùm pertinet ad clerum Romanum,

num, videlicet ad præcipuas personas eius, quales sunt Cardinales, nam vt infrà videbimus, isti sunt electores per se Episcopi Romani, cui papatus annexus est, & sic nequit ad Concilium generale, quod ex varijs gentibus, & nationibus congregatur, transferri. Alij eam assignant rationem, quia cùm Concilium generale valdè numerosum sit, non posset de facili concordare in electionem alicuius, vnde periculum esset schismatis ob discordiam tot electorum circa vnam personam. Alij dicunt, quod cùm Cardinales non à Concilio, sed à summo Pontifice potestatem eligendi acceperint, id tamen Concilio approbante, vti habetur in cap. licèt, & in cap. vbi periculum de electione in 6. & Concilium non possit supra Papam, non potest à Cardinalibus hanc potestatem auferre, & sibi eam attribuere.

§. Sed ego eam assigno rationem, videlicet, quòd cùm electio Pontificis debeat fieri secundùm ius canonicum, & secundùm regulas præscriptas ab ipso, & ius canonicum nihil decernat in fauorem Concilij, quin potiùs hanc potestatem Cardinalibus tradat, fit inde quòd Concilium generale non potest se intromittere ad eligendum Pontificem. Sed & aliam rationem dabo, ex eo, quia in Ecclesia debet dari aliqua regula & aliquis iudex, ad quem spectet iudicare de electione summi Pontificis verùm recta, & legitima sit; Vnde oportet, quòd sit potestas aliqua super ipsos electores, Concilium autem non est supra se ipsum, vnde cùm ad ipsum pertineat iudicare de electione summi Pontificis, hinc fit quod ad ipsum non pertineat electio summi Pontificis exequutiuè, bene tamen regulatiuè.

§. An autem in aliquo casu possit Concilium extraordinario modo sibi assumere ius eligendi, videlicet si Cardinales omnes mortui sint, & magnum schisma timeatur in Ecclesia? vel si Cardinales per longum tempus detinerentur in carcere ab aliquo Tyranno? Aliqui dicunt, quod sic, quia mortuis Cardinalibus, vel in carcere per longum tempus detentis vis eligendi transfertur ad Ecclesiam quam Concilium repræsentat, & sic ipsa disponere potest de electoribus. Vnde poterit se ipsam designare vel legitimam Pontificis electricem. Sed crediderim, quòd in nullo ex istis casibus possit Concilium sibi assumere ius eligendi Papam, non quidem in primo casu, nam sublatis de medio Cardinalibus suapte natura ius eligendi Papam transfertur ad Canonicos Basilicæ Lateranensis, ad quos spectat eligere Episcopum Lateranensis Ecclesiæ, cui papatus annexus est, vnde in tali casu non est necesse, quòd Concilium Papam eligat.

§. Secundus casus de facto accidit, nam mortuo Cœlestino IV. qui fuit Papa 185. & tantùm octo diebus sedit, Fridericus Imperator per viginti, & vnum menses, Cardinales omnes in carcere detinuit, & vacauit Sedes quousque libertati donati sunt, nec tamen tunc Concilium Papam elegit, sed expectatum est quousque legitimi electores libertati darentur. Non ergo casus est dabilis, in quo Concilium Papam possit eligere.

Et hoc ideò, quia semper debet manere in Ecclesia iudex, qui cognoscat de electione Pontificis, verùm legitima sit, eùmque hic sit Concilium, non debet ad ipsum pertinere exequutiuè eligere Papam; & ad id, quod dicitur, quòd Concilium Ecclesiam repræsentat, & ad Ecclesiam pertinet Papam eligere.

Respondeo, quòd in Ecclesia oportet distinguere electores, & regulam animatam visibilem electorum, Concilium ergo cùm hoc secundum habeat, primum habere non debet, nemo enim seipsum iudicat in foro externo, & contentioso, sed ab alio iudicatur.

Respondeo secundò ad quæsitum in §. Electionem summ. Pontif. de iure numquam pertinuisse ad Imperatores, vel Reges, vel ad populum secularem quorum omnium vna est ratio, nam potestas eligendi Papam est potestas purè spiritualis, quæ laicis non conuenit, & sic iure ipso omnes prædicti potestate eligendi Papam priuati sunt. Et de Imperatoribus, & alijs Principibus secularibus, esto multoties potestate vsurpata se intromiserint in elect. Pont. regulando, dirigendo, approbando, vel consentiendo, hoc Ecclesia tolerante quia ab hoc se defendere non poterat, nunquam tamen exequutiuè legitur ipsos elegisse Papam.

Etenim primò cœperunt se intromittere in ordinatione Papæ causa componendi schismata, quæ suborta fuere, in electione Damasi primò se intromisit Valentinianus Imperator, in electione Bonifacij se intromisit Honorius, in electione Symmachi Theodoricus, qui tamen in hoc non visi sunt suam excessisse potestatem, quia solùm defendebant Ecclesiam, & veros Pontifices à schismaticis segregabant. Re iam hac de causa iustè incepta Iustinianus Imperator ampliùs Ecclesiam agrauauit Romanam, prohibendo publico edicto, ne electus in Papam consecraretur ante assensum Imperatoris; quæ res iniusta ad eius successores transiuit, durauitque vsque ad tempora Benedicti II. cui à Constantino V. donatum est, vt clerus & populus Romanus liberè Pontificem eligerent, nullo expectato assensu Imperatoris.

Restabat autem grauata Ecclesia in eo, qod præter assensum quem Imperatoris expectare debebat ad consecrandum eum, quem in Papam elegisset, soluebat magnam quantitatem pecuniæ pro obtinenda licentia ordinandi Pontificem, à quo grauamine releuata est tempore Agathonis Papę, vt habetur in capite, Agatho 63. dist.

§. Etsi contra hæc obijcias, quòd Imperatores ex concessione Pontificum habuerunt eligendi ius, nam Adrianus Papa I. concessit Carolo Magno ius eligendi Pontificem, & postmodum Leo VIII. hoc ipsum concessit Othoni I. vt refertur in cap. Adrianus & cap. in Synodo 63. dist. quibus priuilegijs Ludouicus Caroli successor postmodum renunciauit, & ipse Otho, vt refertur in cap. Ego Ludouicus, & cap. tibi Domino, & cap. sacrorum eadem distinctione.

Resp. illud ius non esse eligendi exequutiuè, vel regulatiuè, sed fuisse tantùm ius approbandi, vel assentiendi electioni factæ, non etiam ad hunc sensum, quod electio non valeret independenter ab hoc consensu, & approbatione, nam in cap. cum vna de electio-

ne dicitur, non prohibetur in istis electionibus quin Regis requiratur assensus, non tamen propterea electionem impediri, illa enim concessio tantum respiciebat honorare Imperatores, & Reges, non tamen prætendebat ea de causa electiones Pontificum impedire, sed Deo gratias, ab omnibus his Ecclesiam suam liberauit Dominus.

§. Maior difficultas est de populo Romano, nam vt supra vidimus, à Constantino V. Ecclesiæ donatum est, vt clerus & populus Romanus liberè eligerent Papam nullo expectato Imperatoris consensu, videtur ergo quod populus eligeret Papam.

Sed respondeo, populum numquam elegisse, sed approbasse, & consensisse in electione facta à clero; nam hoc habetur expressum in cap. nosse 63. dist. vbi dicitur, [Sacerdotum est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus.]

Quod & non aliud voluit dicere Anacletus in cap. finali dist. 79. illis verbis: [licèt electionem eorumdem bonis sacerdotibus & spiritualibus populis concessisset.] Concessit quidem Deus spiritualibus, idest fidelibus populis habere consensum, & approbationem in electione facta à clero.

§. Respondeo 3. ad quæsitum nostri §. electionem sum. Pontificis suapte natura semper pertinuisse ad clerum Romanum, & eo ad personas principaliores illius, quæ sunt Cardinales.

Patet hoc ex antiquissima praxi Ecclesiæ, ex qua constat semper clerum Romanum fuisse admissum ad electionem sum. Pontificis, quamuis enim aliquando non solus clerus elegerit, sed illi adiuncti sint alij electores, numquam tamen ab eligendo Pontificem clerus Romanus exclusus est, ergo per se & suapte natura ad ipsum pertinet electio sum. Pontificis. Confirm. quia in Concilio Constantiensi dum Concilium ob certas causas voluit adiungere Cardinalibus alios electores, qui non erant de clero Romano, ad hoc requisiuit consensum ipsorum Cardinalium, & pro illa tantùm vice de consensu Cardinalium dedit eis potestatem eligendi sum. Pontificem, signum ergo est quod recognouit, quòd ad solos Cardinales lex ordinaria eligendi Papam deuoluebatur.

Etsi dicas, hoc fecisse Concilium Constantiense, quia iam per Nicolaum Secundum electio restricta erat ad solos Cardinales, & sic non poterat Concilium saltem sine eorum consensu alios eis electores adiungere.

Fateor, iam Nicolaum restrinxisse electionem Papæ ad solos Cardinales, vt supra vidimus. Sed velim scire, quare Nicolaus hoc fecerit, & alios excluserit? Huius ratio non est alia, nisi quia electio suapte natura pertinet ad Cardinales, qui sunt principales personæ cleri Romani, ad quod attendens Concilium Constantiense non nisi de consensu Cardinalium alios ad eligendum Papam pro illa dumtaxat vice associauit.

Itàque sicut Nicolaus ad excludendum alios ab electione Papæ attendit ad hoc, quod ad Cardinales dumtaxat suapte natura pertinet electio, ità postmodùm Constantiense Concilium requisiuit consensum Cardinalium ad associandum eis alios electores, duplici titulo, primò quia ad Cardinales ex via ordinaria pertinet potestas eligendi Papam, & secundò quia res iam per Nicolaum ad solos Cardinales erat restricta.

§. I V.

Vtrùm electores, hoc ipso quòd aliquem ritè in Papam eligunt, & Papatum conferant, an tantùm per electionem designetur persona, cui Christus facta electione Papatum conferat.

RESpondeo, ex vi electionis non fieri Papam, sed tantùm designari personam, cui Christus ex vi pacti quod fecit cum Petro de dando papatum his, qui ei succederent in Episcopatu Romano facta legitima electione, tribuit dignitatem papatus. Duas partes habet responsio.

Prima sic probatur: nam potestas collatiua papatus debet esse æqualis, vel superior potestati ipsius papatus, at potestas eligendi Papam non æquat potestatem papatus, immò est inferior illa, ergo potestas electiua nequit esse collatiua papatus.

Instabis contra hoc: Imperator creatur ab electoribus, & populus creat Regem, & tamen potestas Imperialis longè excedit potestatem electorum, & potestas regia longè superat potestatem populi, ergo potest esse, quòd papatus longè excedat potestatem electorum, & nihilominùs conferatur ab ipsis electoribus, ratio ergo adducta nulla est. Ad hoc dist. min. potestas Imperialis excedit potestatem electorum originatiuè, & influxiuè neg. min. formaliter transeat minor, & neg. consequentiam: itàque papatus originatiuè, & influxiuè excedit potestatem electorum, & sic ab illis causari nequit.

Huius assigno rationem: papatus formaliter, & essentialiter sumptus est Vicariatus Christi, vices enim gerit Pontifex solius Christi, & sic originari nequit nisi à Christo; proprium enim est proprietarij sibi Vicarium substituere. Vnde solius Christi est papatum conferre, & sic nequit originari ex vi actionis electiuæ.

Non sic philosophandum est de potestate Imperatoria & Regia, illæ enim ab ipsis electoribus suam trahunt originem, & sic ex actione electiua eorū conferri possunt, quàmuis aliàs dignitas electorum non æquet à toto genere entis, & moralitatis dignitates Imperatorias, & Regias.

§. Instabis secundò quotiescumque potestas collatiua alicuius dignitatis, vel beneficij distincta est à potestate electiua, & designatiua personæ, tunc est necesse quod potens conferre dignitatem priùs acceptet personam electam, & designatam, vt dignam, & deindè illi conferat prædictam dignitatem, & dum nobis non constat de prædicta acceptatione conferentis, non constat de prædicta collatione dignitatis, at facta electione à Cardinalibus numquam constat nobis de eo quod Christus acceptauerit personam electam, vt di-

dignam papatus, ergo numquam constabit nobis de collatione papatus.

§. Ad hoc neg. min. hoc enim ipso quod Ecclesia pacificè acceptat electum, vt Papam constat nobis Deum approbasse talem electionem, & papatum contulisse personæ à Cardinalibus electæ.

Cuius eam assigno rationem, nam hoc ipso quòd Petrum designauit in Vicarium suum, & in eodem officio succedere illi voluit, quotquot fuerint electi ab Ecclesia ad Episcopatum Romanum hoc ipso pepigit approbare, vt dignos quoscumque ritè Ecclesia elegerit ad prædictum episcopatum; de recta autem electione constat nobis per pacificam acceptationem Ecclesiæ, & sic per eandem constat nobis de Christi acceptatione, & de collatione papatus.

§. Secunda pars nostræ responsionis, videlicet quòd Christus sit ille qui designato & ritè electo confert papatum, infertur ex probatione primæ, nam si potestas electorum non se extendit ad conferendum papatum, restat necessariò dicendum, Christum esse qui papatum confert

Quod patet etiam alia probatione facta nam Pontifex est Vicarius Christi qui Caput Ecclesiæ proprietarium est. Sed institutio Vicarij spectat ad proprietarium, & similiter collatio potestatis qua debet vti, igitur ad Christum spectabit conferre papatum.

§. Instabis contra hoc, nam cùm Papa sit visibile Caput Ecclesiæ, & visibiliter exerceat actiones papatus, necesse erit quod etiã visibiliter ei prædicta potestas conferatur, sed si ex vi electionis non confertur papatus, sed tantùm à Christo datur aliqua actione inuisibili, papatus visibiliter non conferretur, ergo non est asseuerandum, ad Christum pertinere, conferre papatum.

§. Ad hoc neg. maior: Sufficit enim, quòd esto collatio inuisibilis sit, nobis tamen innotescat per visibilem acceptationem pacificam Ecclesiæ, qua ille qui ritè eligitur, vt Papa, & vt Caput visibile Ecclesiæ acceptatur.

Etenim contritio pars principalis Sacramenti pœnitentiæ est, & tamen per se sensibilis non est sicut ipsum pœnitentiæ Sacramentum, sed sufficit quòd per confessionem externam sensibilis fiat: ità collatio papatus esto inuisibilis sit, per ipsam tamen visibilem acceptationem, qua Ecclesia electum in Papam pacificè acceptat visibilis redditur; non ea visibilitate, quæ à nobis auferat fidem deo, quòd hic electus & acceptatus vt Papa, Papa in re sit; sed ea quæ sufficiat reddere euidenter credibile, quod hic electus Papa sit.

§. Instabis secundò ex hoc quod electores Papæ non habeant tantam, & tam sublimem potestatem, quantam habet Papa, non sequitur eos non conferre papatum, sed tantùm infertur non conferre papatum, vt causas principales illius, ad hoc enim solum requiritur æqualis potestas, ad conferendum autem, vt causa ministerialis hoc non requiritur, ergo poterimus dicere, quòd sicut Ministri Ecclesiæ verè faciunt Sacramenta ministerialiter tantùm, & Christus principaliter: ità electores Papæ non tantùm habeant eligere, & designare personam, cui Christus conferat papatum, sed verè ministerialiter conferre papatum, verè faciendo Papam, licèt Christus principaliter.

§. Ad hoc dico, quod cùm papatus formaliter consistat in Vicegerentia, & Vicariatu Christi non est conueniens, quod ab electoribus etiam ministerialiter fiat, sed sufficit si illis relinquatur designare personam, cui Christus se ipso immediatè conferat papatum. Si enim Vicarius Episcopi ab ipso Episcopo immediatè accipit Vicariatum, & iurisdictionem, quantò potiori iure id dicendum erit de Christi Vicario? facit etiam ad hoc quod collatio papatus huic qui de nouo eligitur, non est in Christo actio distincta, vel noua, ab illa, qua Petrum statuit Vicarium suum in Ecclesia, & in Petro omnes alios successores eius dummodò ritè electi fuerint, ex vi enim illius actionis papatus huic, qui de nouo eligitur confertur. Illa autem actio qua Petrus, Pontifex effectus est, non fuit ab hominibus ministerialiter, sed tantùm ab ipso Christo, & sic cùm ex vi illius nouiter ab Ecclesia electis conferatur papatus, non ministerialiter ab electoribus, sed immediatè ab ipso Christo confertur.

Non sic se res habet in alijs Sacramentis, quæ Christus sic instituit, vt hominum ministerio fierent, vnde de Eucharistia dixit, [hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, & de Baptismo baptizantes eos in nomine Patris & Filij &c.] quibus ministerium hominum commendatur quod in collatione papatus non habetur, siquidem ipse Christus ei dixit *tibi dabo claues Regni Cælorum, pasce oues meas*, cùmque hæc non sint dicta tantùm, soli Petro, sed in Petro dicta sint eius successoribus, hoc est eligendis ab Ecclesia, vt ei succedant in papatu, fit indè quòd Papa quantum ad dignitatem papatus, tantùm à Christo fiat, esto designatio personæ ab electoribus procedat. Vnde ad instantiam in forma resp. nos non probasse, electores non conferre papatum, ex eo quod potestas eorum sit inferior ad papatum, loquendo de inferioritate à toto genere entis, sed loquendo de inferioritate influxiua & originatiua papatus, ità vt voluerimus dicere, electores non conferre papatum, quia cùm papatus sit Vicariatus Christi, ab ipso immediatè institutus, & immediatè collatus Petro, & eius successoribus.

In electoribus successorum Petri nequit esse aliqua vis influxiua, nec ministerialiter quidem ad papatum; quod vt probauimus non tenet in Sacramentis quæ sunt instituta, vt per manus hominum conficiantur, & applicentur.

§. Instabis tertiò: nos supra in quæsito præcedenti probauimus cum Caietano, Papam non posse sibi eligere successorem, quia electio Papæ est actio factiua Papæ; at modò dicimus electionem Papæ non esse factiuam Papæ, neque collatiuam papatus, sed tantùm esse actionem designatiuam personę cui Christus sua actione facta electione papatum confert, ergo nobis ipsis contradicimus.

§. Ad hoc dico, nos dixisse, actionem electiuam Papæ esse factiuam Papæ designatiuè non collatiuè, idest designare personam, cui

cui statim post designatiooem Christus confert papatum, in quo sensu rationem Caietani approbauimus, & non aliter.

§. Et si instes, quod si electio Papæ non facit Papam, sed tantum designat personam, cui Christus papatum confert, non erit inconueniens, quòd Papa dum viuit eligat alium in Papam, quia ex hoc non sequetur dari actu simul duos Papas, sed tantùm sequetur dari vnum Papam, & alium designatum, vt sit Papa post mortem eius, qui illum elegit, in quo inconueniens nullum apparet.

Sed respondeo negando ant. nam esto electores sua actione electiua non faciant Papam conferendo papatum effectiuè, faciunt tamen Papam conferendo papatum designatiuè, nam hoc ipso, quòd istum, vel illum eligunt in Papam, & ipse acceptat, hoc ipso papatus ei confertur. Vnde si Papa viuens eligeret sibi successorem, & ipse acceptaret, statim Papa fieret, & sic darentur duo Papæ, & sequeretur inconueniens à nobis allatum.



QVÆSTIO XV.

De comparatione potestatis Concilij generalis cum potestate Papæ.

§. I.

An Concilium generale habeat potestatem supra Papam.



DE Concilio generali possumus loqui dupliciter, primò sic, quòd nomine illius intelligamus Ecclesiam vniuersalem, quam Concilium repræsentat, prout includit omnia membra sua, nempè Papam, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Sacerdotes alios, possumus etiam loqui de Concilio generali prout adunat omnia membra ex quibus constat, Papa excluso, ita quod ex vna parte comparationis sit totum corpus Ecclesiæ, & ex alia sit solus Papa, de hoc etiam corpore Ecclesiæ, vt distincto & separato à Papa loqui possumus, vel vt congregato sine Papæ auctoritate, vel vt congregato ex Papæ auctoritate, vel de isto vt dissentiente Papa in his, quæ Concilium determinat, vel vt tacitè consentiente per se, vel per suos Legatos.

§. Et quidem si difficultas præsens procedat de Concilio, prout ipsum etiam Papam includit, sic vtique Papa nequit esse supra Concilium, aliàs esset supra se ipsum, siquidem supponimus partem integrantem Concilium esse Papam. Potest autem esse difficultas, an in illa collectione membrorum omnium sit superioritas supra quodcumque membrum diuisiuè sumptum, etiam si membrum sit caput Ecclesiæ. In quo affirmatiuam partem tenet Gerson de potestate ecclesiastica, asserens in Ecclesia sumpta collectiuè adesse potestatem supra Papam in sex.

Primò in amplitudine, seu extensione, nam comparatur vt totum ad eius tantùm partem, quæ Papa est.

Secundò in copiositate, quia amplectitur virtualiter omnem potestatem, & omne politicum regimen, papale, imperiale, regale, aristocrasium, & democraticum.

Tertiò in infallibili directione.

Quartò in causarum fidei vltima definitiua sententia.

Quintò in morum reformatione, in capite, & in membris.

Sextò in potestate coactiua, quia potest ipsi etiam Papæ legem imponere circa vsum suæ potestatis, & suspendere ab exequutione eius, & ipsum cum culpa, & sine culpa quando expedierit deponere, & ita Papa ab ipso Concilio iudicari poterit.

§. Si autem sit sermo de corpore Ecclesiæ vt condistincto à Papa, ita quòd Papa sit ex vna parte, & corpus Ecclesiæ repræsentatum per Concilium ex alia, sic innumeri iuris periti absolutè tenent Concilium esse supra Papam, quos ex Theologis sequuntur Ocham in dialogis, Almainus de potestate Papæ, qui affirmat, vniuersos Doctores Parisienses in hanc conspirasse sententiam, Abulensis super Matth. in prolog. qu. 10. & cap. 18. qu. 103. Driedo de dogmatibus ecclesiasticis lib. 4. cap. 4.

§. Si loquamur de corpore Ecclesiæ, vt distincto à capite congregato tamen auctoritate Papæ, sic Corduba libro 4. de potestate Papæ, qu. 4. §. Opinio 3. distinguit de superioritate quoad certitudinem, & infallibilitate in definiendo, vel tradendo regulas credibilium in fide, & moribus, & isto modo inquit per se æqualem esse auctoritatem Papæ, & Concilij legitimè congregati, quamuis per accidens, & regulariter potiùs standum sit Concilij, quàm Papæ definitioni, quoad verò potestatem iurisdictionis affirmat Papam esse simpliciter super totam Ecclesiam. Itaque asserit hic Auctor, quod si semel Concilium legitimè congregatum est, & aliquid definit, cui tamen definitioni Papa dissentit, standum erit definitioni Concilij, quamuis Papa ratione potestatis iurisdictionis possit impedire ne promulgetur id quod Concilium determinauit.

§. Communis tamen sententia asserit, quòd Concilium etiam legitimè congregatum est in omnibus inferiùs Papa, & quod Papa est supra ipsum. Sic expressè tenet diuus Thomas 2. 2. qu. 1. art. 10. & 11. artic. 2. ad 3. & in 4. quodlib. art. 13. & Opusc. 9. contra impugnantes religionem cap. 3. & Opusc. contra errores Græcorum cap. 66. 67. & 69. tenent Turrecremata in summa lib. 2. cap. 27. & lib. 3. cap. 28. & 30. Albertus, Bonauentura, Ricardus, D. Antoninus 2. par. titulo 3. cap. 11.

cap.11. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib.2.cap.35. Valentia hic p.7.Canu lib.5. de locis cap.5. & lib. 6. cap. 8. Bellarm. controu.4. lib.2. cap. 17. Malderus tractatu de Pontifice disput.4. Caiet. tom. 1. Opusc. tractatu 10. cap. 6. & in Apologia Opusculo de auctorit. Papæ, par. 2.cap. 11. Azor. 2. par. lib.4. cap.13. q.2. & 3. quos sequitur Arauxo hic qu.1. ar.10. dub.3.

5. Dico primò: in Ecclesia vel in Concilio collectiuè sumpto prout ambit caput, & membra, non est aliqua potestas supra Papam. Conclusio statuitur contra Gersonem vbi supra, & prob. nam in collectione omnium membrorum Ecclesiæ non est suprema regiminis auctoritas nisi in solo Papa, quod constat ex cap. rogamus 24. dist. quæst.1. vbi Marcellus Papa expresse dicit, quòd Petrus est caput totius Ecclesiæ, & in Concil. Lugdun. Gregor. X. vti habetur in cap. vbi periculum de elect.lib.6. Papam Vicarium Christi, Petri successorem, Rectorem vniuersalis Ecclesiæ, & Directorem gregis Dominici vocat. Ritus quoque Romanæ Ecclesiæ tenet, quòd cum Papa se subscribit in aliqua vniuersalis negotij Bulla, dicit sic: [Ego, N. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.] Quibus papalis auctoritas non supra membra Ecclesiæ diuisiuè sumpta explicatur, sed etiam supra totam Ecclesiam collectiuè, nam terminis collectiuis vtuntur Pontifices ista dictantes, ergo in tota Ecclesia collectiuè sumpta, non est aliqua potestas suprema supra Papam.

5. Confirm. Ecclesia, & Papa significantur à Christo per vnum ouile, & vnum pastorem, dixit enim Christus Ioan. 10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor,] quibus voluit significare, ex Hebræis, & Gentilibus, vnam esse coadunandam Ecclesiam, ac in ouili vt coalescit ex ouibus & pastore non est potestas supra pastorem, immò non est alia potestas gubernatiua nisi ea, quæ est in pastore, igitur pariter in Ecclesia collectim sumpta ex omnibus suis membris, & capite non erit alia potestas suprema gubernatiua, cui omnia subdi debeant nisi ea, quæ est in capite.

Prob. 2. princip. concl. nam potestas suprema huius totius collectiuè sumpti, vel est eadem cum potestate Papæ, vel diuersa, si eadem, non poterit esse supra Papam, nam si par in parem non habet potestatem, idem in idem minùs eam habere poterit. Si est diuersa, vel est inferior, vel superior, vel æqualis, si inferior vel æqualis, supra Papam non erit, si superior, igitur potestas quæ est in Papa suprema non est, siquidem supra illam alia superior assignatur.

Quod si hoc concedatur, statim infertur igitur Vicariatus Christi non est in Papa, sed tantùm in Ecclesia collectiuè sumpta.

Prob. hæc cons. nam in illo Vicariatus Christi est, in quo suprema visibilis potestas est, illi enim dicitur [pasce oues meas,] illi enim dicitur [quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Per quæ suprema Ecclesiæ potestas designatur, ergo si suprema omnium potestas non est in Papa, sed est in Ecclesia, prout ex omnibus membris suis coalescit, sequitur euidenter, quòd Papa Christi Vicarius non sit, sed Vicariatus tantùm reperiatur in Ecclesia sic collectim sumpta ex cunctis suis partibus.

Quod si concedatur, quòd Papa Christi Vicarius non sit, sed Ecclesia, error pronunciabitur damnatus à Martino V. in Concilio Constantiensi contra Wicleph, inter cuius errores damnatos hic habetur, [Ecclesia Romana est synagoga sathanæ, nec Papa est proximus Vicarius Christi, & Apostolorum.] D. Thom. etiam in opusculo 66. contra errores Græcorum dicit, [Christi Vicarius suo primatu, & prouidentia vniuersalem Ecclesiam tamquam fidelis minister Christo subiectam seruat, & oppositum sentire est erroneum.]

Quòd si Christi Vicarius vniuersalem Ecclesiam Christo subiectam seruat, non ergo in Ecclesia vniuersali Christi adest Vicariatus nisi in sola persona Papæ. Sed audiamus Concilium Florentinum sub Eugenio IV. celebratum, vbi sic habetur: [Diffinimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Datum Florentiæ, in sessione publica synodali 1439.] quid clariùs contra Gersonem dici potuit?

Prob. 3. princip. concl. nam à Papa Ecclesia accipit potestatem, hoc est ipso mediante, ipse verò Papa non accipit potestatem ab Ecclesia, hoc est mediante Ecclesia, igitur Papa est supra Ecclesiam non verò Ecclesia est supra Papam. Ant. prob. ex cap ita Dominus, dist. 19. vbi dicitur: [Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet,] & in cap. si Papa, dist. 40. dicitur, [quod vniuersitas fidelium post Dominum suam salutem ex Papæ incolumitate animaduertit propensiùs perdere.] Insuper Cyrillus Alexandrinus relatus à D. Thoma in opusc. 19. contra errores Græcorum cap. 66. ait, [uos membra maneamus in capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere quid credere, & agere debeamus, quia ipsius solius est soluere, & ligare, loco illius, qui ipsi soli, quod suum est plenum dedit,] ergo non Ecclesiæ collectiuè sumptæ, sed Papæ potestatis plenitudo tradita est. Quod si ipsi soli plenitudo potestatis tradita est, ergo à solo Deo immediatè accepit, & Ecclesia accipit mediante eo quidquid habet auctoritatis.

Ratione etiam prob. illud ant. nam omnis potestas, quæ habetur in Ecclesia tam ordinis, quàm iurisdictionis quamuis ex diuino instituto sit, omnis tamen mediante Papa

par-

participatur à membris Ecclesiæ à Papa enim fiunt Episcopi, & ab his presbyteri, & omnes ordines, & dignitates aliæ Cardinalium, atque Primatuum à Papa creantur, Papa autem pontificatum à solo Deo immediatè accipit, nam vt supra vidimus Cardinales per electionem suam papatum non conferunt, sed tantùm personam designant, cui Christus papatum confert, igitur Papa non habet ab Ecclesia, sed Ecclesia à Papa habet suam auctoritatem.

Dices stare bene, quòd Ecclesia à Papa idest eo mediante suam accipiat potestatem; & quòd illa potestas in Ecclesia maior sit, quàm in Papa, sicut flumen aquam suam accipit à fonte, & nihilominùs abundantioribus aquis potitur flumen, quàm fons; sic Regnum Princeps accipit à populo, & nihilominùs maior potestas est in principe, quàm in populo, stabit ergo bene, quòd Ecclesia potestatem suam accipiat à Deo mediante Papa, & quòd in Ecclesia amplior sit potestas, quàm sit in Papa.

§. Sed contra hoc est, nam potestas, quam Ecclesia accipit mediante Papa non est ipsa potestas Papalis, sic quòd illamet auctoritas Papatus primò à Deo communicetur Papæ, & mediante Papa communicetur Ecclesiæ: Sicut aqua, quæ est in flumine est ipsamet aqua primò existens in fonte, & deindè deriuata ad flumen: si enim hoc ita esset, benè staret, quod ipsa suprema auctoritas, maior esset in Ecclesia, vtpotè in pluribus reperta quàm in Papa, sicut ipsa aqua abundantior est in flumine, quàm in fonte: vnde non stat benè, quod Ecclesia accipiat à Papa potestatem, quam habet, & quod illa potestas maior sit in Ecclesia, quàm in Papa. Similiter Rex, qui eligitur à populo, maiorem potestatem habet, quàm populus, quia populus dum Regem facit, potestatem quam habet à se abdicat, & eam in Regem transfert, & sic manet Rege inferior. Papa autem non tribuit potestatem Papatus Ecclesiæ, sic quòd illam Papam faciat, vel Vicarium Christi constituat, & sic non sequitur, quòd potestas Papalis maior sit in Ecclesia, quàm in Papa.

Vnde ratio conclusionis à nobis assignata sic explicatur, etenim talis qualitatis, & conditionis est Papatus, quòd à solo Deo conferatur sine aliqua dependentia ab Ecclesia, & talis qualitatis, & conditionis est omnis potestas Ecclesiæ, quod à Deo mediante Papatu conferetur, igitur Papa solum Deum sibi superiorem agnoscit, Ecclesia autem sibi superiorem agnoscit Deum, & Papam. Sicut si fiat hoc argum. anima Christi à Deo solo immediatè accipit gratiam, & virtutes, aliæ omnes creaturæ rationales accipiunt à Deo mediante Christo, ergo gratia Christi excellentior est omni alia gratia creaturæ. Quotiescumque enim à Deo tribuitur alicui creaturæ plenitudo alicuius virtutis, vt de eius plenitudine alij omnes accipiant, non illam plenitudinem, sed participationes eius, omnes virtutes participatæ inferiores sunt, etiam collectiuè sumptæ illa plenitudine cuius participationes sunt.

Exemplum sit in virtute Solis ad illuminandum, etenim quia Deus Soli plenitudinem lucis sic dedit, vt ab ipso omnis Mundus lucem accipiat, omnis lux participata à Sole etiam collectiuè sumpta inferior est luce Solis, vnde si iungantur in vnum omnes luces Stellarum, Lunæ, & Planetarum, lucem Solis non æquabunt, quia lucis Solis participationes sunt, quod si Soli data esset lucis plenitudo, vt eam adæquatè communicaret Lunæ, Stellis, & Planetis, facilè intelligi posset collectionem ex luce Lunæ, Astrorum, & Planetarum excedere lucem Solis.

Sic ergo Deus plenitudinem potestatis, Ordinis, & iurisdictionis in vno suo Vicario Papa reposuit, vt de eius plenitudine omnes gradus Ecclesiæ diuisiuè, & collectiuè sumpti suas auctoritates, & potestates recipiant, non autem sic vt potestatem Papatus adequatè, & veluti essentialiter sumptam in alios deriuet, sed vt Papatum iuadæquatè participent quoad functiones peculiares, quæ vnicuique gradui adaptatæ sunt iuxta quantitatem dignitatis eius. Vnde non sequitur, quòd omnis dignitas mediante Papa participata etiam collectiuè sumpta adæquet Pontificiam dignitatem, cuius participationes imperfectæ sunt.

§. II.

Soluuntur argumenta contra Conclusionem.

PRimò arguitur: omne totum est maius sua parte, & si ratio totius consistat in dignitate resultante ex dignitate partium, erit necessè quod totum dignius sit qualibet sua parte diuisiuè sumpta, at Ecclesia Catholica secundùm ordinem dignitatis coalescit ex capite, & alijs membris, ergo potestas eius, & dignitas maior erit dignitate solius capitis.

§. Si dicatur huic argumento, minorem esse falsam, eò quòd Ecclesia non est conflatum ex capite, & membris, sed tantùm supponit pro corpore vt distincto à capite, constat enim ex varijs iuris capitibus, Papam esse caput vniuersalis Ecclesiæ, si autem Ecclesia coalesceret ex capite, & membris, Papa esset caput sui ipsius. Constat etiam Ecclesiam significari per ouile, & Papam per Pastorem, pastor autem non est pars integralis ouilis; Constat etiam Ecclesiam esse sponsam, & Papam esse sponsum, sponsæ autem pars integralis non est sponsus, falsa ergo est illa minor, videlicet quòd Ecclesia sit totum coalescens ex capite, & membris.

§. Sed contra hoc sic insto: nam Ecclesia non constans ex capite tamquam ex parte mysticè integrante illam est corpus truncum & acephalum, igitur Ecclesia debet integrari vt perfectum totum sit ex omnibus membris includendo etiam caput. Deinde, Ecclesia Catholica non tantùm dicitur sponsa, sed dicitur matrimonium spirituale coalescens ex sponso vt capite, & ex sponsa vt corpore. Deinde dum Papa dicitur caput Ecclesiæ vniuersalis, non sic intelligitur, quòd nomine Ecclesiæ, Ecclesia adæquatè significetur, sed tantum inadæquatè, sicut dum dicitur, quòd Cœlum continet omnia corpora, nomine om-

omnium corporum non intelligitur distributio adæquata, sed tantum inadæquata, idest pro omni corpore capaci contineri ab alio, aliàs Cœlum cùm sit corpus deberet continere se ipsum, ergo minor illa cùm loquatur de Ecclesia adæquatè sumpta verissima erit.

§. Vnde aliter resp. ad argum. dist. mai. omne totum est maius sua parte, vel dignius qualibet parte diuisiuè sumpta, si constet ex aliqua parte eminenter precontinente omnem dignitatem aliarum partium neg. mai. si aliter res contingat trans. maior, & concessa min. neg. cons. Doque instantiam in hoc toto, Christus constans ex Verbo, & humanitate, de quo nequit dici, quòd sit maioris dignitatis, quàm qualibet eius pars, siquidem Verbo diuino, quod eius altera pars est nihil est dignius, nihil maius. Et si fingamus totum lucidum constans ex luce Solis, Lunæ, Stellarum, & Planetarum, nequibit verè dici, quòd in illo toto sit plus lucis, quàm sit in Sole; & hoc ideo, quia lux Sydorum, Planetarum, & Lunæ tota est à luce Solis participata. Sic ergo cum cæteris partibus Ecclesiæ auctoritas, & diuinitas conueniat ex aliquali participatione Papatus, & in Papatu tamquam in forma superiori eminenter omnis alia dignitas reperiatur, nequibit verè dici, quod in Ecclesia collectiuè sumpta sit maior auctoritas, quàm sit in solo Papa, vel quod adsit in illa potestas supra Papam.

Instabis: esto Papatus contineat eminenter omnem alium gradum Ecclesiæ, videlicet Cardinalatum, Episcoporum, Presbyteratum, &c. non tamen præcontinet eminenter perfectionem Ecclesiæ sumptæ pro collectione ex capite, & membris, vnde tantum dicitur in hac vniuersali collectione Papam esse caput, non verò dicitur esse caput ipsius collectionis, aliàs esset caput sui ipsius, siquidem ipse intra collectionem continetur vt pars, ergo in ipsa collectione aderit potestas suprema supra ipsummet Papam, secundùm quod membrum illius collectionis est.

§. Confirm. Ecclesiæ collectiuè sumptæ prout integratur ex capite, & membris, aliqua potestas, & dignitas assignari debet, quæ nulli partium eius conuenire queat: sicut populus aliquam auctoritatem habet, quam nullus integrans populum habere dicitur, at hæc dignitas nequit conuenire Papæ, quia non est ab illo. neque est inferior ad Papam propter eamdem rationem, neque est æqualis, aliàs duæ supremæ potestates omninò æquales darentur in Ecclesia, ergo est superior ipsa potestate Papæ.

§. Confirm. 2. Christus instituens Ecclesiam per se primò intendit bonum illius collectionis, & ad hoc bonum consequendum caput, & membra vt partes ex quibus integraretur ordinauit, ergo credendum est ipsi Ecclesiæ collectiuè sumptæ aliquam auctoritatem immediatè communicasse cunctis partibus eius superiorem, vtpotè primò intentam, quàm eius partes.

Prob. antec. Deus producens vniuersum primò, & per se intendit bonum totius, quàm partium, ex quibus constat, & ad bonum vniuersitatis omnes alias creaturas ordinauit, ex quo sequitur, quòd pulchritudo vniuersi incomparabiliter maior sit pulchritudine cuiuslibet partis eius diuisiuè sumptæ, ergo dum intendit Christus efficere Ecclesiam primò, & per se intendit bonum eius commune, & dignitatem eius simul cum auctoritate boni communis, & ad huiusmodi dignitatem, & auctoritatem cuiuslibet partis eius ordinauit: vnde auctoritas, & dignitas vniuersi Ecclesiastici incomparabiliter dicenda erit maior auctoritate cuiuslibet partis eius diuisiuè sumptæ.

§. Ad hoc neg. cons. nam esto metaphysicè loquendo omne totum dignius sit, & maius qualibet sua parte diuisiuè sumpta, & quantum ad hoc metaphysicam subordinationem quælibet pars habeat ad totum, nihilominus vis gubernatiua cui aliæ in regimine subordinantur non semper adest maior in toto, quàm in qualibet parte, etenim ex Rege, & vassallis consurgit totum dignius qualibet sua parte diuisiuè sumpta, & tamen vis regitiua suprema non est in toto, sed tantùm in Rege, qui in illa multitudine rationem capitis habet, & eius supremam dignitatem. Sic ergo quamuis bonum dignius sit bonum Ecclesiæ, quam cuiuslibet partis eius, tamen Deus instituens Ecclesiam communitati non dedit supremum regimen, sed vni tantùm, soli enim Petro dixit: *Pasce oues meas, fiet vnum ouile & vnus Pastor*. Vnde quàmuis metaphysicè loquendo Papa subordinetur toti Ecclesiæ integratæ ex capite, & membris, tamen politicè loquendo Papa nulli subordinatur, quia in illo solo Christus regimen supremum suæ Ecclesiæ posuit, & sic quidquid in communitate Ecclesiæ politicè subordinabile est Papæ subiecit.

§. Ad 1. confirm. dico, quòd si loquamur metaphysicè sine dubio in Ecclesia pro collectione ex capite, & membris sumpta aliqua dignitas reperitur, quæ dignitas non est à Papa, sed à Deo, qui Ecclesiam instituit: si loquamur autem politicè sic nullam dignitatem, neque potestatem habet Ecclesia collectiuè sumpta ratione sui, habet tamen in se potestatem supremam, quia habet Papam tamquam vnam ex partibus quibus constat, in quo Deus supremam potestatem regiminis tantum posuit: Vnde quando instatur, quòd illa potestas Ecclesiæ, neque est inferior, neque est æqualis ergo erit superior, loquendo politicè neg. suppositum antecedentis, nam illi collectioni sub ratione collectionis Deus nullam potestatem gubernatiuam dedit, sed tantum illam communitatem composuit ex vno, qui omnes alios regeret suprema auctoritate, & ex alijs qui regerentur ab eo: hac enim ratione vsus est nominibus *Pastoris & ouilis*, vt daretur intelligi, quòd sicut in toto ex Pastore & ouili constante nulla vis regitiua inuenitur, sed hæc tantum residet in pastore: ita pariter in collectione ex capite & membris vis regitiua nulla sit, esto constet ex partibus in quarum vna tantum suprema regendi potestas adest, & ex alijs in quibus tantum ab illa regi, non verò illam regere inuenitur.

§. Ad 2. confirm. dico, antec. esse verum de ordinatione metaphysica partium ad totum, & boni partis ad bonum totius, falsum autem de ordinatione politica, & secundùm regimen, quia hoc non collectioni tradidit, sed

sed vni tantum parti eius, scilicet Papæ, vnde conceditur consequens metaphysicè loquendo, à toto genere entis, non verò loquendo politicè, & regitiuè. Exemplum autem de Vniuerso adductum, tantum probat dignitatem totius erga suas partes, & subordinationem partium ad ipsum metaphysicam, & de linea entis, non verò politicam, & de linea regiminis, cùm Vniuersum nullas leges ponat partibus ex quibus coostat.

§. III.

Statuitur secunda Conclusio.

DIco 2. Concilium generale etiam legitimè congregatum, non habet tantam infallibilitatem in suis definitionibus, quantam habet Papa dum definit de Cathedra. Vnde si aliquid definiat, & Papa illi definitioni se opponat, standum erit Papæ, & non Concilio. Conclusio statuitur contra Antonium deCorduba vbi supra,qui ait Concilium generale legitimè congregatum eiusdem auctoritatis esse quoad infallibilitatem, & certitudinem cum Papa dictante de Cathedra, & in casu quo Pontifex dissentiat, & oppositum definiat, regulariter debere nos stare definitioni Concilij, & non Papæ: contra istum ergo nostra statuitur conclusio, & probatur; nam finaliter determinare ea quæ sunt fidei tantum pertinet ad Papam, vt docet eruditè D.Thom. hic quæst.1.art.10.at ad Concilium etiam legitimè congregatum non spectat finaliter determinare ea quæ sunt fidei; igitur Concilium etiam legitimè congregatum non habet tantam infallibilitatem,quantam habet Papa in definiendo de fide.

Probat. minor, nam ea quæ determinat Concilium nisi confirmentur à Papa non habentur ve definitiones fidei, ergo finaliter determinare ea, quæ sunt fidei non spectat ad Concilium etiam legitimè congregatum.

§. Confirm. ea quæ Pontifex determinat de fide, non dependent ab auctoritate Concilij ea approbantis, ea autem quæ Concilium determinat de fide ante confirmationem Papæ non sunt tenenda de fide, igitur non sunt æqualis auctoritatis Concilium, & Papa in definiendo de fide. Patet conseq. nam auctoritas dependens ex terminis, non est tanta quanta est auctoritas independens, ergo si vt definitio Papæ sit de fide, non dependet ab approbatione Concilij, & è contra vt definitio Concilij sit de fide dependet à confirmatione, & approbatione Papæ, non erit tanta auctoritas Concilij ad definiendum de fide, quanta est auctoritas Papæ.

§. Quod confirm. nam in materia determinandi de fide soli Petro, dictum est: *ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, soli Petro dictum est, *& tu confirma fratres tuos*, ergo si Concilium dissentiat à Papa, & Papa dissentiat à Concilio, Papæ standum erit & non Concilio.

§. Confirm. nam illud dictum Pauli 1. ad Corinth.1. *id ipsum dicatis omnes, & non sint inter vos schismata*, dicit D. Thom. loco paulò ante citato, quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui præest toti Ecclesiæ, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideò ad solam auctoritatem summum Pontificem pertinet noua editio symboli: sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum Generalem, & alia huiusmodi, ergo.

Huic rationi cum suis confirmationibus resp. Corduba, quòd definitio Concilij legitimè congregati non exspectat ab approbatione, & consensu Papæ firmitatem, & robur infallibilitatis, sed tantùm exspectat vsum potestatis iurisdictionis, nam quamtumuis definitio Concilij de fide sit, & Pontifex illi de iure diuino stare debeat, tamen non potest cogere Concilium fideles, vt illud quod definitum est in Concilio de fide teneant, & sic ad hoc exspectatur confirmatio Papæ, quia cum vis, & potestas suprema iurisdictionis tantùm sit in Papa, Concilium antequam confirmetur à Papa, id quod definit non potest fideles obligare, vt illud tenant de fide.

§. Sed contra hoc est, nam si confirmatio, quam exspectat Concilium à Papa, non daret robur firmitatis, & infallibilitatis his, quæ decernuntur à Concilio, sequeretur ad Papam in materia fidei non spectare vltimam resolutionem contra ea, quæ docuimus ex D. Thom. hic quæst. 1. art. 10.

§. Secundò quod Christus dixit Petro *confirma fratres tuos* (in quo dicto fundatur, quod ad Papam spectet confirmare ea, quæ à fratribus in Concilio decreta sunt:) absque dubio de robore firmitatis, & infallibilitatis in materia fidei loquutus est, neque enim ibi loquutio est de robore iurisdictionis coactiuè, quasi tantùm velit dicere, coge tua auctoritate fideles, vt teneant de fide, id quod à fratribus decernitur in Concilio, hoc enim non sonat verbum *confirma*, sed primum.

§. Tertiò stat benè, quod Concilium legitimè congregatum sit, & tamen quòd non faciat, quod in se est, vt rectè definiat; sicut contigit in Concilio Basileæ, in quo Engenius IV. iniustè depositus est, & alia decreta sunt, quæ postmodùm cassa, & irrita Iudicata fuerunt, igitur Concilium antequam confirmetur à Papa, non habet in rebus fidei tantam infallibilitatem, quantam habet definitio Papæ.

§. Quod si dicatur, prædictum Concilium fuisse legitimum quoad vsque sub obedientia Eugenij Papæ fuit, dum autem ab illius obedientia discessit, fuisse acephalum, & de Concilio transijsse in conciliabulum, & in Synagogam Sathanæ. Contra est, ergo iam admittitur, quod Concilium legitimè congregatum à vera obedientia Papæ deficere possit, ergo & admitti debebit, quod etiam in materia fidei possit, deficere, qui enim potest à vera obedientia Papæ discedere, poterit quoque discedere à vera fide.

§. Quartò principaliter impugnatur solutio, nam consensus, & approbatio Papæ quibus affirmat ea, quæ in Concilio decreta sunt, non est vsus potentiæ coactiuæ, & obligatiuæ, sed est vsus scientiæ Papæ, in quo regitur à Spiritu sancto, ergo solutio tradita falsa est. Patet ant. nam Concilium determinat aliquid de fide, & simul apponit ana-

thema his, qui illi dissenserint, itá quod sicut Papa legitimè congregatur ad definiendum, legitimè etiam congregatur ad ferendas pœnas fidelibus, vt eius definitionibus pareant, & tamen secundùm istum Auctorem, & secundùm veritatem fideles, non obligantur illis pœnis ad credendum, si Papa dissentiat his, quæ Concilium decernit, ergo pariter decreta Concilij, non habebunt vim definitionis si Papa illis dissentiat.

§. Tamdem probatur hoc ipsum, secundùm istum Auctorem si Papa definiat oppositum in Consistorio Cardinalium, debemus stare Papæ, & non definitioni Concilij, quia, inquit, illud est iudicium Sedis Apostolicæ, ergo euidens fit, quod decretum Concilij generalis legitimè congregati antequam Papa illud confirmet vim veræ definitionis non habet. Prob. conseq. nam si decretum Concilij rem verè faceret de fide, Sedes Apostolica, non posset oppositum definire, etsi definijsset eius definitioni standum non esset: siquidem contra veram fidem nonnisi hæresis stabiliri valet, ergo si postquam Concilium aliquid definiuit de fide, antequam à Papa confirmetur iam illud fit de fide, non solùm stare debebimus illi contra definitionem ortam à solo Papa, sed etiam stare debebimus illi contra definitionem factam à Papa in Concistorio Cardinalium.

§. IV.

Soluuntur Argumenta contra Conclusionem.

PRimò arguitur, nam Concilium dum definit aliquid de fide, non minùs gaudet assistentia Spiritus sancti, quàm Papa gaudeat dum de Cathedra dictat, si tam Concilium, quàm Papa faciat, quòd in se est, idest diligentias preambulas, & dispositorias adhibeat, sed magis credendum est, quod Concilium plenum faciat, quod in se est, quàm Papa, igitur magis erit standum definitioni Concilij, quàm definitioni Papæ. Min. probat hic Auctor, quia credibile non est, omnes simul in Concilio legitimè congregatos regulariter, & notabiliter in adhibendo prædictas diligentias deficere, si enim Christus dixit Matth. 18. [Vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati ibi sum in medio eorum,] quid non credendum erit de toto Concilio, ergo.

§. Confirm. hoc, quia ex hac opinione, quam ipse sequitur, non licet inferre, Concilium esse supra Papam, sicut neque ex hoc, quòd Rex iure diuino, vel naturali teneatur sequi consilium Medicorum, Doctorum, & consiliariorum, & consilij regalis in pertinentibus ad salutem suam corporalem, & spiritualem, & ad bonam Regni gubernationem, sequitur istos enumeratos esse supra Regem, quoad potestatem iurisdictionis, sic ergo ex hoc quod Papa iure diuino in his, quæ spectant ad fidem teneatur sequi iudicium Concilij, non sequitur Concilium esse supra Papam quoad potestatem iurisdictionis. Ad hoc neg. min. ad prob. dico, quod credendum non est, quod regulariter, & vt in plurimum Concilium non adhibeat diligentias requisitas ad hoc vt Deus ipsum illuminet in definiendo veritates de fide, ob quam rationem regulariter Pontifices approbant, quæ decretantur in Concilio Generali. Cæterùm si contingat, quòd Papa nolit acquiescere his, quæ Concilium decreuit, immò & oppositum definiat de Cathedra, Concilium errauit, & non fuit sine dubio ex assistentia Spiritus sancti loquutum. Vndè standum est in tali casu Papæ, & non Concilio. Rationem huius eam assigno, quia corpori Ecclesiæ non est debitus immediatus influxus Spiritus sancti, sed tantùm illi est debitus medio influxu supremi capitis, vel antecedenter docentis corpus, vel rati habentis, hoc est ex suppositione, quod ratum habiturus sit Pontifex id quod corpus Ecclesiæ decernit, soli enim Petro promissa est indefectibilitas in fide, & sic credendum nullo modo est, quod Spiritus sanctus dictet Concilio aliquid cuius oppositum Papa de Cathedra definiturus sit.

§. Ad confirm. nego quod non sequatur, Concilium esse supra Papam, nam in Papa est duplex suprema potestas, altera supremi Doctoris, & Iudicis in quæstionibus de fide, altera legislatoris supremi; Si ergo sit in terris potestas suprema, quoad decisiones quæstionum de fide, cui debeamus stare, & non Papæ in iudicio contradictorio, ergo quoad hanc potestatem, erit potestas supra potestatem Pontificis. Vndè cùm opinio, quam impugnamus audacter affirmet, quod si Concilium Generale aliquid definiat, & Pontifex definiat oppositum, debeamus stare definitioni Concilij, plenè potestatem Concilii in determinandis quæstionibus de fide superiorem facit potestate Papæ. Exemplum autem quod adducit nihil probat, nam in Rege tantùm adest potestas iurisdictionis, non autem adest potestas decidendi ea, quæ ad bonum corporis, & animæ, vel Regni regimen spectant, & sic teneri Regem stare consilijs doctorum, medicorum etiam non est ponere potestatem supra potestatem Regiam, quia ad hoc Rex nullam habet potestatem. Summus autem Pontifex habet duas supremas potestates, aliam Doctoratus circa questiones fidei, aliam legislatoris, & sic qui ponit in decidendis quæstionibus de fide non debere fideles stare Papæ, sed Concilio, potestatem superiorem statuit super potestatem supremam Doctoratus de Cathedra Petri, quæ adest in Pontifice.

Secundò arguitur Concilium legitimè congregatum haber in definiendo res fidei sibi immediatè debitam assistentiam Spiritus sancti, ergo semel edita definitione à Concilio, tenentur omnes fideles immò & ipse Papa de iure diuino ei adhærere, vt de fide. Ant. patet ex illo Matth. 18. [vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum,] quod ad hoc propositum probandum adducit, & explicat Greg. in Registro lib. 1. cap. 51. & August. lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 12. & habetur huiusmodi explicatio in cap. de quibus dist. 2. & in Concil. Chalcedonensi act. 12. & Constantinopolitano 3. act. vltima, & à Cœlestino Papa, vt refert Isidorus in

lib.

lib. Conciliorum, in gestis tertiæ Synodi Toletanæ, igitur Concilium habet immediatam assistentiam Spiritus sancti in definiendo res fidei.

§. Ad hoc dist. ant. habet sibi immediatè debitam assistentiam Spiritus sancti in definiendo res fidei, quando Concilium vt rectè definiat facit, quod in se est conced. ant. quando non facit neg. ant. & consequentiam. Itaque quando Concilium facit, quod in se est, vt rectè definiat, tunc illuminatur absque dubio à Spiritu sancto, non autem constat fecisse, quod in se est, quoad vsque Papa approbat id quod Concilium definiuit, & sic ante approbationem Papæ, non tenentur fideles, & multò minùs Papa de iure diuino assentiri his, quæ Concilium definierit.

Et si instes, hoc ipso quod Papa definit de Cathedra, debemus credere quod fecerit, quod in se est, vt rectè definiat, ergo hoc ipso etiam quod Concilium legitimè congregatum definit hoc ipso tenemur iure diuino credere, fecisse quod in se erat vt rectè definiret. Prob. conseq. nam ex eo, quod Concilium legitimè congregatur hoc ipso accipit auctoritatem à Papa ad definiendum.

§. Ad hoc conced. ant. neg. conseq. & assigno disparitatem, nam cùm Papa in decidendis quæstionibus de fide habeat vltimam resolutionem, illique expresè à Christo promissa sit indefectibilitas, hoc ipso quod definit de Cathedra notum facit omnibus, & indubitatum, se egisse quod in se est, & sic hoc ipso de iure diuino tenemur stare eius definitioni: at Concilium esto legitimè sit congregatum; non habet in decidendo quæstiones de fide vltimam resolutionem, sed illam expectat à consensu Papæ, & sic ante Papæ consensum, & approbationem non constat nobis id fecisse, quod in se est, vt rectè definiret. Vndè ante Papæ approbationem non tenemur stare iure diuino eius definitionibus.

§. Adest etiam alia ratio, nam definitio Papæ de Cathedra est definitio totius Ecclesiæ, definitio autem Concilij etiam legitimè congregati ante confirmationem Papæ non est definitio totius Ecclesiæ, sed tantùm corporis Ecclesiæ, vt distinguitur à capite: hoc autem adest discrimen, quod tota Ecclesia cùm nequeat errare, nequit etiam non facere, quod in se est, corpus autem Ecclesiæ, vt distinctum à capite errare potest: sicut & potest discedere ab obedientia Summi Pontificis, & sic hoc ipso quòd Papa de Cathedra Petri definit, creditur fecisse quod rectum est ad definiendum, non autem hoc ipso, quod Concilium definit creditur fecisse, quod in se est vt rectè definiret, hoc enim vt dixi tantùm creditur, quando Papa confirmat decreta Concilij.

§. Instabis: acceptatio qua Pontificem concorditer electum Ecclesia acceptat, reddit de fide illum hominem, quem Cardinales elegerunt esse legitimum Papam, & tamen illa acceptatio est tantùm corporis Ecclesiæ prout distinguitur à capite, nam Papa non acceptat seipsum vt Papam, ergo Ecclesia prout dicit corpus non includendo caput potest rem facere de fide.

§. Ad hoc neg. min. acceptatio enim Ecclesiæ, quæ facit esse de fide, quòd hic electus sit Papa, etiam includit ipsum Papam. Si enim electus non acceptaret seipsum in Papam, non fieret de fide hunc hominem esse Papam, esto enim Papa seipsum non adoret sicut Ecclesia facit, quia adoratio debet esse ad alterum, tamen Papatum ad quem electus est acceptat, & postquam acceptauit credit se esse verum Papam, & sic procedit ad definiendum, & seipsum definiendo res fidei proponit vt verum Papam, & vt regulam animatam fidei.

§. V.

Statuitur tertia Conclusio.

DIco 3. absolutè fatendum est, Concilium nullo modo esse supra Papam. De hac veritate iam dubitari non potest post Concilium Lateranense, nam in sess. 11. Sacro approbante Concilio sic determinat Leo X. [Cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonijs, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet.] Quibus determinat Pontifex, quòd quia Papa secundum adducta illa iura plenam auctoritatem habet super omnia Concilia, ideò indicendi, transferendi, & dissoluendi prædicta omnia Concilia plenum ius, & potestatem habet; non ergo dici potest Concilium esse supra Papam.

§. Prob. 2. ex cap. significasti de electione, vbi Pontifex dicit: [Quòd Concilij Decretis non subditur, quia ab ipso robur, & potestatem habent.] Vbi bene ponderat Caietanus, quòd si Concilium iam legitimè congregatum auctoritate Papali ad sua decreta facienda, vtique etiam inuito Papa, & supra ipsum leges facere posset, & illis teneretur Pontifex obedire. Cuius oppositum determinat Papa in adducto capite, dum dicit se Concilij Decretis non subdi, quia ab ipso robur, & potestatem habent.

Probat. hoc ipsum ex cap. patet 9. dist. quæst. 3. vbi habetur: [Sedis Apostolicæ iudicium cuius auctoritate nulla maior est à nemine est retractandum, neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio.]

In cap. nemo etiam habetur: [Nemo iudicabit primam Sedem, neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à populo.]

Item in cap. aliorum dicitur: [Sedis Apostolicæ præsidem suo fine quæstione Deus reseruauit arbitrio,] & in cap. ipsi sunt habetur, [Sedes Apostolica de tota Ecclesia habet iudicare, & ipsa à nemine iudicatur, & ideò appellationes totius Ecclesiæ ad Papam sunt faciendæ, à Papa verò nemini permittitur appellare,] & in Extrauag. Bonifacij VIII. vnam Sanctam de maioritate, & obedientia dici-

dicitur: [Si deuiat terrena poteſtas iudicatur à ſpirituali, ſi ſpiritualis minor, iudicatur à ſuperiore, ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, & non ab homine poteſt iudicari.] Et in VIII. Synodo generali Conſtantinopolitana hoc ipſum habetur, ipſe Papa non habet ſuperioritatem in terris, eſtque ſupra Concilium, non Concilium ſupra Papam.

§. Dices, in his iuribus non fieri mentionem de Concilio generali, ſed de alia qualibet poteſtate terrena, citra Concilium generale.

§. Sed contra, nam præterquam quòd aliqua cura ex adductis loquuntur etiam de Concilio generali, vti eſt illud caput nemo, vbi dicitur primam Sedem, neque ab omni Clero iudicari poſſe, ibi enim per omnem Clerum totam Eccleſiam intelligit, ſiue in Concilio generali ſiue extra Concilium.

Similiter caput, ipſi ſunt, vbi dicitur, [Sedes Apoſtolica iudicare habet de tota Eccleſia, & ipſa à nemine iudicatur.] Numquid Concilium habet maiorem auctoritatem, quàm tota Eccleſia? minime gentium, ergo dum dicitur ibi, à tota Eccleſia iudicari non poſſe Papam, Concilium etiam includitur.

§. Præterea, Concilium generale eſt poteſtas in terris, & in Extrauag. vnam Sanctam dicitur, [quod poteſtas ſuprema qualis eſt Papæ non habet in terris poteſtatem illa ſuperiorem,] ergo loquitur etiam de Concilio generali.

Præterea dicitur, quòd ab Eccleſia ad Papam licet appellare, non à verò à Papa ad Eccleſiam, vel ad aliquam poteſtatem eius, ergo non licet appellare à Papa ad Concilium generale, concluditur ergo in his iuribus, quòd poteſtas Papæ ſuperior ſit poteſtate Concilij generalis.

Prob. 3. nam ſi ob aliquam rationem Concilium haberet poteſtatem ſupra Papam. Ea maximè eſſet, quòd Papa poteſt errare, & ſic oporter, quòd ſit aliqua poteſtas in terris, quæ illum corrigere valeat, at hæc ratio eſt nulla, ergo.

Prob. min. primò, quia potiùs Concilium generale legitimè congregatum errare poteſt, immò de facto errauit conuincit manifeſtè Caietanus tom. 1. opuſc. tract. 1. c. 1 t. de auctoritate Papæ, nam in ſecunda ſeſſione Concilium Baſileenſe, vſque tunc legitimè congregatum decernit, & declarat: [Quod ipſum pro hæreſum extirpatione, ac morum generali reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, nec non pro pace inter Chriſtianos procuranda in Spiritu ſancto legitimè congregatum, per nullum quauis auctoritate, etiam ſi Papali dignitate præfulgeat diſſolui, aut in locum alium transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet, aut poteſt, debebit, aut poterit in futurum, abſque eiuſdem Concilij Baſileenſis conſenſu, & deliberatione.] Quibus manifeſtè apparet, quòd etiam in his, quæ ſunt iuris poſitiui, qualia ſunt tempus, & locus Concilij, determinatur à Concilio, quod Summus Pontifex non habeat poteſtatem, quod quàm erroneum ſit nullus ambigit, errauit ergo Concilium in illa ſeſſione, in qua adhuc erat legitimè congregatum, & tamen ſupra Concilium non eſt poteſtas in terra, quæ illud corrigat in ſententia Auctorum, quos impugno, ergo dato, quod Papa errare poſſet, non ſequitur, quòd Concilium debet eſſe ſupra Papam.

Secundò, nam Pontificem errare poſſe ſtat dupliciter, vel vt perſona priuata, vel vt Doctor de Cathedra Petri, primo modo errare poteſt, non ſecundo, nam ei promiſſa eſt indefectibilitas in fide: Vnde ad corrigendum eum vt Doctorem Eccleſiæ, Concilium nequit requiri; ſi autem primo modo erret, vel ille error eſt in fide, & ſic admitto; quod in hoc caſu Concilium Papam iudicare poſſit; de quo infrà, vel eſt alius error in alijs materijs priuatis, & circa hæc à Concilio iudicari non poteſt, nam prima Sedes à nemine iudicatur, niſi in cauſa hæreſis non ergo eſt aliqua cauſa ob quam Concilium debeat eſſe ſupra Papam.

§. Prob. 4. princip. concl. ex doctrina D. Thom. 1. 2. quæſt. 90. artic. vltimo, vbi determinat, quod [lex eſt ordinatio rationis ad bonum commune; ab eo qui curam habet communitatis promulgata:] iuxta quam doctrinam lex Eccleſiæ nihil aliud erit, quàm rationis ordinatio ad bonum commune Eccleſiæ ab eo, qui curam habet Eccleſiæ promulgata; at cura Eccleſiæ non eſt Eccleſiæ relicta; ſed eſt commiſſa Papæ, iuxta illud *Paſce oues meas*, ad ſolum ergo Pontificem pertinet auctoritatiuè leges ferre toti Eccleſiæ, ac per conſequens non erit poteſtas in Eccleſia, quæ leges Pontifici dare poſſit, & ſic nulla erit poteſtas ſupra Papam.

§. VI.

Soluuntur argumenta contra Concluſionem:

PRimò arg. nam in Concilio Conſtantienſi ſub Papa Ioanne XXIII. anno Dom. 1415. ſeſſione 5. die 6. Aprilis ſic habetur: [Hæc ſancta Synodus declarat, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans poteſtatem immediatè à Chriſto habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & Eccleſiæ prædictæ reformationem in capite, & membris.]

Hæc ibi, & in alio ſequenti decreto ſic habet. [Item declarat, quòd quicunque cuiuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis etiam Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis huius ſanctæ Synodi, & cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis, vel ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur etiam ad alia iuris ſubſidia ſi opus fuerit recurrendo.]

Hæc ibi. Ex quibus, colligitur manifeſtè, quod Concilium generale habet poteſtatem immediatè à Chriſto traditam, & non à Papa,

à Papa, & quod ipsum Concilium habet potestatem supra Papam iurisdictionis, & coactionis, siquidem eum subdit pœnis ab ipso Concilio statutis.

§. Recitata auctoritas huius Concilij est valde difficilis, ideoque varijs modis conantur eam Doctores explicare vt eius vim effugiant.

Primò enim resp. Iacobatius libro 10. art 7. in responsione ad 2. argum. quem aliqui sequuntur.

Dicit ergo hic Auctor, quòd hoc decretum non fuit generale pro omnibus Concilijs in quacumque materia decerneretur, sed solùm particulare, nempè pro illamet Synodo Constantiensi, & in illa materia determinata vbi de causa Schismatis tractabatur.

Secundò respond. Dominus Caietanus, Concilium Constantiensε errasse in illo decreto.

Vnde Martinus V. præfactum decretum non confirmauit, nam hoc decretum non fuit factum à toto Concilio, sed tantùm ab illo dum erat sub obedientia Ioanois XXIII. cui postmodum adiuncta fuit obedientia Gregorij XII. & tandem contra Benedictum XIII. processum est, abrogando ei Papatum; quibus compositis Concilium cepit habere Vires Concilij, & non anteà: Martinus autem tantum confirmauit ea, quæ fuerant facta à toto Concilio, vel à pleno Concilio, vt constare potest ex verbis eius approbationis, ait enim in vltima sessione se approbare omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium Constantiense conciliariter, ipsaque sic conciliariter facta se approbare, & non aliter facta. Quæ verba declarant aliqua decreuisse prædictum Concilium quando nō erat legitimum, nec merebatur nomen Concilij; alia autem decreuisse, quando iam omnibus ad obedientiam reductis Concilium generale esse cœpit; decretum autem de quo in argumento, fuit factum quando Concilium tantum erat sub obedientia Ioann. XIII.

§. Tertiò resp. Antonius de Corduba loco supra citato in solutione ad 9. quod prædictum decretum fuit generale pro omnibus Concilijs, & legitimum, in eo tamen non fieri sermonem de hoc, quod Concilium sit supra Papam in materia iurisdictionis, sic quod possit leges ponere Papæ, sed tantum ibi fieri sermonem in materia determinata, nempè in his, quæ spectant ad fidem, & extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in eo casu, in quo si ei non prouideretur per Concilium generale Ecclesia in magnam veniret perniciem, in quo casu etiam inuito Papa Concilium generale posset congregari, & eius definitioni potiùs, quàm Papæ etiam standum esset. Sed quidquid sit de 2. & 3. responsione.

Crediderim nos debere stare in solutione adducta ex Iacobatio, & dicere, quòd illud decretum non dat Concilio generali auctoritatem super verum, & indubitatum Papam, sed tantùm super eos, qui tempore schismatis Papæ incerti, & dubij fuerunt.

Quod mihi suadeo primò, ex eo quod post quam Pisis Concilium celebratum abrogauit Pontificatum prętensum Gregorio XII. & Benedicto XIII. & illis à Pontificatu depositis elegerunt Alexandrum V. tum schisma de nouo recruduit, quia Pontifices depositi dixerunt contra illos non potuisse procedere Concilium Pisanum, eo quod Concilium non habet auctoritatem super Papam.

Ad quod refutandum Constantiense Concilium primò hoc decretum fecit, in quo decernitur, quòd in causa schismatis, & in his quæ pertinent ad fidem quilibet obedire tenetur, etiam si Papalis conditionis sit. Tempore autem schismatis nullus indubitatus est Papa, & sic solum Concilium se habere dicit potestatem supra Papas dubios, & incertos, non verò supra Papas indubitatos.

§. Secundò hoc mihi persuadeo ex eo, quod ibi habetur, quod quicunque cuiuscunque conditionis etiam Papalis, qui mandatis, & statutis huius sacræ Synodi, & cuiuscunque alterius Concilij generalis legitimè congregati super præmissis, vel ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, &c. vbi vt apparet non est sermo de omni alio Concilio generali absolutè, sed restrictè, nempè facto, vel faciendo ad restinguendum schisma, illa enim sunt præmissa ratione quorum Synodus Constantiensis congregata fuit, igitur Concilium hoc non dat potestatem sibi super verum, & indubitatum Papam, sed tantùm super dubium, & incertum, neque tribuit omnibus alijs Concilijs in quacunque materia congregandis potestatem supra Papam, sed tantum congregandis super materiam Schismatis extirpandi.

Vnde factum est, quòd cum postmodum Concilium Basileense virtute Concilij Constantiensis sinistrè intellecti voluisset habere potestatem super Eugenium verum, & indubitatum Papam, præualere non potuit; sed præualuit Eugenius, & dissoluit Basileense Concilium.

Mens ergo Concilij Constantiensis est hæc, quòd Concilium generale habet potestatem super Papam incertum, & dubium in causa schismatis extirpandi, & circa ea, quæ sunt fidei, hoc est si Papa verus, & indubitatus delinqueret in fide, & fieret hæreticus, poterit iudicari à Concilio, propter rationes infrà dandas, quibus nostra conclusio non opponitur.

Secundò arguitur: Rectum est Iudex sui, & obliqui, Ecclesia autem vniuersalis est adeò recta, quòd in fide, & moribus errare non potest, nec deficere; & similiter Concilium generale legitimum faciens, quòd in se est. Papa autem in fide, & moribus deficiendo deficere, & in faciendo, quòd in se est, errare potest; ergo Ecclesia, seu Concilium generale illam repræsentans est supremus Iudex, habetque potestatem supra Papam.

§. Ad hoc dico ad minorem, quòd Ecclesia, vt constat ex capite, & membris, rectum est, cui conueniunt prædicta, separata verò à capite, rectum non est, sed obliquum, quia à capite recipit influxum; vndè tunc caput est rectum, & Ecclesia ab eo diuisa solum obliquum; & sic nequit iudicare de capite.

Deindè nego minorem argumenti, nam si Papa definit, non admitto, quòd non fecerit,

cerit, quod in se est, quia ipse est animata regula fidei, & sic in definiendo errare non potest: benè autem Concilium potest errare, si non definiat ex approbatione Papæ, vt probauimus supra errasse Basileense.

§. Instabis, Papa non est supremum caput totius corporis mystici, vel Ecclesiæ, ergo non habet supremam potestatem super eam, nec supra Concilium generale illam repræsentans.

Probo antecedens: Ecclesia non est, neque dicitur corpus mysticum Papæ, sed solius Christi, iuxtà illud ad Ephes. 1. *Ipsum dedit Pater caput Ecclesiæ, quod est corpus eius.* Vndè Matth. 26. dicitur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non *tuam*; & Io. 21. *Pasce oues meas*, non *tuas*, igitur Christus solus, & non Papa est caput Ecclesiæ.

§. Ad hoc nego antecedens. Ad probandum dico, quòd Ecclesia dicitur corpus mysticum Papæ tamquam Christi Vicarij, & tamquam capitis visibilis ministerialiter inseruientis Christo; non tamen dicitur corpus mysticum Papæ, quasi dominantis, & instituentis Ecclesiam, quo modo ratio capitis tantùm Christo conuenit, & hoc voluit Paulus ad Ephes. 1. & hoc voluit Christus explicare Matth. 26. dùm Ecclesiam *suam* vocauit, quia ipse solus est Dominus Ecclesiæ, qui illam instituit, & illi dominatur, quòd & non aliud voluit Ioann. 21.

§. Instabis contra hoc, nàm si Papa non habet esse caput per modum dominantis, sed per modum ministerialiter inseruientis, iuxtà illud 1. Petri 5. *Non dominantes in Clero, &c.* ex quo Papa se appellat *Seruus Seruorum Dei*, igitur Papa non habet potestatem super Ecclesiam, cuius est minister, sed minorem, vel æqualem, iuxtà illud Lucæ 22. *Maior est, qui recumbit, quàm qui ministrat.*

§. Præterea Rex etiam est Regni minister à Deo institutus, iuxtà illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant*, & tamen esto habeat potestatem super singulas partes Regni, non tamen habet potestatem supra totum Regnum simul congregatum, ergo similiter Papa habebit potestatem supra quamlibet partem Ecclesiæ, quia ex omnibus ministris Ecclesiæ ipse est maior, non verò supra totam Ecclesiam.

§. Ad hoc nego conseq. quàm non probat Textus ex Luca 22. quia licèt ille, qui ministrat in ministerij exercitio inferior sit, in potestate tamen est maior; quod confirmat factum Christi, qui de se ipso dixit, quòd inter Apostolos erat *non sicut recumbens, sed sicut ministrans*; ex quo tamen non licet Catholico inferre, ipsum fuisse potestate inferiorem Apostolis, quibus ministrabat.

§. Ad 2. distinguo maiorem, etiam est Regni minister à Deo institutus potestate accepta à populo, concedo maiorem, potestate immediatè accepta à Deo, nego maiorem, & concedo minorem, nego consequentiam. Itaque tam Reges, quàm Papæ sunt Dei ministri, sed aliter, & aliter, nàm Reges tale ministerium immediatè accipiunt à populo, & ideò non habent iurisdictionem super populum simul congregatum, at Papa ministerium Papatus accipit immediatè à Deo, non ab Ecclesia, licèt hæc concurrat electione sua ad designandam personam, & sic etiam super Ecclesiam habet potestatem, & non tantùm super singulas partes Ecclesiæ.

Instabis. Rex Saul, & Rex Dauid fuerunt à Deo electi, & instituti in Reges Israel, & tamen poterant à Synagoga deponi à Regno si fuissent nociui, & perniciosi ipsi Regno, & in casu, quo illos Synagoga deposuisset, poterat alium eligere in Regem, ergo esto Papa à Deo Papatum accipiat, poterit nihilominùs Ecclesia illum deponere à Papatu, si minùs idoneus ad regimen inueniatur, vel perniciosus ipsi Regno sit.

§. Ad hoc nego consequentiam, & assigno discrimen, nàm Saul, & Dauid per accidens fuerunt à Deo electi, & instituti, per se autem à Synagoga debuissent Regnum accipere, nàm potestas Regia per se primò est in populo, & populus faciendo Regem aliquem, facit sui ministrum, qui populum repræsentat, & sic sine à Deo per accidens Regnum accipiat, semper populo subijcitur, & sub illius est potestate.

Adest exemplum; quia enim oculus corporalis quò ad suum officium per se habet animæ subdi, esto ab anima aliquando non sit, sed à Deo mirabiliter accipiatur, tamen semper eodem modo in officio suo animæ subditur: Papa autem cùm sit Christi Vicarius, per se ab ipso Christo sit, Christique solius personam repræsentat; vndè cùm Ecclesia non habeat potestatem supra Christum, non habet potestatem supra Papam.

§. Instabis: Si aliquis Rex ad remotissimas Prouincias iturus Reginam suam, & Regiam sub custodia supremi alicuius Gubernatoris reliquisset, & hic bona Reginæ, & Regni destrueret, posset Regina ex consilio Magnatum Regni illum punire, & ab officio Vicariatus Regni deponere; ergo similiter, esto Papa sit Vicarius Christi, cui regimen Ecclesiæ Sponsæ suæ Christus commisit, si tamen Ecclesiam destruat, vel illi nociuus sit, poterit ipsa Sponsa Ecclesia illum punire, & à Vicariatu illum deponere.

§. Ad hoc concesso anteced. nego conseq. & disparitas est clara, nàm Regnum cùm habeat potestatem super Regem, habet quoque potestatem super eius Gubernatorem, & sicut posset Regem deponere, si Reipublicæ destructor esset, ita & potest ipsum Gubernatorem deponere; at Ecclesia non habet potestatem supra Christum, & sic non habet potestatem super Vicarium suum Papam, quem in terris reliquit.

Instabis: Papa non repræsentat Christum, sed Ecclesia, Ecclesia enim est hæres bonorum Christi, non Papa, qui tamen est dispensator horum bonorum, hæres autem repræsentat eum, cuius hæres institutus est; ergo si Papa bona Ecclesiæ dissipat, poterit Ecclesia, quæ prædictorum bonorum est domina, illum punire, & dispensatoris officio illum priuare.

§. Ad hoc nego conseq. Ad prob. nego anteced. etenim Christus patrimonium suum non reliquit Ecclesiæ auctoritatiuè, sic quòd illa sit domina prædicti patrimonij, sed tantùm reliquit illi percipere vtilitatem ex prædictis bonis per manus sui Vicarij Papæ, cui summam auctoritatem dedit circa dispensa-

tio-

tionem prædictorum bonorum. Vndè non Ecclesia habet Christum repræsentare; sed Papa, à quo Ecclesia, vt à Vicesgerente Christi, prædictorum bonorum percipit vtilitatem.

§. Sed instabis contra hoc, probando, quod etiam auctoritatiuè bona Christi relicta sunt. Etenim claues Regni Cælorum, & officium Pastorale non sunt datæ Papæ in persona sua, sed in persona Ecclesiæ, & vt illam repræsentat, nàm 24. quæst. 1. capit. Quæcumque dicitur, [quòd Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.]

Et Augustinus in sermone 10. super Ioannem de potestate soluendi, & ligandi habet hoc: [Petrus cum omnibus tamquam personam gerens ipsius vnitatis accepit.]

Et in sermone sanctorum Petri, & Pauli dicit: [Petrus totius Ecclesiæ gestabat personam, & ideò audire meruit: Tibi dabo claues Regni Cælorum.]

Et libro de agone Christiano dicit: [Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus inter Apostolos, huic enim Ecclesiæ claues datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dictum est: Pasce oues meas.] Ergo claues istæ auctoritatiuè Ecclesiæ sunt, & Papæ tantùm sunt, in quantum Ecclesiam repræsentat.

§. Prætereà Matth. 8. dicitur: [Si peccauerit in te frater tuus, &c. Dic Ecclesiæ,] vbi nomine *fratris*, cùm Christus non distinxerit inter fratres Cardinales, Episcopos, Papam, &c. intelligendi veniunt omnes, qui nomine fratrum gaudent; constat autem Papam etiam inter fratres numerari, sic enim dixit Christus Petro: [Confirma fratres tuos;] & ipse Pontifex Cardinales fratres suos vocat, igitur Christus iurisdictionem dedit Ecclesiæ supra Papam, & sic eum punire poterit Concilium generale Ecclesiam repræsentans.

§. Ad hoc argum. nego anteced. Ad proband. dico, quòd quando Petrus claues accepit, Ecclesiam significauit, non eo modo, quo Vicarius repræsentat proprietarium suum, nàm Petrus solius Christi Vicarius fuit, non Ecclesiæ, sed Ecclesiam significauit, quia eas in vtilitatem Ecclesiæ accepit, vt Caput vniuersale eius, & non vt persona priuata.

Ad alia loca Augustini dico, quòd cùm à Petro, vt Capite vniuersali Ecclesiæ, omnis alia potestas iurisdictionis deriuanda foret, & in ipso veluti in causa vniuersali præcontineretur, Petrus solus, vt Caput Ecclesiæ, totius Ecclesiæ personam gerebat, non vt Vicesgerens Ecclesiæ, sed vt virtualiter illam præcontinens, id enim sonant illa verba: [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] quia officia omnia, ex quibus Ecclesiam constare Christus decreuerat, nonnisi ex participatione plenitudinis potestatis Papalis deriuanda erant.

§. Ad confirm. dico, quòd illud: [Dic Ecclesiæ,] non debet intelligi de aliqua communitate, ad quam spectet punitio delicti, sed debet intelligi de Prælato, & Superiori, ad istum modum, quòd si aliquis peccet in alium, idest alio vidente eum peccare, is, qui videt debet primò eum corrigere de peccato, & si non resipuerit debet coram duobus, vel tribus testibus eum corrigere, & si non se emendauerit, debet de eo renunciare Prælato illius communitatis, cuius ipse est subditus, vt Prælatus coram facie Ecclesiæ, idest Cleri eum corrigat, & si his adhibitis non resipuerit, [sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.]

Deindè nomine *fratris*, non venit intelligendus omnis ille, qui fratris subit rationem, sicut neque nomine peccati Ecclesiæ denunciandi omne genus peccati licet intelligi, peccatum enim, quod sic in occulto fit, vt duos, vel tres testes adhibere non possim, sub illo præcepto contineri nequit, vt si maritus sponsam, quam in lecto habet ad peccandum contra naturam incitet, istud peccatum Ecclesiæ denunciabile non est, siquidem testibus conuinci non potest. Sic ergo nomine *fratris*, non omnis frater, sed tantùm omnis ille intelligitur, qui in terris supremus Pater non est, vti est Papa, vt docuit diuus Thomas in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. ad 2. dicens, [quod si Prælatus non habet superiorem, recurrendum est ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat.] Quæ tantùm de Papa verificari possunt: ex his ergo ad confirm. in forma resp. nego ant. nàm ibi sit sermo de fratre, qui alicui Patri, hoc est Prælato in terris subijcitur; vndè non est sermo de Papa.

Tertiò arguitur: nàm Concilium generale præindicat statutis Papæ, Papa autem nequit præiudicare statutis Concilij generalis, igitur Concilium generale est supra Papam.

Probo anteced. nàm glossa in cap. Legimus distinct. 93. dicit, [quod statuta Concilij generalis præiudicant statutis Papæ si contradicunt;] & de facto statutum Concilij Chalcedonensis præualuit reclamationi Leonis Papæ super Constantinopolitanæ Sedis præcedentia supra Alexandrinam, vt habetur in cap. Antiqua, de priuilegijs, & distin. 22. cap. Renouantes. Consuetudo etiam generalis Ecclesiæ abrogat statutum Pontificale Papæ.

Quod autem Papa nequeat præiudicare statutis Concilij generalis, patet ex 25. qu. 1. cap. Contra habetur, ibi: [Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest auctoritas.]

Et cap. Prima salus, dicitur: [Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum statutis nullatenùs deuiare.

§. Confirm. hoc argum. nàm Concilium iudicat de Papa, & actis eius, vt patet ex August. epist. 162. ad Glorium, & Elencium, vbi loquens de depositione Cæciliani Episcopi Carthaginensis, dicit: [Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc Ecclesiæ vniuersale Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè indicasse conuicti essent, eorum sententia saluaretur.]

Inter hos autem Episcopos Romæ iudicantes comprehendit Augustin. Melchiadem Papam, vt constat ex eius epistola, ergo ad Concilium pertinet iudicare de Papa, & eius actis.

Facit ad hoc cap. Definimus distin. 22. vbi octaua Synodus generalis Constantinopolitana canone 21. ait : [Synodus vniuersalis cum conuenienti reuerentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in eam proficere, non tamen audacter sententiam in Rnmanum Pontificem dicere potest.] Ergn Concilium sententiam definitiuam de Romana Sede, cum reuerentia tamen proferre potest.

Confirm. 2. nàm temporibus primitiuæ Ecclesiæ definitiones Concilij nomine, & auctoritate Ecclesiæ, non Papæ nomine consueuerunt fieri, sic enim act.15. dicitur: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil aliud oneris vobis imponere.]

Et in cap. Placuit distinct. 16. dicitur: [Placuit huic sanctæ Synodo, vt confirmata, & rata sint 83. capitula canonum Apostolorum.]

Et dist.26.B.Greg confitens se 4.Concilia generalia sicut Euangelium tenere, subdit causam, dicens: [Quia dum vniuersali sunt instituta consensu, se & non illa destruit, qui præsumit absoluere quos illa ligant, aut ligare quos illa absoluunt.]Quibus habetur Concilia ligare, & absoluere, non Papam: & 8. Synodus ait: [Hoc autem volentem intelligere Photium inobedientem, & rebellem anathematizamus, & tota Ecclesia Catholica facimus alienum, per datam nobis potestatem in Spiritu sancto à primo,& magno Pontifice nostro Deo, & liberatore, & Saluatore Domino nostro Iesu Christo.] In eadem etiam 8.Synodo legitur, quod Zacharias Episcopus contra sententias Nicolai,& Hadriani Pontificum dixit: [Canon est Princeps, & contra illum agentes nihil faciunt, quod verò contra hunc etiam Papa facit,non acquiescimus.]

§. Ad hoc argument. neg. ant. pro vtraque parte.

Ad 1. probo ex cap. *legimus* dico, Glossam illud non dicere assertiuè, sed argumentatiuè contra se ipsam.

2. Dico, quòd statuta Concilij generalis superueniente auctoritate Papæ præiudicant statutis solius Papæ, quòd non est Concilium habere potestatem supra Papam, sed est Papam non posse condere ius nouum contrarium priori.

Ad id, quod dicitur de Concilio Chalcedonensi, quòd eius statutum præualuit reclamationi Leonis Papæ, dico, quòd de reclamatione Leonis nihil in illis capitulis legitur, sed tantùm habetur humilis petitio super id facta à Concilio dicente, petimus. Præualuit autem Concilium, non quia supra Papam haberet potestatem, sed quia Papa noluit sua potestate vti, & compescere Patres Concilij.

Ad id, qnod dicitur de consuetudine, dico, quòd consuetudo non solùm abrogat statutum Papæ, sed etiam statutum Concilij, & ipsiusmet Ecclesiæ; vnde sicut ex hoc non probatur Ecclesiam habere potestatem supra se ipsam, etiam non probatur habere potestatem supra Papam.

Et ratio est, quia abrogatio statuti per consuetudinem, non fit potestatiuè, sed tantùm exequutiuè, habito consensu Principis,qui dum non reclamat consentire videtur.

Ad vltimùm resp. D. Thom. in Opusculo 19. contra impugnantes Religionem, qnod Papa nequit aliquid mutare, &c. in his, quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, non verò in his, quæ iuris positiui sunt, iuxtà qnam doctrinam duo capita ibi adducta debent intelligi.

§. Ad confirm. neg.ant. Ad prob. ex dictis Augustini dico, mentem eius non esse, quòd à sententia Papæ fiat recursus ad Concilium secluso Papa, hoc enim iodicaret potestatem in Concilio supra Papam; sed mentem Augustini esse, quòd ab vna Synodo particulariter facta liceat recurrere ad aliam plenam, auctoritate etiam Papæ congregatam.

Hoc enim non est recurrere ad Superiorem Papa, sed recurrere ab ipso Papa, vt præsidente paucis, ad ipsum vt præsidentem Concilio pleno, vt causa meliùs, & solemniùs videatur, & sic securiùs iudicetur.

§. Ad id quod adducitur ex cap. *definimus* dico, verbum illud *audacter* non debere accipi aduersatiuè, quasi fiat sensus, quòd Concilium sententiam definitiuam ferre possit in Papam, esto cum magna reuerentia, non verò *audacter*; sed accipi ablatiuè, quasi velit dicere, quòd Concilium quamuis possit audire quæstiones de Sede Romana exortas, non tamen debet audere sententiam definitiuam ferre contra Romanum Pontificum. Vnde negatur consequentia, quæ ibi infertur.

§. Ad confirm. dico, quod cùm constet Concilium non habere auctoritatem nisi à Papa, ex hoc quòd in primitiua Ecclesia definitiones Conciliorum nomine Concilij, & non nomine Papæ fierent, non dabatur intelligi Concilium habere auctoritatem supra Papam; verùm quia sinistrè hoc intelligendo, aliquis hoc inferre poterat, modò iam emendatum est, siquidem modò in Concilio Papa dicit, sacro approbante Concilio definimus, præcipimus, &c. vnde ex his, quæ in confirmatione recensentur, nihil conuincitur contra nostrum assertum.

Ad id, quod vltimò adducitur de Zacharia Episcopo, dico, quòd esto Papa possit de plenitudine potestatis abrogare canonem, & eius nouum condere illi contrarium, tamen dum sententiam fert de aliquo, vt licitè ferat canoni alligatus esse debet, aliàs iniustè procedet, si iuxtà sancita in sacris canonibus non iudicet. Et hoc est, quod Zacharias dixit, *Canon est Printeps, & contra illum agentes nihil faciunt*, quia quod licitè non fit quasi pro non facto reputatur, iuxtà morem Scripturæ sacræ,quæ non computat inter annos regni alicuius eos quibus Reges iniustè operati sunt.

Tandem argumentatur nam distinct.89. cap.*primæ Sedis* habetur, quòd nec ipse Papa appelletur *Vniuersalis*. Ex quo aliqui colligunt, quòd dum B. Gregor. in eadem dist. cap. *nullus*, & cap. *ecce* non vult tali nomine vti, hoc non fecerit ex humilitate, sed ex necessitate, quia scilicet prædictum Concilium, ità decreuit tamquam habens potestatem supra Papam, cui B. Greg. necessarium iudicauit

uit obedire. Quod non alia ratione prohibitum est, nisi quia illud nomen *Papa Vniuersalis* sonat potestatem supra totam Ecclesiam ergo.

§. Confirm. non minùs ius habet Ecclesia in clauibus sibi datis à Christo, quàm in alijs bonis temporalibus, sed Dominium temporalium principaliter habet Ecclesia, & & Pontifex tantùm ministerialiter, vt docet D. Thom. 2.2. quæst. 100. artic. 1. ergo similiter dominium clauium principaliter erit in Ecclesia, & in Papa tantùm ministerialiter.

§. Confirm. 2. nam Actuum 8. Petrus, & Ioannes à Concilio ibi habito missi sunt, sed mittens superior est eo, qui mittitur, ergo Concilium seniorum, & Apostolorum, quod misit Petrum, & Ioannem, superioritatem habuit supra Petrum.

§. Ad hoc dico in primis, quòd illud Concilium ex quo desumitur caput *Sanctæ Sedis* adductum, fuit prouinciale, de Concilio autem prouinciali non est dubium quin sit inferiùs Papa: cùm etiam totam Ecclesiam non repræsentet, non est aliqua ratio ob quam supra Papam extolli possit. Vnde quæstio tantùm est de Concilio generali.

Approbauit autem Papam prædictum Concilium, ex eo solùm, quòd illa appellatio *Papa Vniuersalis* videbatur sonare, quòd Papa cuilibet Ecclesiæ in particulari fuisset præfectus, quod falsissimum est, cum peculiaribus Ecclesijs peculiares Episcopi præficiantur, & Papa tantum sit Episcopus Lateranensis.

In hoc ergo sensu in prædicto capite prohibetur titulus *Papa Vniuersalis*, & in hoc sensu illam appellationem recusauit B. Greg. sed præter istum sensum admittit alium, quo significatur Papam esse Prælatum totius Ecclesiæ vniuersalis, non excludendo Prælatos peculiares peculiarium Ecclesiarum, in quo sensu in capite *in nomine Domini* dist. 23. & cap. *quamuis* dist. 21. & cap. *Sacrosancta* distinct. 22. & alibi pluries Papa dicitur Pontifex Ecclesiæ Romanæ, & totius Ecclesiæ Prælatus. Vnde negandum est prædictum titulum *Vniuersalis* denegari Papæ, ne detur intelligi quod ipse habeat potestatem supra totam Ecclesia m.

§. Ad 1. confirm. dico, claues datas esse immediatè Petro, & eius successoribus, & mediante Petro datas esse Ecclesiæ, vt illas habeat in Petro, & per Petrum, & sic nequit principalius dominium clauium habere Ecclesia, quàm habeat Papa, bona autem temporalia data sunt ab hominibus Ecclesiæ, consignando in dispensatorem talium bonorum Papam, & sic Ecclesia principalius dominium habet bonorum temporalium, quàm Papa.

§. Ad 2. aliqui dicunt, missionem non inferre in mittente auctoritatem supra missum, & ponunt exemplum in filio, & Spiritu sancto, qui mittunt se ipsos ad extrà, & tamen non sunt supra se ipsos. Vnde tantum materialiter infertur in diuinis Patrem ex hoc quod mittit Filium esse superiorem illo ratione solius humanitatis, iuxtà dictum Athanasij, *minor Patre secundùm humanitatem*. Conuenio in doctrina solutionis, in eo videlicet, quòd missio non inferat necessariò excessum in potestate supra missum, etenim Filius mittitur à Patre, & Spiritus sanctus mittitur ab vtroque, & tamen omnes tres personæ eiusdem potestatis sunt.

Non autem conuenio in eo, quod dicit solutio, quòd Filius, & Spiritus sanctus mittant seipsos, hoc enim falsum est, nulla enim persona mittitur, nisi ab ea à qua procedit; vnde Filius, qui à Patre procedit, & non à seipso à Patre se dicit missum, *sicut*, inquit, *misit me Pater*.

Similiter probat à Patribus, Spiritum sanctum procedere à Filio, quia mittitur ab illo.

Conc. ergo argumento, Petrum missum à Concilio, non auctoritate, & potestate quam Concilium habuisset supra Petrum, sed suasione, seu consensu sociali, iudicatum enim est Petrum expedire ad intentum, & sic suaserunt ei, vt iret, cui suasioni Petrus libens consensum dedit.

§. VII.

An Papa possit deponi à Papatu per Concilium generale.

Affirmatiuè respondent omnes in aliquo casu, sed pro requisitione quæsiti aduerto, Papam amittere posse Papatum per mortem, per renunciationem, *per perpetuam amentiam*, per dubiam electionem, & per hæresim.

De primo patet, quia destructis nobis finiuntur omnia, quæ sunt in nobis, & sic mortuo eo, qui Papa erat, perit quoque papatus eius.

De renunciatione patet, etiam in Cœlestino V. qui cum inidoneus esset ad regimen Ecclesiæ, rogatus à Cardinalibus, renunciauit papatui, & loco eius electus est Bonifacius Octauus, de quo fertur, quod Cœlestinum deceperit, voce tamquam cœlitus Missa per tubum, vt desereret pontificatum.

Similiter in Concilio Constantiensi tres Papæ dubij videlicet Ioannes XXIII. Gregor. XII. & Benedictus XIII. rogati sunt, vt pro Ecclesiæ pace pontificatui renunciarent. Vtrùm autem ad huiusmodi renunciationem requiratur concessio Ecclesiæ, vel Concilij generalis? Certiùs est hanc necessariò non requiri, sed tantùm ad melius esse, cùm enim Papa non habeat in terris superiorem, sicut in sua electione non accipit confirmationem ab aliquo, sic neque in sua renunciatione necessariò debet expectare alterius consensum. Cæterùm quia res magni ponderis est, ideò decet negotium tàm arduum consulere cum Ecclesia, vel cum Concilio.

De amentia perpetua etiam patet, quia qui sic amens iudicatur, quasi reputatur pro mortuo vita rationali, iuxtà illud Ecclesiast. 22. *supra mortuum plora, defecit enim lux eius, & supra fatuum plora, defecit enim sensus eius*. Vnde declarata eius perpetua amentia Cardinales possunt procedere ad nouam electionem. Cùm enim amentia sit carentia vsus rationis, & libertatis, reddit subiectum in

in quo inuenitur incapax omnis iurisdictionis, & omnis actionis gubernatiuæ, quæ fine vsu libertatis exerceri non potest.

§. Quando autem prædicta amentia perpetua iudicanda sit? crediderim eam esse, vt perpetuam habendam, quam peritissimi Physici secundùm causas naturales incurabilem iudicauerint, ità vt sine miraculo euidenti spes salutis recuperandæ habeatur.

Et si insies, quòd impotentia etiam iudicata secundùm artem incurabilis non dissoluit matrimonium si matrimonio superueniat iam contracto, licèt si antecedat dirimens impedimentum sit, ergo similiter amentia superueniens papatui non dissoluet matrimonium spirituale contractum inter Ecclesiam, & Papam.

Resp. neg. cons. nam matrimonium spirituale, quale habetur inter Papam, & Ecclesiam, non est ità indissolubile sicut matrimonium quod Sacramentum est, quod patet ex eo, quod in matrimonio Sacramento non est in libera potestate alicuius coniugis dissoluere illud, sicut est in matrimonio spirituali, siquidem in hoc si Pontifex liberè renunciat papatui statim Ecclesia alium sibi sponsum eligere potest, quod non contingit in matrimonio Sacramento, cuius vinculum indissolubile est, nec per voluntatem alterius coniugis, immò neque per voluntatem vtriusque dissolui potest.

Ex quo sequitur, quòd aliquid superueniens matrimonio huic spirituali possit soluere huiusmodi matrimonium, esto non possit soluere matrimonium Sacramentum, & sic amentia incurabilis esto superueniat matrimonio spirituali potest illud soluere; quamuis neque ipsa, neque impotentia naturalis superuenientia matrimonio Sacramento illud nequeant dissoluere.

§. De electione etiam dubia res est constans, quod Papa de cuius electione dubitatur, vtrùm legitima sit; possit ab Ecclesia deponi à papatu; sic enim definitum diximus in Concilio Constantiensi supra adducto, quam definitionem explicauimus ad hunc sensum, quod possit Concilium legitimè congregari contra Papam incertum, & dubium, & possit eum deponere à papatu præsumpto.

Habet enim Ecclesia plenum ius ad iudicandum de electione Pontificis vtrùm legitima sit vel non, & sic de facto in eodem Concilio depositus fuit à papatu Ioannes XXIII. & Benedictus XII. & in Concilio Pisano de facto fuere depositi Gregorius XII. & Benedictus XIII. quamuis causa in eodem Concilio non fuerit conclusa, sed in Concilio Constantiensi, in quo plenè absoluta causa processum est ad electionem Papæ indubitati, qui fuit Martinus V. Nomine electionis dubiæ vniuersaliter intelligimus, quando datur rationabile dubium de veritate Papæ, & de legitimitate electionis.

Vnde si contingat, Cardinales facta electione Papæ statim mori, aut ità impediri, ità vt non sit, qui Ecclesiæ certam notitiam dec de electione, etsi postquam legitimè elegerunt rem vellent vertere in dubium, & generaretur schisma inter illos, in his casibus ad Ecclesiam pertinet iudicare de electione, & potest, si necesse fuerit, ad pacem Ecclesiæ deponere à papatu electum.

Sed inquiris, vtrùm contingere possit, quòd Ecclesia iudicet aliquem non esse verum Pontificem, qui tamen in re verus Pontifex sit?

Resp. non posse, nam sicut non potest Ecclesia errare in acceptando pro vero Pontifice eum, qui verus Pontifex non sit, ità neque potest errare in excludendo à pontificatu eum, qui verus Pontifex est. Est enim res præ omnibus grauissima, & sic non est credendum, quod dabilis sit casus, in quo Ecclesia iudicet aliquem non esse verum Pontificem, & quòd ille in re verus Pontifex sit.

§. Inquiris 2. Vtrùm postquam Ecclesia aliquem pacificè acceptauit in Papam per aliquos menses, possit iteratò reclamare contra illum, dicendo illum non fuisse ritè electum? Casus hic in terminis accidit, postquam enim Greg. II. Sedem iteratò Romæ restituit ex Auenione vbi per 70. annos Pontifices commorati fuerant, post mortem ipsius accidit, quod antequam Cardinales ingrederentur Conclaue ad nouum Pontificem eligendum, populus Romanus timens ne electores, quorum maior pars Gallica erat, alium Gallum eligerent, qui iteratò Sedem Auinionem reduceret, rogauit electores, vt Italum eligerent; responderunt se electuros eum, qui paci, & tranquillitati Ecclesiæ congrueret, & de facto elegerunt Bartholomeum Prignanum extrà Conclaue existentem Archiepiscopum Barensem Neapolitanum, qui appellatus est Vrbanus VI. & postquam per aliquot menses adoratus, & pacificè acceptatus sederat, non valentes ferre eius seueritatem, Cardinales aliqui relicta Roma fugerunt Anagniem, & ibi dixerunt Vrbanum non esse verum Papam, quia ipsi non liberè, sed coacti metu populi Romani illum elegerant, & omnes, vno tantùm Cardinali excepto, ei papatum abrogarunt, & elegerunt alium Gallum, quem appellarunt Clementem VII. qui cum Collegio Cardinalium, qui ipsum elegerant, Sedem Auinionem transtulit.

Sic refertur in historia Concilij Constantiensis, quæ habetur ante Concilium; esto successum istum aliter enarret Platina in vita Vrbani VI. his verbis: post mensem tertium Cardinales veriti seueritatem Vrbani acerrimè simoniacis in terminantis, Anagniam primò, deindè Fundos confugere, vbi priorem Pontificis electionem, velut non liberam accusantes, Ioanna Regina fauente, nouum Pontificem creant Clementem Septimum, hęc ille.

Vbi non dicit, quod omnes Cardinales, vno excepto, Vrbano à papatu abrogarint, sed tantùm Cardinales Galli. Noster Carranza in sua summa Concil. pag. mihi 584. aliter casum refert, dicens, post Gregor. II. ingens schisma ortum est, Itali Italum Pontificem Vrbanum VI. dictum creant, & is Romæ mansit, Galli item elegerunt Pontificem in Italia, quem Clementem Septimum appellarunt.

Sic Carranza, quod si verum est, non stamus in casu præsentis quæsiti, quia ego inquiro de eo, qui nemine discrepante electus, adoratus, & pacificè, vt Papa per ali-

quot

quor menses receptus est ab Ecclesia; sed existimo Carranzam deficere in narratione.

§. Ad quæsitum ergo respondeo, quòd si electio fuit defectuosa, vti ab aliquibus narratur in historia Vrbani VI. de qua fertur, Cardinales metu populi Romani eum elegisse, & eodem metu ductos eum adorasse, potuerunt paucis mensibus intercurrentibus reclamare, habita commoditate ad reclamandum, nam nec mala electio ei paparum dedit, nec sola externa adoratio esto communis sic facit de fide, immò neque certificat in re, sed tantùm quò ad apparentiam externam, & quò ad nos eum, qui sic eligitur esse Papam. Vnde sic electus facta reclamatione etiam post paucos menses non est habendus pro vero, & indubitato Papa; sed pro dubio, & sic potest congregari legitimè Concilium ab Ecclesia, ad iudicandum de dicta electione.

Quòd si electio defectuosa non fuit, tunc Cardinales electores postquàm per aliquot menses acceptarunt pacificè, reclamare non possunt.

Quòd si non constet de legitima electione, & acceptatione, & dubium oriatur ex eo quòd hi, qui elegerunt dicant non seriò, aut liberè elegisse, sed metu ductos, Ecclesia potest congregare Concilium generale, ad iudicandum de tali electione, & deponere poterit si conueniens iudicauerit eum, qui in re verè Papa est, sed in facie Ecclesiæ dubius est.

Quod non fiet iudicando eum non esse Papam, sed iudicando non esse conueniens habere pro Papa eum, de quo certitudo non habetur, quòd Papa sit. Ex quo discursu constare potest responsio communis ad principale quæsitum huius.

§. Videlicet, quòd possit Pontifex in aliquo casu dubij pontificatus deponi per Concilium generale à papatu.

§. VIII.

An verus Papa possit deponi à suo Papatu per Concilium generale in causa hæresis.

Circà casum hæresis etiam est concors omnium sententia, Papam hæreticum posse à papatu deponi; de hoc enim habetur text. expressus in cap. Papa 40. dist. vbi dicitur, [culpas Pontificis redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.]

Quod confirmat epist. Hadriani II. relata in 8. Synodo generali Act. 7. vbi Romanum Pontificem à nemine iudicatum dicit, Honorio verò anathema dictum fuisse ab Orientalibus, quia fuerat in causa hæresis accusatus.

Ratioque desumitur ex illo 1. ad Timotheum 1. *hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem deuita*, qui autem in potificatu manere debet vitandus non est, sed potiùs illi vniri tenetur Ecclesia, vel eum deponere à pontificatu. Itàque hæreticus est vitandus, ergo & Papa hæreticus vitandus est, sed vitandus non est si maneat in pontificatu, igitur debet eum Ecclesia deponere à pontificatu.

§. Et si dicas, posse eum tolerare, ille autem hæreticus, qui toleratur, vitandus non est, & sic non debebit Ecclesia illum deponere.

Contra est, nàm Ecclesiam tolerat caput hæreticum, & pertinax in hæresi, & illi vniri in euidentem cederet Ecclesiæ destructionem, & in euidens periculum errandi in Ecclesiastico regimine, ergo conuenientius est Ecclesiæ illum à pontificatu deponere, declarando eum esse hæreticum, quàm illum tolerare, vt eum non vitet.

Prætereà Papa in hæresi pertinax est inimicus, & crudelis hostis Ecclesiæ, sed conuenientius est Ecclesiæ separare se à crudeli hoste si fieri possit, quàm ei vniri, ergo eum Ecclesia possit se ab illo separare deponendo, eum à pontificatu, conuenientius, & tutius erit illi eum à pontificatu deponere, quàm illum tolerando ei vniri, & eum vt caput sequi.

§. Nec valet dicere, quòd cùm Papa esto hæreticus sit, tamen dictando de cathedra hæresim definire non poterit, nàm qualiscunque conditionis Papa sit, in definiendo Spiritu sancto regitur ne in fide erret, ergo ex eo, quòd Papa hæreticus sit nullum detrimentum graue Ecclesiæ euenire potest, & sic poterit illum tolerare, & illi vniri Ecclesia, secura & certa de fide sua.

Non inquam valet, nàm licèt Pontifex quamdiù manet Pontifex errare in fide non possit dictans de cathedra, tamen vt persona, & doctor particularis posset suas hæreses docere, & licèt Eclesia illas sequi non teneatur; Grauissimum tamen inconueniens est, quòd Ecclesia non sequatur caput suum, etiam in his, quæ de cathedra non dictat, ergo tutius, & conuenientius est, cum declarare hæreticum, & à pontificatu deponere, quàm ei adhærere, vt capiti, tolerando hæreses eius.

Sed inquiris, an in omni casu hæresis Papa deponi possit? Aliqui iudicant quòd sic, in tantum quòd asseuerent, quòd esto hæresis occulta, & mentalis sit, à papatu deponi possit. Alij dicunt, solùm posse deponi si hæresis sit externa, & iuridicè probata, & si ipse sit pertinax in hæresi sua. Cuius eam assignant rationem, nàm hæreticus quamdiù iuridicè non declaratur vt talis, adhùc ab Ecclesia non separatur in communicatione externa, licèt in interno spiritu ab Ecclesia separatus sit, ergo adhùc potest exercere iurisdictionis actus, ac per consequens exercere officium capitis: sicut & alij hæretici non declarati exercere possunt officium partis Ecclesiæ, igitur ante declarationem deponi non potest à papatu.

Confirm. per hæresim, irà tantùm mentalem non amittitur paparus, ergo per illam solam Papa nequit deponi à papatu. Probo ant. nam si mentalis hæresis paparum amitteret, sequeretur quòd ille, qui semel mentaliter à fide defecit, iàm ampliùs Papa non esset, esto per pœnitentiam resipisceret, & veram fidem recuperaret.

Hoc

Hoc autem non est dicendum, nàm ex eo sequuntur grauissima inconuenientia; nàm vel esset necessarium, quod ille hæresim suam proderet, vel quòd papatui cederet, siquidem officium papatus exercere non posset, qui Papa non esset.

Sequela autem probatur, nàm per pœnitentiam esto fidem amissam recuperaret, tamen paparum semel recuperare non posset, nisi iteratò eum Ecclesia, vt Papam acceptaret, ergo esto per pœnitentiam fidem amissam recuperaret, iàm ampliùs Papa non esset.

§. Huic quæsito resp. 1. quòd si hæresis sit purè mentalia, Papa deponi non potest. Probo nàm ad depositionem iuridicè faciendam vtique requiritur, quòd iuridicè probari possit, at hæresis purè mentalis iuridicè probari non potest, nàm actus merè interni subdi nequeunt foro externo iudiciali, igitur ob hæresim merè mentalem Papa deponi non potest.

§. Resp. 2. quod si hæresis sit, non tantùm mentalis, sed externa, sed tamen sit occulta, etiam nequit ob illam Papa deponi. Probo hoc eadem ratione, nàm hæresis occulta esto externa sit iuridicè probari nequit, neque enim testibus comprobari potest, ergo in foro iudiciali de hæresi conuinci neqnit, ac per conſ. iuridicè ob hæresim occultam deponi non potest.

§. Resp. 3. quòd si hæresis sit notoria, nec tamen Papa de illa monitus, & correctus fuerit ab Ecclesia, etiam ob illam deponi non potest. Nàm in tantùm Papa hæreticus debet deponi, in quantum eum Ecclesia vitare tenetur, sed hæreticus non correctus de hæresi vitandus non est attestante Paulo, *hæreticum hominem post 1. & 2. correctionem deuita*, ergo Papa hæreticus adhùc de sua hæresi non correctus deponi non potest. Deindè nullus censendus hæreticus est, quousque de pertinacia in sua hæresi non conuincitur, at ante 1. & 2. correctionem de pertinacia, & incorrigibilitate nullus valet conuinci, igitur hæreticus censendus non est, ergo cùm Papa ante 1. & 2. correctionem adhùc hæreticus censendus non sit, nequibit ante illas deponi.

§. Resp. 4. facta prima, & secunda correctione, & successiuè iuridica delicti declaratione Papa deponi potest.

Prob. nàm iuxtà Paulum, tunc iàm homo hæreticus venit vitandus, igitur Papa hæreticus debet vitari, ac per consequens potest deponi.

Prob. 2. nàm facta 1. & 2. correctione Papa iàm nequit exercere functiones Papæ siquidem non est vnitus Ecclesiæ, neque in fide interna, neque externa, igitur declarandus est, vt non Papa.

Probo conſ. nàm caput Ecclesiæ quamdiù perseuerat in esse capitis, debet habere vnionem cum corpore Ecclesiæ, ergo si post primam, & secundam correctionem amittit vnionem cum Ecclesia, debet iuridicè declarari non esse caput Ecclesiæ, facta priùs iuridicè delicti hæresis declaratione, vt infrà dicemus.

Instabis contra primam, & secundam responsionem, nam Papa mentaliter, vel occultè hæreticus est deuius à fide, igitur papatum amittit, ac per consequens potest declarari eum non esse Papam.

Prob. conſ. ex cap. si quando supra à delicto ibi: [à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur deuius à fide,] ergo si per hæresim occultam sit deuius à fide, iudicari poterit ab Ecclesia.

Secundò ad hoc vt aliquis sit Papa in re, non sufficit quòd Ecclesia iudicet eum esse sibi coniunctum per fidem, sed requiritur, quod in re verè conueniat cum Ecclesia in fide, at ille, qui est hæreticus occultus, cùm non habeat fidem in re, non habet conuenientiam cum Ecclesia in fide, igitur in re Papa non est, esto adhuc Ecclesia iudicet eum sibi per fidem esse coniunctum.

Tertiò Papa, qui non habet fidem, nequit esse regula animata fidei, nequit etiam dictare de Cathedra, sed hæreticus occultus non habet fidem, ergo hæreticus occultus non est Papa.

Prob. maior. Papa vt definiat de fide, debet habere fidem veram de eo, quod definit, at qui aliquibus articulis fidei discedit, nullum alium articulum fide vera credere potest, vt supra docuimus, ergo Papa hæreticus occultus cum pluribus articulis discedat, nequibit veram fidem habere de eo, quod ex Cathedra definit.

§. Confirmantur hæc omnia, nam Christus Dominus vt conferret papatum Petro, primò examinauit eum in fide, dum enim Christo inquirenti, [quem dicunt homines esse filium hominis?] Petrus solus respondit, [tu es Christus Filius Dei viui,] Christus illi papatum promisit dicens, [& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] igitur papatus fundatur supra veram fidem, cùm ergo hæreticus occultus non habeat veram fidem, nequibit verum possidere papatum.

§. Ad 1. distinguo anteced. est deuius à fide in facie Ecclesiæ nego anteced. in occulto concedo anteced. & nego conseq.

Ad probandum dico, quòd Hæreticus occultus quamdiù occultus est, nec deprehenditur, nec deprehendi potest deuius à fide, & sic quamdiù occultus est, nequit iudicari iuridicè.

Secundò dico, quod esto deprehendatur deuius à fide, debet iudicari, seruato priùs ordine sancti Pauli, nempè corrigendo cum duabus vicibus, eùmque Hæreticus occultus, adhùc non sit correctus, nequit iudicari sic deuius à fide, quòd deponi possit à Papatu.

§. Ad 2. nego maior. nàm, vt supra probaui, ad exercendas functiones Papatus non requiritur, quòd Papa fidem veram habeat in re, sed sufficit, quòd in facie exteriori fidem conseruet; cuius eam assigno rationem: nam cùm Ecclesia non habeat fidem suam internam ex influxu personalis fidei Papæ, sed tantùm ex influxu illius capitali; influxus autem capitalis haberi possit sine personali, fit inde, quòd esto Papa, vt persona particularis fide careat; si tamen coram facie Ecclesiæ eam conseruat, Papatum etiam conseruat.

§. Ad 3. nego maior. ad proban. nego maior. vt enim ipse definiens errare non possit, non requiritur, quòd ipse habeat fidem su-

supernaturalem; neque de eo, quòd definit, neque de eo, quòd in definiendo errare non possit; nàm certitudo fidei, quam habet definitio Papalis, non fundatur in fide personali eius, sed in Christi dicto: [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua;] idest, non vt fides tua personalis non deficiat, sed ne in dictando de Cathedra aliquid contra fidem definias.

§. Ad confirm. disting. conseq. fundatur in vera fide quò ad statum, concedo conseq. quòad actualem fidei possessionem nego conseq. Itaque ad Papatum requiritur, quòd ille, qui est Papa sit in statu credendi, hoc est in obligatione credendi, non autem requiritur, quòd actualiter credat; & hoc voluit explicare Christus illo examine; sicut examinauit eum in charitate per tres vices; & nihilominùs est certum de fide, quòd Papa non habens charitatem, est verus Papa. Sic quod ex illo examine tantùm infertur, quòd requiratur ad Papatum status charitatis; idest obligatio habendi illam. Sicut dicimus de Episcopis, quod sunt in statu perfectionis, & tamen aliqui Episcopi personaliter perfecti non sunt, sed tantùm habent obligationem ad perfectionem; & de ipso Papa dicimus, quòd est Sanctissimus, & interdùm personaliter sanctus non est; quia per li *sanctissimum*, vel explicamus sanctitatem officij, quæ maxima est, vel obligationem personæ, quæ obligata est ad maximam sanctitatem.

Vel secundò dico, quòd illo examine tantùm probatur, quòd Papa debet credere publicè, idest in facie Ecclesiæ, & si hac fide publica careat, Papa non erit. Quòd mihi probatur, quia Christus non examinauit Petrum secretò, & priuatim de fide, sed publicè, & palàm coram facie Ecclesiæ, quam repræsentabant Discipuli, vt daretur intelligi, quòd super fidem probatam, & publicè examinatam fundatur Papatus. Cùm autem occultus Hæreticus non careat fide publicè, sed tantùm priuatim, fit indè, quòd Papatum ex hoc non amittat.

Contra tertiam responsionem instabis ex facto Liberij, Liberius enim Roma absens diffamatus est apud Clerum Romanum, quòd communicabat cum Hæreticis, & tamen nulla præmissa correctione Clerus Romanus eum deposuit à Papatu, & loco eius sedere fecit Felicem, qui vsque tunc Antipapa fuerat, per vim ab Hæreticis Arianis occupans Romanam Sedem; igitur hoc ipso quòd Papa Hæreticus notorius sit, etiamsi non præcesserint prædictæ correctiones, potest deponi.

§. Ad hoc dico, quod istæ correctiones debent adhiberi quando commodè, & fructuosè fieri possunt. Liberius ergo cùm longissimè distaret à Roma, diffamatus est, quod cum Arianis communicaret, & in condemnationem Athanasij consensisset, & sic commodè à Clero Romano corrigi non potuit; ideòque in condemnatione Liberij non fuit seruatus præfatus ordo, sed supposita notorietate facti iuxtà allegata, & probata legitimè depositus est.

Secundò dico, quod prima, & secunda correctio adhiberi debent, vt publica notitia habeatur de pertinacia, si ex alia via haberi non potest, cùm autem probatum esset iuridicè Liberium communicasse cum Hæreticis pertinacibus præsumptio vehemens de eo habita est, quòd esset ipse pertinax. Vndè non oportuit eius depositionem fieri præmissis prima, & secunda correctione.

Tertiò dico, quòd licèt ordo charitatis postulet præmissionem primæ, & secundæ correctionis, tamen si hæresis sit publica, & notoria, iuridicè poterit Papa declarari hæreticus, & facta declaratione iuridicè deponi, iuxtà quem sensum, & non aliter, intelligo meam tertiam responsionem ad quæsitum.

Quartò dico, quòd si Papa sit hæreticus notorius, & publicus, Ecclesia potest eum declarare hæreticum, & eum deponere, non tamen tenetur ad huiusmodi declarationem antè primam, & secundam correctionem; factis autem dictis correctionibus, non solùm potest, sed tenetur eum declarare hæreticum, & eum deponere, vt vitet. Fundo hoc in verbis sancti Pauli: *Post primam, & secundam correctionem deuita*, quòd verbum *deuita* præceptiuum cùm sit obligationem ex præcepto inducit.

Clerus ergo Romanus Liberium publicè diffamatum, vt hæreticum, iuxtà allegata, & probata potuit declarare hæreticum, & deponere; licèt non habuerit obligationem ad id faciendum ex præcepto Pauli ortam, dùm non præcedit prima, & secunda correctio Liberij.

Sed inquiris secundò, in quo subiecto sit hæc potestas declaratiua, & depositiua Papæ, in casu hæresis?

§. Resp. hanc potestatem solùm conuenire Concilio generali; nàm cùm hoc solum Ecclesiam vniuersalem repræsentet, hoc solum iure Diuino habet potestatem deponendi Papam in casu hæresis. Sicque obseruatum est in Ecclesia, quæ ad declarandum, quis haberet ius ad Papatum, Concilium generale conuocauit.

Sic factum legitur eo tempore, quo tres Pontifices erant in Ecclesia, sic etiam factum est ad iudicandum de Marcellino, quando deprehensus est metu mortis Idolo thurificasse, vt habetur in cap. Nunc autem, dist. 21. Et in causa Symmachi Papæ congregatum est Concilium Romæ, ad tractanda ea, quæ illi obijciebantur, vt tradit Antonius Augustinus in epitome iuris de Pontifice Maximo titulo 13. Ex quo apparet, quàm iniustè, & inualidè processerint Cardinales, qui propria auctoritate congregati Anagniæ deposuerunt Vrbanum VI. à Papatu. Vsi sunt enim auctoritate, quam non habebant, nàm ad ipsos tantùm pertinet eligere Papam, & cunctis proponere electum, non autem eum deponere, neque de eo iudicare.

Patet etiam, iniustè, & inualidè processisse Concilium Pisanum, dùm Greg. XII. & Benedictum XIII. à Papatu deposuit; erat enim Concilium tantùm Prouinciale, ex paucis cougregatum, & totam Ecclesiam non repræsentabat, & sic ad talem depositionem auctoritate carebat.

Inquiris tertiò, quis possit congregare huiusmodi Concilium?

Resp. Hoc posse fieri ab Episcopis, per epistolas denunciando Papæ crimen, & monendo

nendo se inuicem, vt conueniant super quid agendum in tali causa, nec poterit Pontifex impedire huiusmodi conuocationem Concilij, quia Ecclesia secundùm ius Diuinum potest in casu hæresis de ipso iudicare.

Inquiris quartò, ad quid se extendat, Hæc potestas, vtrùm tantùm sit declaratiua iuridicè, quòd Pontifex sit hæreticus, an etiam sit ablatiua Papatus? Circa hoc quæsitum aliqui volunt, quòd Concilium non habeat potestatem supra Papam, etiam in casu hæresis, & sic tantùm habeat potestatem declarandi Papam esse hæreticum, sed non habeat potestatem auferendi ab eo Papatum, sed hunc sicut Christus confert personæ electæ ab Ecclesia, sic illum aufert ab ea persona, quam Concilium declarat esse hæreticum.

Alij volunt, Concilium in casu hæresis esse superius Papa, quia hoc habet ex iure Diuino, & sic posse declarare eum esse hæreticum, & simul ab eo auferre Papatum.

Alij dicunt, quòd Concilium non habeat potestatem etiam in casu hæresis destructiuam Papatus, quasi ipsa potestas Papalis, vt destruenda, & corrumpenda Concilio subdatur, sed tantùm habeat potestatem destructiuam coniunctionis Papatus, cum hac, vel illa persona: sicut causæ naturales habent potestatem destruendi coniunctionem animæ rationalis, non tamen habent potestatem destructiuam ipsius animæ in se.

§. Resp. 1. Concilium generale in casu hæresis habere potestatem supra Papam, patet ex cap. Si quando, adducto supra illis verbis, *nisi fuerit à fide deuius*, quibus iudicium iuridicum datur Ecclesiæ supra Papam: iuridicè autem iudicare cùm sit actus iurisdictionis, debet necessariò oriri ab habente potestatem supra eum, qui iudicatur; ergo concedere debemus in casu hæresis Concilium generale habere potestatem supra Papam.

Deindè septima Synodus generalis dixit anathema Honorio, quia per epistolam eius deprehensus est esse à fide deuius, ergo.

Deindè Liberius depositus est à Papatu, quia iuxtà allegata, & probata, inuentus est communicare cum Arianis.

Deindè omnes conueniunt in eo, quòd potest Concilium Papam declarare hæreticum, & vitandum, at illi sunt actus iurisdictionis, qui necessariò oriri debent à potestate superiori illa, quam habet is, qui iudicatur, ergo.

§. Resp. secundò, Concilium generale posse dispositiuè auferre ab hoc, vel illo Papatum, ad istum sensum, quòd potest introducere dispositionem incompossibilem cum Papatu in tali persona.

Prob. nàm persona vitanda ex necessitate est incompossibilis cum Papatu, at Concilium post primam, & secundam correctionem potest declarare Papam esse hæreticum, & vitandum; ergo potest introducere dispositionem incompossibilem cum Papatu, & sic dispositiuè potest destruere illum, vt in hac persona.

§. Resp. tertiò, Concilium generale potest auferre ab aliquo Papatum in se.

Prob. Qui ponit dispositionem incompossibilem cum aliqua forma, quæ subsistens per se non est, destruit ipsam formam in se, sed Concilium ponit dispositionem incompossibilem cum Papatu, qui forma, per se subsistens non est, ergo destruit ipsum Papatum in se.

Prob. maior. ex eo, quòd gratia habitualis subsistens non sit, qui ponit dispositionem incompossibilem ex natura rei cum gratia, gratiam in se destruit, & qui ponit dispositionem ex natura rei incompossibilem cum fide fidem destruit se, ergo, qui ponit dispositionem incompossibilem ex natura rei cum aliqua forma, quæ subsistens non est, destruit illam in se.

§. Confirm. nam, si aliqua esset ratio ob quam Concilium nequiret destruere papatum, esset quia papatus à solo Christo confertur, & sic à solo Christo debet auferri, sed hæc ratio est nulla, ergo.

Prob. min. gratia habitualis à solo Deo confertur, & tamen peccator per actum suum peccaminosum gratiam destruit in se, ergo similiter hæc consequentia erit nulla, solus Christus confert papatum, ergo solus ille potest auferre illum.

§. Dices, disparem esse rationem, nam peccatum est iniustitia formaliter opposita gratiæ, & sic qui potest peccare potest formaliter destruere gratiam, gratia autem est participatio solius Diuinæ naturæ: Vnde solus Deus potest illam causare principaliter, & sic quantumuis se disponat ad illam, non tamen ipsam effectiuè causare valet.

Vnde stat benè, quod quis non possit principaliter causare gratiam, & possit principaliter illam destruere in se. Papatus autem cùm sit Vicariatus solius Christi, & ad proprietarium tantùm pertineat instituere Vicarium, & instrutum auferre papatum, sed sicut potest ponere Ecclesia vltimam dispositionem ad papatum per electionem Papæ, sic potest ponere vltimam dispositionem ad ablationem papatus, non tamen post auferre papatum.

§. Sed contra hoc est nam esto papatus sit Vicariatus Christi, tamen ipse Christus in casu hæresis tribuit Ecclesiæ potestatem iurisdictionis supra papatum, vt probauimus, igitur tribuit potestatem ad auferendum papatum.

Probatur consequentia, nam hoc ipso, quod Christus dedit Papæ potestatem iurisdictionis super alios Episcopos, potest Papa de illis iudicare, & eos deponere ab Episcopatu, ergo hoc ipso, quòd Christus subiecit Papam Concilio generali sicut in ipsum exercere possit actum iurisdictionis in casu hæresis, dedit Concilio potestatem vt possit Papam declaratum hæreticum priuare pontificatu.

§. Probatur secundò princip. nostra responsio contra Caietanum tenentem oppositum, nam ipse fatetur Ecclesiam posse auctoritatiuè destruere coniunctionem papatus cum hac, vel illa persona, quæ erat Papa in casu hæresis, ergo & potest auctoritatiuè destruere ipsam formam papatus.

Probatur consequentia, nam esse formæ papatus consistit in hoc quod est in esse, & con-

coniunctam esse huic subiecto, cum esse papatus non sit sicut esse animæ rationalis subsistens, neque ipsa forma Papatus hæc numero possit transmigrare de subiecto in subiectum, ergo si Ecclesia habet potestatem auctoritatiuam amouendi papatum ab hoc subiecto, habebit auctoritatem ad destruendum in seipsam formam papatus.

Contra hanc responsionem obijcitur primò ex capit. electionem 79. distinctione vbi habetur, quòd electio Summi Pontificis soli Deo reseruatur.

Et in casu Marcellini Patres congregati dixerunt, *tu te ipsum iudica*, & tamen erat casus infidelitatis, igitur Concilium non habet auctoritatem ad priuandum Papam etiam in casu hæresis.

§. Ad primò dico, textum illum non debere intelligi in casu hæresis, sed in alijs casibus aliorum criminum grauissimorum, in quibus sicut nullus potest eū eijcere à papatu.

Et certè difficultas huius textus debet solui à Ioann. à S. Thoma, qui Caiet. defendens asserit cum ipso, Concilium generale habere potestatem auctoritatiuam destruendi coniunctionem papatus cum hac vel illa persona. Quis enim dubitare potest, quod destructio, & separatio papatus ab hoc subiecto, sit electio huius hominis ad papatum? ergo cum hoc dictum suum directè opponatur, prædicto textui, ipse illum tenetur explicare sicut & nos.

§. Ad casum Marcellini dico, quòd Marcellinus non fuit incorrigibilis, neque iuridicè declaratus hæreticus, & sic noluit Concilium de ipso iudicare, sed dixit, *tu te ipsum iudica, quia prima Sedes à nemine iudicatur*, nisi Papa fuerit hæreticus incorrigibilis & vitandus de iure.

Secundò arguitur, nam in terris nulla est potestas superior potestate Papæ quamdiù manet Papa, ergo nulla est auctoritas in terris ad priuandum aliquem papatu.

Patet consequentia, quia hæc priuatio debet esse à potestate superiori, ergo si nulla est potestas superior potestate Papæ, nulla erit potestas, quæ possit aliquem priuare papatu, & ant. prob. nam potestas papatus est suprema potestas: potestas autem suprema supra se non habet aliam potestatem.

§. Ad hoc dist. ant. in omnibus, conc. ant. in aliquo casu neg. ant. & cons. Ad prob. dico, huiusmodi priuationem papatus fieri posse ab eo, qui licet in innumeris alijs sit inferior Papa, in aliqua tamen materia superior est illo. Quæ solutio expressè deducitur ex cap. si Papa dist. 4. vbi dicitur [culpas Pontificis redarguere præsumit mortalium nullos, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.] Quibus explicatur, quòd Papæ potestas suprema sit in omnibus, excepto hæresis casu. Neque hoc appareat incredibile, nam cùm Papa ex Christi libera institutione amplitudinem potestatis habeat, potest etiam ab illo ex vi suæ liberæ institutionis, aliquam pati restrictionem, sic enim subditur Papa Christo, sicut alij Episcopi subduntur Papæ, at Papa potest eorum iurisdictionem ampliare, & restringere, ergo & potuit Christus supremam eius potestatem in aliquo casu sic restringere; quod in terris aliquem habeat superiorem in hæresis casu.

Tertiò arguitur, nam potestas Papæ à Christo immediatè, sed mediante Papa, ergo in nullo casu potest Ecclesia potestatem habere supra Papam.

Probat. cons. nam potestas conueniens Ecclesiæ mediante Papa nequit esse supra Papam, sicut participatum nequit excedere id à quo participat, ergo si omnis potestas Ecclesiæ est mediante Papa, nulla potestas erit supra Papam.

§. Confirmatur quando Ecclesia deponit Papam, iam ille immediatè ante depositionem non erat Papa. Vnde depositio non est ablatiua papatus, sed est tantum declaratio iuridica, quod ille homo non sit Papa, ergo Ecclesia non aufert papatum ab isto, vel ab illo.

Prob. ant. declaratio qua hic declaratur hæreticus incorregibilis, est dispositio incompossibilis cum papatu, ergo hoc ipso quod quis declaratur hæreticus amittit papatum, cùm ergo depositio sequatur ad declarationem, sequitur quod Ecclesia non priuet aliquem papatu auctoritatiuè, sed ad summum dispositiuè.

§. Ad hoc argum. dist. ant. pro secunda parte, potestas Ecclesiæ non est immediatè à Christo, sed mediante Papa, potestas in qua Ecclesia subijcitur Papæ conc. ant. potestas vi cuius Papa in casu hæresis subijcitur Ecclesiæ, neg. ant. & cons. Itaque cùm Papa accipiat potestatem in omnibus supremam, & in casu hæresis Ecclesiæ subordinatam, oportet quod Ecclesia respectu omnium in quibus subijcitur Papæ, potestatem quam habet accipiat mediante Papa, & potestatem quam habet in casu hæresis in Papam, accipiat immediatè à Christo.

Cuius ea est ratio, quia cùm Ecclesia tunc Catholica sit, & Papa hæreticus, immediatiùs Ecclesia tunc coniungitur cum Christo quàm Papa, & sic à Christo immediatè accipit Ecclesia potestatem, & non mediante Papa.

§. Et si instes, Papa esto hæreticus sit, tamen est Papa, & caput visibile Ecclesiæ, & Ecclesia tunc tantum est corpus, sed caput Ecclesiæ, vtpotè immediatè repræsentans Christum immediatè voitur nisi mediante capite, ergo Ecclesia etiam in casu quo Pontifex sit hæreticus, potestatem nequit accipere à Christo nisi mediante Papa.

§. Ad hoc dist. maior. est caput visibile Ecclesiæ in casu hæresis, actiuè se habens in Ecclesiam neg. maior. merè passiuè se habens respectu illius habentis se actiuè, conc. maior. & dist. min. pro prima parte, immediatè vnitur Christo quantum ad esse, & operari in Ecclesiam, neg. min. quantùm ad esse, non verò quantùm ad operari in Ecclesiam conc. min. pro secunda parte, non vnitur nisi mediante capite influxiuè nego min. quoad esse transf. mio. & neg. cons. Itaque Christo Ecclesiam immediatè vniri, potest dupliciter intelligi, vel sic quod Ecclesia immediatè repræsentet Christum, vt caput Ecclesiæ inuisibile, & isto modo nonquam Ecclesiæ corpus immediatè vnitur Christo, vel sic vt repræsentet Christum immediatè influentem in Ecclesiam, & sic

sic dico, quòd in casu hæresis Ecclesiæ Corpus Christo immediatè vnitur repræsentando illum vt immediatè agentem in illam, & dantem illi immediatè auctoritatem.

E contra Summus Pontifex cum in casu hæresis merè passiuè se habeat respectu Ecclesiæ, vnitur Christo per modum repræsentantis illum vt caput inuisibile, sed non vnitur illi immediatè per modum repræsentantis illum, vt actualiter per Pontificem operantem in Ecclesiam, & sic stat benè, quod Papa hæreticus sit Papa, & nihilominus Ecclesia à Christo immediatè accipiat potestatem ad iudicandum de illo.

Ad confirm. dico, quòd ex vi declarationis, qua Ecclesia Papam declarat hæreticum, & vt talem vitandum, dispositiuè corrumpitur papatus, hoc est apponitur dispositio naturaliter incompossibilis cum papatu solemniter tamen, & iuridicè, & vltimo definitiuè per depositionem sequentem ad declarationem papatus destruitur; cùmque vtraque actio fit ab Ecclesia semper saluatur, quòd Ecclesia verè priuet Papam hæreticum papatu.

Vltimò arguitur, & prob. quòd Ecclesia nec dispositiuè auferat papatum.

Etenim licèt in formis physicis ità sit, quod introducens dispositionem physicè incompossibilem cum forma physica dispositiuè corrumpat formam, si forma subsistens non est, in formis tamen moralibus, & dispositionibus tantùm habentibus incompossibilitatem moralem cum illis res ità non contingit, sed declaratio, qua Papa declaratur hæreticus incorrigibilis, & vitaudus, est dispositio solùm moraliter incompossibilis cum papatu, & ipse papatus est forma tantùm moralis, igitur ex hoc quod Ecclesia Papam declaret hæreticum incorrigibilem, & vitandum, non sequitur, quòd dispositiuè corrumpat papatum.

Prob. maior. ex discrimine, quòd versatur inter dispositiones ad formam physicam, & dispositiones solùm morales ad formam purè moralem, nam inter prima est connexio physica necessaria, & sic qui aufert dispositionem physicam, ad formam physicam, & introducit contrariam, physicè habet destruere formam physicam, in secunda autem tantùm adest connexio moralis, quæ non est connexio physica, neque metaphysica cum forma morali, neque quoad introduci formæ in subiecto, neque quoad auferri ab illo; vnde esto ponatur dispositio moralis in subiecto contraria illi quam moraliter requirit forma moralis ad sui conseruationem, non sequitur ex vi causæ disponentis corrumpi formam moralem.

§. Explicatur hoc, dispositio vltima moralis tantùm exigit moraliter formam, & dispositio contraria tantùm moraliter exigit ablationem formæ ab eo agente fiendam, quòd illam contulit. ergo cùm declaratio tantùm sit forma moraliter incompossibilis cum papatu, tantùm exiget moraliter, quòd sui intuitu Christus, qui contulit papatum, papatum auferat.

§. Ad hoc argum. dico maior. esse veram loquendò de dispositionis morali ad formam physicam, non verò loquendo de dispositionis morali ad formam moralem, & dist. min. est dispositio moralis ad formam physicam, neg. min. ad formam moralem conc. min. & neg. cons. Itàque cùm forma physica fit alterius ordinis à dispositione morali, nequit esse connexio necessaria inter dispositionem moralem, & formam physicam, cùm autem forma moralis sit eiusdem ordinis cum dispositione morali, potest esse necessaria connexio inter illam, & formam, tam quoad fieri formæ, quàm quoad auferri eius; potest enim benè esse, quòd aliquis instituat aliquam potestatem moralem id est iurisdictionis, ea tantùm voluntate, & decreto, quòd ad habendam prædictam potestatem requiratur ad esse talem, vel talem conditionem ea necessitate, quòd qui illam conditionem non haberet, incapax sit talis iurisdictionis, vnde qui auferret tunc ab aliquo prædictam conditionem, dispositiuè corrumperet talem potestatem.

§. Ad explicationem neg. ant. quando enim ex institutione rei aliquid instituitur, vt vltima dispositio, & aliud vt forma, tunc ex parte vltimæ dispositionis est exigentia metaphysica talis formæ, ius enim fundatum in institutione rei est quasi ius naturæ, & sic habet fundare exigentiam metaphysicam; cùm ergo papatus ex vi suæ institutionis requirat ad sui conseruationem, quòd illa persona, quæ sit Papa, hæreticus declaratus non sit, sit inde quòd ex institutione sua consequenter habeat per declarationem hæresis quasi per incompossibilem dispositionem cum papatu dissolui, & sic Ecclesia, quæ Papam declarat hæreticum, per hanc declarationem dispositiuè papatum corrumpit, simili modo, quo pertinaciam circa aliquem errorem in fide habitus fidei dispositiuè corrumpitur, quia pertinacia opponitur captiuitati, & obedientiæ, quæ requiritur tanquam conditio ad fidem.

§. IX.

An præter casus relatos detur alius casus, in quo possit deponi Pontifex per Concilium.

PRæter etiam hæresis alij extant grauissimi casus, videlicet si Papa scandalosus, & perniciosus sit Ecclesiæ, vt potè manifestus simoniacus, venditor beneficiorum, vel si per legum iniquas dispensationes Ecclesiam deuastet, vel alia horrenda crimina committat. Quæritur ergo, an in his casibus, ipso inuito Concilium, congregari possit, & si incorrigibilis perseueret, ab ipso Concilio possit deponi.

§. Huic quæsito affirmatiuè resp. Panormitanus in cap. significasti de elections, & in cap. proposuisti de concess. præbend. in capite quoties de simonia, & in cap. sicut de iureiurando; Petrus Ancharanus in tractat. schismatis, Ludouicus Pontanus in Concilijs Concil. 523. Mathesil. in additionibus ad Dom. Antonium de But, Felinus in cap. nihil de præscriptionibus, Alexandrinus in cap. in sum-

summâ dist. 17. in cap. proposuisti de coocess. præbend. Hoc ipsum tenet Ioannes de Immola, & in dicto capite si Papa tenent Dominicus, & multi alij Canonistæ, & ex Theol. Almainus de potestate Papæ, Ocham in dialogis, & Gerson de auferibilitate Papæ, & contra Petrum de Luna dist. 22. contra 22. articulos eius.

§. 2. Alij dicunt, quòd si Papa sua mala vita scandalosa incorrigibilis existat, ità quod sæpiùs monitus quotidiè peius viuat, in tantùm quòd generet suspicionem apud fideles, quòd malè sentiat de fide, non credens esse peccatum, id quod sic scandalosè, & incorrigibiliter agi, aut quod non sit iudicium, vel alia vita, atque punitio post mortem, tunc & non in alio casu citra hæresim, ex qoo per suum factum notorium Papa redditur de fide suspectus, priùs monitus debet interrogari quomodò sentiat de fide, & an sentiat supradicta esse peccata, & dari aliam vitam, iustum Dei iudicium, & post mortem punitionem, nam ad suam papalem dignitatem spectat hæc declarare, ad quod potest cogi per Reges, vel Imperatorem, qui sunt fidei defensores, vt habetur distinct. 25. quæstione 1. quod si respondere, & se declarare noluerit, tunc Reges cum Cardinalibus, & Episcopis poterunt Concilium congregare, eoque inuito celebrare illud, & potest Concilium contra illum tamquam de fide suspectum procedere, cogendo illum vt de fide respondeat, & si tunc ipse noluerit, poterit Concilium illi purgationem imponere. Quod si se adhuc emendare, & purgare noluerit, tunc contra ipsum tamquam de fide suspectum procedere potest Concilium vsque ad depositionem eius. Ità tenent Rosellus in sua Monarchia tract. 2. de forma eligendi Papam pag. 9. & 10 tract. Concilij columna 2. Ludouicus in consilio 523. qui & dicunt, hanc opinionem tenere glossam in cap. si Papa dist. 40. & cap. finali dist. 30. Teoent hoc ipsum Ægidius in eod. capit. si Papa, & probabilem iudicat hanc opinionem Iacobatius, quamuis ipse, in ea non permaneat.

§. Tertia, & vera sententia affirmat, quòd verus, & indubitatus, Papa excepto crimine propriæ hæresis, pro nullo alio crimine quantumuis scandaloso, & Ecclesiæ pernicioso potest à Concilio deponi, quamuis possit moneri, reuerenterque reprehendi ab Ecclesia.

Hanc sententiam tenent D. Antoninus 3. par. sum. tit. 23. cap. 5. & tit. 24. cap. 2. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 2. cap. 26. 27. & 28. Tenent similiter Alexander de Ales, Ricardus de sancto Victore, Bonauentura, & communiter Theologi, & ex Iuristis innumeris. Intimatque satis hanc sententiam D. Thom. in 4. dist. 19. qu. 2. artic. 2. qu. 3. ad 2. vbi sic habetur: [Quamuis enim Prælati sint corrigendi à subditis, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum est ad superiorem, denunciando, vel si non habet superiorem, recurrat ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat.] Sumque in hac sententia.

Dico ergo: Indubitatus Papa quamuis de præfatis criminibus possit à Concilio denunciari, & reuerenter corrigi, in nullo tamen casu præter hæresim deponi à Concilio potest.

Prob. primò, nam in capit. electionem dist. 79. dicitur, [Electionem Summ. Pontificum sibi Dominus reseruauit.] Et in decreto Adriani Papę approbato ab 8. Synodo generali actione 7. habetur, [Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse noo legimus.] Cuius doctrinæ exceptio sola habetur in casu hæresis, vt patet in cap. si quando, vbi habetur, *Papam à nullo iudicandum, nisi fuerit à fide deuius.* Igitur præter casum hæresis non est casus, in quo Pontifex indubitatus de iure possit deponi per Concilium.

§. Dices: Papam priuilegijs, quæ io his iuribus illi conceduntur, gaudere, dum crimen non committit in Ecclesiam eam scandalizando, quòd si illam scandalizet præfata priuilegia hoc ipso amittet.

Sed contra est: nam esto crimen committat in Ecclesiam eam scandalizando, tamen dum hæreticus declaratus, & vitandus non est, Ecclesia secundùm iura non fit Papa superior, vt habetur in præfatis iuribus, ergo nequit eum à papatu deponere.

§. Confirm. seu explicatur, præfata iura expressè determinant, quòd pro nullo alio crimine, nisi hæresis, Papa iudicari aut deponi possit, ergo vt conformemur cum præfatis iuribus, hoc ipsum debemus asserere, & dicere, quòd excepto casu hæresis in nullo alio Papa possit deponi.

§. Dices, quòd licèt iura oon excipiant alios casus, tamen illi iure diuino & naturali excipiuntur. Sed contra, nam de his iuribus non constat, immò oppositum in iure diuino insinuatur.

Nam Matth. 18. habetur: *Si manus tua, oculus tuus, pes tuus scandalizet te, projice eum à te.* Vbi oihil habetur de projectione capitis, ergo propter scandalum in corpus Ecclesiæ commissum quamuis alia membra projicienda sint, non tamen Papa, qui Caput est.

§. Etsi dicas, quod 1. ad Corinth. 7. habetur: [Si isqui frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cùm huiusmodi nec cibum sumere.] Et Matth. 18. innuitur, hominem pro quolibet mortali cui annexa est contumacia esse excommunicandum, ergo Papa pro criminibus grauissimis, in quibus incorrigibilis, & contumax est, venit excommunicandus. Quòd si respondeatur, prædicta loca non intelligenda de supremo capite, sed de subditis, ergo etiam cùm Scriptura dictat, hominem hæreticum post 1. & 2. correctionem deuita, ista non intelligentur de capite, sed de membris, & sic Papa nec propter hæresim erit deponendus ab Ecclesia, quod est falsum, & dicta.

§. Cootra hoc est, nam vera intelligentia horum locorum Scripturæ, quæ loquuntur de alijs criminibus præter hæresim, noo sic intelligit, quòd Papam sub illis comprehendat, & loca Scripturæ, quæ loquuntur de hæresi sic intelligit, quòd Papam in illis comprehendit sicut, & alios homines, ergo asse-

tendum fic eſt, quod de iure diuino non habetur, quod pro alijs criminibus ab hæreſi Papa excommunicandus, & vitandus ſit, benè autem pro hæreſi.

Confirm. Scriptura ipſa loquendo de hęreſi non excepit Papam, vel alios ſuperiores; loquendo autem de alijs criminibus ipſos excipit, ergo conſonanter ad ſacram Scripturam ſolum caſum hæreſis debemus excipere. Prob. ant. & quidem quoad 1. partem conſtar, quoad 2. vrrò prob. nam Matth. 23. dicitur. [Super Cathedram Moyſi ſederunt phariſæi & ſcribæ, quęcumque dixerint vobis facite, ſecundùm autem mala opera eorum nolite facere.]

Et 1. Petri 2. dicitur, *Obedite præpoſitis veſtris etiam diſcolis.* Quibus habetur, quod ſubditi non debent ſe ſeparare à ſuis Prælatis propter vitam eorum malam, ſed eis debent obedire, ergo loquendo de alijs peccatis ab hæreſi, iure diuino excipiuntur Prælati ſuperiores, ne propter ea à ſubditis infligantur pœnæ pro eis aliàs debitæ, ergo cùm Eccleſia ſit inferior Papa, ob malam vitam eius non debet ſe ab eius obedientia ſeparare, eum à papatu deponendo.

Sed ſecundò prob. concl. nuſquam legitur, quod certus, & indubitatus Papa pro alijs criminibus quantumuis ſcandaloſis, & perniciosis Eccleſiæ aliquando depoſitus, aut punitus fuerit ab aliquo legitimo Concilio, quamuis ibi fuerit accuſatus, purgatus, & reprehenſus, & aliàs vt vidimus, iura Pontificem indubitatum dicunt non puniendum, neque deponendum, niſi pro crimine hæreſis, igitur debemus aſſeuerare, Eccleſiam non habere poteſtatem ad puniendum Pontificem indubitatum pro alio crimine, quantumuis ſcandaloſo, dummodò hæreſis non ſit. Prob. conſ. argumento, quo in alia materia vſus eſt D. Thom. 22. qu. 10. art. 8. & 12. etenim vt probet, quod nec infideles violenter ad fidem trahendi ſunt, nec paruuli eorum ipſis inuitis ſint baptizandi, hoc vtitur argumento: *Eccleſia numquam hoc facere conſueuit, ſed generaliter id potiùs facere prohibet*, diſt. 45. c. de Iudæis, & cap. qui ſincera, & capit. quid autem, ergo nec infideles ſunt violenter ad fidem trahendi, neque paruuli eorum ipſis inuitis ſunt baptizandi, ergo ſimiliter bonum argumentum erit, nuſquam legitur Papam indubitatum pro alijs criminibus ab hæreſi fuiſſe ab Eccleſia punitum, & aliàs iura ſimilem prohibent punitionem, igitur non poteſt Eccleſia hoc facere.

Anteced. verò prob. ſic, nam vt patet in Marcellino Papa idolis thurificante cum ſcandalo Eccleſiæ, licèt ex metu id fecerit, tunc Eccleſia in Concilio non eum puniuit neque depoſuit à papatu, quia in præfato crimine Marcellinus fidem interiùs non amiſit. Etſi in tempore Concilij Conſtantienſis Ioannes XXIII. depoſitus fuit, hoc ideò factum eſt, quia Papa indubitatus non erat. Etſi Henricus Imperator depoſuit Benedictum IX. & duos alios ſummos Pontifices, vt legitur in Chronicis Romanorum, hoc factum eſt, vel tyrannide, vel illi ſchiſmatici erant manifeſti, & non Papæ.

De Liberio etiam conſtat depoſitum fuiſſe à Clero, quia ſententialiter probatum fuit, illum fuiſſe hæreticum quamuis ea falſa, & ſiniſtra informatione; nuſquam ergo legitur, Eccleſiam Papam indubitatum puniſſe & depoſuiſſe, niſi in cauſa hæreſis; & iura vt vidimus aſſerunt, non niſi in præfato caſu poſſe ab Eccleſia puniri, igitur antecedens noſtræ rationis verum eſt.

§ X.

Soluuntur argumenta contra Concluſionem.

PRimò arguitur ſecundùm omnes, Papa hæreticus poteſt in Concilio deponi, quamuis in modo ſit varietas opinionum, ſed incorrigibilis, pertinax, & maximè ſi ſimul Eccleſiæ ſcandaloſus ſit poſt debitas monitiones in quocumque crimine ſit contumax, eſt de hæreſi ſuſpectus, & hæreticus præſumptione iuris, & de iure contra quam non admittitur probatio, vt habetur diſt. 38. capit. ſi qui ſunt, & 45. cap. ſed illud, & cap. finali de pœnis, & cap. ad Apoſtolicæ de ſententia & re iudicata lib. 6. & gloſſa ibidem, & in cap. nouit eod. tit. & talis punitur vt hæreticus ſi ſe non purget ſufficienter, & emendet, cap. excommunicamus 1. de hæreticis, & cap. cum contumelia eod. tit. lib. de purgatione canonica, ergo ſimiliter de Papa dicendum erit, quod propter præfata crimina in quibus reperietur contumax, depoſitione puniri poſſit.

5. Ad hoc conc. maior: dico ad min. præadducta iura non comprehendere Papam, quia hic ſecundùm diſpoſitionem iurium non poteſt deponi niſi propter hæreſim propriè, & ſtrictè ſumptam: vnde cùm incorrigibilitas, & contumacia in alijs criminibus ſolùm inducat præſumptionem hæreſis, ſeu ſuſpicionem, in præfatis iuribus non continetur. Vnde ius poſitiuum commune omnes alios, at non Papam ligat, aut comprehendit, qui ſupra ius humanum eſt.

Arguitur 2. nam ſi Papa pro alijs criminibus non poſſet deponi, hoc eſſet vel quia non habet ſuperiorem in terris, à quo iudicari vel puniri poſſit, vt dicunt iura in fauorem noſtræ concluſionis adducta; vel quia ratione ſcandali, vel ex alijs criminibus non ità fieret Eccleſiæ perniciosus ſicut per hæreſim, vel quia non reperitur lex, quæ talem exceptionem à iure diuino, ſiue communi faciat aut concedat, vt ſcilicet Papa pro talibus criminibus puniri poſſit, ſicut de hæretico reperitur.

Sed nihil horum obſtat quin poſſit deponi, ergo prob. min. Non quidem primum obſtat, nam ea vi illius rationis etiam conuinceretur, quod nec etiam pro hæreſi puniri valeat, quod tamen negatur à nobis; Non obſtat ſecundum, nam ſi eſſet hæreſis occulta non noceret Papa niſi ſibi ipſi, nec enim alios ſcandalizaret, maximè ſi ipſe tantùm hæreticus occultus eſſe vellet, & in publico rectè doceret, & rectè Eccleſiam gubernaret. Vnde Eccleſiæ ſcandaloſus non fieret, nec in Eccleſiam perniciosus iudicaretur, quantumuis perniciosus eſſet ſi in præfata vita ſcandaloſa con-

contumax, & incorrigibilis procederet, & tamen si hæreticus occultus esset, & probari posset, aut si suspectus sit, potest iuridicè accusari, iudicari, & deponi, ergo secundum non obstat.

Nec tertium videtur obstare, quia licèt in iure non reperiatur talis exceptio, nempè quod pro præfatis criminibus possit deponi, ipso tamen iure diuino, & naturali ista exceptio fit; siquidem pro saluando toto corpore Ecclesiæ ipsa ratio diuina, & naturalis dictat, quod caput putridum cauterizandum sit, & ipso etiam iure cuilibet personæ, & Reipublicæ licitum est se defendendo repellere, & occidere inuasorem iniustum, etiam Papam furiosum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo à fortiori licitum erit ipsum Papam deponere, quando aliter Ecclesia sine Concilium sibi ab eius nocumento cauere non potest.

Prob. consequentia, primò ex illo Matthæi 18. *si oculus tuus scandalizet te*, idest quantumcumque nobile membrum sit, si te scandalizat, *erue eum, & proijce abs te*, & 2. qu. 7. cap. sicut, & 24. qu. 3. cap. ecce autem dicitur, ne effectus caput populi alios exemplo suæ perditionis interficiat, & 11. qu. 3. cap. ità corporis dicitur, ne positus ad gubernationem populorum efficiatur ruina multorum.

Et ad Galat. 5. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant*, & 1. ad Corinth. 5. *Si quis nominatur auarus, fornicator, &c. cum huiusmodi, nec cibum sumere, & auferre malum* (idest hominem) *de medio vestrum*, ergo cùm iuxtà ista iura diuina præfata liceant sine nulla exceptione personarum, valere poterunt à fortiori in Papam criminosum.

§. Confirm. nam per concessionem factam Papæ, & legem generalem, quod in Papa sit suprema potestas, & à nemine possit iudicari, non abrogatur lex alia naturalis, sed potiùs salua intelligitur de defendendo se ipsum contra inuasorem, & quod ipsum Reipublicæ principem perniciosum Respublica deponere, & abijcere possit, quando aliter per industriam humanam sibi prouidere non potest; qua ratione D. Thom. hic qu. 1. artic. 8. tenet, infideles non posse cogi ad fidem, & paruulos eorum non esse inuitis parentibus baptizandos, quia præceptum diuinum de prædicando Euangelium, & fidem, & de salute animæ proximi procuranda intelligitur saluo iure naturali, ne scilicet per hoc alicui in persona, vel rebus ad se pertinentibus vlla vis, aut iniuria fiat, ergo similiter suprema illa potestas Papæ secundùm iura concessa debet intelligi absque præiudicio iuris naturalis.

§. Ad hoc argum. admitto, quod ratio propter quam Papa pro alijs criminibus ab hæresi puniri, aut deponi non potest, est quia non habet superiorem in terris, & quia Christus nullam fecit exceptionem pro illis criminibus, sicut eam fecit pro hæresi, at neg. consequ. nempè quod illa ratio etiam conuincat, quod in casu hæresis non possit deponi, nam in casu hæresis Papa, vel efficitur minor quolibet fideli, vt ità Concilium habeat potestatem super eum, vel ipse Papa cogitur dare Concilio potestatem supra seipsum, vel quia in eo casu Concilium, vt supra vidimus iure ipso diuino eam potestatem habet, quam in alijs criminibus non habet, vt fusiùs probatum est.

Et ad probationem, in qua probatur exceptio iure diuino, & naturali, dico illa iura non comprehendere Papam, sed tantùm membra eius, quia Christus tantum dedit Ecclesiæ iurisdictionem in Papam in casu hæresis, & non in alijs criminibus.

§. Ad confirm. dico, quòd Ecclesia potest se defendere à Papa furioso, alijs modis satis obuiis, iuridicè tamen ipsum à papatu deponere non valet, & ratio est, quia ad primum non requiritur superioritas in auctoritate, benè verò ad secundum, & sic potest Ecclesia cuius auctoritas inferior est Papa, ipso naturali iure ab eo si furiosus fit facilibus modis se defendere, iuridicè autem à papato deponere non potest, quia inferior non habet vnde in superiorem iurisdictionem exercere possit.

§. Sed instas: 2. contingere potest, quòd Ecclesia non aliter sibi prouidere possit, quàm deponendo Papam, ergo poterit illum deponere.

Ad hoc neg. conf. quia Ecclesia non debet, vt sibi prouideat medium ex se illicitum assumere, depositio autem Papæ pro alijs criminibus ab hæresi medium illicitum est, quia esset vsurpare iurisdictionem, quam non habet in Papam, & sic non potest illum, vt sibi prouideat deponere, sed debet ad Deum recurrere, vt illum sua omnipotenti manu corrigat, vel de medio subtrahat; vt ità diximus ex D. Thoma supra.

§. Etsi instes, non esse iure diuino prohibitum, immò esse concessum cuilibet Reipublicæ, suum Principem perniciosum, sua que auctoritate perniciosè in Rempublicam abutentem deponere, atque punire, ergo similiter non erit iure diuino, seu naturali illicitum, Papam eadem facientem in Ecclesiam deponere,

Resp. neg. cons. nam Principes seculares suam auctoritatem habent à populis semper subintellecta illa conditione, quòd tali potestate vtantur in bonum populi; vnde si auctoritate sua in populi perniciem abutantur, possunt populi illos deponere. Papa autem non habet suam auctoritatem ab Ecclesia, sed à Christo, cuius ipse Vicarius est in terris, & sic non potest Ecclesia illum punire, aut deponere.

Arguitur 3. & prob. quòd secundùm iura canonica pro alijs criminibus Papa deponi possit: etenim Episcopi pro alijs criminibus, præter hæresim, deponi possunt, ergo & Papa.

Patet con. nam scandalum Papæ maius est & maiorem perniciem causat, quàm causent Episcopi suis criminibus scandalosis, nam isti tantùm nocent suæ Diœcesi particulari, Papa autem sua vita scandalosa nocet toti Ecclesiæ, & præterea, quia vt constat ex lege *qua de tota ff. de rei venditione*, eadem est ratio totius ad totum, quæ habetur de parte, ad partem; ergo si propter vitam scandalosam possunt deponi Episcopi, pariter propter eandem poterit deponi Papa.

Ant. autem prob. ex cap. nisi cum. de re-

renunciatione, vbi ratione magni scandali Episcopus cogitur renunciare, & in capit. Presbyterum, & alijs capitibus de clericis ægrotantibus, & cap. 1. de corpore viriatis, sacerdos deponitur & in cap. Episcopus dist. 47. & cap. si quis Episcopus & cap. de his & cap. 1. dist. 50. & cap. tantùm Daniel dist. 81. propter vsuram & alia crimina scandalosa Episcopus deponitur secundùm iura, ergo. Prob. 2. quòd pro crimine scandaloso Papa deponi possit iuxtà ius canonicum, nam in cap. translato de constit. cum similibus deficiente lege expressa pro aliquo casu sufficit iudicium sumere à simili vbi est eadem ratio, & in cap. exempla de fide instrument. habetur, quod deficientibus legibus, & auctoritatibus recurrimus ad exempla.

Nunc autem legimus in Chronicis Romanorum, Papam Christophorum, & Benedictum V. & IX. Gregorium VI. & Ioannem XII. depositos esse propter alia crimina præter hæresim, & in Concilio Constantiensi tres alij depositi sunt.

Item secundùm Glossam in cap. si quis pecunia dist. 79. si coniugatus eligitur in Papam valet electio, sed si vxor ad vouendum continentiam adduci non potest, tunc Papa debet renunciare papatum, vt sic possit reddere debitum vxori sine scandalo Ecclesiæ Romanæ, vt habetur in cap. licet de electione. Quòd si nolit renunciare, deponendus est per Concilium, secundùm aliquos Doctores cum Mathesil. in additionibus ad tractatum Domini Antonij in 3. carta.

Item Felinus in cap. 2. de præscript. col. 3. dicit, quod ratione scandali vitandi, si duo sint ad papatum electi, Concilium potest vtriusque electionem cassare, vt etiam ait Glossa in cap. final. dist. 63. & in cap. si duo dist. 76. quæ Glossa secundùm Felinum intelligitur etiam si alterius electio teneret, aliàs consideratio scandali nihil operaretur.

Item 3. reg. 2. summus Sacerdos Abiathar fuit depositus per Salomonem, quia cum Adonia conspirauit, & tamen etiam in illa lege veteri summ. Sacerdos eiusque potestas erat à Deo immediatè instituta, vt constat Exodi 28. sicut nunc papalis dignitas, atque potestas, ergo similiter potest pro alijs criminibus Papa à papatu per Concilium deponi.

Ad hoc argum. neg. cons. neque enim est par ratio de alijs Episcopis, & Papa; illi enim omnes habent superiorem, qui eam punitionem, & ius in illos, qui iuri communi subduntur exercere possit, Papa autem minimè, quod clamant iura dum dicunt, *prima sedes à nemine iudicatur*.

Ad 2. dico, quòd ex illis Pontificibus, qui ibi enumerantur depositi, aliqui fuerunt depositi non seruato ordine iuris, sed sola vi Imperatorum, vel hominum seditiosorum, quibus pro tunc sat valida resistentia non potuit opponi.

Aliqui fuere Papæ dubij, vt constat de illis tribus, qui in Concilio Constantiensi depositi sunt, fuerunt enim electi tempore schismatis, ac per consequens non fuerunt Papæ indubitati.

Ad casum, de Papa vxorato dico, quòd Glossa non dicit, quòd si mulier noluerit vouere continentiam, propter hoc deponendus sit à papatu, sed dicit, quod Papa tenetur vxori reddere debitum, vel cedere papatui, vt sine scandalo debitum reddat.

Et dicit Antonius in capit. licet de electione colum. 7. quòd si mulier noluerit vouere castitatem, ipse reddet ei debitum; & simul retinebit papatum, quia ista duo incompossibilia non sunt, vt patet in Sacerdotibus græcis. Alij etiam dicunt, quòd si Papa notoriè vxoratus eligatur, vxor perdit ius petendi debitum.

Vnde numquam concluditur, quòd ob alia crimina ab hæresi Papa possit deponi. Ad casum ex Felino dico, illum casum dupliciter posse contingere, primò sic, quòd simul duo eligantur, & absque scandalo nequeat probari quis eorum verus Papa sit; alio modo si, postquam vnus electus, & receptus est in Papam, alter eligatur; in primo casu vterque deponendus est, in secundo verò standum est primo ritè electo, & recepto.

Vnde etiam interueniente scandalo nequeunt duo deponi.

Ratio primi deducitur ex eo, quod tunc nullus Papa indubitatus est, & sic vterque deponi debet.

Ratio secundi, quia primò electus verus & indubitatus Papa est, & alter secundus electus Antipapa, & sic primus deponendus non est, quàmuis aliqua oriantur scandala ob defensionem eius.

Ad vltimum dicatur, dignitatem summi sacerdotis veteris legis non fuisse supremam dignitatem in terris, erat enim dignitas Regibus subiecta, & sic poterant summi Sacerdotes propter multa crimina à Regibus deponi.

Et quàmuis à Deo essent immediatè, tamen erant cum subordinatione ad Reges temporales, vt doctè docet D. Thomas lib. 4. de Rege & Regno. Vnde Aaron subditus fuit Moysi, & filius eius Eleazar. At Pontifex legis gratiæ est suprema dignitas in terris, non habens aliam supra se, & sic nequit deponi ab aliqua potestate terrena.

Quare autem subdiderit Deus illam potestatem veteris sacerdotij alteri terrenæ potestati, & non istam legis gratiæ? in promptu ea est ratio, quia illa non habebat claues Regni Cœlorum, neque ligandi, & soluendi super terram, benè autem hoc habet Pontifex legis gratiæ & hæc, de isto Tractatu.



VVILHELMI LINDANI

Episcopi Ruræmondensis.

DE VERA CHRISTI IESV ECCLESIA, Vbinam locorum nunc tempestatis certò iuxtà, ac infallibiliter inuenienda.

DIATRIBA ANALYTICA.

VVilhelmus, seu Guilelmus Lindanus Damasi Fil. Dordraci Ann. Dom. 1525. in lucem editus est, parentibus Catholicis, patricijs Dordracenis, ac Lindæ (quæ ann. 1422. communi inundationis calamitate inuoluta, cum 71. pagis à maritimo æstu absorpta est) Dominis. Duodecim annorum puer apud Meranos (Comitatus Stooghrastatani vicus est) triennium literis melioribus operam gnauiter dedit. Mox Philosophiam Louanij Porcensi in gymnasio feliciter didicit. Theologiæ deindè scientiam antesignanis potissimùm Ruardo Tappero, Iod Toletano, & Ioan. Hasselio, singularem est assecutus; Græcas interim literas Hebraicasque tradentibus Rutgero Rescio, & Andrea Baleno. Eamque ob causam in Galliam concedens Rabbinorum commentarijs scriptis vberiùs degustandis, familiarissimè ibidem Ioan. Mercero, & Adriano Turnebbo, linguarum professoribus, alijsque vsus est. Louanium reuersus, ann. 1552. sacris ordinibus initiatur, sacræque Theologiæ laurea insignitur; alteroque post anno ad excitatam tunc recenter auspicijs Othonis Fruchesij, Episcopi Augustani, Dilinganam Sueuorum Academiam euocatus, per triennium inibi sacras profitetur literas. Louanium reuocatus, ann. 1556. Lauream doctoralem capit. Denique ex Decano Stagæ Comitano, Consiliario Regio, Episcopi Vltraiectini per Bataniam, Phrisiamque Vicario, in fidei violatæ reos Quæsitore; Primus Ruræmundensium apud Geldros Antistes, ann. 1562. designatus, ac consecratus nonnisi septimo post anno ad capiendam possessionem Ecclesiæ suæ admittitur. Admissus autem nihil priùs habuit, quàm vt arduum in primis, & periculosum disciplinæ Ecclesiasticæ, ac reformandi Cleri negotium aggrederetur. Semel, iterùmque exsul dum militum rabie, & tumultu plena sunt omnia, ann. 1578. relictis ouiculis pastor Romam proficiscitur: Cuius aduentus Gregorio XIII. Pontifice, Stanislao Hosio, Sirleto, cæterisque Cardinalibus gratissimus accidit; vti & Regi Catholico in Hispania, quò cum Internuntio Apostolico profectus erat. Reuersus loca pleraque reperit peste, atque inedia exhausta, è millibus aliquot vix vigesimum enumerat. Quod tamen muneris sui fuit, quantum potuit, & quantum licuit, præstat: Diœcesim obit vniuersam, subditos ore, & scripto instruit, atque in officio continet. Altera Romam instituta

pro-

profectione, ann. 1584. & absoluta anno deinde 1588. ad Gandensem Cathedram promotus, vix trimestri spatio superuixit, moriturque 4. Nonas Nouembris, annos natus 63. fuit certè vir ille (Cardinalis Baronij elogium est, notis ad Martyrologium Rom. 23. Nouemb.) non tantùm omnis generis literarum eruditione clarissimus; verùm etiam egregij Confessoris fidei nobilitatus insignibus; quippè qui exilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcusso robore, fidei causa sustinuit. Hactenùs Baronius. Quanti verò eumdem fecerit Cardinalis ille, vel ex eo liquidò constat, quod suas ad Martyrologium Romanum notationes publici vsus, ac iuris facturus, priùs eas vnius Lindani cùm accuratissimi, ac disertissimi, grauissimo iudicio voluerit subiectas. Reliqua de viri innocentissimi, & doctissimi vita, rebusque præclarè pro Religione Orthodoxa gestis, Arnoldus Hauensius suppeditat Commentaria de erectione nouorum in Belgio Episcopatuum. Cęterum Scriptorum Lindani Cathalogum Siluæ Ducis 1584. 8. editum vidi, quem hic quibusdam additis subiicio, annorum quibus scripsit, seruata serie. De optimo genere interpretandi Scripturas lib. 3. Coloniæ 1558. 8. Tabulæ Analyticæ omnium hæresεum huius Seculi. Panopolia Euangelica, seu de verbo euangelico lib. 5. Coloniæ 1590. in folio. Stromatum lib. 3. pro defensione Concilij Tridentini aduersùs Kemnitium inde 1575. Typis Cholini. De Sacrificio Missæ audiendo, siue quonam modo sit studiosis Dilinganis audienda Missa. Dubitantius, Dialogus de origine Sectarum huius Seculi, Coloniæ 1571. 8. Rueuardus Dialogus de animi tranquillitate, quo Sectarij omnes ex suismet principijs ad Catholicam reuocantur Ecclesiam. De vera apud Romanos Ecclesiã contra Vvittembergenses, eam Vvittembergæ collocantes, Coloniæ 1572. 8. Apologeticon libri tribus ad Germanos pro concordia cum Catholica Christi Ecclesia, contra nouam protestantium confessionem Augustanam ex Lutherana Caluinizantem, Antuerpiæ 1570. pars altera 1578. 4. Typis Plantini. Confutatio confessionis Antuerpiensis, Flandricè. Paraphrasis, & castigationes in Psalmum 118. cum Isagoge, & oratione parasceuastica in eumdem. Apologia eiusdem, contra Illyricum Flandricè. Commentatiuncula breuis de Cantico Angelico alleluia. Responsio pro vero, ac viuo Christi Corpore in sancta Eucharistia, aduersùs Ioannis Campaui blasphemias. Simul edita Coloniæ Typis Cholini 1575. 8. De Sapientia cælesti ad Sophiam Lindanam sanctimonialem Iesu Christi Sponsam, Typis Plantini 1567. 16. Psalterium vetus à mendis 3. repurgatum, & de Græco, atque Hebraico fontibus illustratum. Ibidem. De modo veræ confessionis Belgicè 1568. Oratio synodica habita in Synodo Ruræmundensi. De officio Pastorum, Paraphrases in Psalmos 30. priores Typ. Plan. 4. Paraphrases in Psalmos ad Laudes Antelucanas decantari solitas, ibidem. Catechismus Belgicè, ibidem. Speculum sacerdotale, siue Meditationes, quibus se Sacerdotes quotidiano præparent Sacrificio, Coloniæ 12. Exhortatio ad Hollandos, vt redeant ad Catholicam Christi Ecclesiam, cuius præfatio demonstrat Diuum Thomam fuisse Apostolum Germanorum, ibidem 4. Mysticus Aquilo, siue Declaratio Vaticinij Ieremiæ Prophetæ ab Aquilone pandetur omne malum, qua demonstratur non pertinere ad Saxoniam, vnde omne malum Ecclesiæ aperiatur, sed ad calamitates Ecclesiæ illinc orituras, ibid. 1580. De Apostolico Virginitatis voto, atque euangelico Sacerdotum Cœlibatu libri 5. pro Concilio Tridentino aduersùs Chemnitium, ibidem 4. 1580. Orationum Theologicarum eximij Theologi Ruardi Tapperi Tom. 2. à Lindano in lucem editi 1577. & 1578. 8. De fugiendis huius Seculi Idolis, nouisque istorum euangelicorum dogmatibus, Coloniæ 8. De Virtute Ecclesiæ ad Vvertenses Belgicè 1580. Contra Carniuoros, qui vetitis temporibus carnes comedunt, Belgicè 1580. Dogmaticæ conciones Bredæ habitæ, quibus doctrinæ de Ecclesiæ origine, vnitate, certitudine, ex Prophetis, & Apocalypsi, Item de Sacramentis, cæterisque controuersijs explicantur, sunt 23. Belgicè. Concordia discors, siue confessionis Augustanæ adulteratæ confutatio 1582. Coloniæ. Labyrintus Christianus Belgicè 1583. Dux viæ ad verum Deum Christum Iesum Belgicè. Conciones per Quadragesimam, & Aduentum habitæ, Conciones in Festis Sanctorum, Conciones Catechistæ aliquot, Catechismus Iuuentuti Ruræmundensi scriptus iuxtà Concilij Tridentini doctrinam 1571. & 1583. Coloniæ. Illuminator obcæcatorum Caluinistarum 1586. Belgicè. Missa Apostolica, seu Liturgia sancti Petri Apostoli cum annotationibus, & Apologiæ pro eadem apud Plan. 1588.

Gla-

Glaphyra in epistolas Apocalypticas S. Ioannis Apostoli ad Episcopos Catholicos, vbi adumbratur typus veri Episcopi. Prodijt Louanij à morte Auctoris. Eusebius, siue de fugienda impoenitentia, & de ingredienda seriò angustæ vitæ euangelicæ via ad Clericos Ecclesiæ Catholicæ. Paraphrasis in Psalmos Poenitentiales ad concipiendum veræ compunctionis spiritum concinnata, Coloniæ 1609. Sequentes libri nondùm sunt in lucem editi, sed prælo parantur, teste Arnoldo Hauensio. Theophilus, siue de officio pij viri contra Cassandrum. Pro decreto Concilij Tridentini. De Purgatorio contra quartum Tomum examinis Kemnitij in idem Concilium Trident. Epistola Apologetica pro Concilio Tridentino, qua respondetur præfationibus Kemnitij in suis examinibus 3. & 4. Tomos, &c. Exhortatio secunda ad Hollandos de Gog, & Magog in Belgium aduentantibus cum præfatione ad Gulielmum Aurangiæ Principem, Lachrymæ Germaniæ ad SS. D. N. Gregorium XIII. &c. de Clericis non canonicè viuentibus. Cur necessaria sit sacræ Bibliæ castigatio, ad Greg. XIII. epistolarum lib. 3. politicarum, Theologicarum, Miscellanearum, & 4. Hebraicarum quæstionum, cum Apologia 72. Interpretum. Romanum Pontificem verè, ac meritò appellari Vniuersalem Episcopum Ecclesiæ Christi. De Victoria Christi contra Iudæos, & Iudaizantes bibliorum Interpretes, vbi ordine alphabetico notantur à Iudæis deprauata loca, & olim aliter lecta, in Psalm. Exurgat Deus Paraphrasis. Paraphrasis in Cantica Canticorum cum annotationibus variarum lectionum & trium linguarum, Missa Apostolica, idest explicatio Rituum solida, Christomachia Caluinista, qua Diabolus nunc Christianos conatur facere Semiturcas. Decuriæ locorum ab Hæreticis nostri Seculi in Patribus, aut edendis, aut perfertendis deprauatorum, Epistola ad N. Caluinizantem, vt ad Catholicam redeat Ecclesiam, Tabula naufragij Nicæni, vbi anteà SS. Canonum, & Actorum Nicænorum ramenta ex varijs veterum Patrum Scriptis repræsentantur. Acta Colloquiorum Religionis per Germaniam conciliandæ causa habitorum potissimùm, ann. 1530. Augustæ 1511. Ratisbonæ 1557. Vormatiæ. Vide Valerium Andræam in Bibl. Belgica.

CAP. XI.

Indubitata veræ Christi Ecclesiæ signa Romanæ Ecclesiæ conantur Vuittembergici frustrà detrahere.



HANC Dei Ecclesiam, cui Romanus Pontifex totius semper Orbis Christiani cōsensu Pastor à Christo datus est, cùm videretis & veræ Christi Ecclesiæ nomen constanter obtinere, & pro ea non solùm à vobis, cæterisque parricidali audacia matrem oppugnantibus haberi (quod eam vnicam vos omnes, licèt discordes, concordi tamen coniuratione, vt segetem illæ Sampsonis vulpeculæ, infestis armis oppugnatis) sed ab ijs etiam, qui vestrum nouum Euangelium perdocti, fraudiumque vestrarum non liberalium suo malo tandem periti ad illam ceu erraticæ oues redeunt, putasti Georgi tuis cum manipularibus noua afficiendam contumelia.

Conscientiæ namque acuminatis veri iam pridem deserti stimulis, ne aculeatis sathanæ dicam furijs, exagitatus, præclaras illas tuas tres veræ Christi Ecclesiæ notas non minùs illam sibi sua pro veteri auctoritate (quæ temporis longissimi præscriptione fundata est, totiusque Orbis adeò Christiani consensu corroborata) posse sibi, & quidem meliore, quàm vos, vestræ nouellæ, conuulsæ ac multa discordia disruptæ, iure vindicare, exclamas tantùm non furiosa voce, Non moueat quenquam vetustas, inquis, Splendor, Titulus, Potentia, opus Hierarchiæ Romanæ, quæ fulcris idololatriæ, impiæ doctrinæ, & Superstitionum impia tyrannide, ac parricidijs sese conseruat, ac sustentat. O te miserum, qui lucidissimum veritatis Solem impuris tuis clamoribus te posse obscurare putasti; Sentiebas animo tuo seditione isthàc parricidali flagranti obsistere totius Orbis Christiani iudicium: Sentiebas Patres omnes veteres, tam Aphros, quàm Græcos nouis vestris sacrilegis motibus refragari: tu audacia verè Dathanica, & Abyronico furore omnibus vnus reclamas. Non moueat quemquam, ais, Romanæ Ecclesiæ vetustas; non Titulus, non Hierarchia. Bona, quæso, verba, mi Georgi, hanc bilem nonnihil tibi in sinum euome, ac te tibi redde, vt stomachari desinas, meque planiùs, sedatiorque simul & mansuetior his de rebus quæso instruas.

CAP. XII.

Romana Ecclesiæ prærogatiuam oraculis respondere, quod vbique disseminata.

HOrtaris discipulos tuos Wittenbergenses, ne quem moueat Romanæ Ecclesiæ vetustas. Ne tu callidus es Dei Ecclesiæ oppugnator, Georgi, qui imperitis rerum adolescentulis illam mente eripis cynosuram, qua ad veram Dei Ecclesiam possint aliquando Christi Domini dignatione (quòd ô vtinam citò,) peruenire. Sentiebas quantum haberet aduersùs vestram nouellam synagogam albo isto in monte non candidè seorsim structam præiudicij, ac ponderis multò maximi, quod Romana Ecclesia omnium passim dicatur apud veteres, fideique Christianæ auctores matrix, fons, origo & princeps; ac vti omnium ætate prima Christi Ecclesia, ita & cæterarum omnium caput, atque magistra.

Hortaris ne hæc prærogatiua quempiam moueat. Tùnc omnes nos, Georgi, ita habes blyteos, stupidos, ac veluti vestra ortos in Saxonia verè bardos, qui non possimus grauissimè non moueri singulari hac Ecclesiæ Romanæ prærogatiua?

An non dementis sit, oculos in hac tempestuosissima omnes genus controuersiarum caligine ab illa Cynosura diuertere, quæ nos iuxta prophetarum oracula ducit ad verum Christi domicilium Prophetarum vocibus, quasi indubijs, & infallibilibus indicibus agnoscendum, & sectandum? In quam obsecro, aliam Ecclesiarum quadrat, quod Christianæ Pater Deus promisit Ecclesiæ, Erit in nouissimis diebus, ait Esaias 2.capit. præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes? Sic 50.capit. Lætare sterilis; quia plures filij desertæ, quàm eius, quæ habebat virum. Semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabunt. Rursus cap.60. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & vocabunt te ciuitatem Domini Syon sancti Israel.

Ita, & Dauid testatur, Patrem Christo dixisse: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quorum verborum vim, atque sententiam, qui probè habet perspectam, agnoscet præclarè D. Optatum Parmeniano schismatis Donatistarum defensori, cæterisque omnibus schismaticis opponere. Si sic pro voluntate vestra (inquit lib.2.) in angustam coarctatis Ecclesiam; Si vniuersas subducitis gentes, vbi erit illud quod filius Dei meruit? vbi erit quod libenter ei largitus est Pater, in secundo psalmo dicens: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; vt quid tale infringitis promissum, vt à vobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo regnorum. Quid tantæ pietati obstare contenditis? Quid contra Saluatoris merita militatis? permittite filium possidere concessa, permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites? Rursus, Omnes gentes seruient ei, adorabunt eum omnes Reges terræ. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos Orbis terrarum. [In quod Spiritus Sancti Oraculum non fuerit abs re D. Optati in medium adducere commentariolum in Donatistas schismaticos falsa quadam argutia contortum.] Pater dum notat, nihil excipit: vos, vt concedatis vnicam totam libram auferre conamini. Et adhuc nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse Ecclesiam, auferentes meritum Christo: negantes præstitutum à Deo. O vestra ingrata, & stulta præsumptio. Christus vos cum cæteris in societatem Regni Cœlestis inuitat, & vt cohæredes sitis, hortatur; & vos eum in hæreditate sibi à Patre concessa, fraudare laboratis, dum Africæ partem conceditis, & totum terrarum Orbem, qui ei à Patre donatus, denegatis.

Sic, & Daniel vidit lapidem sine manibus præcisum in magnum montem factum, qui impleuit vniuersum Orbem terrarum, cap.2. In quem locum D. Augustinus Tractatu 10. in epistolam Ioannis, Nonne sic (vti lunam nouam digito demonstramus) Ecclesiam ostendimus fratres mei? nonne obtinuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quis errat in hoc monte? Quis frangit faciem offendendo in illum? quis ignorat ciuitatem super montem constitutam? Sed nolite mirari, quia ignoratur ab istis, qui oderunt fratres, quia in tenebris ambulant, & nesciunt quò eunt, quia tenebræ excæcauerunt oculos eorum. Similiter libro de Vnitate Ecclesiæ contra epist. Parme. capite 14. Non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Sed Donatistis velut operta est, quia audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, quæ in toto Orbe esse demonstrant: & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere, qui cùm esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit, & factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.

Certè vbi demonstaris, Georgi, hæc in primis præclara prophetarum oracula, & Christi elogia fuisse à Sanctissimis Patribus immeritò, aut temerè illi Romanæ siue Catholicæ Dei Ecclesiæ ascripta, tunc erit dubitandi locus, an prudentem lectorem non debeat mouere Romanæ Ecclesiæ vetustas, aut Titulus: quod hactenus inter tot variarum hæreseon tempestates semper diuino munere stetit saluus iste Titulus, quod est vera Dei domus, mons Syon, latera Aquilonis, vnica Christi Sponsa, ipsissima vna, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia. Nulla est certior indagandæ veritatis via, quàm ad rerum contendere primordia: Nulla indubitatior euitandæ omnis fraudis ratio, quàm indubitata quærere alicuius rei exordia: Nulla denique infallibilior perueniendi ad fontem illibatum, & imperturbatum methodus, quàm si ad riuulorum origines recurratur.

Quæ igitur fuerit, Georgi, insania, omnibus oculos semel adimere, ne splendescentem, ac singulariter effulgentem præ alijs

vbi-

vbique gentium Dei Ecclesijs, aut diaboli synagogis. Romanæ Ecclesiæ vetustatem intueantur? Certè si quis eius originem fuerit perscrutatus, rectè à via, quam totus semper Dei populus est sequutus, videbit non minimum deprehendendæ, ac eruendæ hac de quæstione, vbinam indubitata Christi Ecclesia veritatis hac in re, situm momentum.

Huic suffragatur, & titulus, quo ab omnibus semper veris Ecclesiæ Christi membris fuit cohonestata; quod omnium Ecclesiarum mater, ac matrix, quòd omnium Christi Ecclesiarum prima, caput atque magistra, quod principalis Ecclesia, ad quam est omnibus confugiendum: addo, quod magis ægrè fit vestris lucifugis oculis, extrà quam nulli sua salus constare potest salus. Quia Christianus non est, qui hanc deserit. Quia Deum non habebit patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem, vti ait Cyprianus de Ecclesiæ vnitate. Et D. Augustinus lib.4. de Symbolo ad Catechum. c.10.

De splendore eius, & potentia nunc mihi supersedendum videtur, quæ alium postulant locum, cùm vnus impresentiarum sufficiat D.Irenæus lib.3.cap.3. Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui vndique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est, eaque est ab Apostolis traditio. Cui suffragatur D.Cyprianus epist. 3.lib.1.Petri Cathedram appellans Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis sit exorta.

Illius verò Hierarchiam in nostra Panoplia satis, opinor, aduersùs rabidos quorumdam improborum clamores communiuimus, vnde, qui desideret petat licebit.

CAP: XIII.

Causas Romanæ Ecclesiæ conseruatrices falsas fingunt Vuittenbergici.

CÆterùm quod attexuisti Georgi, Romanam Ecclesiam fulcris idololatriæ, impiæ doctrinæ, ac superstitionis innixam tyrannide, ac parricidijs sese conseruare, ac sustentare, nobis non est silentio prætereundum.

Ita tibi, eheu miserum silicernium; blasphemare visum fuit. Cuius maledicti à Deo nos quidem tibi veniam deprecamur, vt tuæ granis senectæ misertus ignoscat senicuio, & der ætatem minus sapienti, aut veriùs inueterato isti malo infæliciter insenescenti. Quod firmis fuit rationibus stabiliendum, bili tuæ pituitosæ fuit satis satyricis conspuisse maledictis, aut sathanicis conspurcasse potiùs lædotijs, Sed quidnam momenti habeant ista acerbissima conuiria, nos studiosè nunc excutiamus.

Romanam Ecclesiam, ais, fulcris idololatriæ, ac superstitionis innixam, sese parricidij sustentare. Erras miser, erras toto cœlo. Non illa se istis, quas dicis, improbis artibus conseruat, aut sustentat: Sed eam Christus Deus eius iuxta Prophetarum Oracula, immò iuxta suum ipsius promissum, cùm fallere, tum falli nescium conseruat, stabilie, sustentat. Quod enim aduersùs vestra infesta tela tot coniuratis cohortibus, tot præclaris quidem ingenijs, sed humana prudentia, immò philautia cæcis fabrefacta, adhuc stat salua, & inuicta, vni Christo debet suo propugnatori, voi Christo acceptum refert indefesso defensori, protectori, conseruatori. Qui enim inuictum Ecclesiæ suæ sponsæ chariss. olim ex promisso præstitit præsidium, cùm ipsam vnus, vel Manichæus ab Oriente; vel Vigilantius ab Occidente; vel Marcion à Septentrione; vel Arthius à meridie infestis machinis oppugnabant. Idem ipse Christus nunc eandem tutari dignatur, quando ab vno mundi angulo Septentrione tam rabidis exagitatur incursionibus. Quamuis in illius perniciem omnia vnus nunc Septentrio conglomeret tela, quæ olim prisci illi hæresiarchæ prophana diabolo magistro suggestione fiere vndique machinati: Eudem tamen Christo suam Ecclesiam ex promisso infallibili defendente, ac propugnante, tantumdem planè aduersùs illam efficient, quod olim, videlicet ve suis ipsi iugulati telis, hostes sese conficiant.

Priscas enim illas heresiarcharum Camerinas olim Concilijs Ecclesiæ Christi damnatas fuisse à Luthero vestro; alijsque illius sathanicæ Synagogæ, Osiandro, Brentio, Carolstadio, Zuinglio, ac cæteris Synenangelicis in lucem reuocatas, notius est, quàm fusiore oratione persequendum. De quo si quis porrò ambigit, legat dialogos nostros Ruuardi, & Dubitantij.

Qui ergo Catholicam Christi Ecclesiam aduersùs ista venenata diaboli æterni Ecclesiæ Christianæ hostis spicula fuit semper tutatus, is eandem ab Orco aduersùs eandem per vos reuocata eiusdem diaboli tela confringet, comminuet, ac velut vasa figulina in puluerem conteret. Immò euanescene vltrò, vbi Deo visum fuerit, nouas istas hominum doctrinas fatis ad electos, & probatos tentandos esse grassatas. Ad eius namque arbitrium istæ prophanarum doctrinarum pestes grassantur, hic, aut illic, & tam diu, quàm paternæ eius prouidentiæ placet: sicuti de corporali peste res est pijs omnibus indubitatissima. Quæ igitur tu garris Georgi de idololatriæ, aut superstitionis fulcris, tyrannide, ac parricidijs, quibus sese conseruat Ecclesia Romana, friuolum est, ac planè ineptius, quàm vt prolixam mereatur refutationem. Si demonstraretur Romana Ecclesia aliud de Fidei Christianæ capitibus nunc aut docere, aut sentire, quàm sensit ab ipso sui vsque primordio, & ab ipsis Apostolicis incunabulis, esset causa, cur tyrannidis, aut parricidij rea andiret. Si nouos coleret Deos, aut alium Deum, aut aliter coleret, quàm ab Apostolis Petro, & Paulo ipsi prædicatum, quàm à Christo annunciatum, quàm à Deo ipso indubijs miraculis contestatum, meritò esset idololatriæ crimine fuggillanda. Verùm cùm de omnibus suæ Fidei Christianæ capitibus in hoc vsque tempus magistro vno Christi Spiritu eadem sentiat, eadem teneat, eadem

eadem doceat, non caret insigni temeritatis, immò sycophantiæ nota, cam velle idololatriæ nomine suggillare, quod mox erit persequendum latiùs vbi nonnihil de ijs, quæ dicis, parricidijs fuerit pertractatum.

Parricidijs, ais, sese conseruat, ac sustentat, ruitura consensu geotium, nisi cædibus exhauriret, & deprauaret prouincias. Quænam mihi hic dicis, Georgi, parricidia? An tu audeas parricidium nobis objicere, qui seditiosa, & tua, & tui Lutheri tot hominum miserorum myriadas orco tradidisti? possem tibi ad ducenta amplius milia enumerare, quæ suauissima nostra patria Germania, suis ex filijs desiderat, quos vna illa Lutheri fica non minùs tua, quàm sociorum linguis venenatissimis exacuata inferno transmisit. Nolo nunc Rusticorum bellum Germanicum: uolo Huggenottarum prælia Gallica: nolo Geusarum tumultus Belgicos commemorare, quorum vos esse auctores apud Deum Iudicem constabit: & apud homines postet liquere, nisi voa cum vera Christi religione, omnem etiam iustitiæ politicæ rationem de Spirensi camera, quæ sanctissimum Romani Imperij forum fuit, vestris legibus, vt nouis, ira iniquissimis sustulissetis. Quod si parricidia dicis, capitales hæreticorum pœnas legibus antiquis sancitas, vide, mi Georgi, ne, & te ipse, & tuum Lutherum, & Principes tuos Lutheranos facias istius parricidij reos. Nam Luthero auctore, Saxo, alijque Principes, non paucos gladio feriri iusserunt Anabaptistas. Quid hic commemorem, quibus legibus Romanis, quibus exemplis, quibus rationibus Theodorus Beza, cæterique vobis istius impiæ non minùs quàm seditiosæ doctrinæ magistris iniustitiæ patrocinium, ri ibuant? immò latrocinij defensionem ascribant? quòd hæreticos nunc, vbi anteà, non vultis gladio puniri? Sed hæc alibi copiosiùs.

Porrò quod subnectis, Romanam Ecclesiam consensu gentium ruituram, nisi cædibus exhauriret, & deprauaret prouincias: Hic mecum ambigo, vtrum plus tuum admirer delirium, an execrer potius tam sine fronte mendacium: Consensu gentium vis ruituram Ecclesiam Romanam. Quarum obsecro gentium? An non Italia, Gallia, Hispania, plures habet Romanam Ecclesiam filios, quod vel sanguine suo vestram abolere sint paratissimi seditionem sacrilegam, quam qui vestro faueant sceleratissimo schismati, vt nunc taceam tot hominum myriadas per Græciam, per Orientem, per Ægyptum, per Indiam, per nouas etiam insulas Dei ope hisce temporibus Christi Ecclesiæ in Aquilonis huius deficientis locum, quasi succenturiatas (vbi plura accessisse Christo milia est indubitatum, quàm istic vestro periere schismate centuriæ) per ipsam denique nostram licèt conuulsam Germaniam, an non plures habet viros Catholicos, quam Lutheranos?

Certè vt tibi nunc demus, per Germaniam primam, & illam Oesphaliam, & Vvestphaliam, sine veterem Anglosaxoniam plures fortè, proh dolor, inueniri Lutheranos, quàm Catholicos: An propterea Catholici per nobilem illam Sueuiam, Heluetiam, Bauariam, per Rheni bicornis tractum, & ostia varia, per Belgicam numero vestros non superent Lutheranos? proculdubio, & hic locum habere illam Dei vocem: Seruaui mihi septem milia, quæ non curuauerunt genua ante Baal Saxonicum, videre foret, si Christi pietas tres, aut quatuor alios dare dignaretur suo electæ, quondam Germaniæ populo Principes. Vanissimum itaque est quod iactas, consensu gentium Romanam Ecclesiam ruituram, nisi cædibus exhauriret, ac deprauaret prouincias.

Superest modò alterum refutandum mendacium: Cædibus, ais, exhaustas prouincias. Sed quasnam dicis? Circumfer mihi istos, quos non immeritò dicis sipientes, oculos, videbis numerum hæreseos vestræ seditiosissimæ causa punitorum millesima nequaquam parte exequare turbas, vestris tumultibus iugulatas. Si quis exactum subducere studeat calculum eorum, qui vestro perierunt infecti seditionis acerrimæ veneno, cum ijs q ios iusta secundùm leges antiquissimas tulit animaduersio, agnoscens tantum te à vero abesse, quàm abest à Cœlo terra longissimè.

Desine igitur Romanæ Ecclesiæ, Georgi, teterrimi istius parricidij crimen temerè exprobrare, qui ipse huius sceleris quidam Antisignanus conuictus, non potes illam commonstrare vllo pacto ream, quod in Reipublicæ perturbatores, ac diuinæ religionis deprauatores, iudicibus sacrosanctæ antiquitatis legibus iustissimè animaduerterit.

CAP. XIV.

An Ecclesia sit politicum sacerdotium, cuius mandatis, vel Imperatores obediant.

CÆterùm quò Ecclesiæ Romanæ semel Titulum veræ Christi Ecclesiæ detrahas, ais non esse Ecclesiam *ierateyma politicon*, quale hodie conspicitur Romana Ecclesia. At neque nos sanè tale sacerdotium politicum, quale vos illius odio ebrij confingitis, prædicamus in Christi Ecclesia habere locum: Sed esse in Ecclesia *eytaxian*, ac probum ordinem à Christo institutum; vt omnes vni pareant pastori Petro, legitimisque eius successoribus. Iam quod attexis, huius Romanæ Ecclesiæ caput non esse Christum, sed Romanum Pontificem; Nos pernegamus: sed Christum vnicum prædicamus totius Ecclesiæ nostræ Catholicæ caput; Cui Romanus Episcopus tamquam seruus præpositus seruit, aut saltem ex animo seruire debet, si illas apud Prophetas, & Euangelistas velit effugere comminationes.

Quod subtexis, Romanum Pontificem condere auctoritate propria dogmata Christo contraria: Nos à vero longè alienissimum dicimus. Nam quæ à Romanis Pontificibus legitimè diuo Petro succedentibus diuina auctoritate ritè nomine Ecclesiæ conduntur, aut Leges, aut decreta, ea adamussim respondere asserimus Apostolicis, & Euangelicis doctrinis. Hic enim locum habet illa Christi promissio: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.

Iam

Iam quòd quiritaris, Georgi, Romanum Pontificem imperare Monarchis, ac regibus Christianis: Quidnam istud, oro te, si religiosè cogitas, alienum habet à veri pastoris officio? Si sunt Christiani, an non ex religionis suæ professione, adeoque subiectione obedientiam indubitatò Christiani gregis (cuius sunt membra) pastori debent? An non sic, & Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, & alij Patres religioso imperio imperabant, immò seruiebant salutariter Monarchis, & Augustis? Vtinam Georgi Ambrosium audires. [Ità ne quadam adulatione cutuamur, ait epist.32. vt sacerdotalis iuris simus immemores? & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Rursùs. Tunc de hoc censebis (scribit Valentiniano Imperatori) qualis ille Episcopus sit, qui Laicis ius sacerdotale substernit.] Et Liberius omnibus Orat. de Basilicis. Quid enim honorificentius, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? quod cùm dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ità constanter exponimus. Hunc igitur in modum, erat pio viro de Præpositorum Ecclesiasticorum mandatis, & sectiendum, & loquendum. Nam & diui Pauli exemplo didicerunt, pro tempore quædam, & magnatibus salutariter imperare. Multam fiduciam habeos (ait Philemoni) in Christo imperandi tibi, quod ad rem pertinet. Quantum ratio exigebat, ait Ambrosius Commentario, dignum erat imperare discipulo magistrum, & fiducia Apostolicæ auctoritatis. Quas duas rationes, qui prudenter simul, & religiosè expenderit, non offendetur, si Apostolica auctoritate præditis, subindè suo vtendum putet officio: de quo Nazianz. orat. ad Imperat. & copiosiss. D. Chrysost. lib. 3. de Sacerd.

CAP. XV.

Successioni ordinariæ quantum tribuendum.

Porrò quod subteais: Nec alligata est Ecclesia ad ordinariam successionem Cardinalium, & Episcoporum, longissimè à vero dissidet. Siquidem Ecclesia Christi ad sui conseruationem necessariò habet Episcopos, non minùs, quàm subiectos illis populos, si modò gregis nomen velit tueri. Quo enim pacto erit grex Christi Ecclesia, si Christi oues suos à Christo datos non habeant pastores? Si inde mortui, aut emigrantis locum ordine non succedat Episcopus Episcopo, quanam ratione consultum fuerit Christi ouibus? quanam ratione suum Ecclesiæ, sine ouilis tuebitur nomen? Certè non minùs necessarium est, ad perpetuandam in finem vsque seculi Ecclesiam Christi, vt Episcopus Episcopo succedat; quàm ad ouile conseruandum, vt oues ouibus. Quem enim admodum Germaniæ imperium hodie idem est, licèt proh dolor, & pudor; miserum, lacerum, semirutum, solo ferè nomine Imperium, quod olim sub illis Augustis Othonibus, & Carolis, puta succedentibus sibi ordine, & Imperatoribus, & populis floruit: ità & Christi Ecclesia vna, eademque est nunc temporis, quæ ab sui vsque exordio. Nam discedentibus, atque hinc ad Dominum præcedentibus, tum pastoribus, tum ouiculis, alij alijs succeduot, donec occurramus omnes in virum perfectum: nisi interruptum, mutilum, atque mancum dicere velis Christi corpus, quod est Ecclesia.

Nisi enim perpetuatio quædam, indefessaque nouæ veluti sobolis adolescentis successio, æternaque suppullulatio, per assiduam quasi artuum defluentium, siue decidentium instaurationem fiat, continuò emoriatur necesse est hoc diuinissimum Christi corpus: haud aliter quàm si Reipublicæ nouos decedentibus prioribus, nolis sufficere ciues.

Quod si de membris ignobilioribus vides necessarium esse, in quauis Republica, cuius precor furoris erit idem nolle de nobilioribus Reipublicæ membris facere? Consules dico, Magistratus, & Prætores: qui ad Rempublicam constituendam, vnà cum illis plebeis sunt iuatà necessarij. Si regibus regna neges alligata, an non mutata imperiorum natura legitima, improbè regna deturbaueris in Democratias, Tyrannides, aut Oligarchias? At tu magno cum supercilio verè Pharisaico, fastuque Abyronico, alligatam negare audes Ecclesiam ad ordinariam Episcoporum successionem. An non Rempublicam alligatam censeas suis ciuibus? An non suis cum primis legitimis magistratibus?

Quorsum ergo D. Paulus Ecclesiæ magister, non postremus Ephesijs Miletum euocatis, ait, Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quàm acquisiuit sanguine suo? An non est Episcopis alligata Ecclesia Dei, quos Spiritus sanctus in ea posuit, vt ipsam regant, pascant, gubernent? An non vox populi *poimenein* eam habet vim, quàm aut rea habet in suum populum, aut pastor in suum gregem ouicularum? Quàm verò ineptiat, qui regnum diserit non esse Regi alligatum: aut nauem suo nauclero posse carere, oues pastore, Oeconomiam suo patrefamilas, corpus anima: ita qui Christianam Ecclesiam dicit, non esse Episcopis alligatam, quos Deus ipse posuit, teste Paulo, primaria sui corporis, quod Ecclesia est, membra. Nam postquam Corinthios illos varijs Spiritus sancti charismatibus stolidè tumidos, & pueriliter gloriabundos studuisset verbis grauissimis reprimere, vos autem estis, inquit, Corpus Christi, & membra ex parte. Quia, teste Chrysostomo, Corinthiorum Ecclesia non vniuersum erat corpus: sed illa, quæ videlicèt toto extat terrarum Orbe.

In hac Ecclesia ex omnibus, quæ per varias regiones sunt Ecclesijs compacta, quosdam Deus collocauit, primùm quidem Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, vbi primum, secundum, tertium non sunt (quod

(quod annotauit D. Chrysostomus) vulgariter, siue communi loquendi modo, aut citra emphasim singularem posita, sed ordine ipso disertè exposito, quodnam membrum sit sublimius, quod membrum humilius, ostendit. Caput itaque in Ecclesia (inquit D. Ambrosius in Com.) Apostolos posuit, qui sunt Legati Christi.

Isti sunt Episcopi, quod D. Petri testimonio idem confirmat, qui Dauidis prophetiam Psal. 99. Episcopatum eius &c. de Apostolis est interpretatus. Qui ergo Ecclesiam Christi Spiritu sancto magistro mira membrorum inter se concinnitate compositam, aptissimoque ordine, quasi artuum coagmentatam à suis Episcopis, siue (vti Ambrosius appellat) capitibus, Christo tamen subditis vult separare, an non verè facit Christi sponsam acephalam? An non monstrosam, vereque potioribus sui partibus mutilam? At Christum seruabit caput, quispiam Epicuri de grege corpus aggrunniet, etiamsi Episcopis non sit alligata. O magnos sophos, qui æternam Dei sapientiam, sua volunt esterna instruere sapientia.

Sed nos humanam istam sapientiam missam facientes, audiamus magnum illum Paulum spiritu Dei afflatum, an Ecclesiam Christi sibi charissimam, pro cuius salute tot, tam multorum annorum exantlauit labores, tot exhausit calamitates, patiatur à suis separari pastoribus? an ferat vllo pacto, eam non esse suis Episcopis alligatam? Quid igitur ille hac de controuersia? Docet Christum sua in Ecclesia post mortis victoriam, & victrices diaboli triumphos, dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Euangelistas, quosdam Pastores, & Doctores, siue *poimenas cai didascaloys*, pascentes gregem Christi, & docentes.

Vbi ergò est Christi grex, necesse est quoque esse Pastores, Doctores, Apostolos, siuè Episcopos, itaut nihil minùs Ecclesia ad sui conseruationem opus habeat Pastoribus, & Episcopis, quàm ouibus. Iam vt oues necessariò aliæ alijs succedunt ad perpetuandum Christi ouile, donec à nuptijs Dominus noster Christus redierit: ità & omninò necessarium, Pastoribus succedere Pastores, Episcopis Episcopos, in locum defunctorum, siuè emeritorum suffectos, & succenturiatos. Non enim solùm Christus pro illa Petri, & Pauli ætate consuluit gregi, vt illis demortuis non haberet Ecclesia visibilis visibilem etiam Pastorem Petri loco, atque vice gubernantem, & pascentem; sed in omnem prorsùs sequentium annorum posteritatem, donec ipse ad hunc gregem pascendum, & in beatos illos Dei montes adducendum redierit.

Hoc enim habet irrefragabilis illa Diui Pauli ratio, mox varijs illis post Christi victoriam donatis Ecclesiæ Dei ministris subtexta, ad consummationem sanctorum ait, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, & in mensuram plenitudinis Christi. Dedit enim Apostolos, qui sunt (ait D. Ambrosius) Episcopi: in quo nomine, quia Episcopus summus Sacerdos est, hoc est, princeps Sacerdotum, omnes sunt ordines: dedit, & Prophetas, qui sunt Scripturarum interprete, dedit, & Euangelistas, qui sunt diaconi ad consummationem, siuè *pros ton catartismon* ad concinnam elaborationem sanctorum, absolutissimamq; piorum suorum filiorum perfectionem, & ad opus ministerij, vt illi sancto Dei populo non deessent ministri: & in ædificationem, siuè culturam, & perpetuationem corporis Christi, quod est Ecclesia. Hinc Diuus Chrysostomus hanc Christi Domini prouidentiam, qua Domum Dei tot instruxit suorum ministrorum opificijs, atque functionibus obstupescens, exclamat: *dia tuto phisi tectones tosuti gegonasin, ina icodomi mi saleuitæ, ina mi pherisferitæ, ina pepigotes osin i lithi*. Propterea tot, tantique ait Apostolus Paulus, dati sunt Dei Ecclesiæ Fabri, & Architectones, ne illud ædificium conquassetur, neuè fluctuet, aut vacillet; ac vt lapides isti stent compactiores, ne ad vllum hostilis incursionis impetum cedant, aut suo abscedant loco, in quem sunt diuinitùs collocati.

Hæc autem officia, siuè Architectonum, siuè Diaconorum Dei Ecclesiæ à Christo eius capite post nobilissimam illam de hoste Sathana victoriam instituta non sunt temporalia, sed æterna, atque perpetuis huius inquilinæ, ac peregrinæ vitæ temporibus attemperata, & præscripta, quod fieri non poterit, nisi Episcopo Ephesio recedente (quod de Timotheo annotat Ambrosius) aut Petro Linus Romæ; aut Materno Tongris, siuè Treuiris Nauitus; Crescenti Bodoardus Maguntiæ, sequens succedat. Istud prorsus euincit illa Diui Pauli vox, In ædificationem corporis Christi: quod cùm sit multis annorum curriculis (vno in alterius decedentis, aut emigrantis locum succedente) alendum, fouendum, continuandum, augumentandum, atque perpetuandum, planè est necessarium, vt Ecclesia sit isti ordinariæ Episcoporum successioni alligata, siuè potiùs illigata, aptoque ordine innexa, siuè potiùs coaptata, & colligata.

Nam Apostolus Paulus Dei spiritu præditus, hoc loco ait, Ecclesiæ ordinationem (teste D. Ambrosio) ad compaginationem humani generis in professionis vnitate (siuè vna fidei confessione) compositam, vt diuersi dignitate in Christo, omnes vnum caput Christum habeamus: quam ordinationem, & indiuulsam membrorum corporis Christi, quod est Ecclesia, coaptationem, & concinnationem sequentibus verbis. (donec occurramus) tam diù dicit mansuram, quamdiù cuncti destinati ad vitam, vnius sint fidei in cognitionem Christi.

Præclarè admodum D. Cyprianus Ecclesiam à Christo ait, Epistola ad lapsos, super Petrum fundatam, vt Ecclesia super Episcopos constituatur. An non igitur illa suis Episcopis meritò alligata est censenda? Certè non minùs necessariò, quàm domus suo fundamento. Rursùs epistola ad Pupianum: Scire debes, inquit, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: etsi qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.

Quibus aureis D. Cypriani verbis, qui fidem habet, an aliquod desideret illustrius testimonium, quo exitialis istorum error refutetur? Si enim Ecclesia est in Episcopo, qui-

quinam obſcero ſeparetur Eccleſia ab Epiſcopo? Certè non minori exitio, quàm ouiculæ ſui Paſtoria cura, & præſidio deſtitutæ, atque tutis canlis excluſæ, rabidiſque luporum morſibus expoſitæ, quod clariùs exponunt illa ſubiecta verba: Eos qui cum Epiſcopo non ſunt, in Eccleſia non eſſe. Perituros igitur omnes pronunciat magnus ille Cyprianus, qui Epiſcopos ab Eccleſia ſeparant, ſiuè qui illis Eccleſiam alligatam negant: cùm iſti non ſint in Eccleſia, quia non ſunt cum Epiſcopis, quos primus ſui ouilis paſtor Chriſtus ſuo loco Vicarios fecit paſtores.

Proindè cùm Chriſtus hanc ſuam Dei domum, quæ catholica eſt eius Eccleſia, in mundi vſque finem perſtaturam ædificarit, tam præclaris variorum miniſteriorum ornarit fabris, verèque cœleſtibus inſtruxerit architectonibus, tam firmis conſtabilierit Spiritus ſancti chariſmatum præſidijs, tam denique iſtos nouæ Synodis lapides ſpirituales conſtituerit immotos, cuius obſecro fuerit furoris negare Eccleſiam (quæ primùm habet donatos ſibi Apoſtolos, ſiuè Epiſcopos; ſecundùm Prophetas: tertiò Doctores) eſſe ſuis Epiſcopis alligatam? An non ſit extremæ dementiæ negare nauem ſuo alligatam nauclero, ſi per frementes vndique ſæuientis Pelagi vndas in optatum ſalua citra eius operam nequear peruenire portum?

Quò igitur hanc vnicam Petri, quin potiùs Chriſti nauiculam tam efferis nunc procellis iſthoc Saxonico, imò Sathanico diſſidiorum flabello excitatis exagitatam, miſereque iactatam, Cacodæmon ſua pro priſca in illam rabie demergere queat, ac immaniter circa miſera huius nunc deuexatæ, dilaceratæ, ac partibus non paucis deficturientis naufragia graſſari, tua, Georgi, tua, inquam, tuorumque manipularium quidem, ſed patum fidorum ſatagit opera maleferiata, vt oues Chriſti in varias diſgregentur, ceù impuri hœdi, fœtidique capri caulas. Ad hoc ne vlla ſuperſit concordiæ, aut diſperſi gregis recuperandi, & inſtaurandi ſpes reliqua, tuo ille doloſus ſerpens ſibilat ore ſacrilego, non eſſe Chriſti Eccleſiam ſuis à Deo conſtitutis Epiſcopis alligatam. Quod quàm ſit vanum, atque ab omni ratione, fideique analogia alienum, ſperamus luculenter ſatis, quantum res præſens flagitat, demonſtratum.

CAP. XVI.

Calumnia Georgij refellitur contra ordinariam Epiſcoporum ſucceſſionem, quæ ſemper habita fuit priſcis partibus indubitata veræ Chriſti Eccleſiæ nota.

NEque verò calumnia caret, quod ais, hanc Epiſcoporum ſucceſſionem (nam Cardinal ſucceſſionem magis arbitror te ad inuidiam commemorare, quàm vt in eam putaris vim argumenti recumbere) à nouis Romanum Pontificum, quod dicis, emiſſarijs iactitari: cùm ſibi non ſit ignotum, hanc ordinariam Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe Patribus antiquiſſimis indubitatam notam, certò deprehendi veram Chriſti Eccleſiam. Noui Romanum Pontificum emiſſarij, ais, hanc ordinariam iactitant Epiſcoporum ſucceſſionem. Sed quoſnam obſecro, mi Georgij, iſtos nouos dicis Romani Pontificis emiſſarios, à quibus illa ordinaria Epiſcoporum ſucceſſio iactitatur? An non ita tota vetuſtas? an non ita totus veterum Orthodoxorum Patrum Senatus, ab iſta perpetua, & ſuccedanea Epiſcoporum ſucceſſione, ſemper contra circumlatrantes, oreque ſacrilego obſtrepentes hæreticos Chriſtianam, ac verè Catholicam Orbi demonſtrauit, adeòque euicit Eccleſiam?

Hos ne tu, Georgi, audebis ſacrilego iſto ore nouos crepare Romanorū Epiſcoporum emiſſarios? Imperitiſſimam igitur hanc calumniam nunc grauiſſimis aliquot priſcorum Patrum teſtimonijs putauimus caſtigandam, quò pijs omnibus caræ ſuæ ſalutis non prodigis fiat indubitatiſſimum, vos certa animi malitia potiùs, quàm ignorantia peccare: manifeſtaque proteruia magis, quàm iuſta vlla cauſa Dei domum oppugnare, atque ouilis chriſtiani concordiam furore lupis illis euangelicis digno dilacerare.

D. Irenæus ſuo ex nomine verè pacificus, atque in primis eximius Chriſti martyr, Apoſtolicorum virorum Polycarpi, & Ignatij diſcipulus, euangelicæ doctrinæ, ſi quis alius, ſingulariter eruditus, doctiſſimuſque ſathanicæ fraudis refellendæ artifex, quò ſeductos callidiſſima hæreticorum ſophiſtica chriſtianos in viam ſanæ doctrinæ, ac veræ euangelicæ reuocaret, atque, vt ipſe ait, errorem oppoſita veritate miſelli illi effugerent, traditionem Doctrinæ chriſtianæ per Apoſtolos Eccleſijs aſſignatam, ſeù antidotum venenorum omnium certiſſimum in remedium adducit, qua vna tanquam veriſſima panace omnium errantium animæ ſaluentur.

Quæ Chriſtianæ veritatis traditio, vt hunc conſequatur effectum, eam indè oſtendit verè Apoſtolicam, quòd ab Apoſtolis in ſuam vſque ætatem per ſucceſſionem Epiſcoporum fuerit prorogata. Traditionem itaque Apoſtolorum ait cap. 3. lib. 3. in toto Mundo manifeſtatam in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera videre velint.

Et habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt, Epiſcopos in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum vſque ad nos. Deindè poſt quædam. Sed quoniam valdè longum eſt, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſores, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis, Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt: ſiuè vti equidem græciſſantem interpretem intelligo, ſynaxes faciunt, nouaſque ſynagogas præter vnam illam Catholicam conſtituunt. Ad hanc enim (Romanam) Eccleſiam propter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his,

qui

qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio,

Fundantes igitur, & instruentes B. Apostoli Ecclesiam (Romanam) Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Deinde succedit ei Anicetus, post eum Clemens, & cæteri, quos vsque ad Anicetum sua ætate Romanæ Cathedræ Episcopum nominatim enumerat.

Quæ D. Irenæi verba hoc consilio putamus hic repetenda copiosiùs; quòd clarissimum habeant vetustissimi Orthodoxi Patris testimonium, quò liqueat quantum solidi prorsus præsidij Catholicis huius tempestatis positum sit in hac vna ordinaria Episcoporum successione, non solùm in Cathedra; sed & in doctrina Apostolica, quam nos hac in quæstione semper reputamus intelligi debere coniunctam.

Testatur enim paulò superiùs eodem capite 2. Catholicis in more fuisse, quando aduersus sacrilegos illius ætatis nouatores, & Heterodidascalos incidebat disputatio, vt eos prouocarent ad eam Apostolicam traditionem, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesijs custoditur. Eodem ergo clypeo, & hodiè omnes sunt repellendi hæretici, qui veram catholicæ Dei Ecclesiæ conantur suffurari Christi doctrinam, quo D. Irenæus illas suæ ætatis profligauit pestes, Valentinianos, Basilidianos, & Marcionitas. Omnibus enim hæreticis, & nos respondemus de fidei capitibus exagitati, quòd sui sæculi Heterodidascalis D. Irenæus, hac ordinatione (ait continenter subtexens) & successione ea, quæ est ab Apostolis Ecclesiæ traditio, & veritatis præconatio (præconium, siuè prædicatio) peruenit vsque ad nos, & est plenissima hæc ostensio, vnam, & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata, & tradita in veritate.

CAP. XVII.

Septimius Tertullianus.

AD eundem modum, & Tertullianus Marcionem oppugnaturus, tutissimum sibi putauit collocatum in hac Episcoporum successione præsidium, quo de Christi veritate in Romana Ecclesia recepta, & retenta contra nouas Marcionis, cæterarumque pestium heterodidascalicas præscriberet.

Postquam ergo demonstrasset fidem Prophetarum de Christo Domino, eandem docet, & Apostolos christianis hominibus Romæ tradidisse, & continuò successionis ordine vsque ad Anicetum (cuius præsulatu impius ille sua eumuit venena) ita doctum fuisse. Ait enim libro tertio aduersùs Marcionem:

Quorum discipuli, qui successere per Orbem
Constati virtute viri, nostrique magistri,
Coniunctos operis nobis tribuere honores,
Ex quibus electum magnum plebique probatum.
Hac Cathedra Petrus qua sederat, ipse locatum,
Maxima Roma Linum primum considere iussit:
Post quem Cletus, & ipse gregem suscepit ouilis.
Huius Anacletus successor sorte locatus,
Quem sequitur Clemens, is Apostolicis bene notus.
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile,
Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro, excellens hic erat, martyrque fidelis:
Post illum socius legis, certusque magister.
Cum vestri sceleris socio, præcursor, & auctor
Aduenit Romam Cerdo noua vulnera gestans.
Detectus quoniam voces, & verba veneni
Spargebat furtim: quapropter ab agmine pulsus,
Sacrilegum genus hoc genuit, spirante dracone:
Constabat pietate vigens Ecclesia Roma.
Composita à Petro, cuius successor, & ipse,
Iamque loco nono Cathedram suscepit Higinus:
Post hunc deindè Pius Hermas, cui germine frater.
Angelicus Pastor, quia tradita verba locutus,
Atque Pio suscepit. Anicetus ordine sortem,
Sub quo Marcion hic veniens noua Pontica pestis,
Nondum secretum facinus sub corde reclusum
Passim vulgò loquens, latebrosa perfidus arte.
Sed postquam cœpit mortis proferre sagittas,
Abiectus meritò tam sani criminis auctor,
A sanctis reprobus: patuit mirabile monstrum.

Porrò quantum momenti doctissimus hic Tertullianus positum sit ratus in hac succedanea Episcoporum Ecclesiæ Romanę successione, vel inde cæcis liqueat, quod hoc Epicheremate, ceu inexpugnabili non solùm contrà impium illum Ponticum Nauclerum, Marcionem putarit nitendum: sed, & aduersùs omnes semel in vniuersum hæreses, tam nouas, quàm veteres.

Postquam igitur veluti fundamentum doctrinæ certò Christianæ iecisset, quidquid à Christi Apostolis, ait lib. de præscrip. in Vrbem profectis fuit nationibus promulgatum, declarat quanam propagatione excreuerit vbique gentium Catholica toto Orbe Christi Ecclesia. Apud vnamquanque ciuitatem, inquit, condiderunt Apostoli Ecclesias, à quibus traducunt fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ sint mutuatæ, & quotidiè mutuantur, vt Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne enim genus ad originem suam censeatur necesse est.

Quibus ex verbis, ceu disputationis suæ fonte colligit perquam efficaciter, doctissimus Philosophus, non aliundè probari debere, quidnam Apostoli docuerint, nisi per easdem Ecclesias: quas ipsi Apostoli condiderunt, eis prædicando, tam viua, quod aiunt, voce

voce quàm per epistolas postea. Si hæc ita sint, ait, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & virginalibus conspitet, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio prædicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum Apostolorum, Christi & Dei. Et post quædam. Hæreticorum in Apostolos veluti nugarum suarum ignaros cauilla subrexuit. Ita ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum, & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit aduersùs posteriores quascunque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia comperir ad defendendam sibi veritatem. Verùm quia, & illo seculo quędam abortiuæ diaboli Synagogæ de sua cum Apostolorum temporibus ętate poterant gloriari, prudenter admodùm huic scrupulo per Anthipophoram occurrit Philosophus.

Cæterùm si quæ audent, inquit, interserere se ætati Apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditę, quia sub Apostolis fuerunt (siue Apostolorum temporibus ortæ) possumus dicere, Edant ergò origines suarum Ecclesiarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerarit, habuerit auctorem, & antecessorem.

Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde (fortè legendum perinde) vtique, & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habent. Confingant tale aliquid hæretici? Et post paucula. Ad hanc itaque formam prouocabuntur (hæretici omnes nouam, & inauditam inuehere conantes prętextu Euangelij doctrinam) ab illi, Ecclesijs, quæ licèt nullum ab Apostolis, vel apostolicis autore suum proferant, vel multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes non minùs Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Hoc paulò ante dixerat pleniùs. Communicaremus cum Ecclesijs Apostolicis, & quod nulla doctrina (nobis) est diuersa, hoc est testimonium veritatis.

Idipsum telum à contrario, contra nouellas hæreticorum Synagogas torquet validissimè. Sed adeò nec sunt Apostolicæ, ait, nec possunt probare quod non sunt: nec recipiuntur in pacem, & in communicationem ab Ecclesijs quoquo modo Apostolicis, scilicet ob diuersitatem Sacramenti, nullo modo Apostolicæ.

Rursùs post euersam hæreticorum semel omnium Panopliam, sæuaque tela, & participalia arma, quibus freti, sese contrà Dei scientiam, atque Apostolicam Euangelij veritatem audent superbissimè extollere, Posterior, ait, nostra res (atque fidei veritas) non est: quia omnibus prior est. Hoc erit testimonium veritatis vbique occupantis principatum?

Age, qui voles curiositatem (posteà subiungit) melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quos ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quos ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque.

1. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum.

2. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos; habes Thessalonicenses.

3. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum.

4. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis (Africanis, & Carthaginensibus) auctoritas præsto est.

Fœlix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Ioannes posteà in oleum igneum demersus, nihil passus in insulam relegatur. Videamus quid didicerit (Romana Ecclesia ab istis tribus Apostolis) quid docuerit, (Romana Ecclesia alios) quid cum Aphricanis quoque Ecclesijs contesserauit. Hac ergo doctrinæ Christianæ ab Apostolis originatione, ac perpetua Episcoporum in Cathedra, & consanguinitate doctrinæ, siue pace, ac communicatione, eiusdem fidei Apostolicæ, admodum euidenter non minùs quàm solidè, vni Catholicæ Dei Ecclesiæ vindicauit doctissimus ille Tertullianus veram Christi Domini doctrinam: quibus duabus rebus omnes prorsùs euertit hæreses, quæ inter asperi Oleastri, de nucleo mitis, & opimæ, & necessariæ de nostro exotiuntur, aut fructificant veritatis, Lego varietatis, grano degeneres, & mendacio syluestres.

CAP. XVIII.

Diuus Cyprianus.

Hisce vestigijs, & eius discipulus magnus ille Cyprianus Christi martyr illustrissimus exorta noua diaboli per Nouatianos schismaticos tempestate putauit insistendum. Epistola itaque ad Magnum eodem quo, & Tertullianus, & D. Irenæus, nititur argumento. Ecclesia enim, inquit, vna est, quæ vna, & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium (Romanum martyrem) non fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter Sacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit.

Nouatianus in Ecclesia non est. Nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens à seipso ortus est. Habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. Et post quædam. Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? Aut Pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente) nemini succedens, & à seipso incipiens, alienus

nus fit, & profanus Dominicæ pacis, ac diuinæ vnitatis: nimirùm non habitans in domo Dei, in qua non nisi concordes, atque vnanimes habitant? Rursùs epist. ad lapsos, quę apud Pamelium est 27. lib. 1. vbi docuisset Ecclesiam à Christo super Petrum fundatam, inde, ait, per temporum, & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Siquidem illi sunt Ecclesia, inquit, epistola ad Puppia. Plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens, vnde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.

Audis hic lector candide, Ecclesiam Christi non posse certiore iuxtà, nec infallibiliore nota cognosci, aut deprehendi, quàm per Episcoporum successiones, per quas Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & Ecclesia sit in Episcopo, tanquam suo gubernatore, vti, & nauis in suo nauclero.

Hunc igitur in modum D. Cyprianus sola Episcoporum successione Nouatianum ambitiosissimum hominem Ecclesia Christi exclusum demonstrauit, quòd à nullo esset succedanea ordinatione constitutus; quòd nulli sua in pestilentiæ Cathedra succederet: Sed à se ipse ortus Cathedram Pestilentiæ collocaret. Sed pressius hanc successionis ordinariæ regulam D. Optatus vrgere fuit coactus, cùm Africa tota per sceleratissimum Donatistarum Schisma fuit in partes funestissimè dilacerata.

CAP. XIX.

Diuus Optatus.

IS igitur manifestissimis Sancti Prophetæ Dauidis oraculis demonstrasset Catholicam Christi Ecclesiam iuxta Dei Patris promissa esse toto terrarum Orbe diffusam, iam eius ornamenta, inquit, sunt commemoranda, quas tu (frater Parmeniane) sex esse dicis, inter quas Cathedra est prima, vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera non poterit, qui est anulus.

Videndum est, qui & vbi prior Cathedra sederit, si ignoras, disce; si nosti, erubesce. Ignorantia tibi ascribi non potest. Restat ergo vt noueris. Scientem errare peccatum est, nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci.

Igitur negare non potes, scire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus. Vndè & Cephas appellatus est, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus, & peccator esse, qui contrà singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, cuius successores deinceps enumerat, vsque ad Liberium, & Damasum, & Syricium hodie, qui noster, ait, est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna coniunctionis societate concordat.

Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.

CAP. XX.

Diuus Augustinus.

HVius coætaneus D. Augustinus, quia eisdem ferè argumentis persæpe vsus legitur, non fuerit hìc incommodum aliquot eiusdem sentẽtias depremere, quibus liqueat, quanti semper apud Orthodoxos Patres fuerit momenti habita ista succedanea Episcoporum in Ecclesia Christi successio.

Videtis certè multos, ait epistola 42. ad Medaurenses, preciosos à radice Christianæ societatis, quæ per sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses, & schismata nominamus.

Sic & in Psalmo contrà partem Donati: Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede, & ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: Ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

Quàm verò sit necessarium hanc succedentium Episcoporum seriem obseruare, docet epistola illa 165. suo & Fortunati, atque aliorum Episcoporum nomine cuidam generoso scripta. Vbi postquàm demonstrasset Anathema dicendum, quotquot suadebant societatem totius Orbis Christo in possessionem iuxta Prophetarum oracula dati esse dimittendam, & ad partem Donati transeundum, quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare à promissis Dei, huius tantæ rei confirmationem indubitatissimam subtexuit. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium, ait, considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c. Liberio Damasus, Damaso Syricius, Syricio Anastasius.

In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenietur.

Hunc in modum D. Augustinus alios quidem exhortabatur argumento à perpetua Episcoporum successione, permanere, & persistere in vna Catholica Christi Ecclesia: quibus verò argumentis suum sibi ipse confirmarit aduersùs grassantes, tam hæreseon, quàm schismatum pestes animum, magnum equidem mihi facturus videor operępretium, si nunc paucis delibauero.

In Catholica Ecclesia (inquit cap. 4. contrà epistolam fundamenti) multa sunt alia præter speciosissimam veritatem, quam in ea esse non creditis; quæ in eius gremio me iustissimè teneant, tenet consensio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectio-

ctionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcoporum successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia solùm obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiam si propter nostræ intelligentię tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum sese apertissimę ostendat. Apud vos autem, vbi nihil horum est, quod me inuitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio. Rectè igitur ad Honoratum Manichæum suum quondam contubernalem: Cùm igitur tantum auxilium (ait cap. 17.) Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustrà hæreticis circumlatrantibus: & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum Maiestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

CAP. XXI.

Testimonia cæterarum Christi Ecclesiarum de ordinaria Episcoporum successione.

HActenùs Africanorum Patrum testimonia D. Irenæo suffraganeia audiuimus, quæ idcircò videbantur coniungenda, quod sacrilegi schismatis procella magis, quàm aliæ Prouinciæ exagitati illa ferè omnia in medium attulerunt, quæ huic sanandæ Corporis Christi diuulsioni, ac dilacerationi possunt conducere.

Proindè & nobis sufficere in præsens videntur, nisi cuiquam fortassis nondum satisfecisse videamur, quasi vnius Prouinciæ Christianæ testimonijs contenti.

Prodeant igitur, & aliarum Ecclesiarum Magistri, quò istorum nouorum schismaticorum, magis retundatur improbitas, quæ nouos procaciter audent dicere Romani Pontificia emissarios, qui hanc ordinariam Episcoporum iactitant successionem.

Origines ille Adamantius, Christianos in vnitate fidei Christianæ, atque Catholicæ Dei Ecclesiæ concordia confirmaturus, quia multi (ait præfatione primæ Periarchon) ex his qui in Christo se credere profitentur, non solùm in paruis, & minimis discordant, verùm etiam in magnis, & maximis, propter hoc necessarium videtur, de his singulis certam lineam, manifestamque regulam ponere, & inferiùs. Cùm multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli diuersa à Prioribus sentiant. Seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.

Videt pius Lector, hæc ad verbum cum D. Irenæo conspirare, à quo & mutuasse meritò videatur. Sic & ille lacteo fluens Ciceronianæ orationis fluuio Lactantius, varias sui sæculi notans hæreticorum synagogas, quæ nouam sibi, ait lib. 4. cap. 30. doctrinam sine vlla radice, ac stabilitate componentes, singuli quique cœtus, & se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putabant, sed quàm grauiter errarint, docet, sciendum esse, ait, illam esse veram, in qua & Confessio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas naturæ curat, nimirùm contrario Ritu, quàm illæ hæreticorum synagogæ, & Nouatianorum lustra, quæ non nouam sequitur doctrinam, quæ sine radice est, aut stabilitate instar illius hæreticæ.

D. Hieronymus cernens Orientem vetusto inter se populorum furore collisum, indiscissam Domini tunicam minutatim per frusta discerpere, Christique vineam vulpes exterminare, vt inter lacus contritos, qui aquam non habebant, difficilè fuerit vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, posse intelligi, ideò sibi D. Petri Cathedram, & fidem Apostolico ore laudatam censuit consulendam. Cur verò ad Damasum potiùs confugerit, quàm ad alios Ecclesiarum Apostolicarum præfectos, luculentis indicat verbis. Profligato, inquit, à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra; fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert, & quibusdam infectis.

Facessat inuidia, Romanì culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consociornm super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Et infrà. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

D. Ambrosius varias sui sæculi cogitans Synagogas, quæ in Christi nomine passim videbantur conuenire, suos Mediolanenses disertis admodùm verbis aduersùs callidas hæreticorum fraudes munit, quando illud D. Pauli ad Timotheum explanat, Vt scias quomodò oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui. Cùm totus ait Mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus Dei, dicitur, cuius hodiè Rector est Damasus.

Mundus enim in præuaricatione est diuerso turbatus errore. Ideò illic necesse est dicatur esse domus Dei & veritas, vbi secundùm voluntatem suam timetur, hoc profitentibus de eo seruis, quod ipse dignatus est edocere. Ita & ex Synodo Ambrosius ad D. Syricium Romanum Episcopum, quem Petri successorem verum agnoscit ouilis Christi Pastorem, cum suis Collegis. Epistola 81.

 Ooo 2 Reco-

Recognouimus literis Sanctitatis tuæ (aiunt Syricio Romano) boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias; dignus quem oues Domini audiant, & sequantur. Quanti autem D. Ambrosius Romanæ Ecclesiæ doctrinam, ceu ab Apostolis plautatam semper fecerit, vnus locus clarissimè omnium testatur. In omnibus ait lib. 3. de Sacramentis cap. 1. sequimur Romanæ Ecclesiæ typum, & formam, & paulò post. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, & mox, vtique ipse Auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. Cuius Ambrosij doctrinam vti, & fidem egregio expressit exemplo frater germanus Satyrus, qui naufragio superstes (vti narrat Ambrosius oratione de excessu eius) aduocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei, gratiam, percunctatusque ex eo est, verùm nam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret? Et fortè ad id locorum in schismate regionis Ecclesia erat.

Lucifer enim se à nostra communione tunc temporis diuiserat, & quanquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi Christi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari, etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Corpus Christi Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus eneruatur eius passio, corpusque distrahitur.

His ex Græcis testis accedat D. Epiphanius, qui & sua oratione aurea declaret, quantùm contineat momenti hanc Episcoporum Romanæ Ecclesiæ successionem probè habere perspectam.

Carpocratianam hæresim Romæ grassantem euersurus, ostendit enumerato Episcoporum Romanorum Cathalogo, quando tandem Romæ per Marcellinam fœminam inualuerit, quæ multos illic incertos perdiderit.

Sub Aniceto igitur, hæc demùm accidisse ait, ne quis illorum synagogam putet Apostolicam, sed Antichristianam, à Petro deindè exorsus, enumerat Linum, Cletum, Clementem, Euaristum, vsque ad Anicetum. Quis autem sit huius Apostolicæ successionis, tam seriò enumeratæ vsus, perspicuè docet addens. Ne quis miretur, inquit, quòd singula tam exactè recensemus *os acribos dielthomen*, tam accuratè, & pensiculatè enumeremus, *dia garo tuto ai to saphes dienita*, per istos enim ita ordine, ac successione enumeratos Romanæ Ecclesiæ Episcopos, Petri, & Pauli (vt dixerat) successores, semper ipsa rerum euidentia, manifestaque veritas demonstratur.

Ita quidem doctissimus Epiphanius, ita & alij dudum longo Cathalogo enumerati Patres vetustissimi, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Optatus, Origines, Cyprianus, Tertullianus, & D. Irenæus maximum sanè momentum ad conseruandam, tuendamque Catholicæ doctrinæ integritatem habere senserunt, perpetuam illam Episcoporum alicuius Apostolicæ, & in primis Romani successionem, quæ indubia, & infallibilis semper pijs, ac veritatis magis, quàm contentionum studiosis nota, certaque cynosura sit habita ad cognoscendam, immò dignoscendam inter varias diaboli synagogas veram, germanam, ac indubitatam Christi Iesu Ecclesiam.

Eat nunc Gregorius Maior, & suis pergat præstigijs dementare imperitos Vvittenbergicos suos discipulos, quòd noui quidam Romanorum Pontificum emissarij tantoperè ordinariam Episcoporum successionem iactitent, cùm videat tantum inuicti præsidij illos vetustissimos Patres ad certò demonstrandam Catholicam Christi Ecclesiam, & à diaboli synagogis discernendam, in vna illa perpetua post Diuum Petrum successione collocasse, adeò vt magnus ille Cyprianus vix alio argumento putarit sacrilegum illum Nouatianum à Dei domo excludendum, quàm quòd à seipso creatus, nulli succedanea ordinatione succederet Episcopus, sicut Cornelius Romanæ Ecclesiæ Episcopus. Præclarè igitur Diuus Augustinus. Nolle huic Romanæ Ecclesiæ (ait ad Honoratum cap. 17.) primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

CAP. XXII.

Sophisma eluditur de solo, Christo suæ Ecclesiæ capite; cùm Christum solum profiteantur Catholici Ecclesiæ caput.

QVod porrò subtexis, sed vnum, & solum habet Ecclesia *archigon*, & custodem filium Dei, qui regnans ad dexteram æterni Patris distribuit dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores. Nos non inficiamur. Siquidem vnicum, & primarium Ecclesiæ archigon, Archonta, ducem, & custodem agnoscimus, qua decet reuerentia, Christum Iesum Dei filium. Etsi verè hic cum D. Hieronymo dixerim tam meo, quàm Catholicorum ad vnum omnium nomine. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens Beatitudini tuæ Damase, aut Pie V. id est, Cathedræ Petri communione consociorum, tamen & illud verum est, quod Diuus Paulus nos docet. Non ignoramus, quæ donata sunt nobis per Dei spiritum. An non Petrum sui gregis constituit Pastorem? qui oues Christi loco, atque vice pascit, an non custodit? quæ custodit, an non custos est?

Certè, inquies, sed sub Christo. An nos aliud docemus? est ergo Christus vnus, & solus dux, & custos suæ Ecclesiæ, sicuti, & Pastor, sed si qui sua pietate non dedignatur seruos à se suo gregi præfectos nomine Pastoris, aut Custodis ornare. Illud quod superioribus addis equidem demiror, an plus habeat imperitiæ, quàm delirij. Non est alia in Ecclesia, inquis, hierarchia, nisi hæc, in qua Christus constitutum à Patre

caput

caput suæ Ecclesiæ, quæ corpus ipsius, & complementum est, implet omnia in omnibus.

An non veram habet hierarchiæ rationem, quod vni Petro, quem Christus ouium suarum prorsus omnium constituit pastorem, adsint Apostoli, compresbyteri, & cooperarij? An non Episcopi, Timotheus, & Titus eis collaborantes? An non per singulas Ciuitates presbyteri plebem Dei, cum Episcopis gubernantes, an non Diaconi eis subministrantes? Hunc igitur ordinem cùm ipse nescias Georgi, in Ecclesia per Christi spiritum, iam pridem ab exordio institutum, quanam, obsecro, fronte affirmare audes, non esse aliam in Christi Ecclesia hierarchiam, nisi hanc in qua Christus constitutus est à Patre caput suæ Ecclesiæ?

An non hæc Apostolorum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & populi ordinatio, vtraque coordinatio, legitimaque syntaxis, ac dispositio speciem faciat hierarchiæ? Quæ cùm sit à Christo in Ecclesia per Spiritum sanctum olim instituta, quonam ore sacrilegè asseris, non esse aliam in Ecclesia hierarchiam, nisi eam, qua Christus est à Patre caput Ecclesiæ constitutus? Hæc sanè delirij suspicione non carent.

Ideòque ætati isti potiùs ignoscenda, senioque magis imputanda, quàm sycophantiæ, aut calumniæ. Malè habet te in Ecclesia esse quandam *eutaxiam*, & laudatum inter se membrorum ordinem, probanique iis ritibus externis speciem, sed hæc omnia teterrima inuidiæ face accensus, ais esse ad hypocrisim composita. Ideòque non debere hæc quenquam mouere, vt videlicet opinetur Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam.

At modò hunc ordinem, legitimamque sine *eutaxiam*, siue hierarchiam esse à Christo iam pridem institutam, est demonstratum, qui membrorum Corporis Christi inter se ordo, vbi cùm Apostolica doctrina deprehendatur, procul dubio vera Christi Ecclesia, ibidem esse conuincitur. Non enim potest Christi Corpus, id est, Christi Ecclesia, vsquam existere, nisi vnà cum suo capite Christo.

Atqui in Romana Ecclesia est ille membrorum Ecclesiæ Christi ordo, cum Apostolorum doctrina. Infallibiliter igitur est Romana Ecclesia verissima, & ipsissima Christi Domini Ecclesia, quæ paulatim suo præparatur Sponso, vt tandem sit sine macula, & ruga, quod erit, quando clementissimo Patri visum erit omnia prægrandia quidem illa, vereque noxia cùm abusuum, tum vitiorum scandala de filij sui Regno submouere.

Neque verò à Christo separaueris Romanæ Ecclesiæ, aut eam non veram demonstres Ecclesiam illo tuo sophismate, quod subtexuisti, Cùm de fundamento, ais, & à Christo, Prophetis, atque Apostolis dissentiat, & inter se non consentiat.


Illud namque quod tibi sumis, mi Georgi, in controuersia est positum, quin potiùs manifestæ calumniæ iam tot Catholicorum Scriptorum libris toties conuictum. Vos istud criminamini. Nos illam, & de fundamento, & Christo, & Prophetis, & Apostolis consentire demonstramus per indubitatam, iuxtà ac liquidissimam cum toto Christiano Orbe, atque omnium omnis adeò ætatis Ecclesiæ, Patribus in fidei dogmatibus concordiam.

Obiectam verò huic Ecclesiæ Romanæ inter se dissensionem, te satis, superque demonstrasse tibi applaudis, quando asseris Scholasticorum disputationes ostendere. O inuictam demonstrationem Chrysippæo aliquo Philosopho dignam. Sunt quidem, fateor, variæ Scholasticorum varijs de rebus, cùm opiniones, tum sententiæ, sed non de fidei capitibus, aut Ecclesiasticis dogmatibus, quæ tunc habuerit Christi Ecclesiæ pro talibus definita.

In his sanè cùm inter omnes conueniat (qui modò Catholicorum nomen saluum, & illibatum tueri queant) nihil ad euincendam Romanæ Ecclesiæ à Christo, & Apostolis dissentionem facit, quod deblateras, eam Scholasticorum disputationes ostendere. Vbi enim dissident, illic ab eisdem dissentire omnibus est integrum, aut eisdem assentiri, quòd res inter ipsos controuersa, fidei dogmata, aut decreta non contingat Ecclesiastica certò, ac liquidò definita.



FR. ZA.



FR. ZACHARIÆ BOVERII SALVTIENSIS

Ordinis Minorum Sancti Francisci Congregationis Capuccinorum Theologi.

DEMONSTRATIONVM SYMBOLORVM vera, & falsæ Religionis aduersus præcipuos, ac vigentes Catholicæ Religionis hostes, Atheistas, Iudæos, Hæreticos præsertim Lutheranos, & Caluinistas.

TOMVS SECVNDVS.

Zacharias Bouerius natione Pedemontanus, Patria Salutiensis, Prouinciæ Genuensis alumnus Ordinis Capuccinorum, pluries definitor, & custos Prouinciæ, & posteà Definitor Generalis, sanctæ Romanæ Inquisitionis Consultor, sacræ paginæ profundus Interpres, vtriusque facultatis, & scholasticæ, & positiuæ professor eximius, Hęreticorum validus impugnator, & Catholicæ fidei egregius defensor. Cùm ex Ecclesia sua, & Catholica discessum fecisset M. Antonius de Dominis Episcopus Spalarensis, de quo sæpè, & præcipuè in Balthassare Nardio mentionem fecimus, & emisisset in lucem libros sacrilegos de Hierarchiæ Ecclesiasticæ destructione, inscriptos de Republica Christiana, adfuit validus Antagonista Bouerius tres libros edendos, de quibus infrà. His doctissimis libris in lucem editis, Zacharias apud eruditissimos viros cœpit celebrari præcipuè ecclesiasticos, & tandem peruenir ad aures summi Pontificis Vrbani VIII. qui studio tanti viri illectus illum inter tot Ecclesiasticorum Myriades vnum elegit, quem Eminentissimo Francisco Cardinali Barberino à Latere Legato ad Catholicum, & Christianissimum Monarchas destinato Theologum specialem consignaret. Quare cum eodem Eminentissimo in Hispaniam profectus cum eo tempore degeret Matriti Carolus Stuartus Iacobi Magnæ Britanniæ Regis Primogenitus sororem Regis Catholici in vxorem ducturus, & in suadendo illi Catholicam fidem plurimùm laborarent sacri Præsules, P. Zacharias ex tempore accepto calamo consiliarium librum composuit, de quo infrà. Regrediente Bouerio ex Hispania Capitulum Generale illi onus imposuit, vt Annales Religionis Capuccinorum describeret. Quapropter diligenter conquisitis; & per annos examinatis Priscorum Capuccinorum, vitæque sanctimonia illustrium

Patrum gestis, adeò eleganter illa conscripsit, vt Tullianam facundiam adamussim redolentia, & suauitate resperla legentes ad vlteriora semper allectos prouocent, nec legendi periodum, nisi vltimam faciant; Opus ergo perfecit breui tempore duobus voluminibus. Pijssimis coronatus operibus felicissimè in Christo obijt Genuæ in Conuentu Immaculatæ Conceptionis anno 1638. pridie Kalendas Aprilis, ætatis suæ ann. 70. Religionis 48. pluribus ingenij sui relictis monumentis. Eius vitam Italico sermone luculentissimè descripsit Pater Franciscus à Sexto tunc Minister Prouincialis Prouinciæ Genuensis. Eius opera sunt infrascripta: Demonstrationes Symbolorum veræ, & falsæ Religionis aduersùs præcipuos, ac vigentes Catholicæ Religionis hostes scilicet Atheistas, Iudæos, Hæreticos præsertim Lutheranos, & Caluinistas in quinque libros distributæ. Primus liber est totus contra Atheistas, 2. contra Iudæos, 3. agit de demonstrationibus Symbolorum veræ Religionis in genere, 4. de examine Sectæ Lutheranæ, & Caluinianæ ad proposita Symbola, 5. de demonstrationibus Symbolorum Romanæ Religionis in specie. Lugduni sumptibus Horatij Cardon ann. 1617. in fol. Parænesis Catholica ad Marcum Antonium de Dominis, olim Archiepiscopum Spalatensem, posteà Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apostatam, & in Angliam transfugam, in qua examinantur, & refelluntur quatuor libri eiusdem de Republica Christiana, & Ecclesiastica, Lugduni apud Ioannem Chauuet anno 1618. in 4. Censura Parænetica in eosdem 4. libros Marci Antonij de Dominis, Mediolani 1621. in fol. Censura in tractatum de legitima Cardinalium creatione, Dominici Veneti Episcopi Porcellani nomine inscriptum, sed ab eodem Marco Antonio de Dominis in lucem editum. Mediolani 1622. Orthodoxa Consultatio de ratione veræ fidei, & Religionis amplectendæ ad Serenissimum Carolum Stuartum Valliæ Principem, Iacobi Magnæ Britanniæ Regis filium in communem omnium veræ Religionis studiosorum gratiam, & vtilitatem. Prodijt primùm Matriti apud Thomam Iuntam Typographum Regium anno 1623. Posteà iussu Eminentissimi Cardinalis Fr. Antonij Barberini tituli S. Onuphrij, Ordinis Capuccinorum Protectoris ab eodem in duas partes distributa impressa fuit Romæ in Typographia Vaticana anno 1635. Annales, siue sacræ historiæ Ordinis Minorum Capuccinorum sancti Francisci. In primo Tomo traduntur vniuersa, quæ spectant ad eiusdem Ordinis ortum, ac progressum vsque ad annum 1580. impressus est Lugduni anno 1632. sumptibus Claudij Landry. Secundus Tomus complectitur omnia, quæ ab anno 1581. vsque ad annum 1612. pertinent. Ibidem 1639. sumptibus Gabrielis Boissat, & Laurentij Anisson. De his Annalibus R. P. Hiacinthus Parrù Hispanus in sua Rosa Lauretana pag. 397. sic honorificè loquitur: Despues, que las Cronicas Capuchinas con admiraçion de todos, y crediro incomparable han grauado en las columnas de la fama el non plus vltra de aciertos, fuera temeraria impresa atrauersar en estilo vulgar, y llano obscurecer los realces de tan heroiquas hazañas dignas solamente de los primeres, con que las historiò Bouerio, cuya encumbrada eloquencia, solo en tan alto assumpto fue digna d'emplearse, paraque assi se adequasse la sublimidad de la materia con las ventajas inimiables de tan enclamada pluma. Demonstrationes vndecim de vera habitus forma à Seraphico P. Francisco instituta ad Vrbanum VIII. P. M. Lugduni 1632. apud Claudium Landry, & Coloniæ Agrippinæ 1655. apud Cornelium Egmond in 8. Directorium fori iudicialis pro Regularibus, Augustæ Taurinorum apud Aloysium Rizzimilium anno 1624. Tom. 1. in 4. De sacris Ritibus iuxtà Romanam regulam vsui Fratrum Minorum Capuccinorum accomodatis libri tres adiunctis quibusdam externis Ritibus, qui ad Religionis Capuccinorum Politiam, & ad pleraque domestica munera obeunda spectant, Neapoli Typis Scorigianij anno 1626. Tom. 1. in 4. De eo meminerunt Vvadingus lib. de Scriptoribus Ord. Minorum, qui & aliqua de eo adnotauit Leo Allatius in Apibus Vrbanis, Aubertus Miræus cap. 209. Franciscus Augustinus ab Ecclesia, Andreas Rossoltus lib. & Syllabo de Scriptoribus Pedemontanis, Ardinghellius in Appendice congeminatæ vocis turturis de Bouerio sic loquitur. Famigeratissimus est quoque Adm. R. P. Zacharias Bouerius meus Collega in officio S. Inquisitionis, cuius opera ne dum in Germania existentes hæreticos, sed aliarum quoque Prouinciarum euincunt, & sternunt. Et D. Marcus Aurelius Lucernensis in suis Historijs memorabilibus cap. 15. Missiones Capuccinorum quasdam referens de Bouerio sic scribit. Inter eos, qui in Missionibus ad agrum Dominicum exco-

leu-

lendum missi elaborauerunt vnus annumeratur R. P. Zacharias Bouerius Salutiensis vir celebris, & ferventioris contra hęreses zeli, qui grandiora gemina edidit volumina aduersùs & Lutheri, & Caluini, & Assectarum nefaria dogmata, tertium aduersùs famosa infamia notum Hæresiarcham M. Antonium de Dominis, quartum quod conscripsit Consultatio Orthodoxa, & Carolo Gandensi Principi, posteà decollato Britannico Rege dicauit. Grandi etiam Elogio eum celebrans Abbas Valerianus Castilioneus lib. 6. cap. 2. P. Magister Ponce de Leon in traductione Chronicæ Moncadæ in principio. Pater Leander de Murcia in quæstionibus selectis quęst. 21. num. 3. & alij plures, qui vocant eum Doctorem eruditissimum, ac sapientissimum inter Patres Ecclesiæ eum numerantes, eò quod Scripturis suis eam valdè illustrauerit. Quare iure merito totius Capituli Generalis Romæ celebrati Anno 1642. Definitio elogio celeberrimo honorari iussit, quod impressum reperitur ad initium Tomi secundi Annalium; Vocat eius os illud, de quo ensis vtraque parte acutus exijt, & qui intellectuali miraculo Patres Capuccinos obliuioni, & hominum morti traditos ad illustrem vitam reuocanerit; & non mediocrem eius virtutem, exponit; & ibi addit, quod alij referre obliti sunt, nempè cum sæpè sæpiùs Definitoris Generalis munus exercuisse. Laurentius Crassus in suis elogijs refert eum in adolescentia sua solitum fuisse fugere conuersationes iuuenum, vocans ruinas iuuenum, & semina ignauiæ, & ibi refert duo Epigrammata in eius laudem composita, primus bene concludit:

Restituit Latio veteris miracula linguæ.
Et potis est vnus cum Cicerone loqui.

DEMONSTRATIO TERTIA
GENERALIS TERTII SYMBOLI
Contra Hæreticos.

De vnitate Capitis visibilis à Christo instituti.

PRÆFATIVNCVLA.



VI humanum corpus ita à Deo Optimo Maximo dispositum cernunt, vt optimo illud, ac Monarchico imperio regi, & in cuncta illius membra, vnum caput visibile principatum gerere animaduertant: ij sanè præclarum Religiosæ, atque Ecclesiasticæ Monarchiæ simulachrum sibi ante oculos positum agnoscere debent. Etenim cùm vera Religio (Apostolo teste) mystici cuiusdam corporis, quod ex fidelium multitudine velut membris compactum est, imaginem præseferat; æquum sanè fuit, vt ipsa quoque Monarchicum regimen ita à Deo sibi collatum vendicaret; vt vnum caput tantummodò omnibus perspicuum, ac visibile à Christo institutum, sub Christo sibi præsidere pateretur: ne si plura capita imperarent, vel eo capite visibili careret, quod totius corporis Dux, & ornamentum esse solet, ea monstri potiùs, quàm veræ Religionis formam oculis spectandam objiceret. Id nobis in hac tertia Demonstratione per aliquot articulos distributum explicandum erit, In qua demonstrabitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vera Religio aliquo Capite constare debeat.

QVI Christianam Rempublicam breui funditus euersam, ac prostratam vellent, ij Religionem in partes dissectam nullo capite, ac moderatore consistentem, velut Acephalam statuunt: neque vllo pacto fieri posse credunt, vt vnus aliquis inter homines sit, qui Ecclesiasticarum rerum summæ vniuersæ præesse valeat: sed Deo ità omnia committenda volunt, vt eum solùm sibi esse fingant, qui huic oneri subeundo par esse possit. Id affirmant Caluinus libro 4. Institut. capit. 6. §. 8. 9. & 10. Beda in Confessione fidei Apolog. Ecclesiast. Anglic. capite 5. artic. 5.

Hinc duplex nobis quæstio soluenda proponitur.

Prima, num præter Deum caput aliquod in vera Religione institui possit, à quo ritè Ecclesia administrari queat?

Altera, num huiuscemodi caput sub Deo institutum rectè, ac necessariò in vera Religione collocari debeat? Vtriusque quæstionis nodus ordine quo propositus est, erit explicandus.

Quod ad primum quæstionis nodum pertinet, mirum profectò est, quàm improbè, quàm impudenter, quàm denique infideliter aduersarij Dei omnipotentiam in discrimen vocent, immò quàm impiè opprimant, ac prosternant. Quò enim hæc illorum assertio spectat, qua affirmant, fieri non posse, vt quispiam à Deo toti Ecclesiæ præfici possit, quàm vt infinitam Dei virtutem minuant, atque extenuent? quasi illa eò vsque imbecillis sit, vt eam homini virtutem conferre nequeat, quæ Ecclesiæ toti administrandæ sufficiat. At quis id vmquam censuit, nisi qui omninò in Deum impius à vera Christi fide defecerit, & Antichristi spiritu exagitatus fuerit?

Certè (vt Theologis notum est) nihil est, quod Dei omnipotentiam effugiat, nisi quod Diuinam perfectionem minuit. Diuina etenim virtus, cùm ad Dei excellentiam illustrandam tendat, ab ijs tantùm abhorret, quæ cum ea aliquo modo pugnant; quò fit, vt ea tantùm Deo impossibilia esse rectè iudicetur, quæ si efficerentur, Diuinam excellentiam euerterent.

Cùm igitur in proposita quæstione nihil sit, quod cum summa Dei perfectione pugnet. Planè si Deus efficere non potest, vt vnus homo toti Ecclesiæ velut caput præsideat, vel id Deus, ob potentiæ imbecillitatem efficere omninò non valet: vel hominis imbecillitas tanto effectui impar esse creditur.

Primùm sanè, non tàm ineptè, quàm impiè dictum esse constat. Quæ enim causa est, quòd eò vsque Diuina virtus pertingere nequeat, vt hominem totius Ecclesiæ administrationi præficere possit? Planè cùm ea res lenis admodum, & exigua sit, neque infinita Dei virtute egeat, si ea Dei omnipotentiam excelli volunt, non est cur ab ea maiora opera effluxisse credant. Maius siquidem, ac diuinius opus fuit rerum, ex nihilò creatio Orbis dispositio, singularis, atque admirabilis, quam in singulas quasque res exercet, prouidentia.

Hæc enim cùm infinitam quamdam Dei virtutem sibi coniunctam habeant, longè excellentiora sunt, quàm hominis vnius ad vniuersam Ecclesiam administrandam institutio, quæ nec infinitam, nec ampliorem Dei potentiam exigit, quàm qua in quotidiana secundarum causarum constitutione ab eo manat.

Quòd si illa, quæ fide tantummodò conspiciuntur, à Diuina virtute effluxisse non inuiti fatentur; qua ratione hoc, quod oculis quotidiè effici cernunt, Diuinæ omnipotentiæ, quasi imbecillior sit, audent subtrahere? Cæterùm si Deo possibile est, quicquid humana mens rectè cogitare potest, id sanè hominis mens rectè, ac prudenter sibi persuadere potest, non tàm Ecclesiam, quàm Orbem vniuersum alicuius hominis sapientia gubernari.

Cur igitur impij homines, ità Dei omnipotentiam minuunt, vt quod fas est homini absque errore intelligere, illud à summa Dei potentia excludant? Sed cùm hæreticorum mens adeò peruersa sit, vt iam non hominum, sed pecudum sit; haud mirum, quòd ad Dei omnipotentiam capiendam non possit pertingere. *Animalis enim homo*, ait Paulus, *non percipit ea, quæ Dei sunt*.

Illi verò, qui huius rei impossibilitatem non ad Dei, sed ad hominis imbecillitatem referunt, mitiùs quidem in Deum se gerunt; at certè ineptissimè ratiocinantur, cùm existimant hominem vnum ea ratione totam Ecclesiam regere non posse, quòd is tantæ sapientiæ capax esse non possit, vt toti populo Christiano sufficiat: ij enim dupliciter errant.

Primùm quidem, quòd Diuinam virtutem his terminis occludere volunt, vt hominem tanta sapientiæ luce imbuere nequeat, quæ toti Ecclesiæ regendæ sufficiat: in quo aduersus Dei omnipotentiam grauissimè delinquunt, cui nihil non obuium esse valet, nisi, quod Dei maiestatem minuit: quòd si hominem ad hunc mentis statum attollere non potest, vt vniuersam Ecclesiam regat; eum planè suo iure priuari opus est, quo hominem, atque vniuersas res conditas summo imperio sibi subijcit, atque ad nutum componit.

Deindè hominis naturæ apertè detrectant. Nemo enim ignorat hominem ad Dei Imaginem conditum ea naturæ perfectione excellere posse, vt omnes sapientiæ riuulos (ipso tantummodò inexhausto fonte excepto, qui Dei proprius est) in seipso excipere valeat.

Cùm verò minori in Ecclesia administranda sapientia opus sit. Posset enim Deus sicut plures Orbes, sic & plures Orbium Ecclesias instituere, aut Ecclesiam in immensum protendere, atque vni homini regendam committere, in quo sanè amplior in eo sapientiam exigeretur: cur adeò imperfectum, atque angustæ mentis hominem statuunt, vt

huic oneri subeundo diuina ipsa virtute agente nullo pacto patem esse existimenr?

Potuit Deus vnico Solis globo eam lucis affluentiam conferre, vt vniuersas Orbis plagas, Regna, Ciuitates, Prouincias, domos, tuguria, rimulas illustrare queat. Quis Solem vmquam rantæ lucis capacem credidisset, nisi id quotidiana experientia doceret?

Cur igitur hominem tanta diuinæ sapientiæ luce præditum esse posse negant, vt ChristianumOrbem sua sapientia regere haud posse autument?

At frustrà Deum impotentiæ, ac hominem imbecillitatis insimulant, cùm id Deus reipsa in Iudaicæ Synagogæ administratione præstiterit: neque enim inficiari valent aduersarij, quin Moysi à Deo tantùm sapientiæ spiritus collatum fuerit, vt solus ipse vastam illam Ecclesiæ multitudinem regeret: cùm Scriptura dicat Exod. 18. *Sedit Moyses, vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam.* An non post Moysem summus Sacerdos, qui in Hebræo populo principabatur, totius Ecclesiæ præfecturam exercebat? Quid? an non eadem de Regno, atque Ecclesia causa agitur?

Porrò si amplissimo Regno, ac Imperio administrando Rex, ac Imperator satis est; immò totius Orbis Imperio regendo vnus Alexander Macedo, aut alter Augustus olim par fuit, licèt nec gratiæ spiritum, nec fidei donum accepissent, an non calumniosè agunt, qui Ecclesiam licèt toto Orbe dispersam, ab vno singulari homine præsertim Diuini Spiritus dono illustrato gubernari non posse affirmant?

At dicent fortè, non æquum esse vtriusque potestatis administrandæ modum: secularis namque potestas humanis dumtaxat legibus, ad sui administrationem indiget, quò fit, vt ea ab homine perfectè exerceri possit. Ecclesiastica verò potestas diuinis potissimùm institutis, ac reuelationibus vtitur, quæ à Deo pendent, quapropter ea non ab homine, sed à solo Deo ritè administrari valet.

At si hæc ratio ponderis aliquid sibi vendicat, id profectò concludit; Ecclesiam non ab hominum, sed à Dei legibus esse regendam. Quis id vmquam negauit? verùm adeò ignari sunt, vt hominum administratione in Ecclesia opus esse ignorent; qui diuinas leges populis præscribant, atque eos in legis obseruantia contineant? Planè si Ecclesia solius Dei, non hominum administrationi committenda est, quid frustrà Aristocraticum regimen in Ecclesia, velut optimum extollunt; quod optimum est? Quid homines ad Ecclesiæ administrationem ascifcunt? cur Pastores in Ecclesia necessarios esse docent; cùm de Patribus, ac de toto æqua sit habenda ratio.

Nàm si vni homini interdicta est Ecclesiæ administratio ea ratione, quòd Ecclesia diuinis tantùm legibus regatur, cur eadem pluribus regenda committitur; cùm eadem diuinarum legum ministratio, quam ad Deũ tantummodò, non ad homines pertinere volunt, æquè pluribus, atque vni denegata sit? Hinc patet quàm ineptè philosophentur aduersarij dum asserunt fieri non posse, vt vera Religio capite aliquo constet, à quo regatur: cùm ipsi multa capita, ac tot quot Ecclesiarum pastores ab ijs creari solent, in Ecclesia administranda constituant.

At toto Cœlo aberrant aduersarij, cùm nouis quibusdam reuelationibus Ecclesiam regi existimant, quibus velut noua Dei luce opus sit ad Ecclesiam gubernandam: nàm cùm vera Religio semel à Christo, & ab Apostolis perfectè instructa fuerit in ijs, quæ ad fidei ministrationem spectant, ea modò non ad nouas, sed ad antiquas Scripturarum reuelationes, atque Apostolicas traditiones confugit, ex quibus perfectam gubernationis formam exhaurit: quò fit, vt Christiana Respub. haud secùs, quàm temporale aliquod Regnum, præscriptis, licèt diuinis, suæ gubernationis legibus vtatur, quibus ab homine ritè administrari queat; cui tamen Christum, velut supremum, ac inuisibile caput spiritu suo præesse non dubitamus.

Ex quo id tamdem nunc primùm concludimus, aliquod præter Deum caput in Ecclesia posse institui, quod illius administrationi incumbat.

Soluto itàque hoc prioris quæstionis nodo; alter ac præcipuus soluendus sese offert. An scilicet, in vera Religione caput aliquod præter Christum collocari debeat? Nàm cùm probatum fuerit, id non esse impossibile, quod tamen aduersarij contendunt: saltem inconueniens videri poterat, alterum caput cum Christo connectere, ne iniuria Christo irrogaretur, qui Ecclesiæ caput à Deo constitutus est teste Paulo ad Ephes. 1. Atque hac ratione vtitur Caluinus Instit. lib. 4. c. 6. §. 9. vt visibile Ecclesiæ caput impugnet. Insignem, inquit, iniuriam Christo faciunt cùm eo prætextu volunt hominem vnum præesse Ecclesiæ vniuersæ, quia hæc capite carere non possit.

At certè ipse potiùs Caluinus, ac reliqui, qui hoc ipsum dicunt, ac sentiunt, atrocem Christo nostro iniuriam inferunt, cùm eo prætextu, quod vnus homo præesse Ecclesiæ vniuersæ non possit, Christi constitutionem conuellunt; atque hac ratione, quòd caput Christum habeat, Ecclesiam omni visibili capite destitutam volunt: quasi id non apertè falsissimum sit, atque ab ipsa Christi doctrina alienum.

Quod in primis Christi ipsius testimonio probatur, qui apud Ioann. 21. Petrum totius Ecclesiæ Pastorem, ac Rectorem præfecit, illis verbis. *Pasce oues meas, &c. Pasce agnos meos*. Tum Paulus scribens ad Ephes. 4. veram Religionem præclaro simulachro humano corpori similem esse affirmat; in quo caput principari, cætera verò membra capiti subijci intuemur. Porrò licèt Christus perpetuum, ac nobilissimum Ecclesiæ caput sit, ex quo (vt inquit Paulus) totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscumque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate: is quidem inuisibiliter præest, ac velut spirituale quoddam caput, spiritualia dona, ac virtutes in Ecclesiæ corpus influit: alterum tamen vicarium caput sub Christo

in Ecclesia institui opus fuit, cuius auctoritate Ecclesiæ corpus, quod visibile est, visibiliter regeretur. Cùm igitur vera Religio tanquam magnum, ac illustre quoddam corpus sit, ex fidelium multitudine compactum; an non monstruosa appareret, si visibili capite, quod totius corporis dux esse debet obtruncaretur?

Cæterum sicut inter corporis membra dissidium iure timeri posset, nisi ea capitis alicuius præsidentis imperio subijcerentur, à quo ad propria munera obeunda impellerentur. Planè haud secus Religioni contingeret, si capite, quo Religionis membra velut duce gubernari, atque in officio contineri debent careret. Id ex D. Hieronymo manifestum est, qui aduersùs Iouinianum scribens cap. 14. propterea vnum in Ecclesia caput necessarium esse docet, *vt capite constituto schismatis tollatur occasio*.

Etenim plerunque accidere solet, quòd Rege sublato in Regno perturbatio oritur; exercitus quoque post amissum Ducem sæpenumero in partes dissoluitur; idemque gregi haud raro euenire cernimus, quem huc, atque illuc dispersum videmus, cùm nullus illi Pastor præest, cuius imperio obtemperet. Ea enim est multitudinis natura, quòd nisi præscripta aliqua vnitatis regula contineatur, quæ ad vnum compellat; semper ad diuisionem tendat: & à seipsa dilabatur: quò fit, vt satis opportunè vates ille popularem multitudinem nullo capite consistentem, belluam multorum capitum vocitet, cùm eam in tot sententias discindi, quod in ea capita sunt non semel expertum sit: nisi vnius imperio coerceatur, aut vnius sensui inhæreat, cui parere necesse sit.

Ita sanè veræ Religioni accidere necesse est, si suo capite careat: nam cùm multæ in fide controuersiæ in dies oriri possint, quas Conciliari, vel propulsari æquum est: quid imprudentius, quàm has imperitæ multitudini decidendas committere; quæ eò magis plerumque proprio sensu abundat, ac propriæ sententiæ pertinax inhæret, quò imperitior est, & ad hæc pertractanda ineptior? sed num sat erit doctissimis viris eas diluendas relinquere? Haud planè: nam cùm omnes ingenio polleant, omnesque pro sua, quàm potiorem existimant, sententia pugnent; Scripturarumque afferant testimonia, & Patrum expositiones sibi accommodent, nec facilè ab ea parte, quam veriorem putant, deterreri possint; quid si inter se de fidei doctrina pugnent; quis componendis, definiendisque rebus modus erit? Sanè aut integras, aut grauiores in fide controuersias, ac quæstiones in dies vigere opus est, ac velut in dissono aliquo choro discordes planè voces audiri: nisi in his præsidis alicuius valeat auctoritas, cuius iudicium pugnantes, ac discordes de fide opiniones conciliet, & in suo sensu pertinaces sua auctoritate coerceat. Lato namque iudicio ab eo capite, quod Dei dono, in his quæ ad fidem spectant, ab omni prorsus erroris suspicione alienum est mox sublatæ difficultates, mox sedati opinionum fluctus, mox deinque omnis schismatis occasio abscindit.

Neque id mirum aduersarijs videri debet, cùm ex Christi institutione tanta sit huius capitis auctoritas; vt præter illud, quod ab illo vno decretum, ac sancitum fuerit, nihil, aut sequi, aut amplecti cuiquam liceat, & siquidem in veteri lege ijs mortis pœna imposita erat, qui superbè nimis, ac proteruè Sacerdotis imperio obtemperare noluissent, sic qui temerè huius Vicarij capitis Imperio obstrepunt, atque in his, quæ ad fidem spectant, seipsos illius definitioni subijcere nolunt; hi quidem non solùm æternæ mortis supplicium haud effugere valent; verùm eo ipso Hæretici, ac sarmenta ab Ecclesia præcisa censeri debent. Nam, vt ait Cyprianus lib. 1. epist. 3. [Neque enim aliunde Hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquam moueret.] Quare cùm illud solemne, legitimum, sempiternumque Hæreticis sit Ecclesiæ præsidem impugnare; hinc aduersarij seipsos Hæreticos (teste Cypriano) declarant, cùm ab Ecclesiæ capite desciscunt, atque eidem obtemperare renuunt: quod idem Cyprianus confirmat lib. 4. epist. 9. [Vnde enim (inquit) schismata, & Hæreses obortæ sunt, nisi quòd Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur.]

Porro quod olim Cyprianus scripsit, nunc apud eos, qui Religionem, vel potiùs sectam sine capite colunt, factum ipsi oculis nostris cernimus. Nam cùm inter eos nullum caput constitutum sit, haud mirum, quòd omnes principari velint: quò fit, vt tot iam capita sint, quot Hæresum Magistri exurgunt. Hinc Lutherus, hinc Melanchton, hinc Osiander, hinc Caluinus; hinc quotquot insigniores errorum Magistri feruntur, suarum sectarum Principes appellari voluerunt.

Cæterum vnius capitis præter Christum constitutionem ipse Ecclesiæ ordo postulat, qui ad vnitatem tendit. Nam cùm diuino, atque Apostolico testimonio Ecclesia vna tantùm esse debeat; Ecclesiæ verò vnitas potissimùm à capitis vnitate pendeat, quis abscisso capite Ecclesiam discindi non videat, neque integram permanere posse, quæ suo capite orbata est, haud secus, quàm humanum corpus obtruncata ceruice, truncum, ac deforme redditur? Certè multitudinis ea natura est, vt seipsa dilabatur nisi ab aliquo vno in vnitate contineatur. Ecclesia verò cùm perpetuò firma, ac stabilis futura sit, qua ratione id assequeretur, nisi perfecto aliquo, consummatoque ordine sub vnius Pastoris imperio, ac cura firma permaneret? Quod Caluinus ipse non negat cùm Instit. lib. 4. capit. 6. hac ratione vnum summum Pontificem Hebræo populo datum affirmat, vt is in vnitate contineretur. [Debuit enim (ait) vnus populus Iudæorum, obsessus circumcirca ab idololatris, habere vnum summum Pontificem, qui omnes in vnitate contineret, ne varijs Religionibus distraheretur.] Cùm igitur (ipso Caluino teste) veræ Reli-

gionis vnitas ita necessaria sit, vt ad eam tuendam Deus olim Iudaicæ synagogæ, tametsi ipsemet illius Dux, & caput existeret, vnum Summum Pontificem præficere necessarium duxerit. Quid, an non par necessitas vrget? si tunc temporis veræ Religioni caput vnum necessarium erat, ne ea varijs superstitionibus distraheretur; quid nunc in Christiana Religione, quæ inter Iudæorum, Mahometistarum, ac Hæreticorum sectas versatur, superuacaneum esse iudicant vnum caput institui; à quo vniuersi in veræ Religionis vnitate contineantur; cùm eò magis capite indigeat, quò à pluribus, ac grauioribus fidei hostibus circumcirca obsidetur?

Postremò, caput aliquod in vera Religione necessarium esse, declarat præscriptus ipse à natura ordo, qui in rebus omnibus, tametsi ratione carentibus, conspicitur. Natura enim cuncta animantia capite constare voluit, quo regantur, gubernentur, ac velut duce, ac proprias quodque operationes obeundas instruatur; ne cæco quodam impetu in præceps rapiatur; atque ab eo ad cætera corporis membra tuenda virtus fluat. Propterea etiam solo ipso naturæ ductu apes, & grues, & pleraque alia animantia caput sibi constituunt: grex suum pastorem sequitur; domus suo fundamento innititur; nauis vno moderatore gubernatur; Regnum suum habet Regem; Respublica Ducem; denique ipsa, tum naturæ, tum rectæ administrationis vox clamat, in vnaquaque hominum societate caput aliquod institui debere, ne in partes dissecta tandem dilabatur. Quòd si ad tuendum humanæ societatis vinculum, cùm de humanis rebus tantùm agitur, ductore omnino opus est: an is in Religione, vbi de Ecclesia, ac fide conseruanda, ac diuinis rebus tuendis res est; quæ eò faciliùs dilabuntur, quò grauiores, ac difficiliores pugnas ab inferorum hostibus patiuntur, superfluus omnino iudicabitur?

Hinc D. Chrysostom. in capitulo 13. epistola ad Hebræos homil. 34. explicans verba illa. [Obedite præpositis vestris, Magistratum (inquit) Ducemque, & Rectorem non habere malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & Principum defectus ordinis, & perturbationis, & confusionis. Nam sicut si chori choriphæum, & ducem sustuleris, non erit amplius chorus modo congruus, & ordinatus; & si à phalange exercitus amoueris Imperatorem, non erit amplius numerosa, & ordinata acies; & si nauigio ademeris gubernatorem, nauim demerges. Ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia euertisti, & deleuisti.]

ARTICVLVS II.

Refellitur primus error aduersariorum asserentium Ecclesiæ gubernationem esse Dimocraticam, seu popularem.

Aduersarij omnes; vt discisso multorum regimine Christianam Rempuplicam dilacerent, & faciliùs Babylonem suam construant: velut agmine facto Ecclesiasticam Monarchiam vno impetu aggrediuntur, & quam ipso naturali, politico, ac diuino iure in Orbe sancitam esse non ignorant, omni iure violato non tam bestiali, quàm proprio, Hæreticorum furore in vera Religione discerpunt. Hi verò tametsi omnes ad vnam Ecclesiæ Monarchiam debellandam conspirent, in partes tamen dissecti (vt proprium hæreticorum est) non parum inter se dissident, quænam esse debeat Ecclesiæ administratio. Quidam enim Dimocraticam tantùm esse volunt, ac popularem, idest, toti Christiano populo commissam: ita sentiunt Protestantes, seu Lutherani, ac præsertim Illyric. in ser. sacr. lit. vbi Politiam Ecclesiæ non aliud esse vult, quàm ordinaram quandam Dimocraticam. Alij verò protestantium ex Dimocratia, Aristocratia, & Monarchia mixtam, magis tamen Dimocraticam esse contendunt. Io: Caluinus ex Aristocratia, & Dimocratia temperatam esse docet. Tamdem Anglocaluinistæ, vt regiæ cupiditati satisfaciant, Ecclesiasticæ gubernationis summam, ad sæcularem Principis potestatem transferunt. Hæ verò sententiæ, cùm eò tendant, vt vnum Ecclesiæ præsidem à Christo institutum oppugnent, & à sua sede pellant, non tam sententiæ, quàm apertissimi errores censeri debent, qui eo, quo propositi sunt, ordine diluentur.

Primus error est eorum, qui Democratiam, id est popularem gubernationem in Ecclesia statuunt. Quod gubernationis genus Ecclesiastiacæ Reipublicæ omnino incommodum; ac perniciosum esse nonnullis rationibus euincimus.

Prima est, quòd Democratia, seu popularis gubernatio inter cætera gubernationum genera deterrimum ab omnibus existimatur, vt ex multorum Philosophorum sententia notum est. Homerus enim Iliad. 2. discissum in multos Imperium damnat his verbis:

Oyc' agathòn polycoiranii eis Koiranos esto,
eis Basileys.
Haud bona res multi Domini: Rex vnicus esto,
Et Dominus.

Plato in Politico, vltra medium, multorum administrationum omnibus in rebus debilem, atque infirmam esse docet. Et in Anxiocho, neminem beatum esse posse ait, qui vulgi viuat arbitrio, tametsi ei faueat, atque plaudat. Aristotel. 12. Metaph. *Entia* (inquit) *nolunt disponi malè, nec bona* *plu-*

pluralitas principatuum, vnus ergo Princeps: & lib. Ethic. cap. 10. ex tribus illis, quas ibi recenset regiminum formis, Democratiam velut pessimam respuit. Plutarchus de tribus Reipubl generibus, Monarchia, Democratia, & Oligarchia agens in hanc sententiam propendet, vt Democratiam, non tam inutile, quàm perniciosum administrationis genus esse credat. Lucanus quoque lib. 1. in multorum principatum inuehitur, hoc carmine.

> *Nulla fides* (inquit) *regni socijs, omnisque potestas*.
> *Impatiens consortis erit*.

Id verò ex Catholicis Patribus confirmat Cyprianus de idolorum vanitate his verbis. [Quando vnquam regni societas, aut cum fide cepit, aut sine cruore desijt? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia, & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri excepit hospitium. Pompeius, & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt.] Cui assentit Iustinus Mart. orat. exhortatoria ad Gentiles, vbi allato Homeri testimonio, de quo suprà egimus, subijcit. [Equidem ille non bonum esse regimen multorum, sed è diuerso malum reipsa ostendere constitutum habens, eam ob causam bella illorum propter multitudinem, & prælia, & factiones, & mutuas insidias passim commemorat.] Idem sentit D. Athanasius oratione cont. Idola. vbi principantium multitudinem, cum Deorum multitudine comparat, atque inde optimè concludit his verbis. [Vt enim diximus multitudinem numinum nullitatem esse numinum, ita quoque necessum est multitudinem Principum id efficere, vt nullus esse Princeps videatur.] His tandem subscribit Theodoretus lib. 3. de Angelis. [Defectum (inquit) Principatus, & multitudinem, vt rem maximè noxiam accusamus.] Hinc fit ex omnium penè sententia, vt Democraticum gubernandi genus deterrimum, ac labile existimari soleat: quapropter cùm vera Religio, quæ præclarum est Christi Regnum, non nisi optima regiminis forma gubernari debeat; illud maximè ad illa arcendum est, quod eam aliquando labilem, & caducam præstat: neque enim credibile est, Christum sapientissimum in Ecclesia administranda, præstantiori omisso, illud gubernationis genus elegisse, quod cæterorum perniciosissimum omnium calculis iudicatur.

Secunda ratio est, quòd ipsa experientia testatur, Democratiam ferè semper in tumultum, ac seditionem degenerare; quod Caluinus non inuitus fatetur, cùm ait, facilem quidem esse lapsum à Regno in tyrannidem, sed facillimum à dominatione populari in seditionem: sed præclariùs, ac grauiùs D. Ioann. Chrysost. hom. 2. in Ioan. popularem dominationem maris vorticibus inter se tumultuantibus, atque huc illuc incerto cursu agitatis comparat, in quo omnia perturbationibus plena, confusa omnia conspiciuntur. [Si enim, inquit, ab eodem magistratu, quid populus sit, percontaberis: quiddam, inquit, tumultus, perturbationisque plenum, è stultitia maiori ex parte constans, atque compositum, temerè ad instar fluctuum maris varia, & pugnante sententia sæpe numero iactatũ.] Hęc Chrysost. Iam si popularis ipse status suaptè natura adeò tumultuosus, ac perturbationibus plenus est, & ad seditionem ita procliuis, vt contrarijs, ac pugnantibus ferè semper studijs discindatur: quò fit, vt Poetæ dicere licuerit;

> *Scinditur incertum studia in contraria vulgus*.

Quid de populari administratione dicendum erit, quàm seditiosam, quam inconstantem euadere opus est? Si cùm subest populus; ac Magistratus imperat, vix à tumultu cohiberi potest, quid faciet bellua hæc multorum capitum, si ad regni solium ascendat, ac Magistratui imperet? quam miseri censendi erunt, qui belluino huic regimini subijciuntur? Hinc non immeritò concludit idem Chrysostomus. *Qui igitur sub eiusmodi Domini seruitio premitur, nonne omnium est sanè miserrimus?*

Neque id solus sentit Chrysostomus: sed quotquot ante Chrysostomum de vera Ecclesię administratione scripserunt; Democratiam hac ratione à vera Religione expulerunt; ex quibus duos tantùm sufficiat testes exhibere, Eusebium, & Athanasium. Primus Eusebius de laudib. Constant. de Dimocratia, & Aristocratia disserens. [Multiplex, inquit, imperium, quod ex hominibus honore, & sensu paribus constat, quòdque cùm Monarchia ex aduerso pugnat, confusionis, ac seditionis potiùs, quàm Imperij nomen meretur.] Alter Athanasius oratione contra idola, ex vno rerum principio docet multorum regimen ipso naturæ ordine esse perniciosum. [Non enim (inquit) si plures essent rerum naturæ Principes, seruaretur eiusmodi vniuersitatis ordo, sed omnia confusa, & inordinata forent, propter multos istos, cùm vnusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, & eum alieno depugnaret.]

Cùm igitur Dimocraticum regimen ea ratione, qua tumultuosum, ac perturbationibus plenum se se offert, diuturnum esse non possit; sed (teste ipso Saluatore) ad exitium, ac dissolutionem tendat: *Omne enim Regnum in seipsum diuisum desolabitur*, Planè id veræ religioni congruere non potest, quæ fixa, & immobilis, tranquilla gubernatione ad extremum vsque Orbis interitum produci debet; neque id æternam Dei sapientiam deceret, vt seditiosum, ac tumultuosum administrationis genus, à quo & ipsæ prophanæ respublicæ, atque ipsa natura abhorrent, in vera religione institueret, quàm optimo gubernationis genere opus est muniri: quapropter longè id à vera religione expellendum est.

Tertia ratio est, quòd popularis status minimè aptus, ac idoneus est ad regendum ob innatas sibi ignorantiæ tenebras, quibus illi discere potiùs, ac obtemperare, quàm aut docere, aut imperare competit. Nemo autem dubitare potest, ei, cui Ecclesiæ gubernacula committi debent, docendi munus incumbere, nec quemquam ritè Dei populum gubernare posse

posse, qui ea scientia præditus non sit, quam subditum sibi populum instruere valeat: præsertim cùm recta docendi ratio ita cum Ecclesiastica potestate coniuncta sit, vt nullus ritè Ecclesiæ Pastor eligatur, qui commissas sibi oues Dei verbo pascere, & Ecclesiam optima doctrina instituere non nouerit; dicente Domino apud Oseam 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*; nàm & in propbania Regnorum, ac rerumpubl. administrationibus, is optimus gubernandi modus censetur, quia ex literarum disciplina constat, vndè optima consilia fluunt.

In Ecclesiastica autem gubernatione is non tantùm optimus, sed quàm maximè necessarius creditur, sine quo nullum Ecclesiæ regimen esse potest, atque is est, qui à Deo olim institutus legitur apud Hierem. cap. 3. *Dabo vobis Pastores iuxtà cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* Quapropter Christus cùm Petrum Ecclesiasticæ gubernationi præfecit, eidem mandauit, *Pasce oues meas*. Quòd *pascendi* verbo ostendere voluit, cuiusmodi esse debeat Ecclesiastica gubernatio; nimirum ita cum doctrina coniuncta, vt Christianus populus & potestate regatur, & tamen ouium instar doctrinæ pabulis aleatur.

At quænam potest rudi, ac imperitæ multitudini inesse doctrina, qua Dei populum instruat? quæ neque literas plerumque didicit, neque sacra volumina perlegit? Quomodò ea Dei Ecclesiam pascere poterit, quæ legum Diuinarum sæpè ignara nulla docendi facultate prædita est? Quo pacto, obsecro, plebs ad Ecclesiæ gubernacula sedebit, quæ quid rectum, quid iniquum sit, alijs nesciat præscribere? Certè is ad regendam Dei Ecclesiam idoneus esse non potest, qui neque se, neque oues pascere nouit. Quanta, obsecro, pompa, quo splendore videres tabernarios, coquos, scutras, opifices, coriarioa, sedentarios, ac reliquos infimæ conditionis homines ad Ecclesiæ regimen sedere, & de causis Episcoporum, ac Ecclesiasticis dogmatibus cognoscere, ac iudicare: doctos verò audire, & suspicere?

Illud certè malum tunc Ecclesiæ contingeret, quod longè anteà Salomon Sapientiæ spiritu prænunciauerat Ecclesiastia 10. cùm ait: [Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principia: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.]

Quid verò vulgo, ac imperita multitudine stultius, cui nihil sapiens esse potest, (teste August. de vtilit. credent. lib. 2.) quàm, vt sapientibus obtemperent, & numquam suo iudicio vitam degant? Cùm igitur populus in Ecclesiæ solio collocatur, quid efficitur, præterquàm quòd stultus ad sublimem dignitatem erigitur? quò sanè nihil peius, atque Ecclesiasticæ administrationi perniciosius accidere potest; hinc enim innumeræ perturbationes, tum hæreses, & tandem omnium malorum seges in Ecclesiam inueheretur.

Denique aduersarijs, qui populare Ecclesiæ regimen esse volunt, id meritò responderi posset, quod olim Anacharsis Philosophus, teste Plutarcho in Solone, Atheniensibus respondit: is enim cùm Atheniensium concioni interfuisset, qui populari gubernatione vtebantur: vidissetque grauissimos viros in hanc, illamve partem dispersos persuadere: populum verò iudicare, ac decernere; ad Solonem ait, admirari se viros sapientes apud Græcos loqui, & stultos iudicare. Quòd si ipsi Ecclesiasticam gubernationem adhuc Dimocraticam esse contendunt, sanè effugere nequeunt, quin ijs fateri opus sit, suam ipsorum Ecclesiam à stultis deterrima omnium gubernatione Regi.

Neque seipsos excusare valent, si dicant doctos, ac idoneos viros ad Ecclesiæ administrationem à populo eligi: quandoquidem tunc non Dimocratica, aut popularis; sed potiùs Aristocratica esset Ecclesiæ gubernatio. Pellant igitur Dimocratiam, necesse est, si Aristocratiam statuere volunt, aut saltem ex Aristocratia, & Dimocratia regimen temperent, quod etiam paulò infrà refellemus.

Quarta ratio. Nullis Scripturarum testimonijs, nullis Patrum sententijs discimus populare regimen à Christo in Ecclesia institutum fuisse: quod ex eo apertè confirmatur, quòd neque Hebræorum Synagoga vmquam hoc regimine vsa fuit: neque Christi, aut Apostolorum temporibus, plebs vmquam iudiciariam sibi in Ecclesia sedem vendicauit. Quæri igitur posset ab aduersarijs; an tempus aliquod proferre valeant, in quo popularis hæc gubernatio in tota Ecclesia viguerit, & communis alicuius causæ cognitio, aut iudicium, ad totum populum Christianum dilatum fuerit? Fueritne vmquam locus, vbi plebs Christiana pro tribunali sederit, & de Ecclesiasticis causis iudicauerit, per quę suam hanc iurisdictionem in totius corporis mystici Christi gubernatione Orbi testatam reliquerit?

Exerant si quod habent testimonium, quo tempore, quo seculo, quo Imperatore abhinc mille sexcentis, & amplius annis, postquam Ecclesia fundata fuit, Christianus populus ad summum hoc Tribunal peruenerit? Quòd si nihil tale vmquam actum fuisse legunt; frustrà sanè ab ijs prætexitur, populare regimen à Christo in vera religione fuisse institutum.

Neque obijcere valent in Concilijs generalibus vniuersam Ecclesiam repræsentari, atque hac ratione plebem Christianam, si non per se, saltem per Episcopis, de Ecclesiasticis rebus iudicare. Nam ad Concilia non populus, sed Episcopi vocantur, vt patet ex Euseb. de vita Constant. lib. 3. cap. 6. & Ruffino lib. 1. cap. 1. vbi de maximo Concilio Nicæno à Constantino conuocato agunt, Episcopus verò non tamquam populi Legatus, sed tamquam Pastor, ac Iudex populi in Concilio sedet: neque suffragia populi, aut plebis nomine fert: verùm proprio iure tamquam Iudex in populum Christianum sententiam profert: quò fit, cùm generale Concilium totam Ecclesiam repræsentare dicitur, non ita intelligendum sit, quasi Episcopi, qui in Concilio sedent, plebis iurisdictionem repræsentent, aut plebis nomine suffragia ferant; cùm neque à plebe ad Concilium missi sint, neque ab ea aliquo modo pendeant, cui

Diui-

Diuino ipso iure præsunt; sed idcircò Ecclesiam repræsentat, quia Episcopos congregatos continet, qui cùm sint Pastores Ecclesiæ, per eosdem Ecclesia subsistit, ac proinde Ecclesiam ipsam repræsentant.

Cùm igitur Christiana plebs nullum olim in Ecclesiæ gubernatione ius consequuta fuerit, constat Dimocratiam nunquam in Ecclesia à Christo fuisse institutam.

Porrò hanc rationem prosequamur. Si penès populum summa Ecclesiasticæ potestatis Diuino iure reposita esset; an non Christus populo, non Petro pascendas oues, ac regendam Ecclesiam commisisset? Quid Ecclesiam (Paulo teste ad Ephes. 4.) Pastores, Prophetas, Euangelistas, Doctores, & Episcopos in consummationem Sanctorum, in opus ministerij dedisset: quid ijs Ecclesiæ curam Deus demandasset? vt idem Apostolus restatur Act. 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.] Nam si Episcoporum munus à Spiritu sancto ad Ecclesiam regendam institutum fuit, qua ratione eam potestatem populo tribuunt?

Dicent fortè, populum, cùm per se nequeat Rectoris officio fungi, eam prouinciam per Episcopos à se electos administrare. At certè falluntur: neque enim probare possunt aduersarij Episcopos, Pauli, ac cæterorum Apostolorum tempestate, à populo vnquam electos, ac consecratos fuisse, aut per Ecclesias ab eo constitutos: cùm passim legant 2. Timoth. 1. ad Tit. 1. Timothrum, ac Titum à Paulo manuum impositione, Episcopos consecratos fuisse, atque in suis Ecclesijs constitutos. Quòd si plebi ea potestas à Christo collata fuerat, cur hi à plebe Episcopatum minimè acceperunt? Cùm verò à plebe nullum vnquam Apostolorum tempore, vel in nouo Testamento Episcopum ordinatum fuisse reperiant: constat sanè id ius penès populum minimè reponendum esse.

Præterea in popolari gubernatione id fieri solet, vt qui Magistratum gerunt, non solùm ex populi consensu constituuntur, verùm etiam pro eiusdem populi arbitratu remoueri possit? At id in Christi Ecclesia nunquam visum, aut auditum fuit, vt populus pro suo arbitratu Pastorem, siue Episcopum à suo officio remouere, aut deturbare potuerit. Quod si id aliquando Regum, vel Imperatorum tyrannide factum fuit: id vis non ius sibi rapuit: quod sanè non leue argumentum est, gubernationem Ecclesiæ ad regimen populare non spectare.

Cæterùm si Ecclesia à Deo super Episcopos, ac Pastores constituta est, ad quos illius munus spectat: vt ex Apostolo docuimos, quomodò hanc potestatem in plebem transferunt: cui magis ex Christi præcepto regi, quàm regere competit? nam si plebs ipsa regit, quos tandem reget? non quidem Pastores suos, quibus Ecclesiæ regendæ cura demandata est à Spiritu sancto: nullum igitur reget, vel certè seipsam reget: atqui seipsam regere non potest, cùm ob id potissimùm Pastores plebi dati sint, vt eam regant, & gubernent.

Præterea si plebs, quæ in gregis ordine seipsam continere debet, ea est, quæ pascit, ac regit, vbinam erit grex, qui pasci debet? quorsum erunt Pastores à Deo instituti, si nullus est grex, qui ab ijs regi possit? Hæc si absurda, atque ab ipsa ratione aliena omninò videntur: restat, vt Ecclesiæ administrationem penès populum residere nullo modo sentiant.

Quod apertè tradit Cyprianus, qui à primis illis Ecclesiæ seculis floruit, libro 5. epistola 6. ad lapsos: [Dominus noster (ait) cuius præcepta metuere, & obseruare debemus: Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Et portæ inferi non vincent eam, Indè per temporum, & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit; vt Ecclesia super Episcopos constituatur: & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.]

Videant ex Cypriano Ecclesiasticæ potestatis ius non in plebem, sed in Episcopos ipso Diuino iure esse collatum.

Idem Ignatius ad Magnesianos epist. 3. ait Episcopum non ab homine, sed à Deo promotionem habere.

Neque repugnat August. cùm in expositione Psalmi 44. dixit, Ecclesiam constituisse Episcopos in sedibus Apostolorum, quod etiam confirmare videtur in libro de doct. Christiana cap. 14. & de agone Christiano. Ex quo elicere possent aduersarij populum Christianum constituendi Episcopos ius saltem ex Ecclesiæ traditione sibi vendicare; ac August. Ecclesiæ omnino non populum, sed Ecclesiæ Prælatos intelligit (vt diximus) qui Ecclesiam repræsentant, ea ratione, quam nuper attigit Cyprianus supra citato testimonio, quòd Ecclesia super Episcopos constituatur.

Præterea cùm in Ecclesia nihil sit maius Episcopo (vt docet Ignatius epist. ad Smirneoses) si penès vniuersitatem esset potestas, sanè ipsa vniuersitas esset maior Episcopo, neque Episcopo obtemperare teneretur; quin potiùs Episcopus vniuersitati subijci deberet, quod apertè refellit Paolus, qui Episcopos Ecclesiæ rectores à Deo constitutos esse declarat.

Postrema ratio constatur ex plurimis vitijs, ac incommodis, quæ sequerentur; si Ecclesiastica potestas penes popularem statum resideret. Nam protestantes dùm omnem Ecclesiæ gubernationem plebi deferunt, maximam tum Christo, tum Apostolis iniuriam inferunt.

Nam si totius Christianæ Religionis regimen ipso Diuino iure ad populum spectat, primùm quidem Christum sua potestate spoliant: nam quo iure Christus sibi Ecclesiæ Principatum arripuit, si is antiquo, ac Diuino iure populo collatus fuit? Qua potestate Apostolos, atque alios Ecclesiæ Ministros, sine populi suffragijs eligere potuit?

Certè cùm Christus Apostolos, & septuaginta duos, & omnes Ecclesiæ Magistratus non explorato populi consensu sua auctoritate instituerit, aut tacitè Christum accusant, quòd toti Ecclesiæ collatum à Deo ius violauerit, ac sibi vsurpauerit; aut aliam illi Ecclesiam affigant, oportet: quam is dum

dum in terris ageret, non instituerit.

Nam quemadmodùm teste Aristot. 3. polit. cap. 2. mutata administrationis forma, non potest eadem Ciuitas, ac Respubl. quæ priùs fuit, manere. Ita cùm vera Religio Christi Ciuitas, & Respublica sit: si institutum à Christo regimen in ea variari contingat, profectò, & ipsam Religionem mutari necesse est, neque eamdem esse, quæ olim ab eo administrata fuit.

Hoc rectè perpendant aduersarij, qui institutam à Christo Ecclesiæ gubernationem impugnant, & velint, nolint, à vera, quę à Christo fundata fuit, religione se decidisse cognoscant.

Dicent fortè Christum Diuina auctoritate præditum fuisse, ac propterea dum viueret, supremum iu Ecclesia ius exercuisse; sed post Christum summam hanc potestatem nulli, præterquàm toti Ecclesiæ fuisse traditam.

At inanis est fuga: nam si Christus adhuc in terris agens, cùm perpetuum, ac futurum Ecclesiæ regimen institueret, solus ipse Ecclesiam administrauit, & quæ necessaria erant, disposuit; atque è viuis excessurus, non populum, sed vnum Petrum vniuersæ Ecclesiæ præfecit: quo pacto postea populus Ecclesiæ gubernationem à nullo sibi delatam vendicare potuit? Quapropter in ea prorsus administrationis forma vera religio permanere debuit, quam à Christo institutore accepit.

At demus illis Christum singulari priuilegio Ecclesiam administrasse, atque Apostolicum Magistratum, dum viueret, instituisse: an non ea regiminis forma sequenda erat, quæ primùm à Christo præscripta fuit? quis aliam regiminis formam in Ecclesiam inducere vmquam præsumere debuit?

Certè si Christus Diuina potestate præditus fuit, ac Diuinum ius condere potuit, quòd nulli dubitare fas est, cùm ipse Ecclesiasticum regimen ita dispofuerit, vt Petrum, non populum sibi successorem elegerit, atque id solum Ecclesiæ regimen summo, ac Diuino iure Orbi sanctum reliquerit. Quo iure post Christum populus Ecclesiæ tribunal sibi vsurpauit?

Denique si Ecclesiæ potestas à Christo in plebem effluxisset, certè apud plebem esset summa rerum cognitio, ac regendi potestas. Plebis ergo primò esset præsidere: ac si præsidet plebs, cuinam præsidebit? non sibi quandoquidem nihil in seipsum agit, cur ad seipsum refertur: Pastoribus igitur præsidebit. At quæ rerum confusio erit, si grex Pastori præsit, Pastores gregi subijciantur: an non omnium rerum ordo inuertetur?

Sed audiant, quid clamet Ezech. *Nonne greges à pastoribus pascuntur?* Cùm igitur Pastorum munus ex Christi instituto sit regere, præesse, & docere; plebis verò, vtiue gregis regi subijci, ac dicere. Agnoscant sectarij Ecclesiasticum regimen nullo modo Dimocraticum esse.

ARTICVLVS III.

Refellitur secundus error asserentium Ecclesiæ gubernationem esse Dimocraticam, Monarchica, ac Aristocratica commixtam.

PRotestantium quidam solius Dimocratiæ naufragium communi totius Orbis voce indictum pertimescentes, in aliam Syrtim incidunt; & Ecclesiæ regimen Dimocraticum quidem esse volunt, non tamen purum, sed mixtum ex omnibus regiminum formis, Monarchia scilicet, & Aristocratia, seu Oligarchia; atque ità ordinatum, vt habeat suum Regem Christum, & suam Aristocratiam Doctorum, ac optimatum. Atque ità mixtum hoc gubernationis genus in sua classes distinguunt, vt primas Dimocratiæ deferant. Quem errorem inter alios defendit Matthias Flaccus Illyricus in lib. de serm. sacrarum literarum fretus illo testimonio Matth. 18. vbi Christus iubet, eum qui neque corrigentem fratrem, neque duos, vel tres testes audierit, Ecclesiæ denunciari.

At Illyrico, ac cæteris Protestantibus illud statutum est, vt mixta hac regiminum confusione, diuinum ius confundant, & institutam à Christo administrationem ab Ecclesia expellant. Vnde enim probare potest Illyricus, ac cæteri protestantes plebem Apostolicum munus ità cum Episcopis Diuino iure commune habuisse, vt cum ijs ad Ecclesiæ administrationem aliquando accersita fuerit. Planè si de Ciuilibus causis agitur, Paulus non plebe, sed certis iudicibus illarum cognitionem committi iubet 1. Corinth. 6. [Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum;] Quod si Paulus à ciuilibus iudicijs, quæ minora sunt, populum arcet, quantò minùs illi spiritualia iudicia, & Ecclesiasticas causas, quæ grauiora sunt, permitteret? cùm enim eorum plebs prorsùs ignara sit, quæ ad legum diuinarum rationem, ac rectam iudicandi formam spectant, sanè ad ea pertractanda nullo modo idonea esse potest.

Dicant num Petrus plebis consensum expectauerit, cùm Ananiam, ac Saphiram violati voti reos morte mulctauit? Quid Paulus, cùm Corinthium illum incestuosum excommunicauit, ac Sathanæ tradidit, num populi consilium adhibuit, aut eam potestatem plebi commissam esse agnouit? Cùm item Timotheo mandat, ne aduersùs Presbyterum accusationem, nisi sub duobus, vel tribus testibus accipiat, quòd nemini manum citò imponat, vt Sacerdotio in Ecclesia fungatur.

Tito verò, vt ea, quæ necessaria erant, in Ecclesia Cretensi disponeret, num illis populum adiunat, quo ad ea peragenda facultatem necessariò obtinerent?

Neque obstat, quòd populum quandoque ad Episcoporum electionem suffragia tulisse dicant; ex quo Ecclesiæ regimen Dimocra-

craticum fuisse colligunt ex Aristocratico mixtum, nam ij primùm examinandi sunt, quid suffragiorum nomine insinuari intelligant? quòdque suffragiorum genus plebs in Episcoporum electione præstiterit?

Primùm, quidem certum est, suffragij nomen ità latè se extendere, vt quodlibet fauoris genus in alium collatum insinuet, siue id voto, vel consensu expromptum fuerit, aut voce, vel rescripto in alterius gratiam à nobis declaratum fuerit, cuius electioni fauemus, & assentimur; quamuis illud electioni necessarium non sit: quale olim in creandis Magistratibus à populo, & iudicibus tabella significabatur.

Porrò haud inficior; plebem olim in Episcoporum electione suffragia tulisse, quòd & nunc obseruari quoque videmus. Neque enim fas est consecrandum Episcopum prærterquàm in conspectu totius populi, ac loco publico, ordinari; vbi populo suus etiam locus conceditur, vel assentiendi ordinationi, si assumendum in Episcopum tali dignitate dignum existimauerit, vel dissentiendi, si crimen aliquod habet, quod in eum objiciat; quo illum Episcopatu indignum sentiat. At verò hoc populi suffragium, & assensus, sicut olim; ità & nunc nullam omninò iuris necessitatem afferre, ità quòd non explorato populi consensu Episcopus nullo modo ordinari queat, aut populus ad Episcoporum electionem Diuino iure vocatus sit, quandoquidem populus hoc suffragiorum genus, non nisi ex decoro, & congruentia quadam accepit, vt eorum vita, ac doctrina, qui ad Episcopatum promouendi essent, publicè examinaretur; & plebs eos studiosiùs amaret, ac suspiceret, quos omnium calculis ea dignitate dignissimos inuenitet; numquam enim plebs cùm in Episcoporum, aut Presbyterorum ordinatione suffragia tulit, vnquam aut consilium dedit, aut quicquam, quod ad electionis ius pertineret, sibi arrogare ausa fuit. Sed annuentibus sibi Ecclesiæ Præsulibus eo contenta fuit, vt testimonium de eligendorum probitate publicè ferret.

Id apertè manifestum est ex Clemente lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 2. vbi ex Apostolorum institutione manasse declarat, vt plebs de Episcoporum probitate, vel improbitate testimonium ferret. [Primus igitur, ait, ego Petrus dico, Episcopum ordinari debere (vt suprà simul omnes constituimus) ex omni parte reprehensione carentem, ab omni populo dilectum, quo nominato, & approbato conueniens populus cum collegio Presbyterorum, & Episcopis, qui adsunt in die Dominico, præcipuus ex omnibus interroget Presbyteros, & plebem, an is sit quem petunt in Rectorem; quibus annuentibus iterum interroget, num omnes testificentur eum dignum esse hac magna, & illustri gubernatione. Deindè an pietatem erga Deum coluerit; erga homines iusta seruauerit, domum suam rectè administrauerit; sine reprehensione vitam instituerit, atque omnibus simul ex veritate, non ex coniectura testificantibus, talem eum esse veluti coram iudice Deo, & Christo præsente, nimirùm etiam Spiritu sancto, atque omnibus sanctis, & administratorijs spiritibus.

Tertiò, iterùm interrogentur, an verè dignus sit Sacerdotio, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, hisque tertiò assentientibus illum dignum esse, ab omnibus assensus petatur, quem prompto animo præstantes audiantur, silentioque imperato vnus ex primis Episcopis, &c.] Vides ea ratione tantùm consensum à populo exquiri, vt probata eligendi vita omnibus perspecta sit, ne ad tantam dignitatem indignus eligatur. Plebis igitur suffragium in electione Episcoporum est eorundem commendatio vt tradit idem Clemens lib. 2. Apostolic. Constit. cap. 1. his verbis. [Quòd si in parua paręcia grandior natu aliquis non reperitur, qui testimonio probatus, & sapiens in Episcopum constitui possit. Iuuenis verò ibi est, testimonium habens eorum, qui cum eo vixerunt, Episcopatus munere dignum illum esse, In mansuetudine, & modestia senectutem præ se ferens, & probatus talium testimonio commendetur, is constituatur in pace.]

Atque huc spectat, quod ait Cyprianus lib. 1. epist. 4. [Plebs, inquit, obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, cum ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.] At cuiusmodi sit hæc populi potestas, statim declarat. [Quod, & ipsum videmus de diuina auctoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub oculis omnium deligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur:] Quo sanè declarare voluit Cyprianus, iudicium quidem, ac ius electionis ad Ecclesiæ Præsules spectasse, populo verò tantùm de eligendorum vita testimonium ferre licuisse, quod paulò infrà apertissimè docet. [Propter quod, ait, diligenter de traditione diuina, & Apostolica obseruatione tenendum est, & seruandum, quod apud nos quoque, & ferè per Prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit, quod & apud nos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, quique de eo, ad vos literas fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.] Vides suffragia clero, ac populo; iudicia verò Episcopis tantummodò tribui.

Quod nunc quoque in Ecclesia fieri solitum conspicimus, vt qui solemni vita, vel Presbyteri, vel Episcopi consecrandi sunt, non nisi in publica populi frequentia consecrentur, vt cuique liberum sit de illorum vita testimonium proferre.

Sed quid Patrum testimonio opus est, cùm ad ipsum diuina historia apertè doceat Actor. 6. vbi cùm Apostoli septem Diaconos ad ministerij opus destinare vellent; eam considerationem multitudini permiserunt. [Considerate, inquiunt Apostoli, fratres, vi-

ros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.]

At qua ratione considerationem multitudini permiserint, ea est, vt testimonium de illorum probitate ferrent. *Boni*, inquiunt, *testimonij septem*, eò vsque populus ex Apostolorum indulgentia peruenit, neque tamen Apostoli ad id ità lege aliqua cogebantur. vt ab eo abstinere nequaquam possent, sed Apostolicæ benignitatis illud exemplum fuit, quod tota deinde Ecclesia Apostolicæ perfectionis hæres haud segniter fuit imitata.

At vlteriùs progredi populo non est datum. Constitutio solis Apostolis reseruata fuit. Plebi quidem permissum est eligendorum dignitatem, vel indignitatem considerationem prosequi, & si quæ fuerint in eligendis crimina detegere, vel merita extollere, nec non illi permissum est, eos quos dignos iudicat, proponere.

At propositos eligere, constituere, consecrare; non populi, sed Apostolicorum virorum ius est, penès quos manet Ecclesiastica potestas, vt constat ex Concilio Laodiceno Can. 13. & allegat Gratianus dist. 63. c. non est. [Non est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium prouehendi.]

Quapropter perperam Protestantes locum illum Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*; ad populare iudicium detorquent, cùm teste diuo Ioanne Chrysostomo homil. 61. in Matth. id de foro, ac Magistratu Ecclesiastico dictum sit, qui apud Ecclesiæ Præsules residet.

Ità enim explicat locum hunc *Dic Ecclesiæ*. *Dic*, ait, *Ecclesiæ Præsulibus, & præsidentibus, hi enim Ecclesiam repræsentant*.

Immò, & ipse locus seipsum declarat, nam statim Christus ad Apostolos, quos Ecclesiæ præsules constituerat, sermonem conuertens ait. *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcunque*, &c. Eo perspicuè declarans nomen Ecclesiæ ad Apostolos, atque eorum successores, qui Ecclesiæ præsunt, non ad plebem referendum esse.

Cæterum maxima absurda hunc Protestantium errorem sequuntur. Nam si Ecclesiæ regimen ità Dimocraticum est, vt habeat suum Regem Christum, & suam Aristocratiam Doctorum, & præcipuorum membrorum Ecclesiæ, certè illud maximum absurdum sequi necesse est; vt tantùm plebs, quàm Christus, nam cùm dominium à potiori denominandum sit: si dominium est Dimocraticum, ergo totius regiminis forma præcipuè penès populum est, & non penès Christum; tametsi aliquid in eo possit Christus.

Nam quemadmodum regimen Monarchicum non illud tantummodò est, vbi Optimates, vel plebs nihil omninò possunt: verùm vbi aliquid possunt, sed plus illis Rex.

Et sicut Aristocraticum illud non solummodò est, in quo soli Optimates possunt, & nihil plebs, sed etiam in quo Optimates, & plebs possunt: sed magis Optimates.

Ità si regimen sit Dimocraticum, licèt ex Monarchico, & Aristocratico mixta sit; necesse est, altero duorum modorum esse: nempè, aut quia solus populus potest, & nullo modo Optimates, & Rex, aut certè quia vnà cum populo possunt Optimates, & Rex, sed populus magis.

Cùm ergo Protestantes affirment Ecclesiasticum regimen esse Dimocraticum Monarchia, ac Aristocratia permixtum, necesse est eos fateri, aut Christum cum pastoribus nihil in Ecclesia posse, sed solum populum, aut posse quidem, sed non ità, sicut populus. Quid in Christum hoc contumeliosiùs proferri potest?

Denique si Illyrici, ac Protestantium sententia rectè perpendatur, non mixtum, aut ordinatum, sed confusum prorsùs administrationis genus ab ijs constitutum cernimus.

Quid enim inuisibili administrationi cum visibili, quæ prorsùs dissimiles sunt, ac diuersi generis commune esse potest, vt simul in vnam administrationem coeant? Nam Christum quidem inuisibili; populum verò, ac Optimates visibili gubernatione præesse volunt; ac cùm hæ diuersa propemodum gubernationum genera sibi vendicent; certè nihil inter se commune habere possunt, quoad specificam vnitatem pertrahantur, quapropter alterum accidere necesse est, vel vt duplicem in Ecclesia administrationem constituant vnam inuisibilem, quæ à Christo inuisibili fluat: alteram visibilem, quæ ad populum, ac Optimates pertineat, atque hæc partim Aristocratica, partim Dimocratica sit: sicque Ecclesiæ regimen dispertiantur, vt partim visibilem, partim inuisibilem confingant.

Vel si simul vtramque administrationem visibilem, & inuisibilem commisceri volunt, vtramque etiam confundant.

Quod si objiciant, eandem à nobis geminam in Ecclesia administrationem constitui; cùm primùm inuisibilem in ea Christi tanquam primarij capitis: visibilem quoque pastorum, ac optimatum gubernationem ponimus.

Fatemur quidem lubentissimè Christum inuisibiliter Ecclesiam suam regere: at longè ab eorum sententia distamus.

Primùm, quòd illi Christi Monarchiam inuisibilem tanquam quoddam administrationis genus ab Aristocratia, & Dimocratia separatum in Ecclesia statuunt.

Nos verò inuisibilem Christi Monarchiam haud ità in Ecclesia statuimus; quasi à visibili Vicarij capitis Monarchia distincta sit: sed in ea ità effulgentem agnoscimus, vt vna sit inuisibilis Christi, & visibilis Pontificis Monarchia.

Deindè illi Christi Monarchiam inuisibilem velut Ecclesiastici regiminis membrum per se consistens, cum visibili Aristocratiæ, & Dimocratiæ regimine coniungunt; quo fit, vt ex inuisibili, & visibili gubernatione tanquam distinctis membris, ac per se subsistentibus, vnam visibilem gubernationem construant.

Nos verò id fieri posse negamus.

Primò, quia Christi Monarchia inuisibilis, ex illorum sententia non potest esse membrum per se subsistens gubernationis, cùm nullum habeat instrumentum, per quod

ope-

operetur; ac proinde, nec opus visibile, per quod Ecclesiam, quæ visibilis est, administrare queat.

Neque sibi effingere possunt inuisibilem Christi Monarchiam per Aristocratiam, ac Dimocratiam velut per instrumentum agere, nam tunc non esset membrum gubernationis per se subsistens, sed in alio, nempè in Aristocratia, & Dimocratia.

Secundò, quia ex inuisibili, & visibili si nulla fit actuum subordinatio, non potest fieri aliquid visibile, quod tamen obtendunt aduersarij; subordinatio verò nulla esse potest vbi distincta membra per se subsistentia proprium requirunt.

Quapropter nos inuisibilem Christi Monarchiam haud per se seorsum subsistentem statuimus, tanquam distinctum Ecclesiasticæ gubernationis membrum; sed ità cum Pontificis Monarchia coniungimus, vt vna sit vtriusque gubernatio sibi inuicem subordinata, & Monarchia Pontificis sit eadem Monarchia Christi, quò fit, vt nullo modo ex inuisibili, & visibili tanquam distinctis membris visibilem aliquam gubernationem effingamus.

Postremò illi inuisibilem Christi Monarchiam non solùm visibili populi Dimocratiæ subijciunt, in quo rectus ordo inuersus conspicitur; sed etiam omnis potestatis illam expertem efficiunt, cùm nihil illi tribuunt, quo potestatem suam in Ecclesiæ administratione declarare valeat.

Constat autem omne gubernationis genus, cùm annexam sibi potestatem gerat, per eam gubernandi ius sibi proprium exarare debere.

Dimocratia enim ius suum in populi suffragijs exerit.

Aristocratia in Magistratus rescriptis.

At Christi Monarchia cùm inuisibilis sit certè vnde in quotidiana Ecclesiæ administratione potestatem suam exerat, non habet, cùm subiectum nullum sibi vendicet, in quo potestatem suam exerceat, quò fit, vt ea proprium, ac distinctum Ecclesiasticæ administrationis genus constituere nequeat.

Nos verò, qui Christi Monarchiam à visibilis capitis Monarchia non distinguimus, Monarchicam Christi potestatem in visibili Pontificis potestate exaratam agnoscimus, & inuisibilem Christum in visibili capite quodammodo visibilem cernimus, quò fit, vt quoties Pontificis potestatem in administranda Ecclesia oculis ipsis intuemur, aut animo reuoluimus, toties inuisibilem Christi potestatem in visibili Vicario tanquam visibiliter apparentem admiremur.

Ex his patet confusum hoc gubernationis genus malè à Protestantibus in Ecclesia poni.

ARTICVLVS IV.

Refellitur tertius error asserentium Ecclesiæ gubernationem esse Aristocraticam, Dimocratia mixtam.

IOannes Caluinus infensissimus Ecclesiasticæ Monarchiæ hostis, cùm populare regimen facillimè ad seditionem vergere animaduerteret; neque fieri posse, vt nihil per leuitatem, ac malastudia, vel per tumultum in multitudine peccetur, Ecclesiam Dimocratiæ, ac populari gubernationi quidem committere non est ausus, sed tertium sibi, ac suis effinxit administrationis modum, mixtum scilicet ex Aristocratico, & Dimocratico.

In hoc verò à priori Protestantium errore dissentit, primùm quòd Caluinus omnem Monarchiam excludit; quam illi cum cæteris regiminum formis miscent, deindè quòd Protestantes Ecclesiæ gubernationem Dimocraticam magis, quàm Aristocraticam esse volunt, licèt optimatum etiam Aristocratiam non excludant: Caluinus verò, & illius asseclæ, ità ex Aristocratico, & Dimocratico mixtum Ecclesiæ regimen esse docent, vt primas partes Aristocratiæ deferant, secundas Dimocratiæ.

Id tradit expressè Caluinus lib. 4. instir. capite 20. §. 8. his verbis. [Equidem si in se considerentur tres illæ, quas ponunt Philosophi, regiminis formæ; minimè negauerim, vel Aristocraticum, vel temperatum ex ipsa, & politia statum alijs omnibus longè antecellere:] Cùm paulò antè cap. 6. §. 9. Monarchiam omninò ab Ecclesiæ gubernatione expulisset.

At Caluinus si sibi soli sapere non decreuisset, didicisset profectò mixtionem non ex peioribus, sed ex melioribus faciendam esse; & cùm mixtam vellet ex pluribus formis gubernationem, æquum profectò erat, vt eas simul miscendas eligeret, quæ non tam communi aliorum sententia, quàm sua, meliores, ac minùs vitio obnoxiæ haberentur.

Is enim tametsi regnum ad tyrannidem procliue esse affirmet, faciliùs quoque optimatum potestatem in paucorum factionem degenerare; facillimum tamen esse ait, popularem gubernationem in seditionem mutari, quò fit, vt minus præclaram, ac magis vitio obnoxiam popularem gubernationem cæteris omnibus esse apertè sentiat.

Debuit igitur Aristocratiam cum Monarchia potiùs, quàm cum Dimocratia componere, & mixtam ex regia, & Optimatum potestate potiùs, quàm ex populi, & optimatum deteriorem gubernationem in Ecclesia collocare.

Atqui ità sentiat Caluinus: sanè tota via aberrat, dum Ecclesiasticum regimen optimatibus, ac populo nullo capitis vinculo colligatis committit.

Atque ea prima ratio sit, quam nuper atti-

tigimus, quòd sicut popularis status facilè ad tumultum declinat; ità facillimè optimatum regimen in factiones dilabitur, nisi ab aliquo capite prohibeatur.

Neque enim vlla certa pacis, ac tranquillitatis, vel in Republica, vel in Ecclesia spes haberi potest; vbi absoluta multorum administratio viget, qui eò difficiliùs in publicam vtilitatem conspirant, quò faciliùs, ac frequentiùs ad propria quisque commoda, atque excellentiam inhiat.

Cùm igitur ea sit multitudinis natura, vt semper ad multiplicitatem tendat, ac in plura dispertiatur, ea maximè optimatum esse agnoscitur, vt factiones generet, quapropter vbi rerum summa penès optimates reposita est, ibi frequenter schismata oriri, odia, conspirationes, dissidia, atqne inde factiones erumpere conspiciuntur, dum quisque alteri præstare studet, quisque ad rerum summam adspirat, atque vt principatum tandem inuadat, maiorem sibi turbam conciliat, quæ suis conspirationibua faueat; Denique nihil diuturnum esse potest, vbi capitum multitudo ex æquo dominatur. Atque huc spectat illud Homericum. *Multos imperitare malum est*: ac illa omnia priscorum testimonia, qua superiùs attulimus, cùm de Dimocratia ageremus, non magis Dimocratiam, quàm Aristocratiam damnant.

Quòd si à profana Republica ea gubernationis forma arceri maximè debet, quæ frequentiores dissensiones, ac dissidia parit, ne dissoluta tandem dilabatur: profectò multò magis cauendum est, ne in Christianam Religionem, quæ spirituale est Christi Regnum, in quo pax summa esse debet, illud administrationis genus inuehatur, quod suaptè natura schismata, ac dissensiones generat, quibus tandem Ecclesiæ vnitas discindi possit.

Neque ab hoc dissentit D. Paul. 1. Corinth. 1. cùm Corinthios admonet, vt idipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata.

Certè cùm Paulus sollicitè prouideri admonet, ne schismata in Ecclesiam irrumpant, maximè regimen illud ab Ecclesia expellendum docet, quod factiosum, & dissensionibus grauidum in schismata desinit.

Nam cùm Ecclesia perpetuò stabilis, ac firma esse debeat, ea proculdubio administratione eget, quæ illam perpetuò incolumem tueatur.

At constat multorum regimen per se ad factiones, ac scissuras tendere, neque diuturnum esse posse, quòd in multos dispertitum nullo vnitatis vinculo colligatur.

Absolutum igitur multorum regimen, velut Ecclesiæ perniciosum necesse est ab ea remoueri.

Secunda ratio est. Quòd si Ecclesia à solis Episcopis regeretur, maximè hæreses vigerent, quæ cùm partes quædam, ac factiones Ecclesiæ sint, ad quas optimates suoptè vitio feruntur; nihil magis pertimescendum esset, quàm Ecclesiam tandem hæresibus dissolui. Id constat apertissima ratione: nam hæreses vt plurimùm non à plebeis, ac rudioribus vulgi hominibus, qui nulla, vel exigua scientia præditi sunt; sed ex ijs potissimùm emanant, qui doctrina, ac scientia præclariores habentur: nam vt Plato ait: *Magna vitia non nisi à magnis ingenijs erumpunt*, atque hi sæpissimè Episcopi esse solent: immò vix vllas vnquam hæreses in Ecclesia ortas agnoscimus, præterquàm vel ab Episcopis, vel ab his, qui Ecclesiastica aliqua dignitate suffulti cæteris doctrina præcelluerunt: quod experientia teste didicimus. Nestorius enim, Paulus Samosatenus, Dioscorus, Macedonius, Lucifer, Episcopi fuerunt, Arrius, Nouatus, Presbyteri, Nicolaus Diaconus, Eutyches, Abbas.

Porrò si ab Episcopis totius Ecclesiasticæ rei summa penderet: quid si ab vno, vel pluribus hæresis erumperet: num sat esset (quod Centuriatores aiunt) à cæteris Episcopis admoneri? An tam facilè ob aliorum admonitionem hos à sententia recessuros esse credendum est, qui se cæteris (quod Hæreticorum proprium est) doctrina, ac iudicio præstare existimant? Quis erit contentionum finis; si res ad commune cæterorum Episcoporum iudicium decidenda referatur; cùm plures ex Episcopis sint hæresis fautores, qui ex æquo in Ecclesia dominantur? an non opus erit Ecclesiam in factiones dissolui, atque interea hæresim nullo prohibente in Ecclesia grassari?

At quid si hæresis aperta non sit; neque facilè Episcoporum sententia condemnari possit, quis Episcopos hæresis condemnabit? Conciliumne? at quis Episcopos ad Concilium coget, qui cùm pari omnes potestate præditi sint, eorum nemo inuitus ad Concilium cogi: nemo Concilij decretis subijci ipso potestatis iure tenetur? Quis Concilio præsidebit? quis res in Concilio pertractandas suo ordine disponet? Quis Episcopis ab errore recedere præcipiet? Quis pœnas statuet ijs, qui supremum ius ex æquo in Ecclesiam habent? Sanè id eos fateri necessè est, nullum omninò Concilio ius in Episcopos relictum esse, cùm omnes pari potestate polleant, ac proinde exortas aliquando ab Episcopis hæreses nullo modo trucidari posse.

At esto: ius aliquod Concilium habeat, quis conuocandi Concilij modus erit? quis Concilium indicet? cùm nemo sit, qui iurisdictionem in cæteros Episcopos exerceat? an ex omnibus Orbis terræ partibus Episcopi, ac Presbyteri (quos Episcopis pares aduersarij esse volunt) tot locorum interuallis dissiti ad Concilium confluent? Ciuitatis quidem, ac Regni optimates, cùm certò numero contineantur, ad Ciuitates, ac Regni factiones reprimendas facilè conuolare possunt. At cùm innumeri ferè sint Episcopi, Doctores, Pastores, Presbyteri, neque certo numero comprehendantur, quomodo ad hæresim cohibendam conuocari possunt, cùm interea grassante hæresi recta Ecclesiæ fides intereat? Planè aduersarij negare non possunt hunc Ecclesiæ statum maximè idoneum esse ad hæreses fouendas.

Adde, quòd si Patres, qui Concilio intersunt, in fidei dogmate definiendo aliquando inter se dissentiant; qua tandem ratione conuenient, cùm nullus inter eos maior sit, cuius iudicio omnes proprias sententias subijciant? Certè sicut in qualibet particulari

Ecclesia si omnes æqualis potestatis essent Religionis pax, ac vnitas discinderetur: ita multo magis; si in Catholica Ecclesia omnes Episcopi ex æquo potestatem obtinerent, illius pax, ac vnitas euanesceret. Hæc vitia, quæ multorum administrationem comitantur, à vera Religione resecari opus est: quò fit, vt ab ea multorum administratio, quæ huiusmodi vitia parit, arceri debeat.

Tertia ratio. Quæri posset ab aduersarijs, quosnam in optimatum numero in Ecclesia collocent, quibus potissimùm supremam potestatem deferant? Fatetur Caluinus, inter Ecclesiæ optimates olim apud antiquam Ecclesiam Diaconos, Presbyteros, Episcopos, Metropolitas, Patriarchas connumeratos fuisse. In priuata verò sua Ecclesia hos tantùm enumerat vigiles, scilicet Diaconos, Seniores, Doctores, verbi Ministros, Moderatores. Iis enim peculiarem quamdam in Ecclesiæ administratione curam, ac munus assignat.

At quis in his ordinem quemdam, ac distinctos superioritatis, ac inferioritatis gradus esse non percipiat, quos ab Aristocratia expelli necessè est? Nam olim in antiqua illa Ecclesiæ facie (quod nunc quoque in Catholica Ecclesia obseruari conspicimus) ita ordinata erat Ecclesiastica Hierarchia, vt minor Diaconus, maior esset Presbyter: Presbytero superior esset Episcopus. Pluribus Episcopis Metropolita præesset; ac tandem multis Metropolitis Patriarcha præcelleret, quod ipse quoque Caluinus, vel saltem inuitus fatetur, licèt ordinem alio detorqueat.

At nisi Catholicæ Ecclesiæ odio Caluinus omnino prohibitus fuisset, quominus vlteriùs progredi posset; agnouisset profectò ex eiusdem veteris Ecclesiæ testimonio his omnibus vnum summum Pontificem præfuisse, in quo tandem Ecclesiæ Hierarchia metam suam attingeret.

At si in priuatam illius Ecclesiam oculos defigimus, ordinem quidem (licèt, peruersum) animaduertimus: nam in suarum Synodorum consessu Vigiles, Seniores, Diaconi infimum consessus gradum tenent: medium Ministri, ac Doctores: supremum vnus occupat Moderator, qui vniuersæ Synodo præest: at vbinam hîc Aristocratia viget, quæ æquales consessus, ac parem omnino potestatem postulat? Aristocratiam velut præstantius gubernationis genus Ecclesiastico regimini aptum verbis vrgent, cùm tamen Monarchiam in ipsis Synodis, vbi de Ecclesiæ administratione agitur, reipsa colant, & amplectantur; non alia (vt arbitror) de causa, quàm quòd impellente ipsa veritatis vi, Monarchiam velut præstantiorem, ac salubriorem gubernationem Ecclesiastico regimini idoneam, Aristocratiæ præferunt.

Nec satisfit si dicant, id politiæ duntaxat causa fieri; nullum tamen dominium inter eos exerceri; nam si nullum inter eos dominium agnoscitur, qua ratione dispar inter eos consessus cernitur? quo iure Moderator toti Synodo præest, ac illam moderatur? Cur eidem Moderatoris nomen tribuitur, quod præcellentiam solo nomine præfert? quid omnes illius dicto parent? Quare is primum consessum, ac honoris gradum in Synodo sibi vendicat? Quid est, quòd illius potissimùm in controuersijs dirimendis iudicium expectatur? Demum quid ab illo tota Synodi conclusio pendet? An non hæc Monarchiam, ac vnius dominium potiùs, quàm Aristocratiam præseferunt?

At in sola Synodo, dicent, non alibi præest: quid interest an alibi dominium exerceat? iam satis est, quòd in Synodo, vbi Ecclesiæ negotium geritur, ac potissimùm illius administratio eniret, Monarchiam exerceat; vt nullam apud illos Aristocratiæ gubernationem esse euincamus. Huc verò hæc ratio spectat, vt palàm fit aduersarios, vel oretenus Ecclesiæ Monarchiam impugnare, vel non satis inter eos constare, qua regiminis forma in Ecclesiæ administratione illis vtendum sit.

Verum demus, nonnullam apud illos Aristocratiæ speciem saltem extra Synodum versari: iam in eam Syrtim incidunt, vt fateri cogantur, vel nullam apud se esse vniuersalem Ecclesiæ administrationem; quod illos exaduerso oppugnat, qui illam in Aristocratia constituunt, vel nullos esse particularium Ecclesiarum Episcopos, ac Pastores; quod non tam ab Apostolica fide alienum, quæ singulos Episcopos singulis Ecclesijs præficit, vt manifestum est de Tito, ac Timotheo, quorum alterum Cretæ, Ephesi alterum Paulus Episcopum constituit: quàm à communi ipsorum vsu dissentaneum esse conspicimus.

Id verò ita euincimus. Episcopi, ac Pastores, quibus singularis alicuius Ecclesiæ cura demandata est, hi vel ius in cæteras Ecclesias exercere possunt, vel si non possunt, id ius sibi negatur: si eo iure potiuntur, vt in cæteris Ecclesijs æquè, ac in suis Episcopalia, ac Pastoralia iura exercere valeant; cùm vniuersis Ecclesijs vniuersi Episcopi præsint, & quilibet pastor in quamlibet Ecclesiam, haud secus quàm si propria esset, pastorale ius exerceat: iam nulla est propria alicuius Episcopi, aut Pastoris Ecclesia, nec vllus propriæ Ecclesiæ Episcopus, aut Pastor appellari potest: quælibet enim Ecclesia cuilibet Episcoporum iuri subiacet; & quilibet pastor iure proprio quamlibet Episcopi Ecclesiam regere potest: ita fit, vt nullus omnino sit propriæ Ecclesiæ Pastor, aut Episcopus.

Si verò id iuris in cæteras Ecclesias Episcopis, ac Pastoribus negatur: sed quisque propria tantùm Ecclesia contentus esse debet; id planè eueniet, vt nullum omnino sit vniuersale Ecclesiæ regimen. Nam cùm nemini ius in alterius Ecclesiam permittatur, fieri opus est; vt quisque propriæ dumtaxat Ecclesiæ administrationi incumbat, neque ad vniuersale totius Ecclesiæ regimen seipsum possit extendere: quò fit, vt singulari dumtaxat singularum Ecclesiarum regimine constructo, vniuersale Ecclesiæ regimen, quod totius Ecclesiæ statum respicit, funditus euertatur.

Falluntur autem, dum arbitrantur vniuersali Ecclesiæ regimini Episcoporum Concilijs prouisum iri; cùm plurima ad vniuersale Ecclesiæ regimen pertineant, quæ Episcoporum Concilia, quæ raro, ac difficilè cogi possunt; præsertim vbi nullius auctoritas vrget, expectare nequeunt; qualia sunt Presbyterorum, ac Episcoporum quotidiana iudi-

iudicia, emergentes in doctrina fidei controuersiæ, & alia quamplurima, quæ quotidiano iudice indigent.

Præterea cùm ficut Ecclesiarum, ita Episcoporum distincta sint iura, ac par omnium potestas: quis toti concilio eam potestatem tribuit, vt de Pastorum differentijs iudicare valeat? quis Pastorum, aut Episcoporum iuri suo, præsertim in propriæ causæ iactura, cedere velit? Quapropter nullus publicæ administrationi locus esse potest, vbi nulla est publica, ac vniuersalis in omnes Ecclesias, ac Episcopos ordinaria alicuius auctoritas, quæ vni tantùm totius Ecclesię Præsidi potest competere.

Quarta ratio est; quòd adeò infirma, ac vitiosa est Aristocratica gubernatio, quòd eam etsi ea potissimùm tamquam præstantior à Caluino asseratur, eadem tamen ab eodem non obscurè negetur.

Asserit namque Caluinus Institut. lib. 4. cap. 20. §. 8. Aristocratiam Democratia admixtam in Ecclesia cæteris omnibus gubernationibus præcellere. Tum eodem libro capit. 69 §. 13. hanc communem Ecclesiæ potestatem Concilijs, seu prouincialibus, seu generalibus defert: [Nos, inquit, libenter concedimus, si quo de dogmate incidat disceptatio; nullum esse, nec melius, nec certius remedium, quàm si verorum Episcoporum Synodus conueniat: vbi controuersum dogma excutiatur.]

Mox tamquam illum dicti pœniteat, à sententia recedit, negatque certum, ac verum esse, quod Synodus de controuersio dogmate decreuerit: [Hoc perpetuum, ait, esse ergo, quòd certa sit, ac vera Scripturæ interpretatio, quæ Concilij suffragijs recepta fuerit,] atque eam rationem reddit; [nam dum considerantur, ac perpendantur sententiæ, meliorem partem à maiori vinci sæpius necesse est, atque inde multas impias sententias proferri.] En quam sincerè Caluinus fatetur in sua ecclesiastica Aristocratia factiones vigere.

Sed cùm iuxta aduersariorum sententiam in Concilijs dumtaxat, in quibus fidei dogmata discutiuntur, difficilia Scripturarum loca explicantur; exortæ de fide quęstiones resecantur: & quicquid vel in fide controuersum, vel in moribus corrigendum; vel etiam in Ecclesia reformandum obuium fit, communi totius Ecclesiæ sensu iudicandum est; vniuersalis Ecclesiæ administratio vigrat: nam extra Concilium priuatum tantummodò, ac particulare propriæ Ecclesiæ cuique apud illos regimen incumbit (vt dictum est) si ea Concilijs potestas adimitur: vt nihil verum, ac certum, tam in fidei dogmatibus definiendis, quàm in controuersijs iudicandis necessariò statuere possint: neque si quando hæresis vrgeat de exorta in fide controuersia, quis legitimus sit Scripturæ sensus indicare valent: iam certè nullam in Ecclesia certam, ac communem administrationem esse apertum erit: quæ lites dirimat, quæ controuersias conciliet, quæ hæresibus sese opponat: quamobrem reliquum erit, vt Ecclesia mutuis dissensionibus concisa, ac nullo prohibente hæresibus dilaniata citò intereat: nam vbi nihil certum, ac verum est; sed omnia incerta, ac suspecta: ea sanè administratio vera, ac legitima esse non potest: quæ autem vera, ac legitima non est, neque administratio appellari debet: quapropter neque Aristocraticum, neque ex Aristocratico, & Democratico mixtum Ecclesiæ regimen esse necesse est; cùm nullum prorsùs verum esse euincatur.

Quinta ratio. Cùm aduersarij, tam pertinaciter Aristocratiam in Ecclesia vrgeant, miror cur Christum supremum Ecclesiæ caput esse doceant, quod ad Monarchiam pertinet: nam perspicuum est, quòd si Christus summus sit Ecclesiæ rector, ac gubernator: Ecclesiæ regimen non Aristocraticum, sed Monarchicum esse oporteat: ac proindè suâ Aristocratiam perire necesse est. Quòd si eam omninò vrgere volunt: certè opus est, vt Christum ab Ecclesiæ gubernatione expellant, & Ecclesiam suo capite Christo orbatam solis Episcopis cum populo relinquant: quod non tam à veritate, quàm à fide dissentaneum esse nemo ignorat, cùm Paulus ad Ephes. 1. dicat Christum constitutum esse caput super omnem Ecclesiam. Si id de visibili Ecclesiæ gubernatione dictum velint, cur igitur veram Ecclesiam inuisibilem constituunt? Constat autem nos de veræ Ecclesiæ administratione agere, quam si inuisibilem statuunt: frustrà illi visibilem Aristocratiam decernunt, cùm inuisibilis Ecclesia, non nisi inuisibiliter regi possit.

Postrema tandem ratio sit, quòd nullibi in Euangelio legitur, aut ex Scripturis, vel à maioribus traditum habetur, Ecclesiæ regimen esse Aristocraticum Democratico admixtum; quale sibi fingunt Aduersarij: nam quod ad Scripturarum testimonia attinet, nusquam legitur, tam in veteri Scriptura, quàm in nouo Testamento in Ecclesia à Deo institutam esse, vel solam Aristocratiam, vel Democratiæ adiunctam. Nam neque synagoga vnquam hoc regimine vsa fuit: neque Christus solis Episcopis vniuersalem Ecclesiæ gubernationem commisit; sed priuatas, ac singulares Ecclesias dumtaxat cuique tribuit. Ità testatur D. Paulus Actorum 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Iubentur Episcopi præesse gregi, non omni; sed ei dumtaxat, ad quem regendum à Spiritu sancto sunt positi: illum autem vniuersum curare tenentur; ne quippiam in aliqua parte negligentiùs agatur. Hac ratione Paulus Titum Cretæ, non Ephesi, Timotheum Ephesi, non Cretæ Episcopos reliquit, vt quisque suo, non alterius gregi præesset: cùm autem de toto, ac vniuersali regimine Ecclesiæ in nouo Testamento agitur: id Petro committitur, cùm illi à Christo dicitur. *Pasce agnos meos, &c. Pasce oues meas.* Is enim vniuersæ Ecclesiasticæ administrationis vnus in se suscipit, qui à Christo audit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Prius igitur Caluinus cum aduersarijs perspicua Scripturæ verba præferre debuerunt, quæ rem apertè declararent, quàm ipsi propriam sententiam de Aristocratico Ecclesiæ regimine proprio cerebro confictam, nulla Scripturarum, aut Patrum auctoritate roboratam contra ius Diuinum nobis propinarent.

Nam

Nam quòd illa Saluatoris verba apud Matth. 18. pro se citat, cùm præcipitur incorrigibilem Ecclesiæ denunciari, *Dic Ecclesiæ.* Quem locum de Ecclesiæ Præsulibus iuxtà Chrysostomum explicauimus, nihil prorsùs illis fauent, quin potiùs illos oppugnant: nam neque ea verba de vniuersis Præsulibus Ecclesiæ intelligenda sunt: secùs in cuiuslibet hominis incorrigibilis delicto Concilium ex omnibus Ecclesiæ Episcopis conuocandum esset: quapropter constat ea de qualibet tantùm priuata Ecclesia intelligenda esse, in qua statuti iudices sedent ad causas fidelium iudicandas: cùm priuata quæque Episcopi Ecclesia, cui non plures, sed vnus tantùm præest Episcopus, vel Pastor; non Aristocratico, sed Monarchico potiùs regimine gubernetur: inde fit, vt non tam eo Christi testimonio suam Aristocratiam construant: sed potiùs si rectè argumentari velint, eam in communi Ecclesiæ administratione tenendam esse regiminis formam concludere debeant, quæ in qualibet priuata Ecclesiæ gubernatione seruatur, quam Monarchicam esse nemo ignorat.

ARTICVLVS V.

Reijcitur quartus error Anglocaluinistarum asserentium Ecclesiæ gubernationem esse penes sæcularem Principem.

Anglocaluinistæ, qui id nomen idcircò sortiti sunt, quòd veterem, & antiquam Angliæ Religionem cum Caluiniana secta miscuerunt, nouum, ac seculis inauditum gubernationis genus in Ecclesia nuper excogitarunt; nam cùm superiores Regiminum formas ab omnibus fermè damnatas viderent; nec posse Ecclesiam subsistere, quæ nulla Monarchica gubernatione in vnitate contineretur; Monarchiam Ecclesiæ in secularem Principem transtulerunt: & sacram, ac diuinam administrationem, quæ olim à Christo in Petro instituta, nullo nunquam tempore apud sacros homines versata fuit, ità cum profano, ac humano Principatu miscuerunt, vt nihil iam sacro Ecclesiæ regimini præter quàm profanum, ac humanum reliquerint.

Hic error passim, ac veluti quibusdam gradibus in Christianum Orbem ascendit, donec tamdem in Anglia sub Henrico VIII. Angliæ Rege ad perfectum impietatis excreuit. Primùm enim nonnulli, qui politicum potiùs, quàm Christianum statum profitebantur, eam terreno Principi dignitatem detulerunt; vt eum in suo Regno fine vlla exceptione, quonis Ecclesiastico magistratu maiorem prædicauerint: atque inde illis inferre licuit, eum ob quodlibet graue delictum in Ecclesia perpetratum nullius Ecclesiastici Magistratus sententiæ subiectum esse.

Alij paulò vlteriùs progressi, ità Regiam dignitatem efferre ausi sunt, vt ad quasdam Ecclesiasticas causas Regio iure cognoscendas, ac iudicandas extenderint. Demum eò Anglocaluinistarum temeritas euasit, vt Angliæ Regem totius Anglicanæ, & Hybernicæ Ecclesiæ summum caput immediatè sub Christo constituerint, & iudicem in omnibus causis, tam secularibus, quàm Ecclesiasticis appellauerint.

Nobis igitur triceps hic Cerbereus error, qui passim per alias Christiani Orbis oras serpit, non quidem graui, sed leui tantùm mucrone, vt misera horum temporum conditioni nonnihil demus, inuadendus est, vt veram Christi Religionem ab illius faucibus vendicemus. Primùm igitur, qui Regiam potestatem Ecclesiasticæ dignitati præferre audent, ij proculdubio vtriusque, & originem, & naturam ignorant. Quis enim nesciat Regiam potestatem, tametsi iusta, ac legitima sit, tamen non immediatè, sed per interiectum ius Gentium à Deo effluere? vndè nec ante diluuium, nec post vsque ad Nemrodum vlla vnquam Regiæ potestatis mentio facta reperitur; ex quo apparet, eam priùs apud Gentes vsu receptam, quàm in populo Dei institutam fuisse. Atque huc spectat, quòd Iudæi tantùm post aliquot secula Samuelem conuenientes dixerunt. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Quod ipse quoque Christus insinuat Lucæ 22. cùm ait. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent in eos, benefici vocantur.* Quo sanè videtur annuere Regni ius à Gentibus inchoasse; tum à Gentibus ad Dei populum translatum fuisse. At Ecclesiastica potestas ante omnem secularis Regni potestatem à Deo immediatè instituta fuit: quapropter eò præstantior existimari debet, quo & origine alteram antecellit, & institutione ea nobilior est, quod & ipse vtriusque potestatis vsus, ac finis declarant. Nam Regiæ potestatis vsus idcircò institutus esse videtur, vt quietam, ac tranquillam vitam homines agant: vt notat D. Paulus 1. Timoth. 2. vbi nos iubet orare pro Regibus, & ijs qui in sublimitate positi sunt, *Vt quietam*, inquit, *ac tranquillam vitam agamus.* Finis igitur ciuilis potestatis hanc tantummodò vitam attingit. At Ecclesiastica potestas vlteriùs ad futuram vitam tendit; illius quippe vsus, ac finis est, homines ad superna præmia disponere; dum illos pios, & temperatos, ac Diuinis legibus obsequentes esse iubet; & ea in hominibus vitia cohibet, quæ lex ciuilis nullo modo attingit. Quapropter malè de Ecclesiastica potestate sentiunt, qui eam Regia potestate inferiorem esse censent, cùm illa prior ex Diuina institutione effluxerit: hæc iure gentium, & ex populorum consensu tantùm introducta fuerit. Porrò si res Diuinas humanis longè antecellere credimus; sanè nemo est, qui in Ecclesiastica potestate Diuinum quid latere non agnoscat. Nam si ad Ethnicos paululùm diuertere licet; licet Deum verum ignorarent, tamen ex quo semel aliquid Diuinum in ijs hominibus, qui ad sacra peragenda constituti erant, mente concepissent; omnes suis Sacerdotibus obtemperabant, & eorum arbitrio parebant, ac si omnes illorum regerentur imperio. Nam de Ægyptijs testatur Ælian. Var. hist. lib. 14. cap. 34. non alios apud eos iudices extitisse, præterquàm Sacerdotes. Iudices, inquit, apud Ægyptios ijdem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes: in his princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat

bebat.] De Æthiopibus scribit Strabo Geog. lib.17. olim apud eos summam potestatem penes Sacerdotes fuisse, tantæque auctoritatis extitisse, vt nonnunquam misso Nuncio mortem Regi imperarent, ac ei alium sufficerent. Narrat etiam Cæsar. in Comment. de bello Gallico lib.6. Druidas apud Gallos summam potestatem obtinuisse his verbis. [Magno hi sunt apud eos honore: nam ferè de omnibus controuersijs publicis, priuatisque constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controuersia est, ijdem discernunt, præmium pœnasque constituunt.] De Magis Persarum quid attinet dicere, cùm Agathias histor. lib.2. testetur illos tanto in honore apud Persas habitos fuisse, vt publica omnia illorum consilio administrarentur; neque aliquid legitimum foret, quod Magorum non esset sententia confirmatum? Demum perspicuum est, quanti Romana Respublica, Tullio teste, Augures fecerit, quibus id ius collatum erat, vt à summis Imperijs, ac potestatibus comitia tollerent: Concilia, vel instituta dimitterent, vel habita rescinderent. Id verò piè, ac Religiosè Barbaræ gentes præstabant, eo quòd in sacris hominibus, qui Diuina ex munere tractarent, Diuinum quidpiam, natura ipsa teste, suspicerent.

Quod autem ipsum natura ius cunctos ferè orbis populos docuit, id diuina lex Hæbreo populo data clariùs, perfectiusque declarauit, cùm summo Pontifici summum ius, tam in Ciuilibus, quàm in Ecclesiasticis causis detulit, vt patet in Moyse, Aaron, Eleazaro, Samuele, quibus summa rerum omnium à Deo collata erat. Quod Regij iuris professoribus, ac Politicis nostræ tempestatis maximè notandum est, qui Regiam potestatem Ecclesiasticæ præferunt. Discant igitur Ecclesiasticam potestatem primùm ex Dei institutione, ità cum ciuili coniunctam fuisse, vt vtraque in vno Pontifice resideret, cùm tamen illa velut præstantior, ac præcipua præcederet, hæc velut accessoria sequeretur: atque vtraque hæc potestas tamdiu in summis Pontificibus enituit, quoad populus à Samuele Regem peteret. Tunc enim duplex hæc potestas, quæ priùs in Pontifice integra manebat, quodammodo dispertita fuit: ciuilis ad terrenum Regem translata est; Ecclesiastica verò apud Pontificem mansit; ita tit, vt Reges Ciuilem potestatem, quam in suis Regnis exercent, quodammodo à Pontificibus agnoscere debeant, quibus ipso Diuino iure collata fuerat. Hinc manifestum est Ecclesiasticam potestatem, non tam suaptè origine, ac natura, quàm ex ipsa Dei institutione qualibet Regia, ac Ciuili potestate maiorem esse, quod indè colligi potest; nam etsi Hæbreus populus ex Dei conniuentia potiùs, quàm institutione Reges habere cœperit, iidem tamen Reges summo Pontifici subiecti erant, qui suo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium septuaginta duorum seniorum, quod Sanhedrim dicebatur, ad quod spectabat de lege, Rege, ac Propheta iudicare, vt testatur Philo lib.2. de Temp.

Detur igitur Regiæ maiestati ius suum, cùm Christus ipse dicat. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Paulus quoque Regibus reddendum esse vectigal, & tributum monet Hæb. cap.13. Quod ipse quoque Petrus docet, cùm fidelibus suadet subditos fieri Principibus. *Subditi*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus tamquam ab eo missis.* Et infrà, *Deum timete, Regem honorificate.* Ea enim ad publicam Christiani Orbis quietem gladium defert. At verò Ecclesiasticam potestatem longè illi præstare, ac Christi Sacerdotes Regibus, ac Principibus præcellere, inde addiscant omnes, quòd hi sedulò ad animarum bonum inuigilant. *Quasi rationem, vt ait Paulus ad Heb. cap.13. pro animabus nostris reddituri.*

Agnoscant Reges se laicos esse, ac non nisi inter laicos annumerari; quos sacris Ministris non præferri, sed subijci oportet. Vnde Chrysostom. in Matth. hom. 33. [Si Dux quispiam, si Consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat; cohibe, & coerce; maiorem tu illo potestatem habes.] Planè sicut anima præstat corpori, sic fieri necesse est, vt Politicum principatum, qui Christianæ Reipublicæ velut corpus est, Ecclesiastica potestas, velut anima antecellat, ac velut Pastor ouem sibi subijciat, quod egregiè declarat Gregorius Nazianzenus oratione ad ciues Nazianzenos, & Præfectum irascentem; vbi his verbis Rrgium Præfectum adoritur. [An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque potestati meæ, meisque subsellijs lex Christi subiecit. Imperium enim quoque nos ipsi gerimus, addo etiam præstantius, & perfectius: nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere: sed non dubito quin hanc dicendi libertatem in meliorem partem acceptutus sis, vtpotè sacri mei gregis ouis sacra, magnique Pastoris alumna.] Videant quo gradu, ac discrimine Imperialis, ac Regia potestas à Pontificali distent, si res æquo, non tyrannico iure expendenda est. Hoc ipsum eleganter explicat D. Io. Chrysostomus de verbis Isaiæ hom.4. [Alij, inquit, sunt termini Regni, alij Sacerdotij. Hoc regnum illo maius est. Neque enim ex his, quæ videntur, hic declaratur Rex; neque è gemmis illi affixis; neque ex auro, quo amictus est, debet æstimari Rex. Ille quidem ea quæ sunt in terris sortitus erat administranda; cæterum Sacerdotij ius è supernis descendit. Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo. Regi ea, quæ hic sunt, mihi cœlestia: mihi cùm dico, Sacerdotem intelligo. Denique concludit. Maior hic Principatus: propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis.

Quapropter etiam cognoscere debent, eum esse statum Christianorum Regum, ac Principum omnium, qui ab infidelitate ad Christum conuersi intra Ecclesiæ gremium recepti sunt, vt Ecclesiæ filij sint, non Patres: oues, non Pastores: ac proindè, si quando Deo, ac Dei populo datam fidem fregerint, ac summo omnium Christianorum Patri, ac Pastori in his, quæ ad Deum spectant obedire contempserint: ab eodem censuris, atque Ecclesiasticis pœnis coerceri posse nouerint.

Ex his igitur obiter collectis constat, quid de primo hoc errore sentiendum sit, quem

quem pij, ac Christiani Principes nunquam non execrati sunt: qui nulla re magis delectati sunt, quàm se humillimos Ecclesiæ filios declarare, ac seipsos, liberos, ac totum Regnum summi Pontificis pedibus subijcere: ac denique in Apostolicæ Sedis communione, ac obedientia perseuerare: non ità tamen, vt suum sibi Regnum integrum non maneat; ac ciuilis potestas, quæ Principum in proprios subditos propria est, in vllo ab Ecclesiastica dignitate diminutionem patiatur: neque enim Regale Sacerdotium à Christo institutum Regnum politicum sustulit, aut iudiciariam potestatem Regibus (in seculares tamen dumtaxat sibi subiectos) collatam ademit: sed illi Ecclesiæ membra esse, non capita admonentur, vt velut membra suo capiti pateant, & se illius correctioni, si fortè deliquerint, obnoxios esse certò sciant.

Secundus error illorum fuit, qui Reges in causis Ecclesiasticis proprios iudices esse existimarunt: atque hi quidem omnem iuris ordinem euertunt, dum Regibus illud iudicandi ius tribuunt, quo ipsi Ecclesiæ potestati subiecti esse debent. Cùm enim Reges, ac Principes, qui Christo nomen dederunt, inter Ecclesiæ membra numerentur, eos potiùs capiti, atque Ecclesiasticæ potestati, quæ in Ecclesia suprema est, subijci, atque ab ea iudicari oportet, quàm aliquod in ijs iudicium ferre, quæ ciuilis potestatis metas excedunt.

Diximus certè ex Nanzianzeno, & Chrysostomo Ciuilis potestatis metas eò vsque peruenire, vt corpora tantùm attingant: ac propterea id inter Ciuilem, & Ecclesiasticam potestatem interesse docuimus, quòd illa velut corpus, hæc tamquam spiritus integrum, ac perfectum Christianæ Reipublicæ imperium relinquant. Ciuilis enim potestas, quæ ad corpus spectant, potissimùm curat; vtpote cuius finis tantùm sit, temporariam ciuium pacem modis omnibus tueri. Ecclesiastica verò velut præstantior ad animorum salutem tendit, ac potiora bona, quæ apud Deum reposita sunt, sibi proposita habet. Porrò sicut ipse naturæ ordo postulat, vt corporis operationes animæ potiùs subijci, quàm præesse debeant: & quamuis animæ corporis actiones non impediat: spiritus tamen functiones in hominis imperio principem locum teneant: ità planè fieri decet, ve vtraque potestas, & Ecclesiastica, & ciuilis eum ordinem inter se habeant; vt Ecclesiastica primùm velut spiritus, ità Ciuilem potestatem velut præstantior antecedat, vt nullo modo illius functiones impediat, aut proprijs illius operationibus sese immisceat: sed tamen easdem ad proprij finis consequutionem dirigat. Ciuilis verò potestas, velut carò spiritui, Ecclesiasticæ potestati subiectam se exhibeat, & ab ea in his, quæ ad Deum spectant, quid agendum sit, exquirat: nec non eam sibi superiorem agnoscat.

Quid obsecro? an non ipsa ratio prohibet, vt caro animæ dominetur? An non rerum ordo inuerteretur, si filius in patrem sententiam ferret, pater disciplinam à filio susciperet: si discipulus doceret, Doctor addisceret: si non oues à Pastore, sed Pastor ab ouibus pasceretur: si membra caput sibi subijcerent, caput à membris penderet? Ita fieri necesse est, si ciuilis potestas imperet, Ecclesiastica pateat. Hæc sanè, atque alia absurdiora in Ecclesiam inuehunt, qui Regibus de rebus fidei decernere, de Ecclesiasticis causis iudicare, & Ciuilem potestatem in sacros viros, quibus ex Dei institutione velut filij, ac oues subesse debent, extendere, ius efficiunt.

Postremò ab his quæro, qui Regiam potestatem adeò extollunt, vt Regem in Ecclesiasticis causis iudicem esse velint; quisnam ei iudicariam hanc potestatem detulerit? quis iudicem in ijs constituerit? quis illius imperia Ecclesiasticum populum subiecerit? Nam cum Regis iurisdictio in proprios dumtaxat subiectos se extendat, si Ecclesiastica plebs, nullo iure illi subiecta fuerit; palàm erit, eum tyrannidem potiùs, quàm rectum dominium in ipsum exercere, quoties eam sibi subijcere affectat.

Hæc igitur de Ecclesiasticis causis iudicandi potestas, si aliquo iure Regi permissa est, eam sanè opus est, vel iure naturæ, vel iure gentium, vel Ciuili, vel tandem Diuino ei collatam esse. Certum verò est res Ecclesiasticas, neque iuri naturæ, vel iuri gentium, neque Ciuili subiectas esse; cùm illæ hæc iura in immensum excedant. Neque enim ius naturale, quod primùm, ac maximum est, ad fidei iudicia vnquam peruenire potuit, cùm ea, quæ fidei sunt, non à natura, sed à Deo fluant, atque naturæ vires, quamplurimùm excellant. Naturale quidem ius ad ea tantummodò, quæ naturalia sunt, & naturalem inter se ordinem habent, sese extendit: hoc iure Filius Patri subiectus est, & homo Deo, velut supremo auctori, ac opifici subijci debet, at verò quæ fidei, ac Religionis sunt, non naturæ ordinem, sed Diuinas tantùm leges respiciunt: quò fit, vt iuri naturæ minimè subiecta esse possint. Quomodo enim naturæ ius de incarnationis mysterio, de Virginis partu, de vnitate essentiæ, ac Trinitate Diuinarum Personarum, si quæ in his controuersia oriretur, iudicare posset, quæ omnem humanæ, ac naturalis intelligentiæ modum excedunt? De iure gentium, ac Ciuili planè exploratum est; hæc iura nullam Regi potestatem tribuere posse in ea, quæ ijsdem iuribus non sunt subiecta, neque intra illorum ambitum continentur.

Addò, quòd neque ius gentium, neque Ciuile, quæ ab hominibus ortum duxerunt, fidei causas amplectuntur; aut in Ecclesiasticos viros se extendunt: cùm neutrum cum fide cœperit, aut à Christiana Republica ortum duxerit, à qua hanc iudicandi potestatem acceperit.

Præterea de ijs, quæ Dei sunt, nulla humana potestas secus disponere potest, quam quòd Deus ipse dispsouerit: indè fit, vt cùm tam ius gentium, quàm Ciuile humana prorsùs iura sint; de causis fidei, quæ ad Deum spectant, ac Dei potissimùm reuelationibus innituntur, atque alijs Ecclesiasticis iudicijs, quæ sacras Deo Personas attingunt, quas inter suas possessiones Deus connumerat, vt constat num. 3. *Eruntque Leuitæ mei*, quod etiam testatur per os Dauid. Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos*, omnino cognoscere non valeant; sed hæc ad supremum, ac singulare

lare quoddam ius spectent, quòd Deus sibi velut proprium reliquit.

Cùm verò Reges hanc de rebus Ecclesiasticis iudicandi potestatem, neque ex iure naturæ, neque ex iure gentium, neque Ciuili sibi vnquam acquisierint; num eam fortè sibi ex Diuino iure vendicarunt? neque id sanè. Nunquam enim ius Diuinum aliam Regibus potestatem adiunxit, quàm quæ olim ex iure gentium illis relicta fuerat: vt scilicet Ciuilibus iudicijs præsint; vt dentur Cæsari, quæ sunt Cæsaris: vt ijs tributa, ac vectigalia soluantur: vt tam Regi, quàm Ducibus à Deo missis, in his ad quæ humanum spectant imperium, obtemperetur. Hæc enim partim Matthæus 22. partim Paulus 1. Tim. 2. partim Petrus 1. Epist. cap. 2. de Regum potestate tradunt; de causis verò Ecclesiasticis iudicandis, nec verbum quidem depromunt. Eam verò potestatem Christus apertissimè Ecclesiæ Magistratui velut propriam, non Regibus, aut Politicis Magistratibus tribuit; cùm ligandi soluendique potestatem Apostolis tantùm contulit, quæ sine iudicio ritè nunquam exerceri potest. Cùm igitur nullum ius Ecclesiasticas causas Regibus subijciat, constat sanè eas non Regio, sed Ecclesiastico tantummodò foro esse subiectas: ac proinde vim, ac tyrannidem in Ecclesiam exercere, qui eas sibi iniustè rapere contendunt.

Superest tertius error Anglocaluinistarum proprius, qui summam totius Ecclesiasticæ gubernationis in Angliæ Regem referuntur; atque eum summum Anglicanæ Ecclesiæ caput immediatè sub Christo prædicant, ac iudicem in omnibus, tam Ecclesiasticis, quàm Ciuilibus causis constituunt: quem errorem paulò fusiùs refellemus. Primùm quidem Scripturarum oraculis, deindè Patrum testimonijs: demum rationibus, quibus demonstrabimus Ecclesiasticum regimen nullo modo penes sæcularem Principem esse debere.

In primis igitur Hebræorum Synagoga, quæ typus atque vmbra fuit Christianæ Ecclesiæ, nusquam sæcularium Principum administrationi legitur fuisse subiecta, sed ijs tantummodò, qui ex Leuitico genere Pontifices electi fuissent, atque ad id munus Diuino ministerio consecrati paruisse certum est. Id perspicuum est ex Scripturis: nam primus Aaron, ac deindè cæteri Pontifices, qui Synagogæ præsidebant, ex Leuitico tantùm genere, ac tribu Sacerdotali assumebantur: vt habetur num. 3. & Deut. 17. quibus cùm supremum, ac spirituale ius in Synagogam à Deo collatum esset, Diuina lege sancitum erat, vt in his, quæ ad fidem, ac Religionem spectarent, ijs vniuersi parerent. Ita enim habetur Deuter. 17. [Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.] Neque id tantùm pro eo tempore verum fuit, quo temporalis Regni potestas Pontificiæ dignitate coniuncta fuit, & Pontifices Regni sceptro potiebantur: sed tunc quoque cùm auulsa à Pontificibus Regia potestate, sola ijs Ecclesiastica auctoritas relicta fuit. Ij enim semper distinctam à Regibus in Synagoga spiritualem potestatem Diuino iure sibi vendicarunt: ac Regibus quidem temporalia Regni iura seruata sunt: Pontificium verò ius ad eam Regni partem sese extendit, quæ ad spiritualem in fide, ac Religione tuenda administrationem pertineret: quod habetur expressum 2. Paralip. 19. his verbis. [Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officia pertinent.]

Porrò si Hebræorum Synagoga adeò integrum, ac distinctum à Deo spiritualem Principatum obtinuit, vt nulli vnquam Regum fas fuerit impunè factum illud sibi ius arrogare: an minoris dignitatis erit hodiè Christi Ecclesia, quàm Iudæorum Synagoga; vt suo Pontificio iure omnino careat, & cuique profano Principi licebit impunè de sacris functionibus immiscere, & Diuinum illum principatum inuadere; quem non terrenis Regibus, sed Ecclesiasticis tantùm viris à Deo declaratum esse constat?

Certè cùm Ozias seipsum Diuinis ministerijs intrudere, ac Pontificale munus in adolendo incenso temerè sibi vsurpare ausus esset, ab Azaria Pontifice primùm constanter prohibitus fuit, vt legitur 2. Paralip. 26. qui ad Sacerdotale, non ad Regium officium pertinere dixit, sacris se ingerere. [Non est, inquit, tui officij Ozia adolere incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministeriũ, egredere de Sanctuario.] Cumque adhuc ille in insania persisteret; statim lepra percussus Diuinam in se ipso ob tei temeritatem vltionem expertus est. *Statim* (inquit Scriptura) *orta est lepra in fronte eius, & Sacerdotes festinatò expulerunt eum.* Vt eo saltem signo Reges addiscant, non ad sacra, atque Ecclesiastica, sed ad temporalia tantùm Regni iura administranda se esse vocatos: agnoscantque, quàm periculosum sit Pontificiæ dignitati vltrò se ingerere: quam nemo vnquam, vel temerè contempsit, vel impiè est aggressus, qui Diuinam in se vindictam non senserit.

Præterea cùm Dominus apud Luc. c. 22. Apostolos doceret, quisnam esset Ecclesiasticæ potestatis exercendæ modus, illis verbis. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent in eos benefici vocantur,* &c. ostenderetque Ecclesiasticam potestatem non Regum superbia, sed humilitate esse exercendam: an non distinctum à Regali potestate Ecclesiasticum ius in Ecclesia asseruari demonstrat; quòd non superba dominatione (vt apud terrenos Reges fieri solet) sed Christiana dumtaxat charitate humiliter administrari debet? Quis Ecclesiasticam potestatem profano Principi à Deo collatam vnquam sibi persuadeat: cùm hoc loco Dominus Apostolos, quos sacros Orbis Principes decernebat, Apostolicæ auctoritatis admoneret; & eam illis regiminis formam præscriberet, quæ à profana temporalium Regum administratione seiuncta esset? Cùm igitur distinctum à Regibus exercendæ potestatis modum, ac formam Apostolis, qui Ecclesiæ Præsules creandi erant, Christus præfiniret: planè dubitandum non est, quin & ipsam Ecclesiasticam potestatem à pro-

à profana distinctam instituerit; cui non Reges, sed Apostolorum successores præesse debeant.

Huc spectat, quod Io.18. legitur à Christo prolatum. *Regnum meum non est de hoc Mundo: si ex hoc Mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent.* Certè nemo pius, ac fidelis inficiari potest, totam Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem in Christo repositam fuisse, cùm ipsum Deus, vt testatur Paulus, constituerit caput super omnem Ecclesiam.

Quid est igitur, quòd is Regnum suum de hoc Mundo esse negat? præterquam, quòd distinctum à mundano Regno se spirituale, ac Ecclesiasticum regnum, quod è cœlo illi collatum fuerat, possidere iudicat? Nam licèt temporalis etiam Regni iura à Patre obtinuisset, ea tamen exercere minimè voluit, vt docent Cyrillus lib.4. in Esa.cap.41. Hilar. in Psal. 2. Aug. tract. 115. in Io. Non igitur omnem Christus Regni potestatem à se abijcit, sed eam tantummodò, quæ de Mundo est: qualem mundani Reges in subditos exercere solent: nam si omne dominium à se repelleret, frustra dixisset. Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Quo loco se Dominum apertè fatetur: at Dominus esse non posset, nisi aliquod dominium penes se haberet, quod aliquando exercere posset: illam ergo Regni formam nequaquam sibi Christus vendicat, quæ militum copijs stipatur, quæ ministrorum caterua præmitur; quæ opibus, ac rerum omnium temporalium abundantia exuberat: quæ tandem Regum imperium superba dominatione præ se fert; qualem in mundanis Regibus descripserat.

Illud igitur Regnum sibi à Deo collatum, suis successoribus reliquit, quod Christiana humilitate suffultum à mundano luxu, quàm longissimè abest, nec temporalem in Mundo, sed spiritualem tantùm in Ecclesia administrationem exercet.

Quamobrem, qui Ecclesiasticum Regnum tanquam sibi à Christo immediatè collatum vsurpare audent; cùm temporales Principes sint, dicant quo iure Christo succedant, qui temporale Regnum, aut raro, aut nunquam exercuit? proferant, si quod habent ex Scripturis testimonium, quo hæc illis potestas à Christo collata fuerit: cùm vni Petro dictum nouerimus. Ioan. 21. *Simon Petre amas me? Pasce oues meas.* Quibus verbis vni Petro, ac illius successoribus spirituale Ecclesiæ regnum administrandum contulit. Quapropter, qui in Mundo Reges dominantur, sciant profectò Christi regnum, quod apud Romanum Pontificem certa successione seruatur, à Regali potestate ipso Diuino iure liberum esse, ac nullo modo ad eos pertinere: quocirca Regiam cupiditatem ab Ecclesiastica iurisdictione compescant: secus nouerint profectò se Christi Regnum inuadere: ac proindè durissimam sibi tanquam sui regni inuasoribus Christi vltionem imminere.

Certè Paulus cùm Ecclesiasticam Hierarchiam describeret 1. Cor. 12. *Et quosdam quidem* (ait) *posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores,* &c. Nunquid (vt optimè notat Damascenus) inter hoc Reges annumerat, vel primo loco collocat, vt summum, vel saltem aliquem in Ecclesiæ administratione locum habeant? sanè nec meminit quidem: quo proculdubiò demonstrat sæculi Principibus nullam prorsus in Ecclesiæ gubernatione sedem esse relictam: sed primo loco Apostolos statuit, vt illos primùm, deindè quicunque Apostolica potestate illis succederent, solos, ac veros esse Ecclesiæ Rectores annueret.

Cæterum cùm Christus D. Petro dixit. Ioan. 21. *Pasce oues meas*: ac illi militantis Ecclesiæ claues tradidit, & supremum Ecclesiæ Pastorem instituit: ac illis verbis. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; super illum Ecclesiam se constructurum esse promisit: num Rex Petrus erat, vt ea in omnes Reges Ecclesiæ Præfectura transfunderetur? num quempiam Regum Christus accersiuit, cui Pontificale munus committeret? Apostolus erat Petrus, vir Ecclesiasticus, ac Deo sacer; huic, non terreno Regi Ecclesiastici Regni clauem credidit. Id nobis concedant Reges: non Regem, sed Apostolorum Principem, Ecclesiasticum virum, Dominum ad Pontificatum, ac supremam Ecclesiæ administrationem vocasse: quo addiscant, eos non ad Ecclesiasticam, sed ad sæcularem tantùm potestatem vocari. Quòd si id nobis condonare nolint, saltem id Scripturarum oraculis concedant, quæ hoc ipsum, vt vidimus, apertissimè testantur.

His Patrum testimonia lubet annectere. Hi enim velut vno ore Reges ab Ecclesiastica administratione arcent. Nam Ignatius primùm in epist. ad Trallianos, vbi Petri successorem legitimum primùm Linum, posteà Anacletum, deinde Clementem recenset. [Qui igitur, ait, his inobediens fuerit, atheus, & impius omninò est, & Christum improbans, ac eius ordinationem imminuens.] Videant ex Christi ordinatione procedere, quòd Pontifices, non Reges in ecclesiastica ditione imperent.

Origenes lib. 5. in epist. ad Rom. cap. 6. summam Ecclesiasticæ gubernationis D. Petro, non sæculi principibus commissam testatur. *Petro*, inquit, *cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia,* &c.

Athanasius epist. ad solitariam vitam degentes in Constantium Imperatorem inuehitur, qui aliquam potestatem in Ecclesia sibi vsurpare contendebat his verbis. [Quando à condito æuo auditum est? Quando iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antehac Synodi fuere: multa iudicia Ecclesiæ habita sunt: sed neque Patres huiusmodi res Principi persuadere conati sunt; nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosè præbuit, &c. Et infrà. Quis videns eum, Constantium, Principem se facere Episcopotum, & præsidere iudicijs ecclesiasticis: non meritò dicat, illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est?] Hæc Athanasius.

Quòd si Athanasio hoc de Constantio dicere licuit, qui vix aliquam sibi partem ecclesiasticæ potestatis vsurpabat: quid de Rege Angliæ nobis dicendum erit, qui seipsum totius Anglicanæ Ecclesiæ summum caput

pat sub Christo immediatè constitutum appellat, ac iudicem in omnibus ecclesiasticis causis seipsum vendicat; ac demùm totius ecclesiasticæ potestatis ius in seipsum transfert? An non meritò (quod illius pace dictum sit) quis suspicari posset abominationem stare in loco sancto, cùm profanum Regem in Ecclesia ad illius gubernacula sedentem, ac supremum illius ius sibi vsurpantem intuetur?

Eadem dicendi libertate Hosius Episcopus apud Athanasium epistola ad Constantium vsus, eundem monet his verbis. [Desine quæso, & memineris te mortalem esse; reformida diem iudicij: serua te in illam diem purum: ne te misceas ecclesiasticis: neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit: nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens magno crimine obnoxius fias. De te scriptum, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo: neque fas est nobis in terris Imperium tenere: neque tu thymiamatum, & sacrorum potestatem habes ò Imperator.] Hic Constantius Hæreticus fuit Arianus, Constantini II. filius, qui cum fratre Constante Imperium gessit, vt hinc addiscant ecclesiasticæ potestatis inuasores nunquam Catholicos Principes, sed tantùm Hæreticos id nefas aggressos fuisse: vt factum Christi tinpatum inuaderent.

Quapropter nosse debent, qui supremam in Ecclesia auctoritatem præter ius arripere audent, quæ Dei sunt, eius proculdubio rapere, ac prædari, ac proinde raptorum, ac prædonum pœnas se aliquando saltem apud inferos exoluturos. Neque enim Regibus Ecclesia commissa est, sed Sacerdotibus, quibus etiam Reges parere necesse est: quapropter sua regni sede contenti esse debent, neque sacrum Sacerdotij regnum aggredi, nam vt Chrysost. ait hom. 4. de verbis Esa. *Alij sunt termini regni, alij termini Sacerdotij: hoc regnum illo maius est*. Quòd si Sacerdotalis, ac Pontificia dignitas Regiam antecellit: vtpote, quæ non humana, sed Diuina curat: eaque à Deo solis Sacerdotibus collata est, planè ingenti se Reges scelere obstringunt, qui eam sibi temerè vsurpant.

Quamobrem Diu. Ambrosium audiant epist. 33. ad Valentinianum. [Noli, inquit, te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ Diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari, ad Imperatorem palatia pertinent: ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius concessum est, non sacrorum.] Quocirca cùm nihil omninò iuris in ecclesiastica administratione Regibus concedatur, quibus tantummodò Regia facultas permittitur, ijs Diuino iure cautum est, vt ab illa prorsùs abstineant.

Quod præclarè etiam docet Damascenus oratione secunda de Imaginibus. [Regum (ait) partes non sunt, vt Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim quid Dei Apostolus dicit. Et quosdam quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores, ac Doctores: ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges, &c.] Quapropter id fixum, ac stabile sit; Regum ciuilem tantùm administrationem esse, ecclesiasticam verò administrationem ad Ecclesiæ Pastores tantùm pertinere.

Atque hanc fuisse Apostolorum doctrinam testatur Clemens Petri Discipulus lib. 2. Constit. Apost. cap. 20. vbi Laicis omnibus interdicitur Sacerdotale aliquod munus in Ecclesia exercere. Eandem confirmat Ignatius Apostolor. discipulus apud Ioan. Dried. tom. 4. cap. 9. [Nemo, inquit, præter Episcopum aliquid agat eorum, quę ad Ecclesiam pertinent.] Et epist. ad Smirnenses. [Nec Episcopo, ait, quisquam maior in Ecclesia, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute.] Et verò doceat longè præstare Sacerdotum dignitatem ipsa regia potestate, subiungit. [Si enim censebitur pœna dignus, qui aduersùs Regem insurgit, vt qui violet bonas legum constitutiones: quantò putaris grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus apex.] Videat igitur Anglorum Rex, qui maiorem se quolibet Episcopo, ac supremum Anglicanæ Ecclesiæ caput appellat, quàm apertè Apostolicam doctrinam oppugnet.

Demum hic error ita ab omnibus damnatur; vt nec ipsi Hæresum Patres Lutherus, ac Caluinus, in quorum verba Anglia iurasse videtur, eum sustinere queant. Nam Lutherus cont. artic. Louanienses exclamat, non esse Regum, aut Principum partes, etiam veram doctrinam confirmare: sed ei subijci, ac seruire. Caluinus verò apertiùs. cap. 2. in Amos in ipsum Regem Angliæ inuehitur his verbis. [Qui in initio tantoperè extulerunt Henricum Regem Anglię, certè fuerunt homines inconsiderati: dederunt illi summam omnium potestatem, & hoc me semper grauiter vulnerauit. Erant enim blasphemi, cùm vocarent ipsum summum caput Ecclesiæ sub Christo.]

His tamen nonnulla Christianorum Principum exempla lubet subtexere, qui Ecclesiasticam dignitatem adeò suspexerunt, vt eam, & superiorem sibi agnouerint, & seipsos illi velut Diuinæ subiecerint; inde fiet, vt qui sacris Scripturarum oraculis, & Apostolica Sanctorum Patrum doctrina ab Ecclesiasticæ potestatis vsurpatione deterreri non possunt, Principum saltem, qui illis dignitate assiues extiterunt, exemplis reuocentur.

In primis Constantinus Magnus, qui vt multarum virtutum laude præclarus fuit: ita cunctis Christianis Principibus imiranda Christianę pietatis exempla reliquit, adeò semper Pontificiam dignitatem est veneratus; vt ad Siluestrum Papam scribens eundem tàquam Christi Vicarium, & Imperiali dignitate maiorem agnoscat. De quo etiam illud præclarum testimonium imperialis humilitatis erga Episcopos commemorat Nicephorus, Calixtus lib. 8. Hist. Ecclesiast. cap. 16. cuì cùm plurimæ aduersùs Episcopos querelę, ab ijs, qui cum eis acres inimicitias gerebant, obla-

oblatæ essent; pius Imperator statuto die libellos eos omnes in manibus tenens. [Hæ, inquit, querelę, & accusationes magno illi iudici decidendę remittuntur, statutumque tempus extremi iudicij sit dies, cui iudici occulta etiam manifesta sunt. Mihi quidem homini errori obnoxio nefas esse videtur Ecclesiasticorum virorum accusationes recipere, & audire. Neque enim omninò conuenire puto Dei Ministros tales se præstare debere, vt vel à me, vel ab alio iudicentur.]

Valentinianus 3. epist. ad Theodosium Imp. quę extat in Conc. Chalcedon. Romano Pontifici tanquam supremo Ecclesię capiti, ac Sacerdotum Principi iudiciorum ecclesiasticorum ius spectare palàm fatetur his verbis. [Debemus, inquit, dignitatem propriæ venerationis B. Petro Apostolo intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenùs Beatissimus Romanę Ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare Domine Sanctissime Pater, & venerabilis Imperator.]

Martianus item, ac Valentinianus epist. ad Leonem Papam Ecclesiasticum Principatum non sibi, sed Diuino iure Pontificibus deberi agnoscunt. [Vnde, aiunt, pro reuerenda, & Catholica Religione Christianæ fidei, cuius auxilij virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari. Tuam Sanctitatem principatum in episcopatu Diuinę fidei possidentem sacris literis in principio iustum credimus alloquendam.]

Hoc ipsum testatur Galla Placidia Imperatrix epist. ad Pulcheriam August. [Vt omnibus, inquit, integris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis, in qua primus Apostolorum B. Petrus, qui etiam claues Regni Cœlorum accipiens, Sacerdotij principatum tenuit, Episcoparus causa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conuersationi tribuere, quę totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuis, & nostro Imperio Orbem gubernandum, seruandumque commisit.] En quàm preclarè de Pontificia Romanę Ecclesię dignitate hęc pia Imperatrix sensit.

Primùm enim Romanam Sedem Apostolicę potestatis heredem super omnes Regum sedes principatum obtinere declarat. Deinde eandem iudicem esse debere in causis Episcoporum contendit. Posteà ecclesiasticam potestatem à Diuina potestate descendere, atq; eandem eam esse potestatem, quam immortalis Deus humana carne indutus in Ecclesia exercuit, non obscurè fatetur. Denique Primatum Romano Pontifici Diuino iure attributum, à terrenis Regibus, ac Principibus ita agnosci debere testatur: vt ab eo regnorum conseruationem, ac diuturnitatem pendere dicat.

Hac etiam pietate ductus Iustinianus Imperator epist. ad Ioannem Papam, quę habetur in Cod. de summ. Trin. & fid. Cat. non Imperatores, non Reges, sed Romanum Pontificem affirmat esse omnium Ecclesiarum caput. [Nec enim patimur, inquit, quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestrę innotescat Sanctitati, quę caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum.] Idem confirmat in ep. ad eundem Ioannem, quę habetur in principio Authenticę.

At pręclarissima sunt, quę Basilius Imperator de hac re verba fecit in 8. Synodo generali pręsidentibus Legatis Apostolicę Sedis, quę habentur in oratione eiusdem ad Synodum habita. [Laicis, inquit, nullo modo licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitùs resistere integritati Ecclesię, & vniuersali Synodo aduersari. Hęc enim inuestigare, & quęrere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, qui ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantęcunque enim Religionis, & sapientię Laicus existat: vel etiam si vniuersa virtute interiùs polleat: donec Laicus est, ouis vocari non desinit. Sursùs Episcopus quantacunque sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & verbum veritatis rectè prędicauerit; Pastoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quę ergo nobis ratio est, in ordine ouium constitutis, &c.]

En quàm candidè pius, ac fidelis Imperator cœlestes Ecclesiasticæ potestatis claues non sibi, sed Pontifici commissas fatetur, quàm humiliter se in ouium, non Pastorum ordine constituit, quàm reuerenter solis Ecclesiæ Pastoribus, non sibi Ecclesiastica iudicia defert. An non is, ac cæteri, quos superiùs recensuimus Imperatores maiori, atque ampliori, quàm Rex Angliæ potestate, in Orbe excellebant, quam tamen Ecclesiasticæ potestati velut Diuinæ subleuerunt?

Quod si ab Imperatoribus ad Reges libet descendere, planè sicut nullus vnquam Christianus Imperator eò progredi ausus est, vt summam sibi in Ecclesia potestatem arriperet, ita nullus Catholicus Rex vnquam fuit, qui seipsum Pontificiæ dignitati, velut paternæ, ac pastorali non submiserit, quod vel paucorum lubet exemplis demonstrare, cæteris vltrò silentio prætéritis.

Luitprandus Longobardorum Rex legibus à se latis tit. 23. §. 5. illud sanxit, tenendum Papam Vrbis Romæ in omni Mundo caput esse Ecclesiarum Dei, & Sacerdotum.

Lotharius Rex ad Adrianum II. Papam scribens Romanum Pontificem Principem Pastorum vocat, atque eidem Pontificiam potestatem velut propriam defert.

Leo Rex Armeniorum Epist. ad Innocen. III. Papam vniuersalis Ecclesiæ Pastorem appellat. [Gloria, inquit, & honor Omnipotenti Deo, qui vos tantum, ac talem Pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit.]

Reginaldus Rex Insularum epist. ad Honorium Tertium, illum Ecclesiæ supremum Pastorem salutat.

Carolus Rex Siciliæ epist. ad Clem. IV. eundem illi titulum tribuit.

Ludouicus Rex Francorum epistolam ad Alexandrum Papam, ita inscribit. [Domino

mino suo, & Patri Sanctissimo Alexandro, Ludouicus Francorum Rex salutem, & debitam reuerentiam.]

Vladislaus Rex Poloniæ epistola ad Ioan. XXII. deuotum, ac subiectum se illius filium profitetur.

Ladislaus Rex Hungariæ, & Bohemiæ oratione Romæ habita ad Nicolaum V. Pontif. eum inter mortales Dei vicem gerere, & Romanam Sedem omnium eminentissimam declamat.

Sigismundus Rex Poloniæ epistola ad Concil. Lateranen. obedientiam Romanæ Ecclesiæ præstat his verbis. [Designamus Oratores nostros, dantes illis potestatem coram Sanctitate Leonis X. Papæ comparendi, ibidemque obedientiam iuxta maiorum meorum consuetudinem præstandi, & recognoscendi, eundem esse verum, vnicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis Pastorem.] Vndè constat eandem semper fuisse omnium Polonorum Regum, qui hunc præcesserunt pietatem, ac erga Summum Pontificem obedientiam.

Sed & ipsi Angliæ Reges eximiam hanc in Romanum Pontificem pietatem, ac obedientiam non semel literis professi sunt. Nam primus Eduardus Rex Angliæ epistola ad Nicolaum II. Papam hac suam piam epistolam inscriptione exornat. [Summo vniuersalis Ecclesiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam, & subiectionem, & obedientiam, &c.] atque ab eo petit, quædam à prioribus Pontificibus sibi indulta priuilegia confirmari, quo magis Ecclesiasticam potestatem corroborat, quam in Summo Pontifice sitam agnoscebat.

Alter Eduardus epistolam ad Bonifacium VIII. Pontificiam auctoritatem ita colit, vt eam multis sæculis prosperam conseruari optet. Quædam Angliæ Regina, cuius epistola extat inter Epistolas Petri Blesensis epist. 144. præclarè de Romani Pontificis auctoritate sensit his verbis. [Gentes diuulsæ, populi lacerati, Prouinciæ desolatæ, & generaliter tota Occidentalis Ecclesia confecta lamentis in spiritu contrito, & humiliato, supplicant vobis, quem constituit Deus super gentes, & Regna, in omni plenitudine potestatis.

Comites prætereà, ac Barones Angliæ epistola ad Bonifacium VIII. illum vniuersalis Ecclesiæ Summum Pontificem, cuius se deuotos filios protestantur, appellant, atque ab eo deposcunt iura, libertates, consuetudines, leges à prioribus Pontificibus impetratas Regem pacificè possidere permittat.

Tandem Henricus VIII. quandiù Catholicam Fidem coluit acerrimus Catholicæ potestatis contra Lutherum propugnator fuit, ex quo hæc pauca verba decerpsimus, quæ habentur in assertione 7. Sacramentorum aduersùs Lutherum artic. 2. [Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium Sacrosanctam Sedem Romanam velut Matrem, primatemque recognoscat, ac veneretur, quæcunque saltem, neque locorum distantia, neque periculis interiacentibus prohibetur accessu. Quamquam si vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc Indi etiam ipsi tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disiuncti, Romano tamen Pontifici se submittunt. Ergo si tantam, & tam latè fusam potestatem, neque Dei iussu Pontifex, neque hominum voluntate consequutus est, sed sua sibi vi vendicauit, dicat velim Lutherus quando in tantæ ditionis erupit possessionem, num potest obscurum initium esse tam immensæ potentiæ; præsertim si intra hominum memoriam nata sit? quòd si rem dixerit vnam fortasse, aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historijs, alioqui si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omninò cautum esse cognoscat, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita supergreditur, vt scire non possit euiusmodi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum, vetitumque esse constat omnium consensu gentium, ne quæ diù manserunt immota, moueantur.]

Atque alia plurima lectione digna de antiqua Romanæ Sedis potestate ex historijs commemorat, quæ si attentè modò D. Iacobus, qui nunc temporis in Anglia regnat, candidè perlegeret, antiquam maiorum suorum pietatem, atque in Romanam Sedem obseruantiam, quasi digito demonstratam, conspiceret, haud post tot Imperatorum, ac Regum totius Orbis exempla, quibus permoueri debet, solus Romani Pontificis auctoritatem sperneret, & Ecclesiasticam potestatem illi Diuino iure collatam sibi nullo iure arriperet.

Hinc planè colligimus, Angliam quandiù schismate, ac Hæresi non laborauit, nunquam Ecclesiæ potestatem, ita sibi vsurpasse, vt supremum Ecclesiæ caput Regem suum esse diceret, sed vnius Romani Pontificis auctoritatem in omnes Reges, ac Principes Christianos diffusam, & agnouit, & coluit, sed posteaquam primùm schismate, deindè Hæresibus dilaniari cœpit, eò dilapsa est, vt nihil iam antiquæ, atque auitæ pietatis, ac Religionis integrum retinuerit.

Restat iam, vt nonnullis rationibus demonstremus nullum mundanis Principibus in Ecclesiam ius competere.

Prima ratio sit. Ius gentium iuri Diuino subiectum esse debet, non econtrà, cùm hoc illo multò sublimius, ac eminentius sit. Illud enim ab homine, hoc ab ipso Deo manat, illud hominum consensu constitutum fuit, hoc Dei lege sancitum, quapropter nulli dubium est, iura omnia iuri Diuino cedere debere, à quo ius omne legitimum esse agnoscitur, indè fit, vt quæ iure gentium tantùm constituta sunt, nihil non modò iuris habere possint in ea, quæ à iure Diuino manant, sed ab illis pendere, atque illis subijci necessè sit. At Regum potestas tantummodò iure gentium constituta est. Nam si aliquo Diuino iure sancita esset, ea nulla posset hominum lege mutari, cùm tamen pleraque Regna in Rempublicam versa, multos etiam Reges à Regni Sede depositos, ac tandem quamplurima imperia in Orbe extincta, ac solo hominum arbitrio mutata esse constet.

Et

Et licèt Politica Regum potestas à Deo velut legitimè instituta confirmata fuerit, atque idcircò ab eo profecta esse dicatur, vt patet ex Diuo Paulo Roman. 13. *Non est potestas nisi à Deo*, & Prouer. 8. *Per me Reges regnant*. Id tamen certum est, eam non nisi per ius gentium, aut ciuile ad Reges descendere, ac medio hominum consensu à Deo proficisci, quò fit, vt humano dumtaxat iure instituta esse censenda sint. Pontificis verò auctoritas, quam in Ecclesia exercet, non ab hominibus, sed à Deo institutionem habet, vt superiùs probatum fuit, quamobrem Regis potestas, cùm prorsùs humana sit, in Ecclesiasticum ius, quod Diuinum est, ac Diuino iure ad Pontificem spectat, extendi non potest.

Secunda ratio. Princeps Christianus à Pontifice vngitur, consecratur, benedicitur, quod ex antiqua Scripturarum traditione obseruatum fuit. Nam 1. Reg. 10. Samuel tollens lenticulam olei Saulem vnxit in Regem Israel, ac deindè Dauidem. Qui nos ad Christianam Ecclesiam ex Apostolorum traditione transmissus est. Videmus enim, ita à principio obseruatum, vt Christiani Reges à Pontifice, vel Episcopo inungantur, consecrentur, atque ab eodem benedicantur, antequam ad Regni gubernacula accedant. At sine contradictione (ita scribit Paulus ad Heb. 7.) *Quod minùs est, à meliore benedicitur*. Neque solui potest Scriptura. Maior igitur est Pontifex Rege, ac Pontificia auctoritas Regis potestatem præcellit, quò fit, vt eam sibi terrenus Rex Regni iure vendicare non possit.

Tertia ratio. Si ad mundanum Regem Ecclesiæ potestas, ac Pontificium ius pertineret, is ea omnia munera obire, & exercere posset, quæ ab Ecclesiasticis exercentur. Qui enim est in exercitu Imperator, is & Tribuni, & Centurionis, si libet, locum, ac officium sibi vendicare valet. Ita Episcopus, & Presbyteri, & Diaconi munus sibi assumere valet, ac rectè exercere. Sed quis vnquam Regem, aut Principem inter Christianos Pontificalia munera obeuntem aut vidit, aut audiuit, ita vt publicè more Sacerdotum sacra administrauerit; Baptismum in Ecclesia contulerit; Eucharistiam confecerit, ac populo administrauerit, ac cætera omnia, quæ ad Episcopos, ac Sacerdotes pertinent, præstiterit? Id sanè si nunquam visum fuit, ac nulla consuetudine acceptum, quin etiam ipsa Dei lege prohibitum habetur, vt in Ozia patet, cui incensum in templo adolere interdictum fuit, planè non video, qua ratione, aut quo iure profanis Regibus in Ecclesiam vlla potestas competat.

Quarta ratio. Mulieribus in Ecclesia sedere, ac docere, pueris item imperare Apostolico præcepto vetitum est, vt patet 1. Corinth. 14. & ad Galat. 4. mulier namque ob sexus imbecillitatem, quem magis subesse, quàm præesse decet, puer ob iudicij, ac ratiocinationis defectum ab Ecclesiastica administratione arcentur. At si Ecclesiasticum ius ad Reges spectaret, cùm tam mulier, quàm puer Regni hæredes esse possint, vt apud plerasque nationes vsu venit, nam Athalia, & Alexandra in Iudæa regnauerunt, Semiramis in Ægypto, Thomiris in Scythia sceptrum gessit, & Ioas anno septimo regnare cœpit, neque vlla lex obstat, quominùs puer extincto Patre ad Regni Imperium vocari possit, planè id in Ecclesia non rarò accideret, vt mulier ad Ecclesiæ gubernacula sederet, doceret, sacras res administraret, Sacramenta conferret, puer quoque qui necdum sui compos existit, de Episcoporum causis iudicaret, Episcopos constitueret, & cætera Ecclesiastica munera obiret, à quibus non solùm personæ indignitate verùm, & ætatis inhabilitate prohiberetur, quod ab Apostolica doctrina apertè dissentaneum est.

Quinta ratio sit. Ecclesiastica potestas duplici parte constat, doctrina nimirùm, & iurisdictione. Hæc enim gemina est illa Clauium vis, qua soluitur, ac ligatur, soluitur doctrina, ligatur iurisdictione, doctrina fidei soluitur infidelitas, Hæresis ac eadem soluuntur peccata, cùm ea homines ad salutem reuocantur. Ecclesiastica iurisdictione cunctus Christianus populus Ecclesiæ legibus deuincitur. Hi duo illi Ecclesiasticæ potestatis gladij, de quibus Luc. 22. *Domine ecce duo gladij, hic* quibus mali terrentur, ac boni proteguntur, ac Dominicus grex à truculenta luporum furentium rabie defenditur. Quapropter ijs tantummodò Ecclesiæ gubernacula commissa sunt, quibus non solùm ius dicendi, sed & docendi, munus à Christo iniunctum fuit. Sed Apostolis dumtaxat, ac eorum successoribus, non Regibus, verbi euangelizandi officium à Christo collatum legimus Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, &c.* & Marc. 16. *Euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Qua igitur ratione nisi tyrannica, Reges, ac Principes Ecclesiasticam sibi auctoritatem vsurpare audent, qui nec Apostolis succedunt, nec Apostolicum munus à Christo obeundum susceperunt?

Sexta ratio. Iudicium de doctrina fidei, quæ potissima est Ecclesiasticæ potestatis pars, Christianis Principibus nunquam creditum fuit, nec Ecclesia id vnquam Principibus tribuit, quin etiam nonnullis Imperatoribus id sibi iniustè arrogantibus constanter sese opposuit, vt perspicuum est ex verbis Hosij sanctissimi Episcopi, qui Niceno primo Concilio interfuit, à quo cùm Constantius Imperator efflagitaret, vt Athanasius, velut Hæreticus ab Episcopatu deponeretur, respondit. [Ne te misceas, Imperator, rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce.]

Et Ambrosius à Valentiniano Iuniore accersitus, vt cum Auxentio Hæretico de fide coram ipso disputaret, respondit, vt habetur Epist. 32. [Si vel Scripturarum seriem Diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?

care?] Ex quo Ambrosij testimonio addiscimus, antiquam, tum Scripturarum, tum Ecclesiæ fidem esse, vt nullus sæcularis Princeps iudicio de doctrina fidei sese immisceat, quod Ecclesiæ Præsulibus dumtaxat à Deo collatum est. Ita enim testatur Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius.* Idem præcipit Deus Deuteron.17. *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Quæ cùm ita sint, noua planè, ac inaudita Principum tyrannis existimanda est, qui hanc sibi potestatem de rebus fidei iudicandi violenter vsurpant.

Septima tandem, ac postrema ratio est, Quòd Rex omnis, ac sæcularis Princeps sunt in ordine ouium, non Pastorum in Christiana Republica. Ouium autem est pasci, ac Regi à Pastoribus, non Pastoribus præesse, igitur nulla Regibus, ac sæculi Principibus in Ecclesiasticum ouile potestas, aut iurisdictio esse potest, patet antecedens, primò ex Scripturis. Nam cùm Ioan. 21. Christus Petrum, non Regem, sed Apostolum, & Ecclesiasticum virum, Ecclesiastici Gregis Pastorem instituit; atque vniuersos fideles illi velut oues subiecit, planè & ipsos Reges, ac Principes, qui inter fideles haberi volunt, in ouium numero constituit, quas Petro pascendas tradidit. Secundò, ex antiqua Ecclesiæ traditione id certum est, quæ Reges, ac Imperatores Episcopis semper subiectos fuisse testatur, quapropter hac potestate fretus Gregorius Nazianzenus oratione ad subditos timore perculsos, & Imperatorem irascentem, sic Imperatorem affatur. *Scio te esse ouem mei gregis, &c.* Et Valentinianus Imperator (vt testatur Paulus Diaconus lib.12.) cum Episcopis de electione Episcopi Mediolanensis agens, ait. [Talem eligite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè capita nostra submittamus.]

Minor, ac conclusio per se nota est. Nam quæ ouis est, Pastori subiecta esse debet, ac illi obtemperare. Ita iubet Paulus ad Hebr.13. scribens. *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hinc Irenæus lib.1. cap.43. *Eis*, inquit, *qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis.* Neque vlli mirum esse debet Episcopos ab Iræneo Presbyteros appellari, nam vt testatur Theodoretus in Commentr.1. ad Timoth.3. olim Episcopi, & Apostoli, Presbyteri vocabantur. Ex his igitur patet Regum partes (si Christi oues esse velint) eas esse, vt Ecclesiasticis Pastoribus subsint, non præsint.

Cæterùm si Reges se oues esse ægrè ferant, ac Luporum more Ecclesiasticam potestatem inuadant, sciant profectò eam potestatem Pontifici totius Ecclesiæ Pastori à Christo esse collatam, quæ vero Pastori aduersùs Lupos Gregis vastatores ipso naturali iure permissa est, nimirùm, vt Lupos à grege arceant. Id enim postulat commissa sibi à Christo Dominici Gregis cura; qua Ecclesiæ conseruationi sedulò inuigilare debet, vt Lupos greges inuadentes expellat, ac modis omnibus Ecclesiasticæ Reipublicæ vtilitati, atque incolumitati consulat. Præstat namque Principem è grege expelli, quàm gregem totum corruere, quod Paulus ipse confirmat 1. Corinth. 5. cum incestuosum hominem toti Ecclesiæ perniciosum de medio tollendum esse iudicauit. *Et non magis*, inquit, *luctum habuistis, vt tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit, &c. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Idcircò enim Christiani Principes obedientiam Romanæ Ecclesiæ, ac fidei Catholicæ iurant, vt constat ex formula coronationis Principum à multis sæculis vsu accepta, nec non in Clementinis lib.2. tit.9. de iureiurando, & distinct. 69. cap. *Tibi Domino*, vt si fortè ab ea deficiant, Pontificia virga plecti possint.

ARTICVLVS VI.

Explicatur Catholica sententia, & probatur Monarchia Ecclesiæ.

RESTAT iam Catholica sententia explicanda, quæ veram Religionem non alia, præterquam Monarchica gubernatione, tanquam à Christo instituta regi debere, velut certissimum statuit. Huius autem prima ratio est, quam communis omnium consensus suppeditat, Monarchiam nimirum inter alia duo gubernationum genera, Aristocratiam scilicet, & Democratiam, velut præstantissimam principem locum tenere, quod imprimis institutus ipse à natura ordo declarat, quæ cum nihil malè administrari velit, Monarchiam quodammodò in rebus ipsis instituit, id primùm in plantis, & arboribus facilè perspici potest, in quibus primum aliquod, atque vnicum posuit, à quo tota arboris vis, ac vita pendet. Cùm enim arbor, tamersi procera in immensam se ramorum propaginem extendat, mirum tamen est, quomodò illa vnica tantùm radice, quæ in arbore velut principatum gerit, alatur, ac conseruetur, ea qua tandem singuli arboris rami velut à capite virtutem, ac vegetationem nanciscuntur.

Hoc ipsum in animantibus inueniri licet, in quibus miro sanè modo vnius principatus vrget, ipso naturæ ordine institutus, quæ tamersi rationis expertia, ipsa tamen naturæ regula freta, Ducem, ac Regem sibi præponunt, quem sequantur, cuius etiam Imperio se subdunt. Ita enim apes vnum sibi Regem constituunt, ad cuius nutum cunctæ mouentur, atque eo quiescente quiescunt. Grues, ac pleraque animum genera sola ipsa natura dictante vnius sibi principatum ponunt, ac quasi Monarchiam colunt, vt hinc primùm exploratum sit, Monarchicum regimen velut optimum, ac præstantissimum ab ipsa natura fuisse institutum.

Potrò

Porrò illustrior est ipsa Dei institutio, à quo Monarchica hæc regiminis forma profecta est. Is enim cùm cœli, terræ, hominum, ac rerum omnium conditor sit, cuncta Monarchico Imperio Regi voluit. Cœlestia corpora plura esse nemo ignorat, quæ nulla quiete mouentur ab Occidente in Orientem, iis tamen vnicom, ac superiorem Orbem, primum scilicet mobile, tanquam Monarcham præfecit, cuius motui vniuersa obtemperent. ab Oriente in Occidentem sequantur, & quoquò ille motum declinauerit, hæc velut Principem perperuò comitentur.

Quot sapientissimus conditor Cœlo luminaria fixit? quot sydera partim fixa, partim errantia condidit, quibus vnum supremum luminare, Solem videlicet, velut omnium Principem, ac Monarcham præesse iussit, qui amplissima sua magnitudine, ac potestate (vt ait Plinius) nec temporum modò, terrarumque, sed syderum etiam ipsorum, Cœlique Rector luminis sui diuitias tanquam munificus Princeps cæteris quoque syderibus fœneraret?

Quid? quòd neque à tot elementorum formis, quæ pugnantem inter se naturam circunferre videntur, Deus vnius Principatum abstulit, cùm ignem, quem in sublime elatum in Lunæ concauo velut cœlesti throno sedere iussit, supremum omnium collocauit, vniuersaque sua amplitudine ambire, ac tanquam Monarcham cæteris elementis natura, ac virtute præstare voluit.

At præclarissima est illa Monarchiæ forma, quam in hominis natura Deus sapientissimus instituit. nam vix hominem anima, & corpore præditum condidit, mox vbique Monarchiæ ius in eo affulgere voluit, vt optimum illud esse significatet. Corpus enim ita à rerum opifice dispositum cernimus, vt non alio, quàm Monarchico imperio regatur. Eminet caput inter cætera corporis membra, velut Dux, ac Imperator, ac humanam Monarchiam in omnia corporis membra exercet, stant sub capite membra velut capiti subiecta, nec illius vnquam imperio resistere audent, sed citiùs dicto parent, tanquam Monarchiam illius suspicientes.

In animo verò præclarum Monarchiæ specimen elucet, quandoquidem cùm tam multæ, ac distinctæ vires in animo sint, vna tamen voluntas omnium imperium sibi vendicat, ac cunctas tum corporis, tum animi potentias velut Monarcha suæ ditioni subijcit; denique cùm tam innumerabiles, ac propè infinitæ piscium, anium, animalium, ac rerum cæterarum species à Deo conditæ sint, vniuersas tamen hominis imperio subiecit, quo sanè effecit, vt minùs omnis dubitare liceat, quin Monarchicum regimen inter omnes, regiminum formas, tanquam à Deo institutum, optimum, ac potissimum sit.

Postremò id ex communi hominum opinione confirmatur, qui magis Monarchiam, quàm aut Aristocratiam, aut Democratiam, id est, vel multorum, vel omnium Principatum commendant, de qua sententia plura diximus in primo articulo. Hic tamen ad Monarchiæ confirmationem nonnulla addenda sunt, quæ propriè huic probationi inseruiunt. Hanc sententiam post Homerum tuentur Herod. lib. 3. *Propositis*, inquit, *tribus statibus, & his omnibus optimis, vt optimè imperet populus, optimè pauci, optimè vnus, inter hæc multùm antecellere vnius imperium sentio*. Euripides in Andromache Act. 2. Isocrates in Nicocle, vbi ex omnium sapientum ore Monarchiam cæteris regiminum formis velut præstantiorem præponit. *Monarchiæ*, ait, *Principem locum præstantissimi quique deferunt*. Plato verò in Politico vltra medium, vnius dominationem bonis instructam legibus, velut inter cætera administrationum genera optimam, miris laudibus effert, quem posteà Platonici omnes sequuti sunt. Neque ab eo discrepat Demosthenes Olynthiaca prima de Philippo, vbi ad res bellicas celeriter, & tempestiuè conficiendas vnius regimen multùm valere scribit.

Porrò Aristoteles Peripateticorum Princeps apertè pro hac sententia pugnat lib. 12. Philosophiæ. *Natura*, inquit, *res malè administrare non vult, & multorum Principatus, ac Dominatus non est vtilis, vnus ergo sit Princeps*: quem deindè imitatus est Liuius Decad. 1. libr. 4. Seneca libr. 1. de Beneficijs cap. 20. Plutarchus de tribus Reipublicæ generibus. Plinius natur. Histor. lib. 11. cap. 5. Dionys. Cassius Nicæus Romanæ Historiæ lib. 44. & alij plerique. Ex quibus liquidò constat, omnium ferè Philosophorum sententia Monarchiam reliquas omnes gubernationum formas longè antecellere. Cùm igitur vera Religio tanquam spirituale Christi Regnum, vna, ac præstantissima à Deo instituta sit, neque minùs ea optima, ac præstantissima gubernatione egeat, quàm quodlibet aliud temporale Regnum, atque illi Christus proculdubio optima quæque contulerit, planè dubitandum non est, quin in ea Monarchicum regimen velut optimum instituerit.

Secunda ratio sumitur ex Scripturis Prophetarum, quæ vni Christo amplissimum, velut totius Orbis Monarchæ Ecclesiæ imperium pollicentur: id inter alios Regius vates scribit Ps. 2. cùm Patrem ita filium alloquentem in spiritu audit. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Qui locus iuxtà communem Patrum expositionem Tertul. aduersùs Iudæos, & lib. 3. contra Marc. Euseb. Cæsar. Theodor. de Ecclesia Gentium intelligitur, quam Christus tanquam propriam hæreditatem proprio sanguine partam à Patre accepit; cuius etiam ipse Rex, & caput à Deo constitutus dicitur in eodem Psalmo. Quod etiam confirmat Psal. 71. vbi de Christi imperio agens, iuxta communem expositorum sententiam, illud his verbis describit. *Et dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent: Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes seruient ei*. Quæ verba, præsertim extrema, ita pro-

propriè Christo conueniunt, vt neque Salomoni, vt quidam ex Rabbinis exponere conati sunt, neque alij cuiquam vlla ratione congruere possint: solum enim Christum velut totius Orbis Monarcham cuncti Reges, ac Principes adorauerunt, atque vniuersæ Orbis nationes Regem, ac Dominum agnouerunt; quamprimùm fide per totum Orbem Apostolico ore disseminata, colla Christo subdiderunt, eidemque nomen, fidemque dederunt.

De hoc Christi imperio, ac Monarchia agit Isai. cap. 9. cùm ait. *Factus est principatus super humerum eius; multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis.* In quo testimonio aliàs obseruauimus *mem* illam clausam in principio dictionis *marbe*, quæ apud Hebræos nunquam nisi in fine dictionis apponi solet, amplissimæ, atque æternæ Christi Monarchiæ mysterium abscondere.

Postremò Daniel, quo tempore perpetua hæc Christi Monarchia consurgere deberet, apertissimis verbis declarat c. 2. cùm ait. *In diebus Regnorum illorum suscitabit Deus cæli Regnum, quod non dissipabitur, & conteret omnia Regna hæc.* Et cap. 7. huius Christianæ Monarchiæ stabilitatem, ac æternitatem demonstrans. *Potestas eius*, inquit, *potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum, quod non corrumpetur.* Quæ testimonia alibi fusè declarauimus de nulla, prætetquàm de Christi Monarchia intelligi posse. Cùm verò Christus nunquam temporale regnum, quod rarò, aut nunquam à superbia, ac luxu alienum esse solet, obtinuisse legatur: certum est de spirituali Ecclesiæ Regno vniuersa Prophetarum oracula exponenda esse, vt fusè explicauimus in lib. contra Iudæos. Quod etiam apertè Paulus declarat epistola ad Ephes. cap. 1. vbi non aliam, præterquàm spiritualem Ecclesię Monarchiam Christo defert. *Ipsum*, inquit, *dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius.* Et ad Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Atque hæc omnium, qui Christianam Religionem profitentur, communis est fides, à qua nec ipsi aduersarij dissentiunt.

Hinc secundum argumentum efficacissimum depromimus. Nam cùm Deus ipse, à quo tantùm abest, vt aliquid malè dispositum suspicari liceat: quòd omnia non nisi optimè ab eo agi credendum est, Ecclesiæ Principatum ad Monarchicum vnius regimen transtulerit: optimum planè illud esse existimandum est, quod aut immutari, aut violari nefas sit, cùm Deum auctorem, ac institutorem habeat. Quò fit, vt cùm primum in quolibet genere (iuxta Philosophi sententiam) cæterorum metrum, ac mensura sit: siquidem Ecclesiæ Monarchia à Deo primùm in Christo illius capite instituta fuit; certè eadem regiminis forma, tanquam à Deo instituta, in posterioris ætatis Ecclesia retineri debuit, ac in cæteros Christi successores, qui vicaria illius potestate in Ecclesiæ moderatione fungerentur, vna illius auctoritas emanare. Inde est, quòd Petro, qui primus post Christum tanquam illius successor ab eo Ecclesiam gubernandam suscepit, dictum fuit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris*, &c. Quibus verbis summa totius Ecclesiasticæ potestatis, Ecclesiæ administrationi necessaria, quæ apud Christum residebat, Petro promittitur; quæ deinceps illi à Christo collata fuit Ioan. 21. cùm totius Ecclesiæ Pastor, & Monarcha creatus fuit illis verbis. *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas.* Sed quoniam de hac Petri Monarchia, quam Hæretici oppugnant, aliàs agendum erit, ad Ecclesiæ Monarchiam probandam redeo.

Tertia ratio sumitur ex testimonio Ezechielis 37. quo celebre de Ecclesia vaticinium profert. *Ecce ego*, inquit, *assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierant, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Israel: & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur ampliùs in duo Regna.* Et post pauca. *Seruus meus Dauid Rex super eos, & Pastor vnus erit omnium eorum.* Planè dubitandum non est, quin hoc vaticinium de Christi Ecclesia intelligi debeat, quæ ex Gentibus aliquando colligenda erat: quandoquidem illud antiquissimi quique Patres, ac Expositores ita exponendum censent. D. Hieronymus in Comment. Theodoretus, Pintus, & alij. Hoc igitur testimonio vates, quale futurum sit Christianæ Religionis regimen, & quomodo ea administranda sit, describit: postquàm Gentium vocationem primis verbis insinuauit. *Rex*, inquit, *erit omnibus imperans*: quandoquidem cùm vna sit Ecclesia ex Gentibus collecta, atque vnum Christi regnum, quod in plura dissipari non potest: hinc efficitur, vt vnus quoque duntaxar Rex esse debeat omnibus imperans; ac Pastor vnus, qui vniuerso Dominico gregi præsit: ne si plures, aut Reges, aut Pastores fuerint, discissum Regnum, ac dissipatus Christi grex esse credatur. Id igitur tametsi ad Christi Monarchiam potissimùm referatur, qui primus, ac præcipuus est Ecclesiæ Monarcha; ad perpetuam tamen administrationis formam, qua Ecclesia ad extremum vsque Orbis interitum vti debet, extendendum esse nullatenus dubitari potest: cùm hic potissimùm de Ecclesia mentio fiat, & illius gubernationis modus à vate describatur.

Neque enim mihi negari cupio, quod passim in temporalis regni administratione fieri cernimus; quin Rex sæpenumero Primario alicui viro, quem Proregem constituit, totius Regni administrationem credat. Hoc planè modo Ioseph anulum à Pharaone Rege Ægypti accepit, ac totius Regni ab eo Prorex creatus est: vt legitur Genes. 41. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm Regni solio te præcedam.* Portò hæc est Pontificis tanquam Vicarij capitis, ac successoris in Ecclesia auctoritas. Nam cùm illum Christus Dominum domus suæ, ac omnis possessionis suæ, quæ Ecclesia est, Principem constituerit; huic cunctus Christianus populus in ijs, quæ tum ad fidem, tum ad Ecclesiæ administrationem spectant, obtemperare debet: quem vno tantùm Regni solio Christus præcedit: quandoquidem primum gradum in Ecclesiastica Monarchia Christus obtinet, secundum Pontifex: ille velut Rex, hic tanquam

quam Protex, ille Ecclesiæ Monarcha, hic Promonarcha: Christus velut omnium caput: Pontifex velut omnium sub Christo procaput, neque enim Pontifici Christi successori ita Monarchicam hanc potestatem tradimus: aut illum ita Ecclesiæ caput constituimus; vt primatum hunc, aut proprio, aut hæreditario iure quæsitum, velut proprium in Ecclesia sibi vendicet, aut ita Ecclesiæ dominum efficimus, vt nullum aliud sibi præesse caput agnoscat: quandoquidem non absolutam, sed vicariam tantùm Pontifex potestatem habet sibi à Christo collatam: atque ita Ecclesiæ caput seipsum agnoscit, vt quamuis inter homines maiorem, aut certè parem non habeat, supremum tamen in cœlis caput Christum tam Ecclesiæ, quàm sibi præsidere non dubitet: quod extremis illis verbis quodammodo insinuare voluit vates, vbi inter Regem, & Pastorem videtur distinguere. *Seruus*, inquit, *meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum*. Iampridem diem suum Dauid obierat, neque alius Dauid vnquam apud Israelem regnasse legitur: quò fit, vt de Christo, & Regno Ecclesiæ necessariò locus iste exponi debeat, quem vates Dauid appellat, idest, dilectum Patri: iuxtà Patris oraculum in monte auditum. *Hic est filius meus dilectus*. Quo nomine etiam Messiam superiùs cap. 34. nuncupauerat: cùm ait. *Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid*. Christum igitur Regem vocat Ezechiel tanquam verum, & absolutum Ecclesiæ Dominum, ad quem Redemptionis iure potestas in Ecclesiam spectar: cùm verò alterum cum Christo pastorem commemorat, haud à Prophetę mente alienum esse arbitror, si ipsum Pontificem Petri successorem intelligamus, cui in persona Petri oues suas pascendas Dominus commisit illis verbis. *Pasce oues meas*. Quæ iuxta D. Bernardi sententiam de considerat. ad Eugen. Papam lib. 3. cap. 8. cuique Pontifici dicta sunt. Constat igitur quoquo modo huius Prophetæ verba siue ad Christum, siue ad Pontifices Christi successores referantur, ijs futuram ac perpetuam Christianæ Religionis administrationem sub vno Rege, ac sub vnius pastoris Principatu Monarchicam declarari.

Quarta ratio elicitur ex D. Paulo, qui ad Rom. scribens cap. 12. Ecclesiam humano corpori similem esse docet. *Sicut enim*, inquit, *in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra*. Constat autem humanum corpus, tametsi in plura membra dispertiatur, vnico tamen dumtaxat capitis imperio subijci. Quid enim si plurima capitum multitudo exurgeret, aut multa in eo capita principarentur: an non illud monstri potiùs, quàm humani corporis effigiem oculis obijceret? Ita planè de vera Religione censendum est: nam cùm vera Religio corporis humani rectè dispositi imaginem gerat: ea quoque Monarchicum regimen à Deo sibi collatum vendicare debet: quapropter vnum dumtaxat caput eam agnoscere, ac vnius Principatui subijci opus est: ne si plura capita imperent, discissa Monarchia, Christiana Religio monstri potiùs, quàm veræ Religionis speciem præ se ferat.

Quinta ratio colligitur ex vnitate Ecclesiæ. Omnes enim vnam tantùm Ecclesiam esse credunt: vt patet ex fide Symboli Apostolici, quam Christiani vniuersi profitentur. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, cui declaratiuam illam particulam addidit Concil. Constantinop. (vnam.) Hanc Ecclesiæ vnitatem præterea multæ metaphoræ ex Scripturis tam veteris, quàm noui Testamenti depromptæ non obscurè confirmant. Nam Salomon in Cant. 6. Ecclesiam comparat aciei ordinatæ. *Quæ est ista quæ progreditur*, &c. *terribilis vt castrorum acies ordinata*? Dauid Psal. 88. ciuitati. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*, qua metaphora vtuntur etiam Isa. 19. qui Ecclesiam Ciuitatem Solis appellat. *Et Ciuitas Solis vocabitur vna*, & Ioan. Apoc. 21. *Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem*, &c. Daniel Regnum vocat cap. 2. *In diebus illis suscitabit Deus cœli Regnum, quod non dissipabitur*. Paulus domum Domini 1. ad Timoth. 3. *Vt scias, quomodo te oporteat ambulare in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei viui*. Paulus item ad Ephes. 5. sponsæ comparat. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Ioannes 10. ouile nuncupat. *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor*.

Constat autem hanc Ecclesiæ vnitatem potissimùm à capitis vnitate proficisci. Ecclesiam namque vnam idcircò potissimùm appellari perspicuum est, quòd ordinis vnitatem contineat: qua vniuersa Ecclesiæ membra ita inter se disposita, ac subordinata sunt: vt quasi quibusdam gradibus ad vnum supremum caput conscendant; in quo tandem Ecclesiæ vnitas terminatur, ac perficitur: inde fit, vt tum corpus, tum acies, tum Ciuitas, tum Regnum, tum domus, tum ouile, tum sponsa nuncupetur, in quibus hanc ordinis vnitatem ad aliquod primum intueri licet. Siquidem vnum corpus ad vnum caput ordinatur. Vna Ciuitas vnius etiam gubernatoris imperio subijcitur, vna acies vno Imperatore eget. Vnum Regnum vni Regi subditur. Vni domui vnus paterfamilias præesse debet. Vnum ouile vnius pastoris vigilantia custodiri opus est. Denique si sponsa est, vni sponso inhærere debet. Ex quibus sanè necessariò infertur Ecclesiam ab vno tantùm administrari debere, vt illius vnitas conseruari queat.

Sexta ratio fluit ab ipsa vnitatis natura, quæ perfectissima, ac nobilissima est; in ea siquidem Pythagoras, ac Pythagorici rerum omnium perfectionem, columen, ac fastigium collocarunt: cùm ab ea res omnes velut à primo principio proficisci, ordinari, contineri, impleri, atque in eam tandem refluere, ac conuerti haud malè existimarint: nam cùm Deum vnitati simillimum, immò ipsam summam vnitatem esse dixerunt, per quam res quæque consistunt, ac perpetuò quodam circulo ad Deum ipsum, à quo, & in quo sunt, viuunt, mouentur, tandem reuoluuntur, tunc sanè excellentissimam vnitatis naturam non obscurè agnoscendam nobis proposuerunt. Hinc Plato in Timæo vim illam altricem, & viuificatricem rerum, quæ à Deo fluit, non alio quàm vnitatis nomine significari voluit: ea quidem ratione, quòd ab ea omnia

omnia tuta, ac integra conseruarentur: nam quæ ab ea longiùs recedunt, statim corruptioni, ac dissolutioni obnoxia redduntur.

Neque tamen existimandum est, antiquos Philosophos, eam tantùm vnitatem nobis commendatam relinquere, quæ ex plurium concordia oritur: sed eam potissimùm extollunt, quæ rebus principium, ac conseruationem tribuit. Quapropter cum Pythagoras tres mundos posuisset, Angelicum, Sphæricum, & hunc terrestrem, quem incolimus; atque inter eos eam esse harmoniam, ac concentum demonstrasset; perindè ac si non plures, sed vnus tantùm mundus esset, mox eorum conseruationem ab vna prima, ac suprema rerum omnium causa pendere docuit; qua efficitur, vt infimus hic, ac terrestris mundus Orbium cœlestium virtute alatur: Sphæricus ab Angelis motoribus gubernetur: his autem omnibus suprema quædam causa præsidet, cuius virtute vniuersa sunt, ac conseruantur. Neque à Pythagora Aristoteles dissentit; quandoquidem lib.2. Metaph. cap. vltim. totius vniuersi vitam, & conseruationem primæ causæ vnitati tribuit; & cœlestium orbium motus, vnde vita rebus omnibus inest, ab vno primo, ac supremo motore proficisci non immeritò tradit. Quod etiam præclarè confirmat Ioannes c. 11. cùm diuinæ Christi incarnationis, ac mortis non aliam causam assignat, quàm vt hanc ordinis vnitatem, quæ ab vno principio continetur, atque ad vnum supremum tendit, nobis commendatam relinqueret. *Prophetauit*, inquit, *quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente; sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum* nimirum in vnam Ecclesiam, sub vnius primarij capitis Monarchia constitutam. Hæc enim illa perfecta vnitas est, quam oratione sua Christus Io.17. perpetuam, stabilemque in Ecclesia firmauit, cùm ait. *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Diuinæ vnitatis exemplum proponit, vt nos ad perfectam hanc ordinis vnitatem mordicus tenendam prouocet: nam tametsi in diuinis nullus sit subiectionis ordo, quo vna persona alteri subijciatur: est tamen ordo originis, ac emanationis; quò fit, vt tertia Spiritus sancti persona cùm à Patre, ac Filio actiua spiratione producatur, ab his tanquam ab vnico principio quodammodo pendeat. Filius verò cùm non à seipso, sed à Patre generetur, ad eum velut generationis suæ principium refertur: his suprema eminet Patris persona velut omnium principium, non quidem dignitate maior, sed in ratione principij prima, ad quam cæteras omnes referri æquum est.

En diuinæ vnitatis mysterium, ad cuius exemplum Christus Ecclesiam suam compositam esse voluit; vt scilicet in ea hæc vnitas ordinis eluceret, qua cuncta Ecclesiæ membra ad vnum principium, ac supremum Ecclesiæ caput ordinantur. *Vt sint*, inquit, *consummati in vnum*: tunc enim fideles in vnum consummantur, cùm vnum sibi præesse Ecclesiæ Præsidem, ac Pastorem agnoscunt; in quo Ecclesiasticæ hierarchiæ ordo terminatur. Ex ipsa igitur vnitatis perfectione, potior Monarchia Ecclesiæ demonstratur.

Septima ratio colligitur ab oppositis regiminum formis, Aristocratia scilicèt, & Dimocratia; quæ imperfectissimæ omnium sententia iudicantur ob duas potissimùm causas. Prima est capitum imperantium multitudo; quæ, vt sentit Aristoteles lib.8. Ethic. cap.10. pessimum Reipublicæ genus constituit, ac labile: ægrè enim populus multorum moribus, ac plurium imperantium sententiæ sese accommodat; præsertim cùm diuersæ sint hominum voluntates, ac studia, ac proinde cùm plures imperant facilè, & moribus, & voluntate dissident: quapropter sapientissimè Christus Matth. 6. aiebat, neminem pluribus dominis æquè seruire posse. Quòd si illud optimum, ac præstantissimum gubernationis genus meritò censetur, quod diuturnam, ac semper incolumem Rempublicam efficit: id sanè neque Aristocratia, neque Dimocratia præstant. Etenim in Aristocratia, in qua pauci Rempub. administrant: in qua optimates regnant, in qua diuites dominantur: in qua Magistratus à censu æstimatione ciuibus tribuuntur: in qua potior generis nobilitati, minor virtuti locus relinquitur: in qua sæpè diues, non probus, non integer gubernationi præficitur; & quò magis honore, pecunijs, & censibus augentur, eò magis vilis virtus habetur: certè ea Respublica (si Platoni credimus 8. lib. de Repub.) neque diuturna, neque tuta esse potest. Sæpè enim accidit, vt dum plebs diuites solos, ac optimates ad Magistratum videt vocari, nullam pauperum rationem haberi: illos vt diuitias alant, ac deliciosè viuant à se pecunias extorquere, patrimonia occupare: eò plerumque populus concitetur, vt violentèr in optimates irrumpat: atque inde sequatur illius Reipublicæ corruptio.

At neque melior, aut tutior est Dimocratia gubernatio, in qua populus imperat, sapientes parent, ac omnia imperiti, atque audacis populi arbitrio creduntur. Id planè certum est populari multitudine nihil, aut insipientius, aut insolentius esse; quæ ad res agendas sine consilio præceps ruit, instar rapidi fluminis, & non secus, quàm bestia multorum capitum difficilè ad rectum componitur, quippe quæ neque rectum edocta sit, neque honestum nouerit: denique cùm populus incertus, vagus, & inconstans sit, labilem quoque, & inconstantem Rempublicam reddit. Hæc verò damna, quæ hos Rerumpub. status comitantur, non aliunde, quàm ex capitum principantium multitudine oriuntur.

Altera causa est, quòd tam Aristocratia, quàm Dimocratia in affine vitium facilè dilabuntur, nempè in seditionem, ac plebeiam insaniam: nam quemadmodum ferreum rubigo corrodit, ac vermiculi, ac teredones ligno perniciem adferunt: ita vt quamuis nulla externa damna patiantur, ab istis tamen, quæ illis agnata sunt, absumantur: hoc pacto Respublicas his gubernationibus institutas, necessariò seditionibus, ac cladibus tanquam agnata sibi malitia agitari, corrodi, ac tandem corrumpi, ac dissolui necesse est. Nemo enim Dominicam sententiam igno-

ignorat; omne Regnum in seipsum diuisum desolandum:& plurimum principatum, cùm diuisus sit, sine factionibus, ac seditionibus esse non posse, quibus tandem discindatur.

Porrò Ecclesiæ regimen cùm perfectissimum esse debeat, velut à Deo institutum; maximè ab his gubernationum formis, quæ imperfectissimę sunt, alienum esse debet: neque enim Religio, quæ perpetuò firma, ac stabilis esse debet, eas gubernationum formas pati potest, quæ diuisiones, ac dissensiones suaptè natura pariunt; quibus ea dissolui possit: quapropter Paulus eas summopere vitandas in Ecclesia monet 1. Corinth. 1. *Videte ne in vobis sint schismata*, & cap. 11. *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo*: & ad Galat. 5. *Quòd si inuicem mordetis, & comeditis; videte ne inuicem consumamini*: ea enim est diuisionis natura, vt ad dissolutionem tendat. Quare cùm capitum multitudo eò magis diuisa sit, quò longiùs ab vnitate recedit: inde perspicuum fit, veram Religionem non Aristocratica, aut Dimocratica gubernatione, quæ cùm capitum multitudinem amplectuntur, seipsis ad dissolutionem properant, esse regendum: sed pręstantissimum gubernationis genus in ea ponendam esse, nempe Monarchicum: quod sanè eò excellentius cæteris omnibus regiminum formis declaratur, quò à diuisione, ac animorum dissensione longiùs abest, quæ Rebuspublicis viam ad interitum patant.

Et quod solidum huius rei fundamentum videtur; nunquam Deus, qui potestatis largitor est, atque Ecclesiæ institutor, Democratiam, aut Aristocratiam in Ecclesia instituit: sed eam sola Monarchia regi voluit: nam cùm in Iudęorum Synagoga, quę olim vera Ecclesia fuit, vtramque & Aristocratiam, & Democratiam constituere potuisset, tamen noluit: sed omnia vnius Moysis voluntati, tanquam supremi Monarchę imperio commisit, ac ipsum totius Ecclesiæ Principem esse voluit. Subinde Moyses moriturus, ne populus in Aristocratiam, vel Democratiam diflueret, cùm hanc D. Opt. Max. esse voluntatem cerneret, vt institutam ab ipso Monarchiam in Ecclesia seruaret; ita Deum deprecatus est, vt habetur Num. cap. 27. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos: ne sit populus Domini sicut oues absque pastore*. Cùm etiam futurum Deus præuideret, vt longè post adeptam terrę promissæ possessionem, egeret populus noua administrationis forma, Ecclesię gubernationem non ad Aristocratiam, aut Democratiam transtulit: sed institutam Monarchiam in Regum successione seruari voluit, vt legitur Deuteron. 17. *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitabisque in illa, & dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*.

Neque Christus omnium restitutor, Ecclesię administrationem vnquam in Aristocratiam, aut Dimocratiam discidit: neque enim populo docendi, aut ligandi, aut soluendi, aut quoquo modo regendi Ecclesiam potestatem dedit: neque Apostolis, qui Ecclesiæ optimates iure censeri debeant, promiscuè, aut claues regni cœlorum, quo Ecclesiam significare voluit, tradidit, aut pascendas omnibus oues commisit: sed vni dumtaxat Petro totius Ecclesię summam credidit; quem idcircò vnicum Ecclesiæ pastorem esse voluit: Monarchiam priùs à Deo institutam in Ecclesia seruandam relinqueret.

Denique octaua, ac postrema ratio ex veteris Ecclesiæ vnanimi consensu elicitur. Quotquot enim olim Orthodoxam fidem professi sunt, & integra veteris Ecclesię dogmata ab ipsis Apostolorum temporibus hausta nobis protulerunt: omnes vnius præsidis Monarchiam in Ecclesia à Christo institutam docuerunt. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ hoc fusè, ac egregiè prosequitur. *Vt vnitatem*, inquit, *Christus manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit*. Non eam Ecclesię vnitatem, qua ab vna charitate profluit, qua Ecclesię membra inter se mutuò cupulantur (vt falsò existimant aduersarij) nobis hoc loco Cyprianus commendat: sed eam, qua vnum alteri subordinatur, donec ad vnum aliquod primum deueniatur, cui cętera omnia subiecta sint, quod totius vnitatis vinculum, ac origo sit, quæ ordinis vnitas nuncupatur. Hanc vnitatem Cyprianus, ita Ecclesię necessariam esse docet, vt quisquis ab ea recedit, protinus extra Ecclesiam fiat, ac Hæreticus censeri debeat. [Vnde enim,] inquit libro 4. epistola 9. [schismata, & hæreses obortę sunt, & oriuntur, nisi quòd Episcopus, qui vnus est, & Ecclesię pręest, superba quorundam præsumptione contemnitur? & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur?] Eo quàm apertè Cyprianus explicat, se de illa vnitate agere, quæ omnia Ecclesiæ membra sub vnius Episcopi, totius Ecclesiæ Pręsidis Monarchia subiecta concludit. Quid violenter Cyprianum ad solam charitatis vnitatem rapere conantur? Quid vnam cathedram, quæ vnius in Ecclesia magisterium complectitur; à Christo institutam diceret? Quid Ecclesiæ vnitati originem ab vno incipientem pręscriberet, si sola charitatis non ordinis ratio haberetur? Denique cùm hanc Ecclesiæ vnitatem à Christo ita dispositam esse docet, vt ab vno Petro incipiat; cui dubitandum est, quin ea ordinis, non charitatis vnitas censeri debeat, quæ veram Ecclesię Monarchiam parit? Quapropter sicut Ecclesiæ vnitas eo potissimùm declaratur, quòd vni supremo capiti adhęret, à quo vnitatis principium fluit: ita ea sola, ac vera Christi Religio (eodem Cypriano teste lib. de vnitate Ecclesię) agnoscenda est, quæ vnius legitimi Pręsidis Monarchiam perpetuò sibi coniunctam seruat. *Primatus*, inquit, *Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur*.

Hoc ipsum docet Cornelius Cypriano contemporaneus, atque ei amicissimus epist. ad eundem Cyprianum de Confessoribus ad vnitatem regressis. Vbi illorum confessionis verba refert. [Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimę Catholicę Ecclesię electum à Deo omnipotenti, & Christo Domino nostro scimus:] & post pauca. [Nec enim igno-

ignoramos vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.] Agnoscant hinc aduersarij, quę fuerint veteris Ecclesię fideles, cùm vnam Ecclesiam crederent, quandoquidem in ea ordinis vnitatem ita agnoscebant; vt haud secus, quàm vnius Dei, vnius Christi, ac vnius Spiritus sancti, vnius quoque visibilis Ecclesię capitis fidem profiterentur.

Hæc fuit etiam omnium posteriorum fides. Nam Optatus, qui Augustini temporibus floruit, hanc ordinis vnitatem semper ab omnibus in Ecclesia seruatam esse testatur, vt vnus Ecclesiæ Pastor, ac Monarcha præesset, qui Petri legitimus successor esset. *In vna*, inquit, *Petri Cathedra vnitas ab omnibus seruatur*, ita scribit lib. 2.

Augustinus etiam ipse hinc veram Christi Ecclesiam se agnoscere, atque in ea teneri profitetur, quòd in ea vnum, ac supremum caput cernat, quod legitima successione Petro succedat: ita colligit cont. ep. fundamenti cap. 4. [Multa sunt, inquit, quæ me iustissimè tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio: tenet consensio populorum, & gentium, &c. tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.] Et epist. 165. Pontificum Romanorum ordinem, vsque ad Innocentium ab ipso Petro cœptum recenset, ex quo Catholicæ Ecclesiæ vnitatem demonstrat.

Inde etiam Iren. lib. 3 c. 3. veram. Christi Religionem, ac doctrinam colligit, cùm vnam principalem Cathedram, ac primariam sedem, in qua vnus Petri successor toti Ecclesiæ præsidet, in Ecclesia esse repositam agnoscit. Sed quoniam de hoc plura testimonia inferiùs adducentur; ex his collegisse sufficiat, quàm constans, ac perpetua in Ecclesiæ Monarchia tuenda fuerit veteris Ecclesiæ cum hac nostra conspiratio.

ARTICVLVS VII.

An sufficiat vera Religionis Caput illi inuisibiliter præesse.

HActenùs Monarchiam vnius supremi capitis prælatione constitutam, Ecclesiæ necessariam esse demonstrauimus. Nunc examinandum superest, quale hoc caput esse debeat, visibilene, an inuisibile? Lutherani, & Caluinistæ tametsi in assignanda certa Ecclesiastici regiminis forma non parum inter se dissideant: in hoc tamen omnes conueniunt, Christum Dominum vnicum esse, ac inuisibile totius Ecclesiæ caput; hanc verò inuisibilem Christi gubernationem Ecclesiæ ita abundè sufficere volunt: vt non modò superuacaneum existiment, aliam visibilis capitis in ea administrationem constituere: verùm & maximam Christo contumeliam irrogari doceant, si aliud, vel cum Christo, vel sub Christo Ecclesiæ caput esse credatur. Hunc errorem docent Lutherus in captiuit. Babylonica. Philippus Melanchton de potestate Papæ, seu de regno Christi. Ioan. Caluinus lib. 4. *Instit. cap. 6.* §. 9. Magdeburgenses in fine cuiuslibet Centuriæ hac ratione Romani Pontificis primatum inuadunt. Qui error priùs fuit Wicclefii cap. 27. & Ioannis Hus referente Cochleo.

At Catholici omnes ita Christum totius Ecclesiæ caput, ac inuisibilem illius in Ecclesia gubernationem fatentur, vt aliud quoque sub Christo visibile, ac ministeriale caput, à quo visibile Ecclesiæ regimen administrari queat, necessarium esse ducunt. Duo igitur demonstranda erunt, quæ duobus hisce articulis absoluemus. Primum, an supposita hac capitis vnitate, quam nuper in Ecclesia necessariam esse docuimus, satis sit hoc caput Ecclesiæ inuisibiliter præesse. Alterum, an præter Christum necesse sit aliud visibile caput in Ecclesia ponere.

Iam quòd ad primum attinet in hoc articulo examinandum. Certè si in præsentem Ecclesiæ statum, quæ nunc apud nos in terris versatur, qui cùm ex his fidelibus velut partibus compactus sit, qui visibiliter adhuc cum hoste dimicant, prorsus visibilis esse debet, oculos defigimus: nulla nobis ratione persuadere possumus, vt in visibili Ecclesiæ corpore, cui non tantùm inuisibilis, sed perspicua etiam gubernationis forma necessaria est, illud dumtaxat caput præesse sufficiat, quod nulli visibile est, & inuisibilem tantummodò administrationem exercet. Nam & ipse inuisibilis Deus, tametsi, vt primus opifex, ita supremus sit omnium gubernator: quia tamen visibilem præsentiam suam hominibus non exhibet, hominum ministerium, & quasi vicariam operam adhibet, vt hominum Rempublicam administret. Idcircò per homines Reges creat, Imperatores eligit, Magistratus instituit, quibus deinde, velut instrumentis vtitur, vt proprium opus peragat, & eorum ministerio Orbem vniuersum regat, ac moderetur.

Potuisset quidem Deus, vel per seipsum absque hominum adminiculo, vel etiam per Angelos Orbem administrare: at id minimè hominum statum decebat, qui visibili præfectura indiget: neque diuinæ Maiestati par esse videbatur, vt ipsa seipsam hominibus visibilem exhiberet: atque his quid sequendum, quid fugiendum, quid amplectendum, quid respuendum esset, ipsa proponeret. Satius fuit Deum hominum ministerio vti: primùm quidem, vt suam erga nos humanitatem declararet, dum non terribilem, vel suum, vel Angelorum aspectum nobis offert intuendum: sed homines, & genere, & aspectu nobis affines præesse iubet, qui diuina apud nos legatione fungantur: qui diuinæ nobis sint voluntatis interpretes: qui illius tandem personam, ac maiestatem referant.

Deinde, vt homines discant, qua reuerentia Deum prosequi debeant; cùm Regibus, ac Ducibus, qui naturæ conditione cæteris hominibus pares sunt, eam obedientiam, ac obseruantiam præbent, quæ omnium exactissima existimatur, tandem eò tendit regum visibile hoc in Orbe administrando ministeriū, vt homines hoc visibilis ministerij vinculo constricti mutuam inter se vnitatem meliùs foueant; dum vnico capiti, cuius aspectu, ac gubernatione fruuntur, omnes cohærent; & Deo penitus adhærere discant, dum ei capiti con-

connecti sciunt, quod Dei vice sibi præsidere agnoscunt.

Hoc planè modo, & tatione Christus gloriosus Ecclesiam, ac totum Christianum Orbem, cuius caput est, administrat. Cùm enim is inuisibilis sit, & visibilem præsentiam (vt olim cùm apud nos degeret) fidelibus suis ampliùs non exhibeat: planè opus fuit illum (vt Diuini moris est) hominum ministerio vti; ac Pastotem sui loco sufficere, cuius vicaria opera ad Ecclesiam tegendam sibi inseruiret; vt inuisibilis ipse in Pastore visibili visibilitet quodammodo Ecclesiam gubernatet. Fateor equidem Chtistum, solo Spiritu suo, quo vniuersa agitat, totum corpus Ecclesiæ regere posse: fateor quoque non inuitus spiritu Christi totam Ecclesiam ita inuisibiliter gubernari, vt ab eo potior illins administrario expectanda sit; at manifestè nego solam inuisibilem administtationem ad Ecclesiæ, quæ visibilis est, gubernationem sufficere: & Christo in cœlum assumpto alia ratione à Spiritu Christi, quàm hominum ministerio Ecclesiam ministrari: nam si in Orbe administrando, Deus hominum ministerio vtitur, vt visibiles naturas visibili modo administret: num Ecclesiæ, quæ visibilis est, inuisibilem gubetnationem sat esse arbitrabimur.

Id quidem certum est, absque inuisibili Christi administratione Ecclesiam non posse subsistere: siquidem ea est, qua tum fides, tum spes, tum charitas in hominum mentibus generatur, quæ solus Christi Spiritus in interiore homine operatur: quapropter eam Ecclesiæ necessariam esse Christus ipse testatus est, cùm Matth. vlt. cap. in cœlum ascendens, ait. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* At verò cùm visibilis, & extetna sit Ecclesiæ facies: & pleraque tam ad fidem, quàm spem, ac charitatem in Ecclesia, tum gignendam, tum conseruandam visibilia media necessaria sint: siquidem ad fidem concipiendam necessaria est eiusdem fidei prædicatio, Scripturarum testimonium, Ecclesiæ traditio: nam vt ait Paulus. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Prætetea ad iustificationem comparandam, à qua viua spes, ac charitas pendent; necessarium est sacrum Baptisma, quo peccata delentur: quod quidem si Ecclesiæ desit, iam nullus ei relinquitur Diuinæ charitatis promerendæ modus, cùm Dominus ipse id apertè testetur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sanè perspicuum est, visibilem quoque, & externam in Ecclesia administrationem requiri; quæ si absit, inuisibilem quoque administrationem corruete necesse est. Quamobrem Christus, dum mortalis inter nos vetsaretur, tametsi spiritu suo Ecclesiam inuisibiliter administratet: tamen, vt visibile quoque regimen necessarium esse demonstraret; visibilem principatum in Ecclesia erexit, ac visibiliter ipse Ecclesiam regere voluit, velut primus Ecclesiæ Monarcha, atque hinc discessurus visibilem, atque externum hunc principatum ad Petrum transtulit, vt ab eo in omnes illius successores stabilis, ac perpetuus manaret: quocirca malè de Ecclesiastica gubetnatione sentiunt, qui Christi Ecclesiam alia ratione gubernandam esse credunt, quàm quomodo ab ipso, dum inter homines versatetur, gubernata est, ac verbo suo gubernandam reliquit.

Equidem si Christus nunquam seipsum visibile Ecclesiæ caput exhibuisset, neque inter homines velut communis omnium Pastor visus esset: sed solo spiritu Ecclesiam tantùm inuisibiliter gubernasset: profectò dubitare possent aduersarij, num & idem nunc in Ecclesia fieri opus esset: præsertim si nullum vnquam Ecclesia administratorem præter Christi spiritum habuisset. Porrò cùm non tantùm spiritu, sed & carne visibili Christus Ecclesiam rexerit; atque in ea visibilis Pastoris officium obierit; necnon plurima, quæ ad externam Ecclesiæ administrationem pertinent, instituerit; denique visibilem successotem sibi elegerit; planè dubitandum non est, quin prætet inuisibilem Christi administrationem, visibilis quoque alterius capitis gubernatio exigatur. Quapropter eredendum est, Deum Patrem ita filij sui carnem dilexisse, vt si nulla alia ratio superesset, ob illius tamen carnis reuerentiam, quæ visibilem in Ecclesia principatum gessit, visibilem alterius hominis carnem, velut electum instrumentum spiritu Christi donatum nunquam excitare desinat, quod velut Christi suffraganeum caput visibiliter Ecclesiam gubernet.

His accedat, & alia tatio. Nam si Apostolorum, ac Discipulorum dignitas, quæ adeò necessaria minimè videbatur, ne prorsus interiret; successores Episcopos, ac Presbyteros in Ecclesia reperit; neque ipsi aduersarij ita inuisibilem Christi spiritum sufficere arbitrati sunt, quin visibiles Episcopos, ac Pastores, qui Apostolis succederent, in Ecclesia necessarios esse docerent; num Christi dignissimum Principatum, qui adeò Ecclesię necessarius fuit, vt absque illo ea fundari minimè posset; attestante ipso Domino. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,* perijsse funditus existimabimus; ita vt nullum omninò successorem sibi vendicet? nec non inuisibilem Christi spiritum ad Ecclesiam regendam ita sufficere arbitramut, vt nullo visibili successore opus sit; in quo & Spititus Christi, & sacer illius Principatus resideat?

Ex his apertè colligo, quòd si sola inuisibilis Christi gubernatio Ecclesiæ sat esset, atque alterius visibilis capitis omnis administtatio supernacanea foret, frustrà is visibilem Pontificatum in Ecclesia gessisset, quod Ecclesiæ necessarium non erat: frustrà Apostolos ad Ecclesiam regendam vocasset; frustrà discipulos ad Orbis conuersionem destinasset; frustra fidei prædicationem instituisset; frustra Sacramenta administrasset; ac cętera Pontificalia munera obijsset, quę non nisi à visibili Pastore, visibiliter exerceri valent: frustrà etiam Scripturas, quæ visibiles sunt, nobis velut potissimas fidei regulas per Apostolos, ac Apostolicorum virorum manus reliquisset: cùm verò hæc omnia Christus, qui summa Patris sapientia est, frustrà non egerit: constat sanè non inuisibilem tantummodò, sed visibilem quoque administrationem Ecclesiæ necessariam esse, quam à visibili, ac succedente sibi Pontifice exerceri velit.

At

Ar præterea ab aduersarijs quæro; An visibilis Christi Pontificatus, quo semel functus est, funditus cum Christo sit euersus; an potiùs cum eo in Cœlum sublatus? si omninò perijsse dicant; planè summam iniuriam Christo faciunt, qui periturum aliquid, atque inane illum in Ecclesia gessisse credunt, præsertim cùm, Apostolo teste, omnis Christi actio nostra sit instructio, & quæcumque à Christo facta leguntur, vel ad doctrinam, vel ad exemplum duci oporteat, & siquidem Christi Pontificatus ad doctrinam non pertinebit, id sanè ad exemplum, ac imitationem trahi opus fuit.

Quòd si in Cœlum cum Christo subuectum sentiant: iam quid ille Ecclesiæ, quæ visibilis est, ac visibili administratione indiget, prodesse posset? vel igitur Christus supervacaneum in Cœlis Pontificatum gereret, quod necessarium non esset; vel inutile, quod Ecclesiæ non prodesset. Vtrumque absurdum, ac Christo iniurium censeri debet.

Christus igitur sicut visibilem aliquando in Ecclesia Principatum gessit, vt Ecclesiam visibiliter administraret; ità nunc eumdem Principatum in Ecclesiam necessarium esse dicimus; ne inane aliquid, aut superuacaneum Christi operibus affingamus; sed cùm is Principatus sui aspectum, quem olim dum in terris ageret, visibilem exhibuit, à nobis abstulerit; eum quidem per cœlestes gratiarum influxus inuisibili modo Ecclesiam administrare non dubitamus: at id nequaquam Ecclesiæ sufficere credimus; nisi ei visibilem etiam Pontificem substituamus; in quo is visibiliter quodammodo Ecclesiam administret, ac spiritualia dona, quibus inuisibilis Ecclesiæ gubernatio ab eo peragitur, velut in legitimo successore quiescant, quorum ope, ac adminiculo & ipsa visibilis administratio recté exerceri possit.

Quod si fortè dicant, inuisibilem hunc spiritualis gratiæ influxum, qui à Christo capite fluit, in Episcopos, ac Pastores diffluere, qui ad Ecclesiæ administrationem vocati sunt; ità vt ij soli dumtaxat absque Pontifice ad Ecclesiæ gubernationem sufficiant; eo planè modo, quo Spiritus sanctus generalibus Concilijs preesse creditur; quibus idcirco nullus in fide error adscribi potest.

Primùm quidem, quod ad Concilia attinet, ijs Spiritum sanctum præsidere, ac nulli erroris maculæ obnoxia esse ea conditione amplectimur, si legitimè Pontificis auctoritate congregata, ac peracta fuerint; ac vnus illis supremus, ac legitimus Pastor vice Christi præsideat; cui Spiritus Christi in decernendis fidei rebus collatus est, à quo deinde in vniuersos Concilij Patres indelebilis fidei, ac morum, cui recta Ecclesiæ gubernatio innititur, veritas redundet. Nam & Scriptura testatur olim Deum de Spiritu sancto, qui in Moyse Dei populi Principe copiosus erat, citrà vllum Moysi præiudicium accepisse, ac septuaginta iudicibus communicasse. En quomodo ipse Deus non alium septuaginta iudicibus spiritum dispertitur, quàm qui priùs Moysi plenissimè collatus fuerat; ità vt ij quasi ex Moysi plenitudine Spiritum sanctum acciperent, quo sanè edocemur, priùs in Pontificem Christiani populi Rectorem Spiritus Christi plenitudinem diffundi, quæ deinceps in legitimum Concilium diffluit. Apostoli quoque dum Christo Ecclesiæ Pontificatum in terris gerente fruerentur, non alliundè, quàm ab ipso fidei, ac Ecclesiasticæ administrationis spiritum hauserunt; quapropter Christus ipse, cùm Petrum Ecclesiæ Rectorem institueret, in eo perennem fidem obsignauit, vt reliqui Ecclesiæ Ministri, ac Pastores indè veram Ecclesiæ gubernationem sumerent, vbi nulla fidei, ac veritatis ruina timeretur: cùm ait. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Ità enim beatus Bernardus locum hunc explicat epist. 190. ad Innoc. Papam. [Dignum, inquit, namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; hæc quippè huius prærogatiua sedis: cui enim alteri aliquando dictum est; Ergo pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? ergo quod sequitur à Petri successore exigitur. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.]

Cæterùm cùm Spiritus Christi, quo Ecclesia rarùm rectè gubernari potest, non nisi in Vicario illius capite resideat, atque indè in cætera Ecclesiæ membra diffundatur: sanè frustra aduersarij illum Episcopis, ac Pastoribus absque Pontifice datum esse credunt, ac illos tamquam Spiritu Christi donatos ad Ecclesiæ administrationem sine Pontifice vocant: cùm nulla absque Pontifice vera administratio in Ecclesia esse possit.

ARTICVLVS VIII.

Demonstratur præter inuisibile Caput aliud quoque visibile in Ecclesia sub Christo ponendum esse ex Scripturis.

Restat tandem celebertima illa quæstio examinanda, quę maximè inter Catholicos, ac nostræ tempestatis Hæreticos agitari solet. Num præter Christum, qui inuisibile Ecclesiæ Caput ab omnibus astruitur, aliud visibile in Ecclesia necessariò ponendum sit? Aduersarij omnes neruos intendunt, vt hoc visibile caput quoquomodo sub Christo constituatur, ab Ecclesia expellant, ac nullum præter Christum agnoscendum esse persuadeant. Nostri contra Scripturarum telis, Patrum testimonijs, Ecclesiæ veteris traditionibus, argumentis, ac demum ipso Dei decreto pro visibili capite aduersùs illos pugnant. Nos pro veritate dumtaxat pugnabimus, & Catholicorum sententiam veram, atque Orthodoxam esse demonstrabimus.

Primùm ex Scripturarum oraculis, tum Patrum, ac veteris Ecclesiæ testimonijs, deindè Conciliorum auctoritatibus: demum rationibus ab ipsa Scriptura deptomptis.

Primum quod ad Scripturarum testimonia spectat, præter ea quæ in sexto articulo allata sunt, celebre est Michææ vaticinium cap. 2. vbi non modò ex Christianorum Doctorum, sed etiam ex Chaldæorum, & veterum

terum Hæbreorum sententia, quorum verba refert Petrus Galat.lib. 8. Arcan. cat. fid. capit. 23. de Ecclesia agitur.

Porrò illius verba ità incipiunt. [Congregatione congregabo Iacob totum in vnū, conducam reliquias Israel pariter: ponam illum tamquam gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum.] Hæc de Ecclesiæ Christianæ vocatione, & amplitudine sine dubio exponenda sunt,vt præclarè docet D. Hieron. in hunc locum: Iacob enim & Israel vtrumque, & Hebræum, & Gentilem populum designant, ex quo Ecclesia colligenda erat. Hic verò id imprimis obseruandum est, vatem, vt Christi, & Apostolorum diligentiam in Ecclesia colligenda declararet,nota apud Hæbreos phrasi vsum esse. *Congregatione congregabo Iacob totum in vnum, conducam reliquias Israel pariter.*

Perindè ac si diceret. Plenè, exactè,diligentissimè congregabo; nihil omnino dispersum relinquam, quod non congregem; quod apud Ezech. cap. 34. adhuc diligentiùs exaratum habemus, cùm legitur. [Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum in die,quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas,& liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis, & caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris.]

Deindè,vt maximam fore multitudinem indicet eorum, qui ad Christi Ecclesiam confluxuri erant. *Tumultuabuntur*,inquit, *à multitudine hominum*: non vt confessionem innuet, sed vt maximam tantummodò populorum multitudinem ostendat, qui ad Christianam Ecclesiam vocandi erant. Tumultus enim vox plurimorum est iuxtà Diuum Hieronymum.

Mox addit vates. [Ascendet enim pandens iter ante eos, diuident, & transibunt portam, & egredientur per eam.] Hæc partim de Christo, partim de Ecclesia dicta sunt: ascendit enim Christus in Cœlum, cùm ad Patrem redijt, pandens fidelibus iter, quo ad cœlestia regna capescenda euolare possent. Ità enim testatur Moyses Deut.32. [Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans:] sequuntur autem fideles quasi pulli rationales Christi fidem, & charitatem sectantes. Hæc enim porta est, per quam illis ad Cœlum transitus patet.

Atque ità hunc locum exponit D. Tho. 3. par. qu. 57. art.6. At verò quid post Christi Ascensionem factum fuerit, statim declarat cùm subdit. *Et transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Regem à regendo dictum esse nemo ignorat; ità vt ia Rex rectè appellari possit, cui aliorum regendorum cura, ac auctoritas incumbit,quamuis nunc ex hominum vsu, ac vsurpatione, nomen hoc Regis ad eos tantùm spectet,qui magnam populorum copiam obtinent, iu eosque absolutum ius exercent: olim verò præsertim apud Hæbreos, hæc etiam summis Sacerdotibus dignitas collata erat, qui & Reges dici poterant; vt de Moyse perspicuum est; qui summus Sacerdos fuit: de Melchisedech Rege Salem, qui & ipse Sacerdos erat Dei altissimi; de Iuda Machabæo, Ionatha, Simone, qui cùm Sacerdotio fungerentur,Regis etiam ius exercebant. De Christo nemo dubitat, quin à Prophetis Rex nuncupetur.

Ità Dauid Psalm. 2. & 71. Dan. 2. Zachar. 9. Petrus verò ep. 1. cap. 2. Christi Sacerdotium, ac Pontificatum, quod ad successores transijt, regio titulo exornat, dum Regale Sacerdotium appellat. Regis ergo nomine certum sit eos omnes dignos censeri,qui supremum ius,aut spirituale,aut temporale in alios exercent.

Duos igitur Micheas hoc loco præsidea in Ecclesia futuros esse prænunciat,seu potius vnum sub altero constitutum. Vnum quidem Regem appellat, qui coram Ecclesia, ac tota fidelium multitudine graditur.

Alterum, Dominum, qui in capite Ecclesiæ sedet. Ille tamquam visibile Ecclesiæ Caput, ità ante omnium aspectum versatur, vt Ecclesiam visibiliter administret: hic idcirco in capite constituitur, vt in hoc visibili capite ipse Ecclesiæ inuisibiliter præsit: hic Christus est, ille Pontifex, qui tametsi Christi successor sit, ac visibile Ecclesiæ Caput,ad quem visibilis Ecclesiæ administratio pertinet, atque indè Sacerdotes ordinet, Episcopos constituat, causas Ecclesiasticas iudicet, animarum saluti prouideat, ac totius Ecclesiæ visibilem curam gerat, Dominus tamen Ecclesiæ non vocatur; sed Pastor, prorex, ac Rex sub Christo constitutus. *Rex*, inquit vates, *transibit coram eis.* At Christus in capite collocatur, ac Dominus à vate appellatur. *Et Dominus in capite eorum.* Nec immeritò,cùm is solus Ecclesiæ Dominus censendus sit, qui Ecclesiam sanguine suo comparauit; & primum, ac absolutum dominij ius in eam, velut in hæreditatem acquisiuit; quod & ipse testatus est cùm Apostolis dixit. [Vos vocatis me magister, & Domine; & benè dicitis, sum etenim.]

Hunc igitur, ac supremum Dominum Ecclesia sibi præesse agnoscit, licèt inuisibilis sit; à quo in omnia ipsius membra cœlestis, ac inuisibilis gratiæ vitam sibi emanare sentie.

Neque tamen existimandum est, nos, aut Ecclesiam bicipitem efficere, ac duo capita, vnum visibile, alterum inuisibile in ea constituere,aut Christi Regnum,quod illi integrum esse debet, aliquo modo proscindere, vnicum enim dumtaxat, ac supremum in Ecclesia Caput agnoscimus, Christum nimirùm, de quo Paulus Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.*

Neque illius Regnum proscindimus; sed vnum, ac integrum Ecclesiæ Imperium Christo manet, cui tamen visibile caput substituimus, tamquam vicarium, ac suffraganeum; in quo omnis Christi potestas, quæ Ecclesiæ administrandæ necessaria est, residet. Etenim perspicuum est, quandocumque vnum ab altero pendet, ea non duo, sed vnum tantùm censeri: nam nec proptereà duos in Regno Reges esse indicamus, quòd in eo Prorex imperet; sed vnum tantùm, cùm hic à Regis auctoritate pendeat. Deum quoque, eo quòd plurimos in Orbe Reges constituat, haud tamen diuisum cum his Imperium gerere existimamus: cùm solus omnium Rex, ac con-

ditor sit; & iure proprio vniuersos sibi Reges subijciat.

Hoc pacto nec in Ecclesia duplex ius, aut dominium constituitur, cuius partem vnam Christus, alteram Pontifex sibi vendicet, ob id quòd præter Christum caput quoque visibile in Ecclesia præsit: sed omnium Christo potestatem deferimus, quæ illi à Patre tradita fuit, cùm ait. [Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.] Hinc etiam Rex Regum, & Dominus dominantium à Ioanne appellatur. Quapropter haud frustrà vates ait; [Dominus in capite eorum.] Neque enim Pontifex sine Christo caput Ecclesiæ creditur, aut Christus sine Pontifice visibilem Ecclesiæ gubernationem exercet; sed Dominus in capite, Christus in Pontifice, caput in capite necessariò agnosci debet: non quidem vt duo capita exurgant, quibus Ecclesiæ Regnum diuidi, aut corpus discindi contingat: sed vt vnum tantummodò caput absolutum, ac supremum agnoscatur, quod vates Dominum appellat, alterum sub illo ministeriale credatur, quod toti Ecclesiæ perspicuum sit, ac visibile coram ipsa incedat. Constat igitur primùm ex hoc Micheæ vaticinio, præter Christum aliud quoque visibile caput in Ecclesia statuendum esse.

Alterum æquè illustre vaticinium est Oseæ 1. vbi ita legitur. [Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra.] Si de Hebræo populo hæc Oseæ verba quis explicare velit: sanè numquam impleta fuisse reperiet, præsertim cùm post Regnum Iudæorum discissum, illud numquam deinceps instauratum fuerit: maximè verò post Oseam, qui in Regno Ezechiæ propè Iudaici Regni interitum propherauit; post quem vix sex in Iuda Reges superfuerunt: inter quos neminem legimus extitisse, qui omnibus duodecim Tribubus solus imperauerit, vt Prophetæ verba indicant.

Quapropter alio modo interpretanda esse hæc vaticinij verba docet D. Aug. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 28. & lib. 22. contra Faust. cap. 89. quem sequitur Lyranus, & multi ex recentioribus: nimirùm vt per Iudam, & Israelem, duos illos populos, in quos vniuersus terrarum Orbis olim diuisus erat, intelligamus, Iudæum nempè, ac Gentilem. Iudæos quidem filios Iuda appellat: gentes autem ad Christum conuersas nomine Israelis insinuat: quod etiam indicat Paulus ad Roman. cap. 9. scribens, cùm ait. *Non omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ.* Vbi duplex Israelitarum genus distinguit, vnum quidem carnale, quod à Iacobo, aut Israele per carnalem propagationē traducitur: alterum spirituale, quod cùm Israelis fidem sectetur, spiritu potiùs, quàm carne ab eo se genitum esse testatur: quod idem Paulus apertiùs declarat, cùm ait paulò post. *Neque qui semen Abrahæ sunt, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Quæ verba ipsemet clariùs exponens. *Idest*, inquit, *non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.*

Quapropter ij veri Iudæi, ac Israelitæ tantùm censendi sunt, qui spiritus potiùs, quàm carnis propagatione à Christo, qui per illud Isaac semen significatum, originem ducunt.

De his igitur Oseas prænunciat in vnum fore congregandos: in vnum scilicet corpus Christi mysticum, atque in vnam Ecclesiam, hoc enim illud est Christi vaticinium, quod apud Matth. exaratum legimus cap. 8. cùm de futura Ecclesia agens ait. *Dico autem vobis, quia multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno Cælorum.* A quo nec ipse Paulus dissentit, cùm ad vtriusque populi, Iudaici nimirùm, ac Gentilis vocatione ad Ephes. scribens capite secundo. *Ipse*, inquit, *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, &c. *vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucem.*

Quod verò magis propositum nostrum vrget; illud est, quod sequitur. *Et ponent*, inquit Vates, *sibimet caput vnum.* Planè non ignoro hoc ferè ab omnibus de Christo exponi, quem Paulus caput Ecclesiæ à Deo constitutum esse docet ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* At si verba Prophetæ expendimus, quibus ait; hos populos, quos Ecclesiam vnam esse diximus, sub vno Christo capite collectam (neque enim Ecclesia Christiana appellari potest, quæ Christum caput non agnoscit) postquam simul collecti fuerint, ac sub vna fide nomina Christo dederit; sibimet caput vnum posituros: videntur profectò ea non de Christo, sed de alio capite post Christum exponenda esse. Quorsum enim Ecclesia iam à Christo in fide collecta, vt vates insinuat, cùm ait. *Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter* (præsertim cùm non à seipsis, sed à Christo illos congregari opus fuerit, ad quem spectat fidem infundere, atque ad Ecclesiæ ouile vocare) ipsum Christum sibimet in caput eligeret? cùm non Ecclesia Christum, sed Christus Ecclesiam elegerit: vt ipse testatur Ioannes 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* quod etiam Paulus confirmat ad Ephes. scribens cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret; mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam*, &c.

Ac prætereà idem Paulus cùm de Christo capite agit, non ab Ecclesia, sed à Deo constitutum esse affirmat. Ipsum dedit caput, inquit, super omnem Ecclesiam: quò fit, vt non nisi impropriè hæc vaticinij verba ad Christum referri valeant.

Quod nam igitur illud caput erit, quod futuræ Ecclesiæ electioni committendum esse vates pronunciat? non aliud sanè, quàm visibile Ecclesiæ caput; quod post Christum aliquando à tota Ecclesia, vel ab ijs, quibus ex Ecclesiæ consensu hæc facultas collata est, vrgente ipsa Dei institutione, eligendum erat. Hoc caput Ecclesia Christo iubente, post Christum sibi ponit, eligit, statuit: quod cùm Christi potestate fungatur, Christi ipsius præsentiam Ecclesiæ adesse testatur.

His accedat, & insignis illa Ezechielis prædictio, quæ legitur cap. 34. vbi postquam multa Deus de gentium vocatione futura prædixit illis verbis. [Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat

pa-

pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum : sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant, in die nubis, & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris.]

Et infrà : [Quod perierat, requiram; & quod abiectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo:] quibus verbis Ecclesiam aliquando ex Gentium dispersione colligendam prædicit. Denique de Ecclesiæ Pastore agens, ità inquit. [Et suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid, ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum. Ego Dominus locutus sum.]

Tria in his verbis Prophetæ, in quibus de Ecclesiæ Pastore agitur, maximè expendenda sunt;

Primum, quòd vnus Pastor dumtaxat Ecclesiæ promittitur:

Secundum, quòd hic Pastore Dauid;

Tertium, & postremum, quòd Deus hunc Dauidem bis diuersimodè appellat: primò Pastorem, deindè Principem: quasi duplicem hunc esse Dauidem insinuet, vtrumque tamen Ecclesiæ caput:

Primum quidem nulla conditione teneri vult: alterum verò in medio Ecclesiæ omnium aspectui expositum futurum pronunciat.

Quod ad primùm, nulli dubium est, verba illa esse Dei Patris, qui Christum Ecclesiæ Pastorem pollicetur: siquidem ipse Christus se Pastorem esse testatur apud Ioann. 11. *Ego sum Pastor bonus*, &c.& Paul.ad Heb.13.Christum magnum Pastorem vocat. *Deus autem pacis*, ait, *qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum*.

Porrò, quòd vnum tantùm Pastorem commemorat eo indicant, vnum tantùm in Ecclesia caput esse debere, vt vni Ecclesiæ corpori respondeat.

Cæterùm cùm hunc ipsum Pastorem Dauidis appellatione nuncupat, haud existimandum est, vatem de illo Dauid filio Iesse, ac Salomonis patre mentionem facere, cùm is iampridem è vita excessisset; sed tropicè de Christo agere exploratum est, quem Dauidem propterea appellat, tùm quia Christus Dauid filius futurus erat, & sæpè patris nomen filio tribuitur; atque ità censet traslatio Chaldaica, quæ locum illum Oseæ 3. huic affinem. *Post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum*: ità interpretatur. *Post hæc reuertentur filij Israelis, & quærent cultum Dei sui & obedient Messiæ filio Dauid Regni suo*. Tùm etiam ob singularem Dauid erga Dei populum pietatem, quam cùm sæpissimè declarabit, tum maximè, cùm aduersùs Goliam nullam salutis suæ habita ratione pro Dei populo pugnauit; in quo eximium pij, ac præclari Pastoris specimen ostendit: quæ sanè ratio mihi inter alias potior videtur, ob id præsertim, quòd in Scripturis Christus numquam Dauid appelletur, nisi cùm pastorali illius munere agitur.

Restat tertium explicandum, quod ad rem magis attinet, cur scilicet bis Dauid hoc loco, ac diuersa ratione à vate repetatur. Mirum sanè est, cùm Scripturæ nihil omninò superuacaneum contineant: cur bis Dauidem, atque vt nonnullis videri posset; nulla ratione, aut necessitate nominet: cur item quasi duæ Dauidis personæ forent, vnum Pastorem, alterum Principem nuncupet.

Demùm cur postremò Dauidi eam conditionem apponat, quòd Princeps in medio Ecclesiæ degat. Certè omnibus exploratum est, nihil in Scripturis superuacaneum, aut frustratorium esse: sed omnia quo afflata sunt, Dei Spiritu digna esse; sed his profectò futuram Ecclesiæ gubernationem, qualis postea in Ecclesia exercenda erat, sub vno inuisibilis, ac visibilis capitis imperio, insinuare, ac velut delineare voluit.

Primum quidem, ità locum hunc interpretandum sentio, vt vates sub vnius Dauidis nomine, ac gemina illius appellatione, duplicem quidem Pastoris personam; vnum tamen dumtaxat pij pastoris munus, ac potestatem declaret.

Duplicem personam intelligo, vnam Christi primi, ac supremi Ecclesiæ Pastoris, sed inuisibilis, & iam in Cœlo triumphantis personam, Pontificis alteram in terris Vicaria Christi potestate fruentis.

Idcircò enim Dauidis appellatio geminatur, vt duplex quodammodò Dauid, ac Pastor in Ecclesia agnoscatur; à quo partim visibilis, partim inuisibilis Ecclesiæ gubernatio peragatur. Christus inuisibilem, Pontifex visibilem principatum gerat; at vnum vtrique Dauidis nomen inseruit: quando quidem vna est vtriusque capitis potestas, vnus principatus, vnum Imperium, perindè ac si vnus esset Dauid, ac Ecclesiæ Pastor: quandoquidem Pontifex Christo subordinatur; neque enim (vt sæpè diximus) alius in Ecclesia Pontificatus constituitur agnoscitur, quàm qui à Christo olim gestus fuit: neque alia potestas, quàm quæ olim Christi fuit: atque ab eo Petro collata: nequePontifex aliud, aut diuisum à Christo in Ecclesiam imperium sibi vendicat, quàm quod Christi Domini proprium esse agnoscit, cuius ille Vicaria potestate fungitur: indè fit, vt vterque, tàm Christus, quàm Pontifex vno nomine Dauid nuncupentur; vt principatus vnus vtriusque esse demonstretur.

Neque verò huius Principatus vnitatem scindit, quòd hic Dauid modò Pastor, modò Princeps à vate describatur. Id enim idcircò dictum fuit, vt vtramque, & temporalem, & spiritualem potestatem Ecclesiastico Principi non repugnare perspicuum sit; qua & spirituales, & temporales Ecclesiæ hostes vtraque manu, atque vtroque gladio debellare valeat.

Id verò tantummodò inter eos interest, quòd primùm Dauid vates Pastorem, absque vlla loci conditione esse meminit.

Alterum verò in medio Ecclesiæ habitaturum pollicetur: atque hoc illud est, quod nos meritò contra aduersarios vrgemus, qui visibilem Pastorem omnibus, quibus possunt, modis ab Ecclesia expellunt: quid est in medio Ecclesiæ astare; prætérquàm omnibus per-

perspicuum, at visibilem esse? Ità Christus, cùm visibilis inter discipulos maneat, ait, *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*.

Rursùs cùm post resurrectionem, tediuiuum, ac visibilem Apostolorum conspectui seipsum sisteret. *Stetit Iesus*, inquit Ioann.20. *in medio discipulorum suorum, & dixit eis, pax vobis*. Quo fit, vt nulli prorsùs dubitandum sit: quin hac loquendi forma vates visibilem aliquem Pastorem designare voluerit, qui in medio fidelium appareat, ac se omnibus conspicuum reddat.

Cùm igitur Christus supremus, ac perpetuus Ecclesiæ pastor esse deberet: nec tamen perpetuò visibilis esse posset: indè Christo alium Pastorem sufficî opus fuit, qui omnibus visibilis totius Ecclesiæ curam gereret, ac inuisibilem Christum Vicaria potestate referret: atque hoc solum inter Christum, & Pontificem discrimen versatur: si quidem Christus supremus est Ecclesiæ pastor: Pontifex non supremus respectu Christi, sed tantùm Vicarius: rametsi cœteris Pastoribus comparatus supremus iure nuncupetur, Christus inuisibilis, Pontifex visibilis, Christus in Cœlo; Pontifex in medio Ecclesiæ, Christus inuisibiliter Ecclesiam regit, ac moderatur: Pontifex eandem visibiliter administrat.

Verum ad solidiora, ac præclariora Euangelij testimonia accedamus. Cùm Dominus de Ecclesiæ ædificatione ageret Mathæi 16. Petro dixit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Perspicuam est hæc domus extruendæ metaphora, in qua cumprimis fundamentum necessarium est, cui tota ædificij moles inniti debeat. Id etiam manifestum est, petram, de qua hic agit Christus; Ecclesiæ fundamentum significare.

Porrò neminem latet, id esse ædificio fundamentum, quod est caput corpori, quod Ciuitati Rector, quod Regno Rex, quod paterfamilias domui, ità vt in hac Ecclesiæ petra, ac fundamento illius Pastor, ac caput designetur.

Quapropter omissa controuersia, quæ de Petro hoc loco agitari solet, num ea petra sit, de qua agit Christus; in quo aduersarij à nobis dissentiunt: id tantummodò inquirendum proponimus: quonam modo hoc Ecclesiæ fundamentum intelligendum sit.

Duplex enim fundamenti genus reperiri ex ipso vsu perspicuum est, vnum quidem ædificio intrinsecum, quod ex magnis lapidibus simul extructis, ac coalescentibus assurgit, à quo prima domus initia sumit: de quo vulgò communis videtur esse dicendi modus: id enim iam vsus obtinuit, vt fundamenta iacere dicamur, cum huiusmodi lapides prægrandes domui constituendæ substernimus; licèt propriè fundamentum non sit.

Porrò alterum est, domus fundamentum extrinsecum, à quo totius domus soliditas pendet: illud nimirùm, quod toti extruendæ molis substernitur, ac extructam sustinet; quod cùm firmissimum, ac solidissimum esse debeat, hoc propriè domus fundamentum appellatur.

Sunt igitur, qui petram hanc, de qua hic Christus agit, intrinsecum fundamentum intelligant; communis tamen sententiæ, ac verior meo iudicio est, petram hanc non fundamentum intrinsecum, quod primum extruitur, sed rupem illam significare, super quam domus ædificatur: atque hoc sensu petra ab Isaia accipitur cap. 2. cùm ait. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo*; & eodem cap. *Introibit in speluncas petrarum*: & cap. 15. *Attendite ad petram vnde excisi estis*. Quapropter petra hoc loco, non primos ipsius ædificationis lapides significat, sed ipsam rupem, super quam ipsi lapides ædificantur.

Atque id confirmat, quòd cùm Dominus de solidissimo fundamento agat, quo Ecclesia perpetuò stabilis, ac firma permanere debet, quod sequentia verba indicant. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Planè certum est eam non de primo, ac intrinseco fundamento, quod facilè labi potest, ac per se exile est, nisi alterius fundamenti præsidio roboretur: sed de extrinseco, quo Ecclesiæ domus fixa, & immota redditur, petram hanc intelligere.

Huic sententiæ, quæ vt communior, ità verior est, fauet Isai. cap. 2. vbi de Ecclesiæ futura extructione agens. [Et erit, inquit, in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eam omnes gentes.]

Idem prorsùs apud Micheam legitur. [Et erit in nouissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eam populi.] Iàm nulli non exploratum est domum Dei Ecclesiam appellari:

Ità eam appellat Paul. 1. ad Timoth. 3. *Vt scias quomodò te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui*.

Ità Dauid Psalm. 25. *Domine dilexit decorem domus tuæ*. Ædificandam igitur in nouissimis diebus, nimirùm in diebus Messiæ Ecclesiam vates prænunciat: at vbi? aut quo fundamento? In monte. *Et erit*, inquiunt, *mons domus Domini*, idest, mons, in quo velut fundamento, domus Domini, scilicet Ecclesia extruenda est.

Cùm ergo in monte ædificandam Ecclesiam esse dicunt; non obscurè Ecclesiæ fundamentum extrinsecum esse volunt; vt illam perpetuò stabilem, ac firmam demonstrent. Cœterùm hoc fundamentum, quod vterque Propheta montem nuncupat, Christus in hoc testimonio petram appellat, tamquam solidissimam rupem, in quam nulla inferorum vis vmquam præualere queat. Igitur manifestum est, petram, de qua agit Christus hoc loco, non intrinsecum, sed extrinsecum tantùm Ecclesiæ fundamentum significari.

Quod etiam parabola illa domus, quæ legitur Matth. 7. non obscurè declarat: vbi sapiens Architectus domum suam sapienter supra firmam petram construit; quæ irruentes imbres non timet, nec ventorum impetu prosternitur.

Insipiens verò ædificium arenæ fundamento superimponit, quod fluxum est, ac facilè dilabitur: ibi enim Christus duo fun-

da-

damenta ad inuicem comparat; petram videlicet, & arenam, quæ proculdubio extrinseca tantùm domus fundamenta sunt.

His positis, quatuor circà hoc Ecclesiæ fundamentum diligenter expendenda sunt, quæ visibilis capitis in Ecclesia necessitatem declarant.

Primùm est ipsius fundamenti natura: illud enim ædificio fundamentum præstat, quod corpori caput, quod exercitui dux, quod populo Rex: cùm enim hoc fundamentum totam ædificij molem regat, ac sustineat: indè eo Ecclesiæ caput, ac pastorem significari exploratum est.

Quod ipse Moyses Num. 11. declarauit, qui cùm esset totius Israelitici populi dux, quasi insinuare vellet idem prorsùs esse ducem esse, ac fundamentum. *Non possum*, inquit, *solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi*. Hoc ipsum habetur Deuter. 1. *Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicauit vos*: videbatur enim sibi cùm principatum in eo populo gereret, totius populi molem, quasi fundamentum sustinere, ac regere.

Secundò obseruandum est, fundamentum hoc extrinsecum esse, ac perspicibile; vt superiùs demonstratum fuit: id verò indicat Ecclesiæ caput, de quo hìc agit Christus, visibile, ac perspicuum esse debere. Extrinseca namque visibilia sunt, & oculis perspiciuntur: quæ autem intrinseca sunt, non sic nostris obtutibus patent: neque id frustrà: Ecclesia enim cùm visibilis sit, ac visibili fidelium, qui velut lapides viui in domum spiritualem superstruuntur, ædificatione constet: planè visibili quoque fundamento indiget, à quo tota regatur.

Inuisibile enim fundamentum potiùs ad eam Ecclesiæ partem spectat, quæ in Cœlo inuisibilis est, ac triumphans: quocircà Christus fundamentum hoc petram, seu rupem appellat, & super eam se ædificaturum Ecclesiam pollicetur: vt eò demonstret, Ecclesiam sine visibili capite esse non posse, cùm ea illi veluti fundamento inniti debeat.

Tertiò expendendum est, fundamentum illud extrinsecum, quod visibile caput Ecclesiæ esse declarauimus, vnicum tantummodò esse non multiplicem: nam cùm Dominus super petram Ecclesiam se ædificaturum promittit; non plures, sed vnam tantùm petram assignat. *Super hanc petram*, ait, *ædificabo Ecclesiam meam*. Hoc ipsum, & Isaias, & Micheas affirmant; cùm non plures, sed vnum tantùm dicunt esse montem domus Domini.

Quid verò hoc indicet, manifestum est hoc symbolo demonstrari; vnum dumtaxat visibile caput Ecclesiæ esse debere, ex quo vera, tùm Ecclesia, tùm Religio dignoscitur: etenim cùm falsa Religio vna non sit: sed in plures sectas discissa appareat; vno tantùm capite constare non potest: sed eam tot capita habere opus est; quot hæresum, ac sectarum auctores, ac magistros sibi vendicat: quò fit, vt huius fundamenti vnitas illi nullatenùs deseruiat, quam semper vera Religio comitem habuit: atque ea se veram esse cunctis ostendit.

Quartò denique obseruandum est; hoc Ecclesiæ fundamentum, quod petram Christus appellat, non frustrà ab Isaia montem in vertice montium constitutum nuncupari. Id enim graui mysterio non vacat: nam montium nomine in sacris literis sæpè Apostolos significari testatur Dauid Psalm. 86. vbi de Ecclesiæ ædificatione, & fidelium propagatione per Apostolos facienda agens, ait. *Fundamenta eius in montibus sanctis*.

Conueniunt siquidem vniuersi penè expositores; Dauid hoc Psalmo de Christianæ Ecclesiæ initijs vaticinium texere.

Porrò quinam hi montes sint, super quos struendam Ecclesiam vates præcinit, explicat D. Ioann. Apocalyp. 21. vbi hos esse Apostolos docet. [Et murus, inquit, Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum agni.]

Deindè singula fundamenta recenset, ac vnicuique montem gemmeum assignat. [Fundamentum primum, ait, Iaspis, secundum Sapphirus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus.]

Deindè cœteros enumerat, quousque ad duodecimum peruenerit. At quamuis Apostoli omnes montes gemmei sint: vnus tamen est mons in capite montium, super quem extructa est Ecclesia: vnus Petrus, vnus Pontifex: vnum veræ Religionis visibile caput, qui cœteros dignitate, ac potestate longè antecellit; à quo demum vniuersa Ecclesia regitur, ac gubernatur.

Quamquam verò Apostoli omnes Ecclesiæ fundamenta nuncupentur, tàm à Ioanne loco citato, quàm à D. Paulo ad Ephes. 2. vbi nos supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum superædificatos affirmat: ij tamen diuersa ratione à Petro Ecclesiæ fundamenta dicuntur.

Primùm namque Apostoli omnes Ecclesiæ fundamenta appellantur communi quadam ratione, scilicet propter doctrinam à Deo reuelatam, cui Ecclesiæ fides, veluti fundamento innititur, quam sicut omnes Apostoli à Christo sibi traditam acceperunt, ità ex æquo Orbi communicauere, atque Ecclesiam hoc modo fundauere.

Hac ratione Paulus ad Ephes. 2. Apostolos fundamenta appellat, cùm ait. [Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum; ipso summo angulari lapide Christo Iesu.]

Deindè ratione fundationis particularium Ecclesiarum: cùm enim singuli Apostoli singulas Ecclesias fundauerint; ex quibus tandem tota Ecclesiæ fundatio absoluta est; indè meritò Apostoli Ecclesiæ fundamenta nuncupantur, quod annuere videtur Paulus ad Rom. 15. [Sic prædicaui, inquit, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.]

Postremò ratione etiam gubernationis: siquidem vniuersis Apostolis spirituale totius Orbis regimen in solidum creditum fuit, ac Rectores vniuersi à Christo constituti sunt: vt olim Dauid prædixerat. *Constitues eos Principes super omnem terram*.

Attamen hanc potestatem Apostoli in ordine ad vnum caput, ac veluti delegatam acceperunt: quod apertè tradit D. Hieronymus lib. 1. cont. Iouinianum. [Licèt, inquit, su-

super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solideretur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.]

Quod Cyprianus de vnitate Ecclesiæ prior docuerat his verbis. [Et quamuis, ait, Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat: tamen vt vnitatem manifestaret; vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.]

Et post pauca. [Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.]

Quibus verbis id apertè Cyprianus insinuat, vnam Ecclesiam demonstrari non posse nisi vnum visibile caput appareat, quod Petri primatum in Ecclesia gerat, Petrus igitur, & qui Petri successor est, mons est in vertice montium à Deo constitutus; in quo domus Domini fundata est.

Quamobrem licèt Christus Apostolos omnes tamquam Ecclesiæ suæ fundamenta præsentes cerneret, ad vnum tamen Petrum conuersus, ait. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quasi id annuere vellet. Petrum montem esse in vertice montium, cunctis Apostolis superiorem; quem non communi, sed singulari quodam modo Ecclesiæ fundamentum constituere decreuerat.

At hic nodus quidam restat explicandus: quo pacto Petrus fundamentum Ecclesiæ esse dicatur, cùm Paulus dicat. [Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus.] Ex quo videtur elici posse, Christum in hoc testimonio Matthæi cùm de petra loquitur, super quam ædificanda erat Ecclesia, de seipso intelligere, vt contendit Caluinus: verùm hic nodus facilè soluitur. Scripturæ enim cùm nomen fundamenti non tantùm Christo, sed etiam Apostolis tribuunt; absque dubio duplex fundamentum distinguunt: Apostoli namque idcircò Ecclesiæ fundamenta nuncupantur, quia fundauerunt Ecclesiam in fide, & doctrina Christi, quemadmodùm ait Paulus 1. Corinth. 3. *Vt sapiens Architectus fundamentum posui*.

Quod etiam tradit B. Ignatius epist. 5. [Vna est Ecclesia, inquit, quam fundauerunt, sancti Apostoli in sanguine Christi proprijs sudoribus, & laboribus.] Petrus verò singulari quodam modo, vt diximus, Ecclesiæ fundamentum dicitur, quia supremus Rector, ac Gubernator Ecclesiæ à Christo institutus est.

At Christus fundamentum Ecclesiæ appellatur, non solùm quia primarium sit illius caput, ac rector; cuius tàm Petrus, quàm cœteri Pontifices Petri successores tantummodò suffraganei sunt; ac illius Vicaria potestate funguntur: sed quia Ecclesiæ simul, & auctor sit, nam vt docet Concilium Viennense in Clem. 1. de Summ. Trinit. [Ex latere Christi sanguine cruento vnica, & immaculata, ac Virgo sancta Mater Ecclesia coniunx Christi formata est.] Christus igitur primarium Ecclesiæ fundamentum; Petrus secundarium: Christus Ecclesiæ auctor; Petrus Pastor tantùm, & custos; Christus vt auctor Ecclesię illius supremum caput est à Deo constitutum; Petrus, vt Ecclesiæ Pastor ex Christi præcepto, ac institutione ad illius gubernacula sedet, velut caput Christo subiectum. Indè fit, vt cùm nemini fas sit alium præter Christum Ecclesiæ auctorem, ac absolutum caput agnoscere; nemo etiam, vt docet Paulus, fundamentum aliud possit ponere, præter id, quod positum est; quod est Christus.

Cœterùm, quòd petra hæc, super quam ædificandam Ecclesiam Matthæus affirmat, de Christo intelligi nequeat; illud post multa apertè declarat, quòd Christus hoc loco ædificatoris, non fundamenti personam agit, vt ex ipso testimonio constat. *Super hanc*, ait, *petram ædificabo Ecclesiam meam*.

At certè non poterat Cristus simul, & ædificatoris, & fundamenti typum gerere: qui enim ædificat non super se, sed super fundamentum, quod sibi extraneum est, ædificare debet: neque idem potest esse simul, ac semel ædificator, & fundamentum; cùm hæc omninò distincta sint.

Quapropter licèt Christus, & ędificator, & fundamentum Ecclesiæ dici possit, id tamen illi diuersa ratione accidit; atque ea conditione, vt cùm ædificator est, fundamentum esse non possit: rursùs cùm fundamentum est, ædificatoris nomen amittat; cùm hęc omninò incompossibilia sint, ex his liquet, quòd cùm in hoc testimonio Christus se ædificatorem Ecclesiæ dicat; non seipsum, sed Petrum, quem alloquebatur, & cui fidei mercedem pollicebatur, illius fundamentum constituit: ex quo tandem colligitur præter Christum aliud visibile caput in Ecclesia ex Christi institutione collocari debere.

Porrò notissimum est illud testimonium Ioannis 10. quod omni vi euertere conantur aduersarij, *Simon Petre diligis me plus his? Pasce oues meas*. His enim verbis collatum fuisse Petro vniuersalis Ecclesiæ Principatum, docent ferè omnes Patres. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. Origenes ad cap. 6. ad Roman. Chrysostomus homil. 87. in Ioann. & lib. 2. de Sacerdotio Ambrosius in capit. 24. Luc. Augustinus in hunc locum. Maximus Taurinens. homilia 1. in natali Petri, & Pauli, Eucherius Lugdunens. in Vigil. sancti Petri, Leo Magnus serm. 3. de anniuersario die assumptionis suæ ad pontificatum. Arnobius Romanus in Psalm. 138. Gregorius Magnus in lib. de cura Pastorali, & lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Augustum.

Si igitur visibilis erat Petrus, cùm à Christo Ecclesiæ Pastor electus est; quis dubitare audeat visibilem Principatum in Ecclesia à Christo institutum esse, qui perpetua visibilium successorum serie, vsque ad extremum Orbis interitum in Ecclesia permanere debeat?

Cœterùm hoc ipsum confirmant plurimæ similitudines, ac metaphoræ, quibus ad Ecclesiam significandam Scripturæ vtuntur. Daniel Ecclesiam Christi Regnum appellat, quod nulla vmquam vi euertendum, ac dissipandum est. [In diebus Regnorum illorum, inquit, suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem,

tem,& consumet omnia Regna: hæc & ipsum stabit in æternum.]

Quatuor illa Regna, quatuor Monarchiæ sunt, quæ olim totum ferè Orbem occuparunt, Assyriorum prima, Persarum secunda, Macedonum, seu Græcorum tertia, Romanorum quarta, post quas Ecclesiæ Regnum excitatum est, quod instar quintæ Monarchiæ totum Orbem obtineuit.

Iàm si Ecclesia Regnum, ac Monarchia esse dicitur, profectò Regem, ac Monarcham habere debet, à quo regatur: & cùm perpetuò duratura sit, perpetuò etiam Monarcha indiget, quo fruatur. Habuit sanè Ecclesiæ Regnum Regem Christum, qui quandiù inter mortales versatus est, ei visibiliter præfuit: nunc Christo in Cœlum sublato: an Regnum, ac Monarchia esse desijt, vt visibilis Regis præsentia carere debeat?

Fatemur quidem Regnum totum Christo seruari, qui supremus, ac inuisibilis illius est Monarcha: at si Regnum visibile esse non desijt, cur visibilis saltem Prorex in eo præesse non debet, qui Christi vices, ac potestatem exerceat? Etenim si Rex, cùm extrà Regnum proficiscitur, in eo Proregem instituit, cui vices suas committit, ac Regni potestatem tradit: certè cùm Christus ab Ecclesiæ Regno corpore absens sit, neque in eo visibilem potestatem exerceat, cur credendum non erit, illum sibi Pontificem velut visibilem Proregem in Ecclesia suffecisse?

Cùm etiam Ecclesia eodem prorsùs nomine Regnum Cœlorum, Matth. 13. nuncupetur, vt sentit beatus Gregorius homilia 12. in Euangelia, quid Regno conuenientius est, quàm, vt Regi suo respondeat, ac vnum Regem habeat, à quo Regnum dici queat? Quando enim Regnum sine Rege, aut saltem Prorege vmquam fuit? At non satis est, Regnum suo Rege potiri: nisi etiam Rex suo Regno, & natura, & conditione similem se exhibeat.

Homo enim, non Angelus, qui inuisibilis est, homines regere debet: quemadmodùm Angelorum Regno inuisibili, non homo, qui visibilis est, sed Angelus rectè præesse censetur. At neque hominibus is gubernationis modus, qui Angelis proprius est: neque hominum gubernatio Angelis conuenit: sed ea gubernatio cuiusque Regno tribuenda est, quæ illius propria esse agnoscitur.

Irà sanè par est in Ecclesia, quæ Christi Regnum est, fieri: debet enim illa suum Regem habere, sibi & natura, & conditione similem.

Humanum est Regnum ex fidelium hominum multitudine collectum, homo debet esse, qui illud regat, ac moderetur: visibile est Regnum, visibilis quoque sui Regis aspectu frui debet, qui visibilem in Ecclesia administrationem exerceat: nec tamen ob id inuisibilem Dei, ac Christi gubernationem velut non necessariam expellimus; cùm absque illa Ecclesiæ Regnum neque rectè administrari, neque stabile, aut diuturnum esse possit: sed eam gubernationem, quæ visibili Ecclesiæ Regno propria, ac velut affinis est, necessariò retinendam dicimus; atque ob id iure aduersarios reprehendimus, qui visibile caput, quo visibilis Ecclesia necessariò subsistere debet, ab illius administratione expellunt.

Rursùs apud Salomonem Cantic. 6. Ecclesia bene ordinato exercitui comparatur. [Quæ est ista, inquit Salomon, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?]

At quando vmquam, aut ordinatus exercitus, aut bene instructa acies sine Imperatore visa fuit; aut ad bellum processit? quis in bello gerendo Ordo esse posset, si nullus esset in exercitu Dux, à quo belli signum expectandum esset? id approbat beatus Hieronymus epist. 4. in 1. ad Timoth. [In quamuis grandi exercitu, ait, vnius signum expectatur.]

At non satis est, hunc Imperatorem inuisibiliter præesse: is enim & visibilis, qui ab omnibus videri possit, & cùnctis conspicuus esse debet, vt vniuersos ad pugnam prouocet.

Ecclesia igitur, quæ propterea militans appellatur, quòd instar aciei optimè instructæ, non tàm aduersus Dæmonum turmas, quàm Hæreticorum phalangas certat, quo pacto inuisibili tantum Imperatore contenta erit? aut qua ratione visibili Duce, ac Principe carere poterit; quo hortante, ac docente ad fidei, ac salutis certamen properet?

Nùm obsecro, inuisibilem Ducem magno, ac visibili exercitui sufficere existimabimus; quem visibili vnius Imperio terreni, ac Regi opus est? in quo cùm plurima, quæ ad necessariam illius administrationem spectant, ab vno disponi, ac sanciri oporteat, Ducis præsentia, quàm maximè necessaria est.

Equidem Deus inuisibilis Hebræo populo Dux fuit, cùm gentes illas Ethæorum, Cethæorum, Pheresæorum, Iebusæorum, Chananæorum, quæ promissionis regiones occupabant, ferro deleret.

Ità testatur Moyses, Deuter. 20. [Dominus, inquit, solus Dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.] Nec tamen ipse solus sufficere voluit: sed Moysem, ac Iosue visibiles in populo Principes, ac belli Duces instituit, qui efferas illas gentes aggrederentur, ac tandem extinguerent.

Christus inuisibilis Ecclesiæ Dux est, & caput, quis hoc negat? At nùm solus ipse vult sufficere? nùm solus inuisibiliter præesse? nùm solus Episcopos creare, ac Præsbyteros per Ciuitates instituere? nùm inuisibilis fidei dogmata declarare? nùm inuisibilis emergentes in fide controuersias dirimere? nùm inuisibilis de Ecclesiasticis causis iudicare? nùm solus, ac inuisibilis, quæ ad mores spectant, decernere? nùm solus fideles ad vitiorum pugnas hortari?

Hæc equidem Christus, qui inuisibilis est, solus efficere non vult, absque alterius visibilis capitis ministerio; quò fit, vt visibili prorsus ductore opus sit, qui ordinatam hanc Ecclesiæ aciem instruat, componat, ac moderetur.

His accedat, quòd Ecclesiam Paulus 1. ad Timoth. 3. vocat domum Dei. [Vt scias, inquit, quomodò te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui.] At si

Ecele-

Ecclesia domus Dei est; certè ità ordinata esse debet, vt in ea nihil confusum, aut incompositum conspici queat.

Quomodò verò ea ordinata esse posset, si nullus Dei familiæ præesset; nullus in eà à Deo constitutus esset, cui totius domus tegendæ, ac alendæ cura incumberet?

Est quidem id diuinæ domui, cùm primis necessarium, vt vnius Oeconomiæ subdita sit; hoc Christo ipso attestante apud Matth. cap. 24. [Quis putas est fidelis seruus, ac prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?

Terrena quippè Dei familia est ipse fidelium Cœtus, qui recepta fide inter Dei filios reputantur, ac filiorum locum in Ecclesia obtinent, quibus vnus loco Domini fidelis seruus, ac prudens præesse debet à Christo institutus, qui illis spirituales cibos distribuat. At non satis est terrenæ Dei familiæ aliquem præpositum esse; nisi is quoque visibilis sit, ac toti familiæ conspicuus, cuius imperio tota familia pareat: nam si inuisibilis esset, nec domus curam gerere, nec quæ familiæ necessaria sunt, prouidere valeret.

Quomodò enim is, qui inuisibilis est, Dei verbo familiam alere; fidei dubia tollere; exortas controuersias rescindere; cuique propria munera distinguere; & si qui fortè sunt in familia discoli, disciplina coercere potest? Hæc planè cùm ad visibilem Ecclesiasticæ domus administrationem pertineant, haud sanè præterquàm à visibili illius præfecto præstari possunt.

Postremò Ecclesia omnium manifestissima similitudine grex à Domino vocatur, Luc. 12. [Nolite, inquit, timere pusillus grex, complacuit enim Patri vestro dare vobis Regnum.]

Item Ioann. 10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere; & fiet vnum ouile, & vnus pastor.]

Demum cùm Dominus Petro regendam Ecclesiam committeret, dixit. *Pasce oues meas*. At quando grex vnus vmquam appellari potuit, cui vnus non præsit Pastor toti gregi conspicuus; cuius voce, ac imperio oues temperare debeant?

Neque enim inficiari possunt aduersarij, quin Hebræus populus Deum Pastorem inuisibilem haberet, cum veram adhuc illius fidem coleret; cuius tamen Christus misertus legitur, atque oues appellauit non habentes Pastorem: quo sanè annuere voluit, præter inuisibilem, alium quoque visibilem Pastorem Ecclesiæ necessarium esse.

Et quidem aduersarij, qui nullo visibili Pastore freti pluribus Pastoribus, ac Episcopis oues pascendas tradunt; hoc ipso sanè conuincuntur, eos Christi gregem dispergere; nàm quo plures Pastores, eo sublato, qui supremus, ac visibilis esse debet, in Ecclesia constituunt, eo gregem in plures partes scindunt, ac dissipant.

Quapropter cùm Ecclesia vna sit, quod Apostolico testimonio omnes didicimus, ac fatemur; atque ea vnum Christi ouile, ac vnus grex esse debeat: illi profectò vnus, ac supremus, ac visibilis Pastor præesse debet, quem Ecclesia videat, cuius etiam imperio seipsam subijciat.

Cùm igitur aduersarij vno, ac supremo visibili Pastore sublato Ecclesiam multis Pastoribus committunt, planè nihil aliud efficiunt, quàm quòd Christi gregem, qui vnus esse debet, in plures dispertiunt; vnam Ecclesiam in multas diuidunt: ac denique veram Christi Ecclesiam demoliuntur: quod olim testatus est Hierem. cap. 12. [Pastores multi, inquit, demoliti sunt vineam meam; conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem.]

Quandoquidem illud omnibus perspectum est, vbi plures Pastores æquè primi, ac supremi in Ecclesia esse incipiunt; mox Ecclesiæ deuastationem, ac interitum sequi; nàm cùm multi sint, atque Ecclesiam inter se dispertiant: eò sanè magis Christi partem conculcant, quò auidiùs maiorem, quisque Ecclesiæ partem sibi arripere optat: cùm verò ea minùs curent, quæ ad publica m Ecclesiæ vtilitatem conferunt; eò sanè fit, vt Ecclesia, quæ Christi portio est desiderabilis, pessimè administrata in desertum solitudinis cedat: ac verò Pastore destituta tandem dissipata intereat.

Videat igitur Dominicus grex vnicum antè se gradientem Pastorem, cuius ductum sequitur. Habeat Ecclesiastica domus fidelem Oeconomum à Domino constitutum, qui ipsius curam gerat. Cernat Christianus exercitus præsentem sibi Ducem, quo abhortante, ac impellente, signa cum Tartareis hostibus conferat. Gaudeat tandem Christi Regnum, & Ecclesiæ Monarchia inuisibili Christi sui imperio; atque illi cum primis subiecta sit: attamen cum eo quoque Proregis, ac Promonarchæ ab ipso instituti potestatem suspiciat. Denique Ecclesia vnum sibi præesse Pontificem agnoscat, qui visibili pro Christo munere fungatur, vt grex vnus, domus vna, exercitus vnus, Regnum vnum, Monarchia vna, atque Ecclesia vna esse possit: tum libenter plures Episcopos, ac Pastores tamquam in partem sollicitudinis vocatos in Ecclesia collocabimus: dummodò & ipsi vni supremo Episcopo, ac Pastori subesse non abnuant.

Seruemus in primo, ac visibili Pastore gregis Ecclesiastici vnitatem, tum facilè ob gregis immensitatem toto Orbe dilatatam, gregis huius particulas singulis Episcopis curandas assignabimus.

ARTICVLVS IX.

Demonstratur secundò vnitas Capitis visibilis ex veteris Ecclesiæ consensu.

IAm quid vetus Ecclesia de visibili Ecclesiæ capite olim senserit, antiquorum Patrum testimonijs expendere lubet.

Hi enim cùm antiquam illam Ecclesiæ faciem aspexerint, quæ propiùs ab Apostolorum temporibus abfuit, iure etiam Apostolicæ veritatis hæredes censeri debent, quibus in hac parte integra fides adhibenda sit; nàm & Caluinus ipse, qui Catholicorum dogma-

ta

ra insequitur, id primæ quingentorum annorum Ecclesiæ deserr, vt in ea sanam Apostolorum doctrinam incolumem seruatam fuisse teiretur.

Hic primus ex antiquæ Ecclesiæ Patribus obuius nobis fit beatus Ignatius Apostolorum discipulus, qui cùm plerisque locis Petrum totius Ecclesiæ caput visibile à Christo institutum esse doceat: tum maximè in epistola ad Trallianos postquam Petri Principatum ad Linum, Anaclerum, ac tandem Clementem tamquam legitimos illius successores transmissum fuisse tradidit, vt ostendat hanc visibilium capitum successionem in Ecclesia à Christo ordinatam fuisse, ait: [Qui igitur his inobediens fuerit, Atheus, & impius omninò est, & Christum improbans, ac eius ordinationem imminuens.]

Clemens verò, qui Petri auditor fuit, atque Apostolicam illius doctrinam hausit: visibilem vnius Principatum in Petro Apostolorum omnium vertice à Christo in Ecclesia collatum esse testatur epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini his verbis: [Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est.]

At ne dubium oriri posset, an Petrus ea ratione tantummodò, qua & cœteri Apostoli Ecclesiæ fundamenta dicuntur, fundamenti nomen sibi tributum vendicauerit: addit infrà Petrum idcircò fundamenti nomen assequutum fuisse, quòd vnius visibilis capitis Principatum in Ecclesia gesserit: [Nec inter ipsos Apostolos, inquit, par institutio fuit, sed vnus omnibus præfuit.]

Post hos Cyprianus, qui secundo post Christum seculo floruit, hanc visibilis capitis vnitatem velut à Christo institutam tradit, his verbis, in lib. de vnitate Ecclesiæ: [Quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis peccata, remittentur; cui retinueritis, retinebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram instituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.] Quod testimonium Cypriani, tametsi à nobis superiùs allatum sit, fusiùs tamen modò explicandum est.

Ecclesiæ vnitatem multis argumentis probauerat Cyprianus: at cùm illam à capitis vnitate velut potissima ratione demonstrare vellet; vtique illi Hæretici objicere poterant, parem à Domino auctoritatem Apostolis traditam fuisse: ac propterea Ecclesiam nulla visibilis capitis vnitate teneri. At Cyprianus, vt hunc errorem, qui à posterioribus Hæreticis excitandus erat, sacro gladio confodiat; Ecclesiæ vnitatem ita à Domino in visibilis capitis vnitate fundatam esse docet, vt ea sublata nulla iam Ecclesiæ vnitas reliqua esse possit.

Fatetur quidem parem Apostolis auctoritatem à Christo collatam fuisse; tamen ad vnitatem Ecclesiæ declarandam, quæ non nisi ab vno capite visibili fluere potest, eam ab vno capite necessariò inchoari, ac deriuari Diuina auctoritate demonstrat.

At hic ex verbis Cypriani non parua oritur questio: quonammodo intelligendum sit parem Petro, & Apostolis auctoritatem à Domino fuisse collatam, cùm tamen vnum omnium caput Petrum constitutum esse dicat, a quo hæc ipsa auctoritas in cæteros manat. Notanda est Theologorum distinctio, quam Cyprianum non ignorasse credimus. Nimirum Christum duplicem Apostolis potestatem communicasse. Primam ordinis: alteram iurisdictionis. Ordinis quidem potestas æquè omnibus Apostolis collata fuit, cùm vniuersi à Christo Sacerdotes creari, atque omnes indelebili illo Diuinæ auctoritatis charactere insigniti sunt; quo æquale ius ligandi, atque soluendi, remittendi peccata, ac retinendi: conficiendi Sacramenta, atque administrandi à Christo acceperunt. At iurisdictionis potestas non omnibus eadem tradita fuit. Cæteris quidem Apostolis Christus æqualem, ac amplissimam potestatem, certis tamen limitibus comprehensam contulit: Petro verò summam, ac illimitatam tribuit. Neque enim omnibus Apostolis dictum fuit, vobis dabo claues Regni Cœlorum: sed Petro dumtaxat: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*.

Acceperunt quidem claues Apostoli, sed non totius Regni Cœlorum; quo iux à beati Gregorij sententiam, Ecclesia intelligitur; sed particularium dumtaxat Ecclesiarum; tametsi in omnes delegatam auctoritatem possent extendere: Petrus tamen ad totius Ecclesiæ administrationem claues à Christo recipit; neque delegata, sed ordinaria potestate in omnes Ecclesias fertur.

Illi quidem, in partem auctoritatis assumuntur, qui in partem sollicitudinis vocantur; hic verò ad totam potestatis plenitudinem eligitur; cui totius Dominici gregis cura demandatur. Neque enim cæteris Apostolis, sed Petro dumtaxat a Christo dicitur: *Pasce oues meas*. Demùm si Apostoli plenitudinem potestatis (vt nonnullis placet) sortiti sunt; eam sanè non alio modo, quàm sub Petro sibi vendicarunt: neque eam perpetuam, ac diuturnam, sed cùm ipsis extinguendam acceperunt. At Petrus eam potestatis plenitudinem Christi dono accepit; quæ tantùm Christo subesset, & perpetuam, atque ordinariam in legitimo Pontifice successionem haberet.

Hinc Albertus Magnus in cap. 16. Matt. cùm verba illa exponeret: *Tibi dabo claues Regni, &c.* censet Petro soli potestatis plenitudinem esse collata, cæteris autem tantùm per partes præstitam: [Non quòd Petrus, inquit, singulariter acceperit claues; sed quia in vnitate ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate: alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte potestatis, eò quod vocantur in partem sollicitudinis.]

Quapropter in Ecclesia Catholica, quæ Apostolorum est hæres, duplicem huius potestatis distinctionem legitimè obseruari perspicimus: vt æqualis quidem omnibus Sacerdotibus ordinis potestas insit, nec maiorem, (si de hac sola agimus) Pontifex sibi vendicet, quàm quæ cuilibet Sacerdoti propria est. At verò non ita de iurisdictionis potestate sentiendum est, quæ cùm propria ad supremum

Ecclesiæ administratorem ex Christi institutione pertineat: plena, ac tota apud eum reposita est; à quo deinceps in Episcopos, ac Parochos tamquam in partem sollicitudinis vocatos dispertita manat.

Quam doctrinam tradit Iulius Primus in epistola 1. ad Episcop. Oriental. [Connexio, inquit, totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit, & hæc quidem connexio totius operis vnanimitatem requirit; sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum: quibus etsi dignitas communis non est; tamen ordo generalis est: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret: de qua forma orta est Episcoporum quædam distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnia sibi omnes vendicarent.]

Ex his igitur perspicuum est, quo pacto intelligat Cyprianus, parem Apostolis auctoritatem collatam fuisse, nempè in ordine ad vnum caput visibile.

Sed eumdem Cyprianum audiamus libro 1. epistola 6. ad Magnum de visibili Pastore differentem: [Et idcircò, ait, Dominus insinuans nobis vnitatem de Diuina auctoritate venientem, ponit, & dicit: Ego, & Pater vnum sumus: ad quam vnitatem redigens Ecclesiam suam denuò dicit: Et erunt vnus grex, & vnus Pastor.]

Dixerat Dominus Ioann. 10. duo apud se ouilia esse, in quibus duo populi continerentur, Iudæus nimirum, & Gentilis, quæ tandem semel in vnum ouile sic adducturum, ac vnum dumtaxat Pastorem illi præfectum pollicetur: [Alias oues, inquit, habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere; & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.]

Quid per ouile Christus intelligat, explicat Cyprianus, Ecclesiam nimirum significari ex Iudæis, & Gentibus collectam: [Ecclesiam, ait, in ouibus consideraus.] Ouium verò Pastor ipsum Ecclesiæ Præsulem signat.

Porrò ex hoc Ioannis loco ita arguit Cyprianus, Christus cùm vnam ex multis Fidelium ouibus Ecclesiam colligendam prædiceret: vt illius vnitatem nobis testatam relinquat, vni Ecclesiæ ouili vnum Pastorem se præfecturum promittit: igitur ea tum veræ Ecclesiæ vnitas post Christum censenda est, quæ sub vno visibili Pastore vniuersum Fidelium gregem congregat, atque vni visibili capiti totum Ecclesiæ corpus connectit.

Quam argumenti vim idem Cyprianus prosequitur libro 1. epistola 3. vbi Ecclesiæ vnitatem hinc primò discissam, & omnium hæresum, ac schismatum seminarium inde in Ecclesiam inuectum fuisse docet; quòd visibile Ecclesiæ caput à nonnullis superba temeritate reijcitur: [Neque enim, inquit, aliunde nata sunt schismata, & ortæ hæreses, quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.]

Arrigant aures aduersarij, qui nullum in Ecclesia visibile caput Christo suffectum esse volunt: atque ex Cypriano discant, vnum in Ecclesia supremum Sacerdotem legitima successione defluentem agnosci debere: atque eumdem Ecclesiæ Iudicem, ac Christi Vicarium à Deo esse constitutum, cui obtemperare debent, si intra Ecclesiæ vnitatem contineri volunt.

Quod etiam inde Sanctus paucis mutatis repetit libro 4. epistola 9. [Vnde enim, inquit, schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi quòd Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur?]

Videant Pontificis hostes, quàm apertè, quàm grauiter, quàm constanter Cyprianus, qui vix secundo post Christum seculo claruit, vnius visibilis Pontificis in Ecclesia dignitatem extollat, atque adeò illius primatum ex Diuina institutione profectum commendet; vt inde omnium hæresum capita ebullire agnoscat, cùm visibile hoc in Ecclesia caput non agnoscitur; neque id frustrà: nàm cùm visibile caput primum sit Ecclesiasticæ vnitatis fundamentum: vt ex Cypriano liquet, à quo tota post Christum Christianæ disciplinæ veritas pendet; planè constat eo abiecto nihil, tum vnitatis, tum veritatis Ecclesiæ relinqui.

At sublata vnitate, ac veritate Ecclesiæ, quisnam veræ Religioni, aut Christianæ fidei locus reliquus esse potest? Planè opus est, Ecclesiam velut subtracto fundamento ruere, & cum ea veram Religionem, ac fidei veritatem simul interire, atque inde Ecclesiam in diuersa sectarum, ac hæresum monstra degenerare.

Neque verò id nos anxios reddat, quòd Christus seipsum apud Ioannem Ecclesiæ Pastorem pronunciet: [Ego sum, inquit, Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.]

Ac nonnulli testimonium illud nuper citatum de vno ouili, & vno Pastore, quasi de Christo dictum exponant.

Quandoquidem (vt sæpè dictum fuit) libentissimè accipimus, ac fatemur; Christum olim cùm visibilis inter nos versaretur; solum, ac supremum Ecclesiæ fuisse Pastorem; neque etiam modò, cùm iam inuisibilis est, à Pastorali Ecclesiæ cura (inuisibili tamen) excludimus; sed primum, ac supremum Pastorem agnoscimus, tametsi inuisibilem. Id verò visibiles sibi succedentes Pastores non tollit; cùm ijs tantummodò Vicariam in Dominico grege administrando potestatem collatam tribuamus. Etenim Christo ab humanis exempto, ac iam inuisibili facto, Diuinæ illius, tum prouidentiæ, tum singulari in Ecclesiam beneuolentiæ congruum fuit, vt in perpetua visibilium Pastorum, qui illius imaginem gererent, successione suam illi præsentiam seruaret; vt illi frustrà dictum non esset: [Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.]

Quamobrem testimonium illud Ioannis: [Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor;] non tam de Christo, quàm de succedente sibi Pastore intelligendum est; vt illud exponit Cyprianus hoc loco, & plerique alij.

His accedat Pacianus tertij seculi Pater

grauissimus, qui epist. 1. ad Sympronianum Euangelico testimonio hanc visibilis capitis vnitatem in Ecclesia à Christo institutam fuisse confirmat: [Ad Petrum, inquit, loquutus est Dominus, ad vnum ideo, vt vnitatem fundaret ex vno: mox idipsum in commune præcipiens qualiter tamen ad Petrum incipit: Et ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Pulchram sanè, ac tacitam Pacianus Hæreticis quæstionem mouet, quasi illos ita interpellare velit. Quid musitas Hæretice? Quid fraudem in Euangelica verba paras? Quemnam Dominum alloquutum fuisse arbitraris, cùm diceret: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Libenter, vt opinor, Petrum alloquutum negares: atqui nimis vrgent verba perspicua; negare non potes, dissimulare non audes.

Ad Petrum igitur loquutus est Dominus: nimis enim clara sunt verba: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.*

At qua ratione obsecro, cùm omnes Apostoli adessent, non omnes alloquitur; sed vnum Petrum dumtaxat? contendes fortè Christum Apostolos omnes in Petro allocutum fuisse.

At hæc nimis aperta insania est: quandoquidem tanta verborum inculcatio, quæ soli Petro conuenire potest, omnem prorsus ambiguitatem tollit; nam primò ait: *Beatus es Simon.* Nomine proprio illum appellat; sed ne aliqua in nomine fallacia oriri possit, patris nomen adiungit, *Bariona*, idest, filius Ionæ; sequitur deinde: *Et ego dico tibi.* Non cæteris, sed tibi: nam cùm omnes alloquitur; vel numerum pluralem exprimit, vel saltem ex verborum sensu conijci potest, num verba illa pluribus accomodari queant. Quædam enim Domini verba doctrinam, vel præceptum præ se ferunt; quæ suaptè virtute sese ad omnes extendunt; qualia sunt, cum Philippum alloquens, ait. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Neque enim tunc Philippum tantummodò alloquutum fuisse constat; quamuis in eum verba dirigeret; sed in Philippo, quotquot aut præsentes aderant, aut fideles futuri erant, in fide Diuinitatis suæ instruit. Quædam verò ità singulariter dicta sunt, vt nullo modo ad plures referri possint: veluti, quæ singularem personæ alicuius, aut infirmitatem, aut excellentiam attingunt, quemadmodum cùm Dominus Petro futurum sui casum prædixit illis verbis: *Amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter abneges nosse me.* Id non ad cæteros Apostolos, sed ad Petrum dumtaxat referri debet, hoc pacto cùm Petri excellentiam, ac futurum primatum in Ecclesia prænuncians, ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super, &c.* Cùm peculiariter hæc verba Petro dicta sint, nullo modo ad reliquos transferri possunt.

Vnum igitur Petrum alloquitur, at quorsum vnum tantummodò? cur non plures, aut omnes Apostolos? si causa quæratur. Ea est, respondet Pacianus, quod idcircò vnum tantum alloquitur, vt vnitatem fundaret ex vno, vt scilicet, vnitatem veræ Religionis ex vnius capitis visibilis constitutione profectam demonstraret.

Vides Ecclesiæ fundamentum non aliud esse, quàm Capitis visibilis vnitatem, visibilis enim Petrus perpetuam visibilium capitum in Ecclesia successionem declarat. Nam tametsi veræ Religionis vnitas, vt in prima demonstratione primi Symboli explicauimus, ex multis colligi possit, ea tamen potissimùm à visibilis capitis vnitate depromitur, sine qua nulla prorsùs Ecclesiæ vnitas esse potest, nunquam enim melius vnum Ecclesiæ corpus esse agnoscimus, quàm cùm vnum illi visibile caput cui vniuersa, Ecclesiæ membra subijciuntur, præesse cernimus.

Veræ igitur Religionis vnitas, quoniam tunc potissimùm elucet, cùm sub vno visibili capite vniuersa illius membra congregantur: hinc Pacianus grauissimè docet, Petrum eo consilio à Christo totius Ecclesiæ Caput visibile constitutum fuisse, vt ab eo velut omnium visibilium capitum, quæ illi successura erant, Coryphæo, Ecclesiâ sua vnitatem auspicaretur.

At diuum Hieronymum audiamus lib. 1. aduers. Iouin. cap. 14. vbi vnius capitis visibilem in Ecclesia principatum tanquam ex Diuina institutione profectum, apertissimis verbis confirmat. [At dicis, inquit, super petram fundatur Ecclesia, licèt idipsum alio in loco, super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super illos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur; vt capite constituto schismatis tollatur occasio.] Hæc Hieronymi verba magnum aduersarijs negotium facessunt, tam enim apertè pro visibili capite contra illos pugnant, tam solidè Diuino testimonio euincunt, tam denique perspicuè, quo sensu verba illa Christi sæpè prolata: *Tu es Petrus, &c.* Accipienda sint, declarant; vt iam nihil ad huius causæ definitionem ampliùs expetendum videatur, quapropter omnes neruos intendunt, vt ea ad sensum suum detorqueant, quasi nihil aliud Hieronymi verba præ se ferant, quàm quòd ijs annuit, verba illa Christi ad Petrum, *Tu es Petrus, & super, &c.* Ad omnes promiscuè Apostolos pertinere, at certè toto Cœlo aberrant. Non enim ait Hieronymus verba illa ad omnes Apostolos referenda esse, tanquam non Petro soli, sed omnibus simul Apostolis in Petri persona dicta sint, sed quid Petro cum cæteris Apostolis commune sit ex alijs Scripturæ locis exponit, quid verò non commune sit ex hoc loco depromit. Commune quidem omnibus esse dicit, vt quemadmodum Petrus, ità & cæteri Apostoli Ecclesiæ fundamenta dicantur, ea ratione, quòd æquè Ecclesiam plantauerint, æquè Euangelium per Orbem disseminauerint, æquè omnibus dictum sit. *Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Et alibi: *Euntes docete omnes gentes*: id ex his, & alijs Scripturæ locis Hieronym. se collegisse affirmat: at commune non est, quod his Christus de Petro pronunciat, neque enim commune est omnes primam esse Ecclesiæ petram, omnes supremos Ecclesiæ Rectores existere; omnes in tota plenitudine potestatis claues Regni

Cœlorum accipere, omnes denique Petros esse in quo Dei Ecclesia tanquam in capite ædificata, perpetua capitum successione vsque ad Orbis interitum perueniat. Hoc Petro tantùm peculiare esse contendit Hieronym. hoc verba illa Christi. *Tu es Petrus*, &c. Præ se ferre manifestè declarat, cùm ait: [Propreteà inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismaris tollatur occasio.] Atque vtinam hæc Hieronymus verba aduersarij vti à Hieronym. dicta sunt, candidè intelligerent, sibi namque (vt olim Iouiniano) non obscurè dicta esse agnoscerent, qui cùm Petrum inter duodecim à Christo electum, ac Ecclesiæ visibile caput constitutum esse audiunt, cùm maximè diuinam in Petro visibilium capitum institutionem addiscere deberent, tamen adhuc schismate perpetuo eum Petro, ac illius successoribus nimis infideliter bellum gerunt.

Atque hæc Hieronymi verba lubet accuratiùs expendere. *Vt capite*, inquit, *constituto schismatis tollatur occasio*. Si capite visibili in Ecclesia constituto, de hoc enim loquitur Hieronym. schisma tollitur, igitur capite hoc constituto schisma in Religione alitur. Valet argumentum à contrarijs, quorum eadem debet esse disciplina. Quid verò Christi Ecclesiam, & cum ea veram Religionem magis destruit, quam schismata in ea grassantia? Schisma enim cùm nihil aliud sit quàm quædam vnitatis diuisio, ab eo Ecclesiæ vnitatem discindi manifestum est, at vnitate ab Ecclesia sublata, quidnam Ecclesiæ integrum, immò reliquum esse potest? Idcircò namque Ecclesia est, quia vna est, quòd si vnitatem ab Ecclesia separas, prorsùs Ecclesiam tollis; quæ non nisi vnitate consistit; neque enim alia Ecclesia nobis in symbolo credenda proponitur, quàm ea, quæ vna est. Porrò si perfectio omnis ab vnitate proficiscitur, & ad vnitatem terminatur; qua fit, vt Deus vnus tantùm sit, fides vna, mediator vnus, beatitudo vna; quandoquidem in his summa perfectio est, quæ autem ab vno recedunt, & ad multa tendunt, cùm inter se disperrita sint, imperfecta censentur. Quis Ecclesiam à Domino institutam, in his præsertim, quæ ipsius institutionem attingunt, perfectissimam, & gloriosam esse non sentiat; non habentem maculam, neque rugam? vt testatur Paulus. Quapropter ne vlla vnquam imperfectionis labe, quæ illius gloriam diminuere possit, illam fœdari contingeret; ità Deus Opt. Max. illius vnitatem communiuit, vt in perpetua capitis visibilis vnitate fundatam esse voluerit, atque hæc illa vnitas est, quam Christus primùm in Petro instituit, ac deindè in cæteris illius successoribus perpetuam esse iussit, à qua vera Religio suam vnitatem mutuaret, quamobrem haud mirum est, hanc nobis his verbis à Hieronymo commendari; siquidem ea illius natura est, vt capite visibili constituto, omnem non tam imperfectionis, quàm exitialis schismatis culpam ab Ecclesia abstergat.

Cæterùm innumera hic Patrum veterum testimonia afferri possent, quæ Diuinam vnius capitis visibilis in Ecclesia institutionem testantur. Vniuersi namque Patres, qui de Petro loquuntur, visibilem illi in Ecclesia sub Christo principatum deferunt, de quo alibi disserendum erit, ac propterea illuc Patrum testimonia discutienda reserimus. Qui verò de Romano Pontifice scripserunt, eundem illum legitimum Ecclesiæ caput, ac Petri successorem esse docent. Ex quibus est Irenæus lib. 3. cap. 3. Athanasius epist. ad Marcum Papam, & ad Fœlicem II. Basilius epist. ad Pontificem Romanum. Gregor. Nazianz. oratione 52. quæ est epistola ad Cledoninm. Ioann. Chrysost. epist. ad Innoc. Pap. Cyrillus Alexand. ep. ad Cœlestinum PP. Cyprian. epist. 55. & 67. ad Stephan. Pap. Ambros. epist. 81. ad Syricium, & ad esp. 3. priotis ad Timoth. Optatus lib. 2. aduers. Parmenian. Hieronym. epist. 57. ad Damasum Papam, August. epist. 165. Quibus accedant Concilia; Nicænum 1. in Canonibus ex Arabico translatis Can. 39. Conc. Sardicense cap. 4. Ephesinum epistola ad Cœlestinum Papam. Chalcedonense act. 16. relatione ad beatum Papam Leonem de omnibus gestis generaliter. Synodus Romana sub Syluestro, cap. 20. Concil. Toletan. 1. sub finem assertionis fidei. Concil. African. cap. 35. Concil. Mileuit. epist. ad Innoc. Pap. Concil. Carthag. epist. ad Innoc. PP. Synodus Romana 3. sub Symmacho, & 4. cap. 3. Concil. Braccarense 1. cap. 23. quorum testimonia in 3. libro aduersùs Hæreticos explicabimus.

Hæc igitur omnia tam Patrum, quàm Conciliorum testimonia, necessariam vnius capitis visibilis in Ecclesia institutionem à Christo profectam, testatam relinquunt.

ARTICVLVS X.

Demonstratur tertiò vnitas Capitis visibilis rationibus, tum ex Scripturis, tum ex Patribus depromptis.

NVnc postremò rationibus hoc ipsum demonstrandum est.

Sit igitur prima ratio. Ecclesia Christi eadem semper fuit, tam sub Patriarchis, quàm sub Christo, cùm vna semper fuerit omnium temporum fides, qua Christi Ecclesia ab initio constituta fuit, quòd apertè docet Aug. tract. 45. in Ioann. cap. 10. [Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, ait, quo humilis venit in carne præcesserunt iusti, sic in eum qui venit, tempora variata sunt, non fides, quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur, alium sonum habet venturus est, alium habet, venit; mutatus est sonus, venturus est, & venit; eadem tamen fides vtrosque coniungit, & eos, qui venturum esse, & eum qui venisse crediderunt.]

Sed tempore Patriarcharum, Ecclesia semper vnum visibile caput habuit, quod ex ipsa Patriarcharum serie manifestum est.

Primus namque Adam Orientem Ecclesiam haud secus, quàm illius Pater, ac Dux Deum cognoscere, timere, & colere docuit; præcepta dedit, in fide venturi Messiæ instruxit, sacrificiorum ritus instituit, quidué fugiendum esset suis præcepit, & quandiù vixit

vixit primam illam Ecclesiam velut Sacerdos ac propheta rexit. Siquidem Adamum, & Sacerdotem, & Prophetam fuisse testantur inter alios Moyses Barcepha de Paradiso par. 1. cap. 28. his verbis. [Auxit, inquit, Adamum Deus Sacerdotij munere, nam fuisse Sacerdotem ex Dauidis psalmistæ verbis cognoscitur, qui veluti loquentem Adamum cum Deo inducens ait. Finxisti me, & posuisti super me manum tuam; Sacerdotium enim manuum impositione confertur.]

Præterea sacrificiorum libatio, quæ ad solos Sacerdotes ex officio spectabat, Adamum Sacerdotem fuisse confirmat, quandoquidem omnium primus sacrificium obtulit. Epiphanius Prophetam fuisse docet: [Adam inquit, nouit Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Propheta enim erat, neque circuncisionem habens, neque simulachra colens, sed Christianismi formam ostendens.] Hoc ipsum tradit Moyses Barcepha loco citato. Adamus ergo quoad vixit, scilicet 930. annis visibilis fuit Ecclesiæ Monarcha.

Defuncto Adamo Seth in eius locum, ac dignitatem successit, quæ iure ad Caim tanquam natu maiorem pertinebat, sed cùm fraternæ cædis sanguine, naturæ, ac consanguinitatis iura violasset, suo se primogenitorum, ac Sacerdotij iure expoliauit, neque enim æquum erat, sanguinarium hominem Ecclesiæ præesse, qui suo scelere se ea potestate indignum effecerat; Seth ergo, quem pro Abele à Caim interempto Adam accepit, debitam Abeli dignitatem substitutione acquisiuit, qui cum optimus semper fuerit, & nemo tunc in populo Dei illo maior existeret, Sacerdotij munere functus, quoad vixit post Adamum patrem annis nimirum 120. Ecclesiam tanquam visibile caput gubernauit. De quo Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 2. his verbis agit. [Seth, ait, vbi eo ætatis venit, vt iam quod rectum est, discernere valeret, virtutis studio se totum dedit, & cùm vir optimus euasisset, etiam nepotes suos similes post se reliquit, qui quoniam erant omnes bonæ indole præditi, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt.

Sublato Seth, Enos, ad Ecclesiæ Monarchiam assumitur, de cuius Sacerdotio apertè loquitur Scriptura Gen. 4. [Iste, inquit, cœpit inuocare nomen Domini;] neque tamen hæc verba ità accipienda sunt, quasi ante Enos nemo Deum inuocauerit, quandoquidem, & Adam, & Abel, & Seth, & plerique alij Deum priùs inuocauerant, cum sacrificia offerrent, vt ex Scriptura manifestum est, neque verisimile est, tempore Enos tantummodò veram religionem ortam esse. Pagninus, sicut etiam olim Aquila, locum ità vertit. [Tunc cœptum est inuocare nomen Domini.] Paraphrasis Chaldaica lectionem huius loci longè diuersam format. Sic enim legit. [Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.] Id fortè contigit ob diuersam significationem vocis Hebrææ *huchal*, quæ vt apertissimis Scripturarum testimonijs demonstrat Oleaster, trinam significationem patitur.

Primùm enim significat polluere, seu profanare, eum accidere, demum incipere. Paraphrasis primam, reliqui vltimam significationem amplexi sunt, cunctæ tamen si accuratè expendantur, Enos Sacerdotium commendant.

Nam cùm tempore Enos idolorum cultus inceperit, ac Deorum simulachra erecta sint, quod indicare voluit Chaldæus Paraphrastes, cùm ait, homines tunc inceperunt non orare, seu profanare, seu polluere nomen Domini, quæ profanatio idolorum erectione, ac inuocatione proculdubio peracta est; Enos iste velut Sacerdos, ac populi Dei Princeps, cœpit inuocare nomen Domini, dum vel publicam diuini nominis inuocationem instituit, ac certos ritus, ac ceremonias homines docuit, quibus ad Deum laudandum vterentur: vel quia vnius Dei fidem, quæ simulachrorum cultu iam opprimebatur, velut Dei præco publicè hominibus prædicauit, ac Dei cultum iam tunc dilabentem restituit. Vel tandem quia primus homines velut Ecclesiæ Pastor publicè ad Deum laudandum collegit.

Quoquomodo igitur, id accipiatur, manifestum est illum testimonio Scripturæ, & Sacerdotio functum esse, & Ecclesiam per 98. annos visibiliter administrasse, sub quo illud memorabile euenisse Scriptura refert, quòd scilicet vera Religio à falsa discerni cœpit, id quod Scriptura sub filiorum Dei, & filiorum hominum appellatione declarat, quod magis prædicta confirmat, siquidem filij hominum ij appellati sunt, qui verò Dei cultu derelicto ad idola defluxerunt, at verò filiorum Dei nuncupatione hi intelliguntur, qui ab Enos in vera religione, ac Dei cultu continebantur.

Enos successit Cainam, qui 90. ann. primatum in populo Dei velut primogenitus Enos, ac Sacerdos obtinuit, id enim Patriarchis illis ex Dei institutione, traditione accepta legitimum fuit, vt Sacerdotij ius in primogenitos tantùm resideret.

Hunc Malaleel quintus Ecclesiæ Dei Monarcha sequutus est, & 45. annis Ecclesiæ visibiliter præfuit.

Sextus accessit Iared, septimus Mathusalem, qui defuncto Iared ad ipsum vsque diluuij annum 234. annis Ecclesiæ Monarchiam rexit.

Octauus fuit Noe, de quo amplissimum testimonium profert Petrus epist. 2. capit. 2. [Originali Mundo, ait, non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit.] Duæ verò hic dubitationes diluendæ sese offerunt.

Prima, qua ratione Lamech, & Enoch inter Ecclesiæ Monarchas à Diuo Petro non enumerentur, præsertim cùm Enoch vir sanctissimus fuerit, & ob eximiam viri sanctitatem in terrestrem Paradisum translatus fuerit.

Lamech verò pater fuerit Noe, sed his silentio præteritis Apostolus octauum Noe inter Ecclesiæ Monarchas, ac Dei præcones locum tribuat? Huic dubitationi facilè respondetur: vtrumque Patre adhuc superstite decessisse.

Etenim Enoch ante patris obitum translatus fuit.

Lamech verò quinquennio antequam Mathu-

Mathusalem eius Pater è vita migraret, diem suum obijt.

Secunda verò dubitatio ex verbis diui Petri oritur, quà ratione Noe octauus iustitiæ præco nuncupetur, cùm centum quinquaginta, & eò plures sancti viri præcesserint; qui iustitiæ, ac beatæ vitæ præcones esse potuerunt.

Quòd si generationis series requiritur; decimus, non octauus post Adam collocandus esset,

Hoc valdè interpretes torquet, inter quos Ambrosius Catarinus censet, vel aliquã historiam nos latere, quam Petrus nouerit, in qua octauus demonstretur, vel hoc ad illas septem animas, quæ simul cum eo in arcã erant referri debere. Sed neutrum Catarini dictum probatur, primum non admodũ docto homine dignum est, cùm ad occultas rationes, aut ignotas historias confugit, cùm eo modo alia quoque Scripturarum loca, quæ obscuritatem aliquam patiuntur, exponi possent, neque hæc ratio hic locum vllum habere potest, cùm Scriptura vniuersas Adami vsque ad Noe generationes distinguat, nulla igitur noua historia quærenda est, cùm generationum series ex Scriptura perspicuã sit.

Alterum quoque minùs rationi consentaneum videtur, cùm inter octo illas animas quæ in arca erant, Cham, qui impius erat, recenseretur, quem iustitiæ præconem appellare haud æquum videtur, & cùm inter has animas fœminæ non paucæ essent, quo pacto illæ in Ecclesia Dei præcones esse dicuntur; quibus ipso naturæ iure non docere, sed discere magis competit? Denique cur Noẽ octauus, non potiùs primus appellandus esset, cùm ipse omnium, qui erant in arca, caput esset, ac Rector? Dicendum igitur Noe octauum iustitiæ præconem extitisse, quandoquidem inter Sacerdotes, & Patriarchas, qui primum illum Ecclesiæ statum rexerunt, octauus fuit. Nam tametsi plures præter enumeratos sanctissimi viri præcesserint, qui vitæ sanctimonia excelluerunt, ij tamen nõ publici, ac ex proprio munere veræ Religionis præcones fuerunt, sed ex priuato dumtaxat pietatis zelo Deum colere, vitia fugere, virtutes sectari persuadebant. At Noe publicus fuit iustitiæ præco; quia Sacerdotio ĩ Ecclesia functus est, & octauum fuit Ecclesiæ caput visibile 1. Adam, 2. Seth, 3. Enos, 4. Cainam, 5. Malaleel, 6. Iared, 7. Mathusalem, 8. Noe.

Noe itàque ab humanis sublato, Sacerdotij, ac Pontificatus Sedes ad Sem transiuit, tamquam primogenitum, quam vsque ad Isaac filium Abrahæ protraxit, annis scilicet post Noe 120. vt sentit diuus Hieronymus in quæst. Hebraicis in Genes. Hebræos eiusdem opinionis referens. Quem etiam tradit fuisse celebratissimum illum Melchisedech Regẽ Salem; quem Scriptura Sacerdotem Dei altissimi fuisse commemorat. [Aiunt Hebræi, inquit, Melchisedech esse Sem filium Noe, & supputantes annos vitæ ipsius ostendunt eum ad Isaac vsque venisse, omnesque primogenitos Noe, donec Sacerdotio fungeretur Aaron fuisse Pontifices.]

Alcuinus quoque in quæstionibus ĩ Genes. eandem sententiam referens addit preterea Hebræos sentire hæc fuisse primogenita, quæ vendidit Esau Iacob, nimirùm ipsum ius Sacerdotij.

Verùm quicquid sit de Melchisedech, certum est Ecclesiam hactenus à domo Seth Monarchas, ac Pontifices visibiles accepisse, sed cum iam ad domum Abrahæ Ecclesiæ Monarchiam Deus transferre constituisset, quippè cui Messiæ ex eius semine nascituri promissio facienda erat, prima Ecclesiæ Monarchia in Sem expirauit, nec vllus amplius dẽ domo Sem Sacerdotio functus est.

Secunda verò Monarchia in Abrahã à Deo instituta fuit, cuius Abraham ipse primus extitit visibilis Monarcha.

Neque obstat, quòd Sem adhuc superstes esset, immò quòd ipse Abraham 36. annos ante Sem obierit, neque enim propterea duos Ecclesiæ Monarchas fateri cogimur, nam cum Ecclesia tunc nouis legibus gubernanda, & quodammodo renouanda esset mox vt Circuncisionis præceptum Abrahæ datum est, & in eo futuri Messiæ ex illius semine nascituri promissio obsignata fuit, statim primus ille Ecclesiæ status cum suo capite antiquatus fuit; quod etiam Synagogæ accidisse perspicimus, cum extremis illius temporibus Christianæ Ecclesiæ status pullularẽ inciperet, nam etsi Caiphas in Synagogã, quæ tunc vera erat Ecclesia, Pontifex præsideret, lata tamen Euangelij lege, qua deinceps vera Ecclesia gubernanda erat, & veteri illo testamento abrogato, protinus sepulta est synagoga cum suo Pontifice, tum in Christiana Ecclesia Christi Pontificatus erectus est, ĩ quo Christus ipse appellatus à Deo Pontifex, ait Paulus, secundùm ordinem Melchisedech, primus omnium sedit, & Ecclesiam visibiliter administrauit.

Secunda ergo Monarchia ab Abrahã inchoata ad Isaac descendit, ab Isaac ad Iacob deuoluta fuit, tametsi is minor esset natu Esau, qui cum primogenita Iacob vendidisset, à iure tum primogenituræ, tum Sacerdotij, excidit, quare occulto Dei consilio factum est, vt illo eiecto ad Iacob Pontificatus dignitas transferretur. Iacob duodecim liberi fuerunt, inter quos Ruben primogenitus fuit, qui ob maculatum patris stratum, vt habetur Genes. 49. à Sacerdotio deiectus est, in cuius sortem Leui successit.

Post hunc Caath, post Caath Amram, Pater Moysis, & Aaronis, quo tempore educto Israele ab Ægypto, Moyses totius Ecclesiæ Princeps fuit, sed cùm is grauissimum onus ferre non posset, eo postulante Aaron Pontifex à Deo institutus fuit, Moyse tamen, quoad vixit, temporalem Principatum tenente, & tanquam Domini Propheta etiam in Diuinis, quid agendum esset, Dei nomine præcipiente.

Cùm igitur prima illa Ecclesiæ ætas, ac infantia, quæ Patriarcharum tempora complexa est, in qua, & ipsa Christi fides, licèt implicita viguit, continuata, ac nunquã interrupta serie visibiles semper sibi præesse Præsules agnouerit, & optimo hoc regimine vsa fuerit, qua ratione cum eadem modò Ecclesia sit, quæ priùs erat, tempore, non fide distincta, mutatam regiminis formam existimabi-

mabimus, ità vt ea visibili capite, quòd cæteris Ecclesiæ temporibus semper necessarium fuit, omninò careat? Planè si posteriora Ecclesiæ tempora prioribus respondere debent, neque fas est illud Ecclesiæ regimen mutare, quod semel à Deo institutum est, ac per vniuersa Ecclesiæ tempora hactenus transfusum, certè opus est Ecclesiam modò, vt anteà consueuerat, etiam visibilis capitis gubernatione frui, & antiquum regimen retinere.

Secunda ratio. Status Christianæ Ecclesiæ respondere debet statui legis Mosaicæ; non solùm quia eadem sit vtriusque temporis Ecclesia, sed etiam quòd antiqua illa Hebræorum synagoga distinctum Christianæ Ecclesiæ typum gereret: id enim docet Paulus ad Hebr. 10. scribens. *Vmbram*, inquit, *habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum*. Et 1. Corinth. 10. *Omnia in figuris contingebant illis*. Rursus ad Hebr. cap. 9. Tabernaculum illud antiquum synagogæ, victimas, sacrificia, Sacerdotium, omnia ad noui Testamenti veritatem reuocat; quod etiam confirmat Christus ipse cùm apud Ioannem 6. Manna ad figuram Eucharistię trahit, apud Matth. 12. Ionam triduo in cœti visceribus inclusum, mortem, sepulturam, ac post tres dies resurrectionem suam figurasse testatur. [Sicut fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ, &c.] Apud Ioann. 3. serpentem æneum in stipite erectum seipsum Cruci affixum interpretatur. [Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, &c.]

Denique totius veteris Legis statum typicum, ac figuratiuum fuisse noui Testamenti docet disertissimis verbis Origenes hom. 10. in Leuit. [Sicut, inquit, ij, qui bus artificium est, signa ex ære facere, & statuas fundere, antequam verum opus æris producant, aut argenti, vel auri, figmentum priùs luti ad similitudinem futuræ imaginis formant, non quòd figmentum necessarium sit, sed vsquequò opus, quod principale est, expleatur: cùm autem fuerit effectum opus, propter quod figmentum luti fuerat formatum, vsus eius vltrà non requiritur. Tale aliquid intellige etiam in ijs, quæ in typo, & figura futurorum in lege, vel scripta, vel gesta sunt. Venit enim ipse artifex, & auctor omnium, & legem quæ vmbram habebat futurorum bonorum transtulit ad ipsam imaginem rerum, deleta est terrena Hierusalem, vbi cœlestis apparuit. In templo non remansit lapis super lapidem, ex quo verum templum Dei facta est caro Christi. Ex quo venit verus Pontifex Christus, nusquam est illi Pontifex prior: venit verus agnus, qui seipsum obtulit hostiam Deo: cuncta illa antiqua sacrificia velut pro tempore posita cessauerunt, veluti formæ fuerunt è luto fictæ, per quas veritatis exprimebantur imagines.] Quæ sententia est communis omnibus Patribus.

Diuus Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, & in dialogo de adoratione, & cultu in spiritu, & veritate lib. 1. Augustinus in quæstionibus in Exod. lib. 2. quæst. 144. Gregorius Magnus Moral. lib. 28. capite 27. Theophylactus, & alijs. Quapropter à synagoga ad Ecclesiam, tamquam à typo ad veritatem ritè inferre licet, vt toties infert Paulus in epist. ad Hebræos, & 1. ad Cor.

Synagoga igitur, quæ typum Christianę Religionis gerebat, ita optimo hoc, & ordinatissimo administrationis genere vtebatur, vt quamuis inuisibilis Deus velut summum, ac inuisibile caput synagogæ præesset, aliud tamen visibile caput à Deo institutum haberet, quo visibiliter gubernaretur: cui etiam vniuersi velut Dei vices gerenti parerent, potissimùm in his, quæ ad Dei cultum, ac Religionem spectarent. Porrò in ea pulcherrimi ordinis forma conspici poterat, qua distinctis quibusdam gradibus ad supremum, ac visibile illud synagogæ caput conscendebatur.

Principio quidem Deus Optimus Maximus, cùm in Hebræa synagoga summum Pontificatum instituere vellet; tribum Leui à reliquis vndecim tribubus distinctam elegit, quæ sibi in tabernaculo deseruiret: neque ex alijs tribubus quisquam huic muneri fungendo seipsum asciscere audebat. Ita scribitur Numer. 3. [Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, vt ministrent ei, & excubent, & obseruent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij, & custodiant vasa tabernaculi, seruientes in ministerio eius,] & infrà. [Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.]

Hanc deinde in tres ordines, seu gradus distinxit; infimum scilicet, medium, ac supremum. Infimus gradus Leuitarum erat, qui cùm diuersa munera obirent, in tres classes digesti erant.

Primæ classis caput erat Helisaphan, qui omnibus filijs Caath præsidebat, quorum tum canendi, tum legendi officium erat. ijs etiam commissum erat, arcam, mensam, candelabrum, altaria, & vasa Sanctuarij, in quibus ministrabatur: velamina, cunctamque huiusmodi supellectilem custodire.

Porrò in secunda classe sub capite Heliasaph ij erant, qui excubias in tabernaculo fœderis obseruabant, ipsumque tabernaculum, operimentum, tentoria, cortinas atrij, & quæcumque ad ritum Altaris pertinebant diligentissimè curabant.

Denique tertia classis erat filiorum Merari sub Duce Surieli quorum munus erat sollicitè custodire tabulas tabernaculi, vestes, columnas, ac earum bases, cæteraque quæ ad tabernaculi ædificationem pertinebant. Hæc Leuitarum officia erant suis quæque classibus distincta.

Medius verò ordo Sacerdotes continebat; qui ex munere sibi commisso incensum, & panes propositionis Domino offerebant, ac propterea illorum manus sacro Oleo inungebantur, ac lino purissimo induebantur, cùm Sacerdotio coram Domino fungerentur.

Supremus tandem ordo vno tantùm summo Sacerdote, ac Pontifice concludebatur; ad quem benedictiones, sacrificationes, ac consecrationes spectabant: quapropter huius non tantùm palmas, sed & caput Deus oleo inungi mandauerat; vt omnium illum esse caput ostenderet. Hic auro, & purpura induebatur: nullius præterquàm Dei iudicio subijciebatur. Hic vnus tandem nulla appellatio-

latione interposita in ijs, quæ ad legem, cæremonias, ac sacrum rerum statum pertinebant; in eos nes iudicium ferebat, vt habetur Deuter. 17. [Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille.] Quæ omnia ne quispiam ex hominum institutione proficisci arbitraretur; Dei imperio fiebant, vt futurorum Hæreticorum in ecclesiasticos viros, ac præsertim in supremum Pontificem, & Ecclesiæ caput calumniæ profligarentur.

Iam verò cum à synagoga ad Ecclesiam inferre liceat (vt suprà demonstratum est) sanè æquum fuit, vt triplex hic ordo, qui in synagogæ administratione Deo institutore vigebat; in Ecclesia Christiana asseruaretur: vt Ecclesia synagogæ, vt par est, responderet.

Et quidem primo loco Ecclesiasticos viros ab vniuersa plebe à Deo selectos, sacris initiatos, diuinis rebus pertractandis consecratos, ac demum Dei seruituri mancipatos esse non ex hominum cõsilio, sed ex Dei ipsius electione, ac opere ipse Christus testatur apud Ioann. 15. [Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis:] & paulò post. [Sed ego elegi vos de mundo.]

Item Luc. 6. [Et cùm dies, inquit, factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.] Inter quos non minùs Ecclesiæ, quàm synagogæ tribuatur, distincti gradus Deo auctore constituti conspiciuntur. Quorum infimus in Ecclesiæ Hierarchia eorum est, qui tum minoribus, tum sacris ordinibus initiati (Sacerdotio excepto) velut in tres classes digesti dispertitum munus in Altaris obsequio obeunt.

Ac primi quidem minora, quæ ad Altare pertinent, veluti libros, candelabra, fores, luminaria, Ecclesiæ Cruces, campanas, Sacerdotalia ornamenta, ac cætera huiusmodi curant, tum ne quid Altaris ministerium impedire queat, diligentissimè cauent; atque hos tum Acolythos, tum Lectores, tum Exorcistas, tum Ostiarios appellamus.

At secundi gradus homines paulò sacratiora attingunt: ijs namque vt vasa sacra, pallas, calices, purificatorios linteos, corporalia, quæ Altaris ministerio inseruire debent, diligentissimè custodiant, ac ministrent, commissum est.

Tertij postremò eminentiores, Dei Euangelium in Ecclesia legere, prædicare, Sacerdoti sacrificanti assistere, ministrare, ipsumque Dominicum corpus, si quando opus fuerit, infirmis distribuere, ex munere sibi proprium habent. His tribus Ministrorum classibus sic optimè in Ecclesia dispositis infimus hic ordo velut stipatus incedit.

Medius verò ordo est Sacerdotum, qui nobilissimum, ac præstantissimum munus in Ecclesia exercent: ad eos siquidem spectat, hostiam illam mundam, & incruentam, qua hominum peccata expiantur; Carnem nimirum, & Sanguinem Christi Deo in sacrificium offerre; pro populo orare; inter Deum, & homines mediatores existere: inter lepram, & lepram iudicare, hoc est, peccata distinguere, ac pœnitentes à peccatis absoluere; Sacramenta administrare, quibus idcircò ad hæc ritè peragenda manus sacro Oleo inunguntur, ac consecrantur. Quis hæc ad primum diuinæ illius institutionis exemplar optimè composita esse non videat?

Superest, vt supremo illi synagogæ ordini, in quo summus Sacerdos cæteris eminebat, suprema in Ecclesiæ Hierarchia potestas respondeat, quæ apud vnum Pontificem, ac visibile Ecclesiæ caput resideat. Ille quidem cùm homo esset visibiliter synagogam administrabat: quid igitur causæ est, cur nos nostræ Ecclesiæ caput, quem hominem esse decet, visibiliter Ecclesiam regere non arbitremur?

Nec est, quod frustrà clamitent aduersarij synagogam vno tantùm Pontifice contentam fuisse: nos autem plures Pontifices aggregare; Episcopos videlicet, Archiepiscopos, Patriarchas, ac demum Papam: quandoquidem synagoga cùm angusta esset, ac vnum duntaxat populum contineret, vnicum etiam templum, ac vnicum Altare satis erat: nec Pontificiam dignitatem in plures, aut Episcopos, aut Archiepiscopos dispertiri opus erat.

At Ecclesia cùm per vniuersum Orbem dilatata cunctos Orbis terrarum populos complectatur: & iam felix illud Malachiæ Prophetæ cap. 1. tempus aduenerit, cùm vbique Domino sacrificatur, ac in omni loco illi offertur oblatio munda: ob eam causam, & templa, & Altaria, & Sacerdotes, ac Episcopos multiplicari opus fuit: & ipsa penè innumera fidelium multitudo postulat, vt Pontificale onus, quod vni nimis graue, ac intolerabile esset, multis cooperatoribus diuidatur, ac plures Episcopi, & Archiepiscopi, ac Patriarchæ non sine Dei consilio in partem sollicitudinis vocentur: quò meliùs Ecclesiasticæ res administrari queant.

Hoc enim ipsum Dominum præstitisse testatur Anacletus Papa: nam tametsi ipse summus Pontifex, ac supremum Ecclesiæ caput esset, sibi tamen Apostolos coniunxit, & Episcopos instituit, vt Euangelium per Iudæam disseminarent, atque ijs etiam septuaginta duos Discipulos addidit, quos Sacerdotes inunxit, vt simul ecclesiasticæ rei curæ incumberent. Quod Apostoli deinde velut à Christo instructi, in Ecclesia præstiterunt, cùm Episcopos ad Ecclesię regimen vocarunt, quod Spiritu sancto auctore factum esse testatur Paulus Actorum 20. eum Episcopos alloquens ait: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Sed quoniam inter Episcopos nonnullæ interdum quæstiones oriri solent, ac pleraque nonnunquam emergunt, quæ vel publicam, vel priuatam aliquorum Episcoporum vtilitatem minuere videntur: inde Archiepiscoporum dignitas in Ecclesia ritè instituta fuit; qui Episcoporum suæ Metropolis lites dirimerent, Synodos Prouinciales conuocarent: & si quid ad publicam Prouinciæ, ac Metropolis administrationem, aut vtilitatem conferre iudicarent, sua auctoritate prouiderent. Porrò ob eamdem causam super multos Archiepiscopos Patriarchæ constituuntur: ita

fit,

sit, vt multorum Præsulum vigilantia ecclesiasticæ res meliùs administrentur, & dum plurima confusionum capita præciduntur, Christiana Respublica maiora indies, ac præclariora incrementa percipiat.

His tamen omnibus certum est vnum summum Pontificem præesse, cui totius Ecclesię regendę onus incumbit, cuius illud proprium munus esse agnoscitur, vt in Domini vineam operarios mittat: vt qui solus tanto gregi non sufficit, ad pascendas Dominicas oues alios sibi Pastores asciscat; vt subiectos sibi Pastores ad munus suum diligenter obeundum compellat: vt denique locum, ac vicem Christi in Ecclesia gerat: hæc enim Christus instituit, & obseruanda in Ecclesia tradidit, cùm Petrum Apostolorum collegio præfecit, ac oues suas, quibus rerum omnium ecclesiasticarum summa continetur, illi pascendas commisit.

Hinc perspicuum esse potest, quàm ineptè, nedum infideliter senserit Lutherus, dum Christianos omnes nulla laicorum, & Ecclesiasticorum habita ratione, æqualiter Sacerdotes esse censet.

Quorsum enim si omnes Sacerdotes essent, ac omnes Deo sacri, Christus Apostolos elegisset? quorsum ex tanta fidelium multitudine septuaginta duos dumtaxat Discipulos Apostolis adiunxisset? Certè cùm Deus Ecclesiæ typum, tam ordinatè disposuerit; ità synagogam ancillam ornauerit; ità illius templi Sacerdotes, præclaris priuilegijs, ac donis cohonestauerit, qui armenta tantùm sacrificabant, ac veri Sacerdotij dumtaxat præcursores erant, vt eos ab vniuersa plebe sacra vnctione, ac ministerio distinxerit. Itàne altissimam Dei sapientiam calumniari audent, vt minùs Ecclesiæ, quàm illius typo tributum esse arbitrentur? Itàne Ecclesiam sponsam, quam sibi Christus in charitate perpetua copulauit, tamquam alienam præcipuo ornamento, sacro videlicet Sacerdotio, expoliatam à Christo relictam fuisse suspicari poterunt? Itàne Sacerdotes illos, qui augustissimum illud sacrificium Corporis, & Sanguinis Filij Dei in altari Deo Optim. Maxim. offerre, ac tremenda illa mysteria perficere debent, quo solo (vt Chrysostomus ait) Angelis superiores euadunt, nulla nota à plebeis hominibus semotos, nullo singulari præ cæteris priuilegio donatos, nullo discrimine inter reliquum vulgus promiscuè connumeratos esse existiment? Numquam in corruptibili illa Synagoga prętèrquàm Sacerdotibus sacros propositionis panes contingere, ac incensum offerre licuit: quò fit, vt Ozias Rex, qui id sibi muneris temerè arripere voluit, confestim lepra percussus fuerit. Balthasari quoque temulento in vasis templi vina tantummodò suis conuiuis propinare adeò exitiale fuit, vt is repentè diuinam vltionem senserit.

Quid illi in Ecclesia, quæ Christi Sanguine sanctificata admirabili, ac tremenda Sacramentorum maiestate fulget, omnibus ad altare accedere, omnibus sacra vasa pertractare, omnibus Sacramenta administrare, omnibus incensum offerre, omnibus Eucharistiam conficere, omnibus Christi Sanguinem sub vini specie latitantem promiscuè haurire licere arbitrantur? Quid si imperitus, si stolidus, si furiosus, si infans fuerit; num hi Sacerdotio fungi valent, cùm vel infirmitate, vel imbecillitate prohibeantur.

Iam verò si in Baptismi regeneratione (vt aiunt) omnes æquè Sacerdotes fiunt, cur non & mulieres Sacerdotissæ: cùm & ipsæ regenerentur, ac in Baptismo Christum induant? Quisnam erit populus, cui à Sacerdote benedicatur, si omnes Sacerdotes?

Admirabili itàque Dei consilio actum est, vt quemadmodum omnes Sacerdotes esse haud conuenit, sed quosdam quidem Deus ad Sacerdotium elegerit, alios laicos esse voluerit, vt sacra à profanis distinguerentur, ità Sacerdotes omnes supremum ius in Ecclesia obtinere non debeant, cùm id vni tantùm Sacerdoti, ac Pontifici, qui Christo succedit, & Ecclesiam tamquam visibile caput regit, atque administrat, à Christo collatum sit; ne veritas à figura dissentanea sit, & Ecclesia, quæ Synagogam, velut corpus vmbram sequuta est; ab antiquo illo, ac typico suiipsius statu non dissideat.

At frustra nititur Caluinus ostendere, quod vni nationi fuit vtile, in vniuersum Orbem extendi non debere, etenim qua ratione vtile fuisse fatetur Hebræo populo vnum Pontificem habere, eadem prorsus Christiano populo vtilissimum esse fateri debet. Quænam isthæc ratio fuit, quam pro populo Hebræos affert Caluinus? { Quia, inquit, vndique ab idololatris septi erant Iudæi, ne Religionum varietate distraherentur, cultus sui sedem in medio terræ sinu Deus collocauit: illìc vnum Antistitem præfecit, quem omnes respicerent, quò meliùs in vnitate continerentur.} At quis non videat hanc eadem causam pro Ecclesia aduersùs Caluinum pugnare? Cùm enim Christiana Ecclesia vndique, tum à Mauris, Tartaris, Turcis, Sarracenis, tum ab Hæreticis obsideatur: quidni vtilissimum erit, vt vnus illi præficiatur Antistes? Vtile Caluino visum fuit in Hebræo populo vnum, ac visibilem Pontificem institui, vt haberet populus in quem respiceret, atque in vnitate contineretur.

An non & eadem vtilitas pro Christiano populo loquitur, qui quò copiosor est, & numero, & amplitudine Israeliticum populum excedit, eò magis vno ac visibili Pontifice indiget, vt in eum velut caput respiciat, & quasi vinculo in fidei, ac religionis vnitate contineatur.

Sed quid est, quòd Caluinus, qui olim in Hebræo populo Pontificem conspicuum benè præfuisse docet, modò in Christiana Ecclesia sententiam mutat, ac inuisibilem tantummodò Pontificem benè præsidere prædicat? Quæri igitur à Caluino posset, qua ratione id Synagogæ vtile fuerit, Ecclesiæ verò inutile futurum esset? An ignorat eandem Ecclesiam esse Synagogam, & quæ nunc post Christum apud nos viget, vt sæpè demonstratum fuit: illa tantùm prior, hæc posterior eiusdem Ecclesiæ pars. Non Ecclesia, sed Ecclesiæ status tantummodò mutatus est: nam, quæ priùs sub veteri Testamento versabatur, nunc eo antiquato sub nouo collocata est.

Porrò si Caluinus fatetur vtile aliquando fuisse in priori Ecclesia ex Dei instituto vnum,

vnum, ac visibilem Pontificem præesse: cur eidem Ecclesiæ modò eumdem prodesse negat, immò & obesse sentit? Probet Caluinus antiquam hanc Dei institutionem de vno Pontifice in Ecclesia eligendo immutatam fuisse, ac protinus ei manus porrigimus: at verò cùm non tam immutatam, quàm apertè dicto Christi confirmatam, & amplissimis verbis velut renouatam habeamus Ioan. 21. sanè nullus ampliùs Caluinianæ calumniæ videtur relictus esse locus.

Amplior (fortè dicet) modò Christiana Ecclesia est, quàm antea sub Moyse fuerit, cùm illa vnum dumtaxat populum contineret, hæc Orbem vniuersum complectatur, ac proindè huic vnus Antistes non sufficit. Si hoc Caluini argumentum vim aliquam sibi vendicat, id tantùm concludit, ob maiorem populi Christiani multitudinem, plures in Ecclesia Episcopos, ac Pastores necessarios esse, quàm olim in Synagoga fuerint. Nihil verò vnum summum Pontificē attingit, cuius auctoritas, tam in plures, quàm in paucos ex diuina institutione extenditur, nam siue plures, siue pauciores oues in Ecclesia sint, is omnibus præesse debet, cui omnium cura credita est: cuique à Christo dictum fuit. *Pasce oues meas*. Atqui nobis respondeat Caluinus, num solus Pontifex olim apud Hebræos nullo adiutore totam Synagogam administraret? nonne in singulis vrbibus erant Synagogæ, quibus vnus Pontificis nomine Præfectus erat? Quid si Hebræus populus totum Orbem occupasset, num plures Pontifices creasset? An non eo solo, qui sibi ex Dei institutione obtigisset, contentus fuisset? Hæc sanè ità manifesta sunt, vt ea Caluinus; aut illius asseclę nulla ratione labefactare queant.

Sit igitur Ecclesia toto Orbe diffusa, planè nihil obstat, quominus in ea vnus Pontifex Christi nomine præesse debeat, quando non solus ipse omnium Ecclesiarum sollicitudinem ad se trahit, sed pluribus Episcopis, qui in singulis vrbibus ad particulares Ecclesias regendas constituti sunt, partem sollicitudinis mandat. Pluribus verò Episcopis, quò exortæ difficultates faciliùs dissolui queant, vnum Archiepiscopum præponit, atque his Patriarcham, vt grauiora ipse iudicia, ac fidei negotia sacro sibi adiuncto illustrissimorum Cardinalium senatu maturiùs expedire valeat.

At certè iustiùs nos in Caluinum hoc ipsius argumentum retorquere possumus: nam si Synagogæ, quæ vnius tantùm Palestinæ angulo conclusa erat, vtile fuit vnum Antistitem sibi præfectum habere, in quem respiceret, ne Religionum varietate, quibus circumsepta erat, distraheretur, annon Caluinianus populus ità augustus est, vt vix vnam Angliæ insulam, nec integram; pauca oppidula in Gallia, pauciora in Germania occupet? Quid? non idem illi periculum imminet, ne in varias Religiones distrahatur; cùm vndique Catholicorum Ecclesiam infensam habeat; vndique Zuinglianorum, Anabaptistarum, Lutheranorum, qui se illius hostes profitentur, non modò sectis obsideatur, verùm etiam armis oppetatur? Cur non, & ipsi hac ratione ducti vtile indicant, vnum sibi Antistitem visibilem præesse, in quem omnes respiciant? Aut cur potiùs vnum visibilem Pontificem à Christo institutum, & toti Ecclesiæ diuina auctoritate præfectum non suspiciunt; ne in varios errorum anfractus præcipites ferantur?

Tertia ratio. Status Christianæ Ecclesiæ, quæ nunc est, à suo exemplari dissentire non debet. Id verò omnibus exploratum est, Christum nobis à Deo Patre datum esse, vt omnium exemplar fieret, & in eo quid sequendum, quid fugiendum, quid aspernandum, quidue imitandum esset, contemplari liceret. *Exemplum enim dedi vobis* (ait ipse Ioan. 13.) *vt quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis*. Tum Paulus 1. Corinth. 4. *Imitatores mei estote*, inquit, *sicut & ego Christi*. Ea igitur Ecclesiæ regendæ forma sequenda est, quæ sub Christo instituta fuit, at certè constat Ecclesiam sub Christo eam regiminis formam ab ipso institutam sibi vendicasse, vt vnum caput visibile haberet, à quo tota Ecclesia gubernaretur, id manifestum est, nam Christus ipse tum Monarcha, tum visibile Ecclesiæ Caput extitit, qui cùm è viuis excederet, vt hanc gubernationis formam confirmatam relinqueret, visibilem sibi successorem D. Petrum instituit.

Iam cui fas erit absque crimine à diuino illo exemplari recedere; vt vel vnum visibile caput ab Ecclesiæ corpore præscindere audeat; vel plura capita absque vllo visibili in Ecclesia regnare contendat?

Quarta ratio. Ab ipsa Ecclesiæ partitione desumitur: siquidem manifestum est Ecclesiam, tametsi vna sit, duplici tamen parte constare, vna quidem inuisibili, quam triumphantem, ac gloriosam appellamus, altera visibili, quæ militans à Patribus nuncupatur.

Prima iam ad Christum collecta est, at in Cœlis regnat: secunda verò adhuc à Domino peregrinatur, & cum hoste pugnat.

Porrò illa, quæ in Cœlis est, visibile caput habet, quo fruitur, & in quod respicit, nempè ipsum Christum, qui tametsi nobis inuisibilis sit, cœlesti illi tamen Ecclesiæ est conspicuus.

De illa siquidem inquit Ioannes Ap. 21. [Ciuitas illa non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.] Cur igitur hæc nostra, quæ visibilis est, solo inuisibili capite contenta erit; cùm non tam inuisibili, quàm visibili administratione egeat? Multa sanè in Ecclesia inuisibilis capitis præsidium requirunt, vtpotè illuminari, à dæmonum insidijs inuisibiliter liberari, in fide confirmari, spe, charitateque augeri; ac cæteris virtutibus fidelium mentes exornari, quæ omnia ab vno Christi spiritu, quo Ecclesia inuisibiliter regitur, proficisci nemo dubitat, hæc si ab Ecclesia tollantur, nulli dubium est, quin eam ruere necesse sit, cùm his potissimùm illa subsistat; indè fit, vt Christum esse inuisibile Ecclesiæ Caput nemo iure inficiari queat. Sed cùm plurima quoque in ea sint, quibus visibilis capitis administratio necessaria est, quis enim Episcoporum electionem, ordinationem Sacerdotum, Sacramentorum administrationem, munerum Ecclesiasticorum distinctionem, Prædicatorum missionem, dubio-

biorum solutionem, Scripturarum interpretationem, fidei declarationem, causarum Ecclesiasticarum cognitionem, & pleraque alia ad visibilem Ecclesiæ gubernationem pertinere non sentiat? Neque enim Christus semper è Cœlo nos alloqui; aut dubia, quæ circa fidem, ac Scripturas versantur, declarare; aut Prædicatores ad disseminandum Dei verbum, vt olim cùm visibilis esset, per Orbem destinare, aut Sacerdotes, vel Episcopos instituere, ac plura huiusmodi efficere vult, quæ ad visibilem Ecclesiæ statum attinent, cùm ea neque Christum, qui modò inuisibilis est, præstare deceat, neque fidei, quæ non visis innititur, id vtile sit; hinc perspicuum fit, vnum visibile caput sub Christo inuisibili in Ecclesia institui debere, cui visibilium administratio credita sit.

Neque hic quicquam nobis officit Caluinus, cùm Institut. lib. 4. cap. 7. §. 9. clamat insignem iniuriam Christo fieri, dum vnum Ecclesiæ vniuersæ hominem præesse volumus, qui caput Ecclesiæ nuncupetur: cùm Ecclesiæ vnicum caput Christum agnoscat. At quis negat Caluine Ecclesiæ caput esse Christum? Est quidem vnicum, ac præcipuum, & si vis, solum ac absolutum, quid ampliùs efflagitas? Is enim solus absolutum in Ecclesia principatum obtinet, atque inuisibiliter regnat.

Quid frustra in Christi principatu nobis persuadendo laboras? id obuijs vlnis excipimus, ac fideliùs, quàm à nobis postulas, amplectimur. At nullum aliud sub Christo caput in Ecclesia agnoscendum vis? id impiè nimis, quid enim obstat, quominus Christo visibile caput subrogetur, quo Ecclesia ad visibilem administrationem vtatur? Num propterea Regnum Christi inuaditur, quòd ei Prorex per omnia illi subiectus substituitur? Est quidem caput Ecclesiæ Christus, quis negat? at cùm is corpore absens ab Ecclesia sit, solo spiritu præsens, quis iniuriam Christo irrogari existimet, quòd ministeriale, ac suffraganeum caput, quod visibile sit, sub eo in terris collocatur? Num propterea Christi maiestas minuitur, quòd in subiecto sibi Pontifice honoretur? Fallit sanè Caluinum argutia sua, cùm arguit.

Si Christus est caput Ecclesiæ, igitur iniuria Christo fit, si aliud sub Christo caput in Ecclesia constituatur, nam eodem modo, & mihi inferre licebit.

Si Christus est Rex totius Orbis, vt testatur ipsemet apud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*: igitur iniuria Christo fit, si alius in Orbe Rex agnoscatur, si Christus est Princeps, vt docet Joann. Apoc. 1. *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ*, ergo in Christi contumeliam cedit, quòd alius præter Christum in Regno Princeps nominetur.

An non eò hæc Caluini argumentatio tendit; vt omnem non tam Ecclesiasticæ potestati, quàm Regibus, ac Magistratibus auctoritatem, ac obedientiam adimat? Sit igitur Rex Christus; id non tollit, quin etiam Rex Hispaniarum sit Philippus. Gallorum Ludouicus sit Princeps; neque propterea iniuria Christo fit, quòd etiam Carolus Emanuel Princeps Pedemontij nuncupetur. Ità planè, etsi Christus supremum sit Ecclesiæ caput, immò solum & absolutum, siquidem solus ipse est Ecclesiæ Dominus, quia tamen visibili præsentia inter nos non habitat, nihil prorsus illius maiestatem lædit, quod Paulus V. Pontifex Maxim. visibile sub Christo Ecclesiæ caput asseratur, cùm is Christo comparatus non caput, sed procaput, ac Christi tantummodò Vicarius appellari debeat, cuius vicaria opera Christus ad Ecclesiæ moderationem vtitur.

Quapropter si nulla terreno Regi iniuria illata censetur, quòd Prorex aliquis in regno Regiæ potestati substituatur; cui rerum summa commissa sit; quid oblatrat Caluinus, nos insignem iniuriam Christo irrogare, cùm in Ecclesiæ Regno Pontificem visibili Christi Imperio velut proregem subrogamus?

Postrema ratio ex multis rationibus cōflatur. Idcirco namque visibile caput in Ecclesia necessarium esse asseritur:

Primò, vt Ecclesia militans à triumphante non dissideat: quòd si triumphans cùm inuisibilis sit, inuisibili Monarcha fruitur, militans quoque, quæ visibilis est, visibili capite, ac Monarcha potiri debet.

Secundò, vt Ecclesia militans secum ipsa non dissentiat; sed eandem in toto, sicut in partibus regiminis formam seruet, nam si singulis episcopatibus singuli Episcopi præsunt; cur non in tota militante Ecclesia vnus Pontifex esse debet; qui cunctis Episcopis præsit?

Tertiò, vt status Ecclesiæ non pugnet cum Doctrina Christi, & Apostolorum; quæ Ecclesiam, regnum, domum, ouile, corpus, appellat, quibus apertè insinuatur, vnum in Ecclesia visibilem Regem, patremfamilias, Pastorem, caput esse debere.

Quartò, vt externa Ecclesiæ vnitas vno capite externo, ac visibili colligata conseruetur. Nam cùm duplex sit quodammodo Ecclesiæ vnitas, interna & externa. Interna quidem sit per fidem, & charitatem; neque enim Ecclesia vna intrinsecè esse potest, quæ fidei vnitate non constat. Externa verò ordinis est, quæ fluit ab vnitate capitis visibilis. Indè enim Ecclesia vna esse agnoscitur, cùm vniuersa Ecclesiæ membra, ad vnitatem capitis reducuntur, quapropter cùm hæc externa Ecclesiæ vnitas, sine vnitate capitis visibilis esse non possit. Indè vnum caput visibile in Ecclesia necessarium esse colligimus.

Quintò, vt aliquis supremus in Ecclesia index sit, qui inferiorum Episcoporum peccata puniat, ac schismata, si quæ in Religione oriuntur, compescat.

Sextò, vt perspicuum sit, quæ Concilia sint legitimè congregata, quæ non. Postremò, vt Scripturæ quæ de primatu Petri apertè loquuntur, vim, atque auctoritatem suam (vt par est) obtineant.

ARTICVLVS XI.

Demonstratur vnitatem Capitis visibilis à Christo instituti esse vera Religionis Symbolum.

IAm ex his quæ dicta sunt, satis superque exploratum esse potest, vnum caput visibile ità cum vera Religione coniunctum esse, vt absque illo vera Religio consistere nullo modo queat. Quòd in primis illud demonstrat; quod ab omnibus velut commune principium (iis exceptis, qui plures Religiones æquè veras constituunt) concessum assumitur, vnam scilicet esse veram Religionem, ac veram Ecclesiam, quod adeò extrà controuersiam est, vt inter fidei principia, quæ nobis in Symbolo credenda proponuntur, non obscurè annumeretur.

Porrò cùm duplex veræ Religionis vnitas constituatur (vti superiùs docuimus) vna quidem interna, quæ ab intrinseca fidei vnitate manat, ac ea intrinsecè subsistit.

Altera externa, quæ ab vno visibili capite legitimè in Ecclesia constituto fluit, ad quod vniuersa veræ Religionis membra ordinantur. Hinc duplex ad hoc demonstrandum argumentum elicimus.

Primum est, si fidei vnitas veræ Religioni tantopere necessaria est, vt sine ipsa vera Religio nulla esse possit, quod in secunda Demonstratione fusè explicatum fuit, certum est ad fidei, tum vnitatem, tum incolumitatem tuendam nihil magis necessarium esse, quàm vt vnum visibile caput in Ecclesia constituatur, quo auctore variæ fidei doctrinæ cohibeantur, Hæreses pellantur, Concilia conuocentur, quod tandem Christianæ Reip. concordiæ inuigilet, ac cunctos in fidei vnitate contineat, nam vt Hieronymus ait cont. Iouin. cap. 14. [Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio:] neque enim aliter fidei vnitas retineri potest, quàm cùm illi veræ Religionis capiti copulamur, cui à Domino dictum fuit. [Tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quæ verba explicans D. Bernar. ep. 190. ad Innocen. Pap. [In eo, inquit, planè Petri impletis vicem, cuius teneris, & sedem si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis: si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.]

At neque minùs illud necessarium est, ad ipsam fidei incolumitatem tuendam: etenim manifestum est, visibilem hunc in Ecclesia Præsidem idcirco necessariò exigi, quòd is speciali quodam dono sibi à Christo collato, ità perpetuus sit veræ, & integræ fidei custos, vt ab eo velut à diuino quodam promptuario vera fides continuò perenda sit.

Quamobrem si vera Religio vniuersa fidei damna euitare, ac perpetua fidei incolumitate frui cupit: planè opus est, vt perpetuò huic capiti adhæreat, neque vlla vi ab eo separari se finat.

Nam vt præclarè ait D. Hieronym. epistola 57. ad Damasum Papam. [Non noui Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro, quicumque tecum non colligit, spargit.] Tum Betuardus loco suprà citato. [Oportet, ait ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, ac scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum.]

Alterum argumentum est, quòd cùm vera Religio, non intrinseca tantummodò, sed etiam extrinseca vnitate constare debeat, qua facilè ab Hæreticorum sectis, quæ passim in Ecclesia vagantur, dignosci queat, ea non secus, quàm ab vnius capitis visibilis, quod in vera Religione omnibus loco Christi præsideat, haberi potest.

Id verò cum superioribus articulis Scripturarum, Patrum, Conciliorum testimonijs latè prosequuti fuerimus; id tantùm dicendum superest, quòd si veram Religionem talem esse volumus, quæ videri, & agnosci possit; necesse est, vt visibilem hanc vnius capitis Monarchiam statuamus, qua illa ab omnibus vna, ac vera perspici valeat, quod superiùs ex præclara illa D. Cypriani sententia testatum reliquimus, cùm ait. [Hoc erant vtique cæteri, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, ac potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.]

Et eodem lib. [Vt vnitatem, inquit, manifestaret, vnam Cathedram instituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.] Ex quo planè constat, veram Religionem semper hoc symbolum vnitatis capitis visibilis velut proprium sibi vendicasse, quo ad seipsam veram, ac legitimam declarandam vteretur.

His accedat, quòd vera Religio vastum quoddam corpus est, vt ait Paulus, ex omniũ fidelium Religione sibi cohærentium multitudine collectum: quapropter sicut in visibili membrorum multitudine nihil tam naturale est, quàm vt visibile aliquod caput præsideat, quod totius corporis dux sit, atque indè corpus humanum perfectum agnoscitur, cùm omnia corporis membra suo capiti connectuntur.

Ità vera Religio, quamdiu visibilis est, nulla re magis vera, ac perfecta agnoscitur, quàm cùm suum visibile caput habet, quod velut ducem fidelium multitudo sequatur.

Nam (vt Cyprianus ait lib. de vnit. Ecclesiæ.) [Ecclesia Domini luce perfusa, per Orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur; nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, & profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput est, & origo vna, &c.] Qui igitur ab hoc capite discedit, sine capite est, & inter vera fidelium membra, aut Christi corpus recenseri non debet.

Qui huius capitis lucem deserit, & ab eo illuminari refugit, inter tenebras versatur; cæcus est, neque veræ Religionis luce potitur, aut illius cognitionem vllo modo potest adipisci.

Hinc Maximianus Episcopus Constanci-

tinop. [Omnes, inquit, fines terræ, qui Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum tamquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ Religionis recipiunt.]

Quamobrem sicut veræ Religioni nihil magis necessarium est, quàm vt vno visibili capite fruatur, quo in fide integra, ac perfecta possit consistere; itá nulla res magis ad illius veritatem nobis declarandam confert, ea enim velut præclarissimo symbolo vera Religio omnibus nota, ac perspicua redditur.

Nam si Rex vnus regnum vnum indicat, vnus paterfamilias vnius domus familiam à cæteris discernit, vnicus Dux vnicum exercitum demonstrat, vnus Pastor vnum gregem insinuat.

Certè cùm Deus Optim. Maxim. veram Religionem hisce rebus comparari voluit, eo apertè ostendit hoc satis apto, ac præclaro symbolo illam perspicuam fieri; cùm illud visibile caput sibi præesse agnoscit, quod ad eam in vnitate continendam, ab ipso institutum est.

Postremò cùm ipsa Dei institutio amplissimus testis sit, quæ vera, quæue falsa Religio censenda sit; profectò frustra de hac re disceptatio mouetur.

Cùm enim vera Religio itá à Deo ab ipso mundi exordio disposita fuerit (vt superius demonstratum fuit) vt in ea vnum visibile caput semper præesse deberet, illudque expressis verbis tam in veteri Testamento, quàm in Euangelio Deus instituerit, (vt sæpè probatum fuit) sanè certo certius est, eam dumtaxat veram Religionem habendam esse, quæ Dei institutioni innixa, vni ac visibili suo Pastori copulatur, ac subijcitur, atque hoc perpetuo symbolo se à Deo profectam esse testatur.

Nam cùm teste Cypriano ea vera dumtaxat Religio censenda sit, quæ velut grex suo Pastori est vnita; contrà eam Religionem velut falsam, ac spuriam reijciendam esse constat; quæ simul cum Dei instituto vnius supremi, ac visibilis Pastoris legitimè vocari potestatem contemnit, nam cùm is diuinam Christi personam, ac auctoritatem gerat, qui illum abijciunt, planè Christum ipsum expellunt.

Huc enim spectant, quæ olim Christus Apostolis dixit. *Qui vos spernit, me spernit.* Quoties enim is superba, ac infideli temeritate contemnitur, profectò non ipse, sed Christus contemnitur, & abijcitur, quod etiam indicant verba illa Dei ad Samuelem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Cùm enim Samuel Dei nomine in Hebræo populo regnaret, ac Dei potestatem præ se ferret, cùm primùm populus Samuele abiecto alium Regem more aliarum gentium perijt, protinus audiuit se non Samuelem, sed Deum, cuius personam gerebat, à se expulisse.

Quod ipsis aduersarijs accidit, qui cùm visibile Religionis caput à Domino institutum, à quo Christi personam geri certum est, à se abijciant; planè non illud, sed Christum ipsum, ne super eos regnet, abijciunt, quò fit, vt Christo à se abiecto nihil prorsus illis veræ Religionis relictum sit.



EIVS-

EIVSDEM AVCTORIS.

DEMONSTRATIO QVARTA

GENERALIS QVARTI SYMBOLI

Contra Hæreticos.

DE VNITATE DOCTRINÆ FIDEI.

PRÆFATIVNCVLA.



VARTVM iam veræ Religionis Symbolum demonstrare aggredior, quod in Orthodoxæ doctrinæ vnitate, ac perpetuo Ecclesiæ, ac Patrum consensu collocandum admirabilis ille, ac concors rotarum motus apud Ezechielem non obscurè insinuat: nam cùm ijs vnus vitæ spiritus inesset, à quo regebantur; omnes simul cum animalibus, quæ rotis præsidebant, & mouebantur, & quiescebant: atque ita fiebat, vt quocumque raperet spiritus, eò pariter & rotæ sequerentur. [Quocumque ibat spiritus (ita legitur Ezech. 1.) illùc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.] Et quidem D. Gregorij sententia est in exposit. *Ezech.* lib. 1. Hom. 3. animalibus sacros Scriptores, & Euangelistas significari. Rotas verò non abs re sanctos Patres, ac Doctores intelligimus, qui sacram Apostolorum doctrinam ita sequuntur, vt ab ijs nullatenus diuellantur: sed quæ ab ijs tradita sunt, tradent, quæ damnata sunt, damnant. Denique quid in Orthodoxa doctrina sequendum, quid reijciendum sit, ijs inhærentes addiscant, quo fit, vt consono prorsùs doctrinæ gressu, tam cum illis, quàm inter se consentiant. Id verò præstat vnus spiritus vitæ, qui cunctis è Cœlo præest, vel (vt legit Pagninus) spiritus animalis, idest, Agni Iesu Christi, à quo vniuersi reguntur, quique in omnibus concordem omninò doctrinam, ac parem in rebus fidei consensum parit.

ARTICVLVS XI.

An summus Pontifex possit absque Concilio fidei dogmata definire.

TErtia propositio. [Pontifex maximus sine Concilio potest fidei dogmata declarare, ac de ijs decernere: quamuis id sæpè non præstet, nisi coacto Concilio (fidei necessitate admodum non vrgente.)] Bipartita est propositio: & quò ad vtramque partem probanda.

Primùm, quod ad Pontificis potestatem attinet. Nemo in dubium reuocare potest, quin Petrus à Christo summus Pontifex electus, ac consecratus fuerit, nisi qui Euangelio iniuriam irrogare, ac sanctos Patres mendacij criminari velit, qui Petrum hactenus Apostolorum Principem, & vniuersalis Ecclesiæ Pastorem docuerunt. Id verò cùm passimPatres testatum relinquant, etiam pari, ac communi sententia Pontificem beati Petri successorem, ac Christi Vicarium in Ecclesia relictum esse affirmant. Cuius rei amplissimi testes sunt Irenæus lib. 3. cap. 3. Concil. Nicænum I. in canonibus ex Arabico translatis can. 39. Cyprianus epist. 55. Hieronymus epist. 57. ad Damasum. Augustinus epist. 165. vbi Petri successionem in Pontifices transfusam vsque ad Anastasium longo ordine recenset. Athanasius epist. ad Marcum Papam; & alij quamplures. Pontifex igitur cùm sit successor Petri (vt aliàs fusiùs probabitur) Petro verò, non Concilio, pascendi gregis potestas à Christo tradita sit: neque enim Concilio, sed Petro dictum fuit. *Pasce oues meas.*

Hinc exploratum est, non ad Concilium, sed ad Pontificem id munus propriè spectare; vt necessaria fidei pabula Christiano populo administret: nam sicut pastoris titulo, id Petro, ac illius successoribus collatum fuit, vt suprema Ecclesiæ gubernacula tenerent: ita cùm gregem pascere iubentur, do-

cen-

cendi, ac de vera fidei doctrina iudicandi potestas illis traditur; vt scilicet ea veræ doctrinæ pabula Christianæ plebi administrent, quæ Christi ouibus maximè congruunt.

Atque inde hæc ratio colligitur, quòd si illius est fidei dogmata declarare, cuius est suprema post Christum auctoritate populum docere: cùm suprema hæc potestas tantummodò penès Romanum Pontificem resideat, non penès vllum Concilium etiam vniuersale. Igitur solius erit Pontificis absque Concilio fidei dogmata explicare.

Confirmatur hæc ratio multis argumentis. Primum argumentum est; quia Conciliorum auctoritas pendet ab auctoritate Pontificis, velut à capite; ergo potest Pontifex sine Concilio, quæ fidei sunt, decernere. Quæ ratio est Leonis I. Papæ, vt habetur in cap. ita Dominus, dist. 19. [Huius muneris sacramentum, aie, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet: vt exortem se ministerij intelligeret esse diuini, qui ausus fuerit à soliditate petræ discedere.]

Secundum, quia Concilia congregati non possunt absque assensu Pontificis, cùm sit pastor Ecclesiæ, ad quem illius regimen spectat. Igitur Concilium ita subditur Pontifici, vt possit Pontifex sine Concilio statuere de rebus fidei, ac emergentia dubia declarare: quod patet ex decreto I. Nicenæ Synodi, cuius meminit Synodus Alexandrina scribens ad Felicem Papam his verbis. [Scimus in Nicena magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus esse concorditer roboratum: non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari; neque Episcopos condemnari:] cui subscribunt ferè vniuersi Patres, quorum testimonia apud Gratianum extant dist. 17. per totum.

Neque aliquid ponderis habet aduersariorum calumnia, qui probare nituntur Concilia olim ab Imperatoribus conuocari solita fuisse: ex quo arguunt, ius conuocandorum Conciliorum ad Reges, ac seculares principes spectare. Nusquam enim apud Historiographos reperient Imperatores, modò Catholici, non Hæretici extiterint, absque Romani Pontificis assensu Concilium legitimum conuocasse.

Plurimi quidem ex ijs, cùm Religiosissimi essent: & summoperè quæ Christianæ Religionis erant, curarent; cùm Ecclesiam aliqua hæresi infestari cernerent, vel sponte Concilia à Romanis Pontificibus petebant: vel ab ipsis conuocanda, si quando concilij locus eorum ditioni subijceretur, ita sua auctoritate communiebant, vt liberam potestatem Pontifici facerent in ea Vrbe Concilium celebrandi: immò verò, & seipsos concilij fautores, ac propugnatores exhiberent: quò fit, vt seipsos potiùs pontificiæ auctoritatis ministros, quàm riuales, ac dominos præberent: at hi concilia suo nomine minimè congregabant: sed vel postulante, vel annuente Pontifice ea cogenda curabant.

Id ex multis Synodorum testimonijs, ac Imperatorum rescriptis apertè constat: vnde in cap. sexta Synodus, dist. 16. sic habetur. [Sexta Synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata est, & Græco sermone conscripta temporibus Papæ Agathonis, exequente piissimo Principe Constantino.] De Nicena Synodo, quam à Constantino Magno congregatam esse dicunt: item de Constantinopolitana prima, de Chalcedonensi, quas tum à Theodosio, tum à Martiano absque assensu Pontificis collectas esse opponunt: mera sunt mendacia. Nam acta 6. Synodi act. 18. & Damasus in Pontificali, testantur Nicenum Concilium Syluestri iussu celebratum fuisse. Præterea Constantinop. I. teste Theodoreto lib. 5. Histor. cap. 9. non à Theodosio; sed à Damaso conuocatum fuit: neque aliud præstitit Theodosius, quàm quòd Damasi epistolam, qua Concilium indicebatur, ad Episcopos misit. Denique Chalcedonense Concilium non à Martiano, sed à Leone coactum fuit: vt patet ex epistola Martiani ad Leonem: in qua petit à Leone, vt omnia, quæ ad concilium pertinent, sua auctoritate definiat.

Cur verò Imperatorum consensus nonnumquam ad concilia celebranda à Pontificibus exquireretur, ea optima causa fuit: quòd cùm Imperatores toto ferè Orbe imperarent, & concilia in ijs Regionibus, quæ Imperatoribus subiecta erant, sæpè celebrari solerent, æquum sanè erat, vt ea absque Imperatorum licentia non fierent: præsertim cùm ex toto Orbe conuentus fieret: id enim politicæ gubernationis ratio exigebat.

Tertium argumentum. Quia conciliorum decreta nullum robur habent, nisi sint à Pontifice approbata. Igitur Pontificis auctoritas in decernendis rebus fidei, non ita pendet à concilio, quin sine concilio valeat aliquid de fide tenendum statuere; quandoquidem iudex est concilij, ac sine concilio statuere potest, num decreta concilij sint legitima, vel infirma? Id ex antiquissimo vsu constat, Nam & Nicenum Concilium (vt testantur illius acta in epist. ad Syluestrum scripta) à Syluestro petit, quæcumque in eo statuta sunt, sua auctoritate confirmari.

Idem & ex Ephesina Synodo liquet, vt habetur in eius gestis, cuius confirmationem Theodosius Iunior à Cœlestino I. petijt, & accepit. Patres item Chalcedonensis Concilij ad Leonem pro concilij confirmatione scribunt, vt patet ex epist. eiusdem concilij ad eumdem Leonem. Idem Leo petente Constant. sextam Synodum confirmauit. Qui mos etiam ad omnes posterorum conciliorum Patres transmissus est: quibus ea communis sententia fuit, vt nihil vnqeam in concilijs ratum esse existimauerint, nisi quod Romani Pontificis auctoritate firmatum esset. Ex quo elicimus penès Pontificem solam, ac supremam de rebus fidei definiendi potestatem suam esse: quamuis ille numquam nisi summa diligentia adhibita in causis fidei definiendis procedat.

Hinc illorum apertus error enitecitur, qui supremam, ac immediatam à Deo concilijs auctoritatem collatam esse existimant, tamquam supremo controuersiarum omnium Iudici: nam cùm nullibi apud sacras literas id scriptum legatur: illæ verò summam omnium rerum tantummodò ad Pontificem ce-

fe-

ferant, cui totius ecclesiasticæ gubernationis, ac scientiæ claues à Christo elargitas affirmant: planè ignoro, qua ratione id sibi persuadeant: si enim hæc concilijs potestas à Deo data esset, quid causæ foret, quòd tot generalia Concilia hactenus ab ipsa Ecclesiæ infantia in Orbe celebrata, tam humiliter decreta sua Pontifici subijcerent, atque ab eo confirmationem exposcerent? Planè negari non potest, quin si generalia Concilia supremam hanc potestatem statuendi, definiendi, sententiandi, ac de rebus fidei, ac morum decernendi à Deo tantùm sibi collatam agnoscerent; cùm primùm eam sibi à Pontifice manare professa sunt, diuinum ipsum ius violauerint, ac proindè errauerint, cùm in alium collatam tantùm sibi à Deo auctoritatem transferrent. Quòd si errare potuerunt, quomodo ea supremam infallibilis veritatis regulam sibi vendicant?

Ceterum, quod obijciunt aduersarij conciliorum confirmationem à Romano Pontifice petitam tantummodò priuatam fuisse; sicut & aliorum Episcoporum, qui idcircò conciliorum decretis subscribebant, vt omnia communi consilio acta esse probarent; aperta calumnia est, quæ duplici ratione euincitur:

Prima, quia Concilia, quæ confirmationem à Romano Antistite postulabant, eò spectabant, vt legitima ab omnibus iudicarentur, & eorum decreta vim in Ecclesia nanciscerentur: quod perspicuum est ex 6. actione Synodi Chalcedonensis, & ex cap. Regula, dist. 17. & ex cap. Bene, distinct. 96. Gelasius quoque in epist. ad Episcopos Dardaniæ, quæ allegatur à Gratiano de consecrat. dist. 4. cap. confidimus, ac Leo II. epist. ad Constantinum IV. Imperatorem pro sexta generali Synodo hoc idem confirmant. Tandem Adrianus I. epist. ad Constantinum, & Irenem matrem, quæ lecta est in secunda Nicæna Synodo act. 1. id apertè fatetur his verbis. [Romana Ecclesia, quæ semper & tenuit, & retinet principatum, vnamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit.]

Altera ratio est, quòd si confirmatio à Pontifice petita tantùm priuata esset, recusante Pontifice, non minùs rata essent Concilia, cùm in eo ceteri Episcopi conspirarent, quàm si ijs Pontifex annueret. At plurima Concilia, idcircò reprobata, ac damnata cernimus; quòd hanc à Pontifice confirmationem non acceperint: igitur ea non priuata velut cæterorum Episcoporum, sed publica, velut supremi capitis, cui ius in Concilium competit, censeri debet: sed hæc ratio nunc fusiùs explicabitur in quarto argumento.

Quartum argumentum ex suprema Pontificis potestate desumitur. Pontifex namque conciliorum decreta circa fidei dogmata, & corrigere, & damnare potest. Igitur non indiget concilio ad fidei dogmata declaranda.

Patet consequentia: nam si Pontifex solus absque concilio potest concilij decreta circa fidem infringere, ergo solus absque concilio valet de fide decernere.

Porrò quòd is possit conciliorum decreta infirmare, atque ipsa concilia spuria, ac illegitima declarare: apertum est primùm ex suprema, & Vicaria Christi potestate, qua Pontifex toti Ecclesiæ præsidet, cui cùm tota Ecclesia velut Christo subiecta sit, sine quo concilia ritè congregari non possunt; sanè liquet, quòd si aliqua minùs legitimè congregata fuerint, damnare, & illorum decreta irritare propria auctoritate valeat.

Deindè hoc ipsum res ipsa clamitat: nam pleraque concilia, quæ generalia putabantur, hac ratione à Pontificibus reprobata legimus: siquidem & Ephesina secunda Synodus, quam generalem appellant, à Leone Magno damnata fuit.

Item Ariminense Concilium sub Constantio, & Synodus Constantin. sub Michaele; & alia Constantinop. sub Leone Isaurico; alia etiam sub Constantino Copronymo, eodem modo à Pontificibus reprobata fuerunt. Præter hæc, Sardicense, Syrmiense, Quinisextum, Francofordiense, Constantiense, Basileense, & alia nonnulla celebrata sunt, quæ partim damnata, partim confirmata Pontificum auctoritate leguntur.

Denique id perspicuè pronunciat Nicolaus Primus epist. ad Michaelem Imperatorem circa medium. [Romana Ecclesia, inquit, collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit: vnde quædam eorum, quia consensum Rom. Pontificis non habuerant, valetudinem perdiderunt.] Ex his paret Pontificem non ita concilijs subdi, vt sine concilio fidei dogmata declarare nequeat.

Quod verò id non præstet Pontifex, nisi fidei periculum vrgeat, quæ est secunda pars nostræ propositionis. Primùm id ipsa rei grauitas exposcit: quæ sanè tanta est, vt ad nouam aliquam in fide exortam controuersiam dirimendam, maxima adhibita diligentia Pontifex procedere debeat, vt ea ritè, & perfectè examinetur. Ac tunc maxima diligentia adhiberi creditur: cùm ad rem fidei examinandam Pontifex Patrum generale Concilium secum adhibet, cui Christus Spiritum sanctum magistrum, veritatisque Doctorem pollicetur. Id confirmatur Apostolorum exemplo.

Hi namque tametsi ita cumulatè Spiritus sancti dona accepissent, vt quæ ad veræ fidei doctrinam spectarent, nullo alio Doctore perfectissimè cognoscerent: nihilominus cùm de circumcidendis Gentilibus orta esset in Ecclesia quæstio; non secus, quàm adhibito concilio eam determinandam esse existimarunt. Quod à Pontificibus, qui Petri successores sunt, obseruari æquum est, ne in grauioribus fidei rebus definiendis minori diligentia, quàm par est, sola sua auctoritate properent: sed potiùs vel generali concilio (si nullum fidei periculum immineat) rem exactè discutiendam tradant: vel si viget periculum, doctissimos siue ex Cardinalium numero, siue aliunde sibi viros accersat, qui secum de quæstione, quid sequendum, aut respuendum sit, iudicent.

Postremò id antiquissimus Pontificum vsus confirmat, qui numquam, vel raró de vlla fidei controuersia soli iudicarunt, nisi vel Episcoporum coacto Concilio: vel doctissimo-

morum, si quando casus vrgeret, habito consensu. Atque id ea ratione Ecclesiæ magis vtile fuit, quòd ea fidei definitio vniuersali Ecclesiæ voce conclamata, cuius imaginem gerit Concilium generale, auidiùs ab omnibus excipiatur: & quæ publico multorum consensu terminata sunt, minùs aduersariorum calumnijs sint obnoxia. Denique quòd vniuersalis Concilij, quod cum Pontifice conspirat, decreta, velut à Spiritu sancto profecta omninò irrefragabilia censeantur.

Hinc factum est, vt vix vnquam præterquàm in generalibus Concilijs fidei controuersiæ definitæ sint, vt explotatum est. Nam in Nicæna 1. Synodo Filij Consubstantialitas aduersùs Arrium determinata fuit. Constantinopolitana Synodus pulso errore Macedonij Spiritus sancti Diuinitatem confirmauit. Ephesino Concilio definita fuit controuersia de vna Christi persona, & duabus naturis; & profligata est impietas Nestorij. Per Chalcedonense Concilium lis de vtraque Christi natura obtruncata fuit, Eutychete damnato. Altera generalis Synodus Constantinopol. coacta fuit, in qua Origenis errores damnati fuere. Tertia Synodus generalis Constantinopol. statuit duas in Christo voluntates agnosci debere, eorum hæresi reiecta, qui vnam tantùm in eo voluntatem asserebant. Denique vt cætera Concilia taceam, quotquot hæreses in Ecclesia interemptæ sunt, vniuersæ ferè à Pontificibus sacrorum Conciliorum gladio iugulatæ fuerunt. Neque tamen his dictis quicquam Concilio extrà Pontificem tribuimus, vt ex sequenti propositione patebit.

ARTICVLVS XI.

An Concilium sit supra Pontificem.

Qvarta propositio. [Auctoritas Concilij generalis non est supra Pontificem, sed tota ab eo pendet.] Declaranda est propositio. Nam vt optimè notat Thomas Stapletonus lib. Principiorum fidei controu.6. quæst.3. artic.5. comparatio inter Papam, & Concilium varijs modis à varijs instituitur. Quidam enim Concilij auctoritatem ità cum Pontificia comparant, vt velint Concilium legitimè à Pontifice congregatum, quoad plenam rerum definiendarum auctoritatem Papa superiùs esse: ità vt eo etiam contradicente valeat controuersias fidei definire, canones constituere, iurisdictionem circa Ecclesiasticam disciplinam exercere, atque ea omnia præstare, quæ Pontifex absque Concilio posset efficere. Quæ opinio olim à Patribus Concilij Pisani in dubium vocata fuit, cùm Ecclesia ob duorum Pontificum sedes, scilicet Gregorij XII. & Benedicti XIII. schismate laboraret. Deindè tursùs hæc controuersia suscitata fuit in Concilio Constantiensi, cùm Ioannes XXIII. clam à Cōcilio discessisset. Tũ pauló post tempore Concilij Basileensis ab inferis excitata, quàm tamen defendit Nicolaus Cusanus de concord. Cathol. lib.2. c.17. Hæc opinio eo fundamento nitebatur; quòd crederet generali Concilio, tamquam vniuersam Ecclesiam Catholicam repræsentanti; hanc potestatem immediatè à Deo fuisse collatam: ex illis verbis Matth.18. *Dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Id patet ex verbis Constantiensis Concilij ab Ecclesia reprobaris. [Hæc sancta Synodus declarat, quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, aut dignitatis etiamsi Papalis existat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & dicti schismatis extirpationem, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & membris.] Eadem verba repetita habentur in Concilio Basileensi actione 2. & 18. quæ pari ratione reiecta sunt.

Alij verò Pontificiam potestatem ità cum Conciliorum auctoritate conferunt, vt Pontificis potestatem vnam tantùm esse ab inferioribus potestatibus distinctam sibi persuadeant: sed in Concilio generali omnes potestates contineri, eo quòd vniuersalem Ecclesiam repræsentet, quæ omnes complectitur: ac propterea Concilium supra Papam esse sentiunt, sicut totum integrale est maius sua parte. Hanc sententiam defendit Ioan. Gerson. in tractatu de potestate Ecclesiastica, & de auferibilitate sponsi.

Alij ferè eodem modo Concilium supra Papam esse opinantur, quòd Papam singulis quidem personis, & Ecclesijs præesse existiment: non tamen omnibus simul collectis: atque inde in Concilium nullum ius habere, sed potiùs ei subijci oportere credunt.

Denique qui Ecclesiasticam potestatem primò, ac immediatè Ecclesiæ collatam esse volunt: ij proculdubio Concilium supra Pontificem collocant. Quapropter cùm in hac propositione asserimus, Concilium generale non esse supra Pontificem, sed à Pontificis auctoritate pendere, his omnibus bellum indicimus, qui quoquomodo Concilij generalis auctoritatem supra Pontificis potestatem extollunt. Porrò licèt hæc propositio olim ingruentis aliquo schismate, à pluribus fuerit impugnata: hodie tamen adeò omnium consensu recepta est, vt nemini secus sentire liceat: quo fit, vt satis tutus illius probationi nobis locus relictus sit: nec nisi aduersus Schismaticos, vel Hæreticos in ea ruenda nobis hodie agendum sit: tametsi Gersonem, ac alios antiquiores huius erroris Patronos, qui propriam sententiam Ecclesiæ iudicio subiecerunt, à schismatis culpa excusemus.

Huius igitur propositionis veritas primùm à Scripturis petenda est, quæ Petrum à Christo totius Ecclesiæ Pastorem constitutum esse affirmant: vt legitur Ioann. 10. *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas.* Ex quo illud necessariò consequitur, Pontificem, qui Petro succedit, eandem in totam Ecclesiam à Christo potestatem habere. At Concilium est tota Ecclesia repræsentatiuè: igitur Pontifex ex Christi institutione habet potestatem in Concilium, non econtrà. At obijciunt aduersarij Pontificem quidem velut Pastorem præsidere toti Ecclesiæ distributiuè, idest, singulis personis, ac partibus Ec-

clesiæ, non tamen collectiuè, idest, Ecclesiæ simul in Concilio generali collectæ: at qua ratione, aut testimonio id astruunt? vndè ex Scripturis habent, quòd Pontificis ius, ac potestas tantùm in Ecclesiam dispersam, non collectam sese extendat?

Certè Ecclesia corpus est, vt inquit Paulus, cuius vniuersi fideles, tam Episcopi, quàm laici sunt membra: his vnus Pontifex, velut caput præest; quis ità insaniat, vt caput singulis tantùm quibusque membris, seorsim dispositis, non omnibus simul collectis præsidere sentiat? Planè hoc nimis friuolum est, nam quemadmodum Episcopus Pastor est suæ diœcesis, Archiepiscopus suæ Prouinciæ, Patriarcha sui Patriarchatus, non solùm distributiuè, ac seorsim singularum personarum; & Ecclesiarum sui iuris; sed etiam collectiuè, siquidem illos fateri opus est, Episcopum suæ Episcopali Synodo velut caput præesse; Metropolitam Prouinciali, atque eodem modo Patriarcham Patriarchali Concilio præsidere: ità Pontifex cùm totius Ecclesiæ Diuina auctoritate Pastor agnoscatur, atque ei totus Orbis Episcopatus loco cedat: non solùm singulis Ecclesiæ ouibus, ac seorsim, sed toti etiam Gregi simul in Concilio collecto præesse debet: ergo erit supra generale Concilium: haud secus, quàm inferiores Episcopi suis Concilijs præsunt.

Præterea cùm Dominus dixit Petro, vt legitur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tunc ex communi Patrum consensu totius Ecclesiæ principatus Petro, ac Pontificibus Petri successoribus promissus fuit. At Princeps toto suo regno, non tam seorsim diuiso, quàm coniunctim collecto maior est (vt notum est) igitur Pontifex toto Concilio, in quo Ecclesiæ regnum concluditur, maior agnosci debet.

Hinc aliud argumentum elicimus. Nam cùm vna sit Christi Ecclesia, super Petrum Domini voce fundata (vt Cypriani verbis vtar) quam Pontifex Petri successor regendam accepit: neque ea magis vna sit, cùm seorsim dispersa est, quàm cùm simul in Concilio est collecta; quoquomodo Ecclesia nominetur, planè constat eam Pontifici esse subiectam: ac propterea Concilium necessariò Pontifici subijci debere.

Porrò ex vtroque testimonio ità arguimus. Monarchiam his locis in Ecclesia à Christo institutam fuisse, vox est omnium Patrum, ac Conciliorum, quam in Pontificibus perpetuò in Ecclesia seruari opus est: at si generale Concilium supra Pontificem auctoritatem extenderet, saltem eo tempore, quo Concilium celebraretur, & quoties illud celebrari contingeret, toties Ecclesiæ Monarchia deficeret: atque in Aristocratiam degeneraret: quod cum Diuina institutione pugnat: quamobrem vt Monarchia à Christo instituta sarta tecta seruetur, neque vllo vnquam tempore deficiat; fateri opus est, Concilium Pontifici, non Pontificem Concilio subdi oportere.

Præterea ex illis verbis, quibus Christus Petrum singillatim affatus est Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos;* vniuersi Patres optimè deducunt; priuilegium infallibilis veritatis in definiendis fidei rebus, non Concilio, sed Pontifici à Christo collatum esse; & cùm personale sit, ad solos Pontifices transire: ac proindè legitima Concilia à Pontifice, qui integræ, ac infallibilis veritatis custos est, confirmari oportere; quod perpetuo, atque antiquissimo vsu in Ecclesia receptum fuisse notum est, ex quo tandem euincimus, quòd si Pontificum est, ex Christi institutione confirmare Concilia, & quæ illis visa fuerint reprobare: planè eadem auctoritate illorum erit Concilijs præesse, ac ea sibi subijcere, non econuersò.

Cæterùm hæc veritas Conciliorum, ac Patrum adhuc testimonijs roboratur. Ac imprimis Concilium Suessanum non est ausum in Marcellinum Pontificem, qui ex timore thus idolis adoleuerat, ac posteà Martyr gloriosus extitit; sententiam dicere: sed illis verbis vsum est. [Tuo te ore, non nostro iudicio indica: nam prima sedes à nemine iudicatur.] Quòd si Pontifex à nemine iudicatur: igitur nec à Concilio poterit iudicari. Idem tradunt Patres Concilij Romani sub Syluestro vlt. Can. vbi ità legitur. [Nemo iudicabit primam sedem.] Idem colligitur ex Concilio Chalcedonensi sub Leone Act. 3. in quo Dioscorus Patriarcha Constantinop. cum tota Ephesina Synodo 2. damnatur: cùm ob alias causas, tum potissimum, quia summum Pontificem damnare ausus fuerat. Hoc ipsum habetur ex Romano altero Concilio sub Hadriano II. cuius verba refert octaua Synodus Act. 7. hoc modo. [Romanorum Pontificum Sedem, de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus: de ea verò quemquam iudicasse non legimus.] Id ipsum fatetur Lateranense Concilium vltimum sub Leone X. sess. 11. vbi proposita decreta à Constantiensi, ac Basileensi Concilio edita reprobat. [Solum, inquit, Romanum Pontificem tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum faciendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius, ac potestatem habens nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed & propria eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat.] Tandem vt Concilijs finem imponamus: Florentinum Concilium sub Eugenio IV. sess. 7. hoc ipsum disertè ab vniuersis tenendum statuit, priorum Conciliorum decreta renouat, & oppositam sententiam velut temerariam, ac erroneam explodit.

Id etiam plurima Patrum testimonia confirmant. Leo Magn. epist. 84. ad Anastasium. Gelasius epist. ad Episcopos Dardaniæ, vbi habet hæc verba, [Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Sedes fas habeat de omnibus iudicãdi: nec cuique liceat de eius iudicare iudicio.] Nicolaus I, eandem semper Ecclesiæ fuisse sententiam tradit epist. ad Michaelem. Idem confirmant D. Gregor. lib. 9. epist. 39. Paschalis, vt habetur cap. Significasti, extrà de electione. Innocentius 3. serm. 2. de consecratione Pontificis, ac plerique alij Patres.

Postremò ipsa ratio à Scripturis desumpta maximè viget. Constat enim Papam

esse

esse Christi Vicarium ex ipso testimonio Ioann. 10. quod suprà retulimus. Cùm sit legitimus Petri successor, quem in Ecclesiæ gubernatione Christo suffectum esse nemo ignorat. Tum etiam ex omnium Patrum sententia, vt aliàs demonstrabimus, id maximè Catholicis exploratum est. Porrò si Christi auctoritas non penderet à Concilio si adhuc viueret, sed omni Concilio maior esset: eadem ratione, & Pontificis auctoritas, quæ ipsius Christi Vicaria est, à Concilio pendere non debet; sed toti Concilio debet esse superior, cùm Pontifex non alia in Ecclesia, præterquàm Christi potestate fungatur.

Præterea Concilium ad membra Ecclesiæ pertinet, non ad caput, quod ex ipsa vi nominis conijcitur: Concilium enim generale omnium Ecclesiæ membrorum congregationem indicat, atque hoc modo totius Ecclesiæ imaginem gerit. Pontifex verò cùm huius Ecclesiastici corporis sit caput, toti corpori præesse debet; nec inter cætera corporis membra, quasi gregale aliquod membrum collocari debet, æqua conditione cum cæteris subiectum: cum ita in Ecclesiæ corpore constitutus sit, vt velut caput illi præsideat. At verò à nemine vnquam receptum fuit, vt membra, quæ capiti subiecta esse debent, sibi caput subijciant: cùm potiùs caput ipso iure in membra ius exercere debeat. Hoc pacto generale Concilium, cùm Ecclesiæ membra tantummodò contineat, Pontificem caput sibi agnoscere debet, cui subiectum sit: à quo si latum vnguem abscesserit, protinus Ecclesiam Acephalam, ac sine suo capite constituit.

Accedat, quòd singuli Episcopi, ac Patres, qui in Concilio congregantur, ante congregationem oues erant Pontifici subiectæ. Igitur, & postquam collecti sunt, inter oues annumerari debent: quòd si id negant, dicant, qua ratione ouium naturam mutauerint, & ad pastorum ius euolauerint, cùm nullibi id Scriptura affirmet, & antiquissimus Ecclesię vsus, ac consensus cum illorum opposita sententia pugnet? Aut quodnam illis nouum ius, aut collectio magis, quàm disgregatio acquisierit, quod illos supremi Ecclesię pastoris iudices effecerit? Nimis enim friuolum est præsidium, quod ex illo Matthæi 18. testimonio sibi quærunt. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Neque enim ibi appellatione Ecclesiæ vniuersale Concilium intelligendum est, sed particularis cuiusque Ecclesiæ Præsul, vel magistratus; cùm ibi de fraterna correptione agatur, præcipiaturque, vt peccans frater, primùm secretò corripiatur: deindè vnus, vel alter ad correptionem testis adhibeatur, quos si audire negligat, tunc Ecclesiæ denuncietur, id est, Præposito, qui Ecclesiam repræsentat. Quis hìc vniuersale Concilium intelligat nomine Ecclesiæ insinuari; cùm de quotidiana fratris correptione, quam pro leuissimo quoque delicto frequenter in die interdum fieri opus est mentio fiat? Num quotidie generale Concilium conuocari potest; aut in vnum aliquem locum confluere totius Orbis Episcopi; vt à quolibet fraterni delicti correctore adiri possint? Porrò cùm Ecclesiæ Præsul, cui delinquens frater subiectus est, hoc loco adeundus præcipitur; quis in iudicio petendo ordo obseruandus sit, annuitur. Nam subditus suo Episcopo denunciari debet. Episcopus verò si pertinaciter delinquat, suo Metropolitæ est deferendus. Metropolita delicti sui Patriarcham iudicem habet, Patriarcha Summo Pontifici, si incorrigibilis sit, est denunciandus. Pontifex verò si peccet, à Deo iudicium expectare debet, cùm nemini in Ecclesia subsit; atque is est iudicij Ecclesiastici ordo in Ecclesia institutus, quem nulli vnquam peruertere licuit: neque enim vnquam Capitulo facultas data fuit, vt in Episcopum animaduerteret: neque Episcopis suffraganeis, vt Metropolitam iudicarent: aut Metropolitis, aut generali Concilio fas vnquam fuit, Pontificem suo iudicio submittere; ita intelligenda sunt Christi verba, cùm ait: *Dic Ecclesiæ.*

Addo, quòd Concilium generale est velut Senatus Episcoporum summo Pontifici adiunctus: cui Pontifex grauiores causas definiendas committit; neque nouus hic Senatus erigitur, cùm Concilium conuocatur. Sed Episcopi velut Senatores diuersis locis constituti, iubente Pontifice in vnum confluunt, vt maturiùs definiendas causas discutiant: quò fit, vt Episcopi eundem omninò dignitatis gradum obtineat ad Concilium vocati, quem antea obtinebant, antequam ad Concilium vocarentur: at Senatus à Principe institutus, siue is diuisus sit, siue collectus, non est maior ipso Principe; sed ipsi semper est subiectus: hoc pacto Concilium Episcoporum, cùm sit Senatus Pontificis à Christo institutus, non debet esse maior Pontifice, sed illi subijci.

Postremo si Concilium esset supra Pontificem, pleraque incommoda sequerentur. Grex enim ipso Pastore maior esset. Familia Oeconomum potestate præcelleret. Filij in Patrem naturale, ac debitum ius exercerent: sponsa sponsum imperio regeret; subditi Domino imperarent, quæ adeò cum ipso iure naturali pugnant; vt nulla ratione defendi queant. Constat enim Pontificem à Christo totius Christiani gregis Pastorem constitutum esse Ecclesiasticæ familiæ Oeconomum, omnium fidelium Patrem, Ecclesiæ sponsum, ac totius Christianæ Reipublicæ Dominum, ac Principem; de quo illud Dauidis dici potest. *Constituit eum Dominum domus suę, & & Principem omnis possessionis suæ.* Quò fit, vt non tam contra diuinum, quàm ipsum naturale ius pugnent, qui Concilium, ac totam Ecclesiam (Pontifice excepto) quæ tum grex tum familia, tum filij, tum sponsa, tum subditi in Scripturis nuncupantur, Pontifici anteponunt.

Quod ad Concilia attinet, quæ oppositam sententiam docent; Pisanum imprimis nihil circa huiusmodi sententiam determinauit. Constantiense quidem definiuit generale Concilium esse supra Papam: sed eam conditionem apponit, si schisma Ecclesiam perturbet, vt notum est verbis Concilij suprà relatis, neque id incommodum, videri debet, neque quicquam Catholicæ sententiæ officit nam schismate regnante, cùm ignoratur, quis sit verus Pontifex; ignorantur Pontifex, pro vno Pontifice habendus est, qua-

propter generale Concilium potest tunc in dubios Pontifices sententiam ferre, ac vno amoto, alterum verum, ac legitimum Pontificem declarare: hoc pacto Papalis dignitas dubia, scilicet, ac ignorata Concilij auctoritate subijcitur: quemadmodum id quoque de Scriptura sentimus, quæ quamdiu dubiæ auctoritatis est, & num diuina sit, ignoratur; Ecclesiæ iudicio submittitur: cuius sententia certa iudicari debet. Porrò tunc quidem credendum est, Concilio in hoc iudicio ferendo Dei potestatem adesse, licèt ea extraordinaria sit: neque facilè ex Scripturis haberi possit, nisi fortè ex consensu Ecclesiæ, sicut fit, cùm sede vacante sacrum Cardinalium Collegium aliquid circa Ecclesiæ administrationem decernit: tunc enim Apostolica sedes Pontifice vacare censetur, cum dubium Pontificem vacare censetur, cùm dubium Pontificem habet, ac verum ignorat. Hæc creditur fuisse Constantiensis Concilij definitio, quæ ex illius verbis colligitur, cùm ait, *Cui quilibet cuiuscumque status, aut dignitatis, etiamsi Papalis existat obedire tenetur, in his, quæ pertineat ad fidem, & dicti schismatis extirpationem*: alij tamen respondent, hoc decretum à Martino V. qui cætera illius Concilij decreta Conciliariter factor, id est, adhibito Concilij examine confirmauit, minimè confirmatum fuisse, cùm illud sine vllo Concilij examine factum fuisse constet. Videant, quid de hac re scribant Ioann. à Turre Cremata lib. 2. capit. 104. Sanderus de visibil. Monarch. lib. 7. Bellarm. de Conc. auct. lib. 2. cap. 19.

Nec est, quòd Basileense Concilium opponant, quod sess. 33. tanquam de fide credendum proposuit, Concilium esse supra Papam: nam Concilium illud, tametsi legitimè inchoatum fuerit, tandem in Conciliabulum degenerauit; simul ac Pontifici obedire noluit: quamobrem reprobatum fuit, primùm ab Eugenio Papa vt patet eo eodem Concilio sess. 38. deinde à Leone X. in Concilio Lateranensi vltimo sess. 22. Tandem à tota Ecclesia decretum illud præsertim de Concilio supra Papam velut irritum, ac nullius ponderis habitum fuit, cùm ea Eugenium Quartum à Concilio Basileensi depositum, pro vero Pontifice agnouerit. Hinc oritur quinta propositio.

ARTICVLVS XII.

An consensus Concilij secluso Pontifice sit infallibilis veritatis.

Quinta propositio. *Consensus Concilij secluso Pontifice, non habet infallibilem auctoritatem definiendi de rebus fidei*. Propositio ferè ex superioribus nota est: cùm diximus Concilia tantummodò ex Pontificum confirmatione sibi robur acquirere; id verò clariùs demonstrat, quòd nonnulla Concilia etiam generalia, hoc ipso, quòd à Pontificis regula, vel instructione cesserunt, in fide errasse leguntur. In his est Antiochenum Concilium ann. Dom. 335. celebratum, in quo damnatus est Athan. & Arriana hæresis proclamata fuit, vt refert Socrates lib. 2. cap. 5. & Sozomenus lib. 3. cap 5.

Secundum fuit Mediolanense plusquam 300. Episcoporum tempore Constantij, quod ad Arrianismum declinauit, teste Ruffino lib. 10. cap. 20.

Tertium fuit Ariminense 600. Episcoporum sub eodem Constantio, in quo Filij consubstantialitas expugnata fuit, & sublatum numen *omoysios*.

Quartum fuit Ephesinum secundum, sub Theodosio iuniore, in quo confirmata fuit Hæresis Eutychetis, teste Euagrio lib. 1. cap. 9. & 10.

Quintum fuit Constantinopolitanum, sub Leone Isauro, & sextum sub Constantino Copronymo, in quibus decretum fuit abolendas esse Christi, Sanctorum imagines, vt testatur Paulus Diaconus lib. 21. & 22. rerum Romanarum.

Septimum fuit Pisanum, quod à schismaticis quibusdam Cardinalibus aduersus Iulium II. congregatum fuit Pisis, agente Imperatore, ac Rege Galliæ; in quo dubitatum fuit, an Concilium esset supra Papam. vt superiùs exposuimus.

Octauum fuit Constantiense Patrum ferè mille inchoatum sub Ioan. XXIII. sed cùm Ioannes clàm à Concilio recessisset, neque illius decreta approbasset, lapsum videtur Concilium in eo præsertim, quod statuit Concilium esse supra Papam: tametsi nonnulli benigniùs decretum illud exponant, vt visum fuit in superiori propositione.

Nonum fuit Basileense celebratum anno 1431. in quo depositus fuit Eugenius IV. legitimus Pontifex à Pontificatu, & proclamata Concilij auctoritas supra Papam, & pleraque in eo Concilio decreta edita sunt, quæ postea à Lateranensi Concilio vltimo, & Florentino reprobata fuere.

Hæc, & alia nonnulla Concilia, quandoquidem absque Pontifice res fidei definiendi potestatem sibi vltrò arripere ausa sunt, haud mirum, quòd in errorem lapsa fuerint, quando illius præsidio destituta fuere, qui cùm rectæ, ac sinceræ fidei Doctrinam Diuina hæreditate possideat, infallibilem rectè definiendi potestatem Conciliis tribuit; vt testatur Paschalis extrà de elect. cap. Significasti, cùm ait. *Omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt*. Quod dictum confirmat D. Bernardus epist. 190. ad Eugenium Papam [Oportet (inquit) ad vestrum referre Apostolatum pericula quæque, & scandala Regni Dei, & ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? ergo quod sequitur à Petri successore exigitur. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Cùm igitur Concilia mediante Pontifice de rebus fidei decernendi à Deo potestatem accipiant: planè manifestum est, ea secluso Pontifice, nullum neque robur, neque infallibilitatem in causis fidei determinandis sibi vendicare posse.

His accedat, quòd si consensus Concilij

cilij sine assensu Pontificis ad fidei dogmata determinanda sufficeret, sequeretur Concilium immediatè à Christo clauium potestatem accepisse, ac proinde Pontificem ei necessariò subijci debere; quod suprà improbatum fuit: neque enim Concilio, sed Petro dumtaxat tam scientiæ, quàm potestatis claues à Christo tradita leguntur. Id prætereà apertè ipsi iuri diuino videtur aduersari; nam præter ea, quæ superiùs dicta sunt; manifestum est ex Symbolo Apostolorum vnam tantummodò esse Ecclesiam, quæ ad vnitatem capitis, in quo suprema Ecclesiæ potestas, ac velut magisterium residet, necessariò reduci debet: nam vt ait Cyprianus lib. 1. epist. 8. *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata*. Quòd si alia Cathedra, aut suprema potestas in Concilio collocaretur, quæ à Pontificis potestate non manaret, manifestè Ecclesiæ vnitas scinderetur, quæ vt duo capita, ita, & duplicem potestatem ferre non potest, cùm vnum tantùm corpus sit. Quamobrem, qui Concilio immediatam potestatem ac supremam à Christo collatam esse volunt; planè mirabile, ac insolitum persuadere optant; vt scilicet, vel caput à membris pendeat, & membra capiti præsideant, quod nec ipsa natura fert: aut caput simul cum membris præsideat; at quis tunc subijcietur, cùm omnes præsideant; aut membra sine capite dominentur? an non Ecclesiæ corpus, quod à Concilio repræsentatur, eò deuenire opus est, vt sit velut exercitus sine Imperatore, Regnum absque Rege, familia absque Patre, Respublica absque duce, grex sine pastore? atque id tandem efficiunt, vt omnem corporis Ecclesiastici cum capite colligationem dissoluant: Ecclesiæ veritatem dilacerent, & Ecclesiam sola membrorum aggregatione nullo capite consistentem esse venditent, quibus apertè repugnat Cyprianus, qui Ecclesiam gregem appellat suo pastori vnitam. Inde sextam propositionem elicimus.

ARTICVLVS XIII.

An consensus Concilij accedente Pontificis consensu sit infallibilis in doctrina fidei.

Sexta propositio. *Consensus Concilij in decretis fidei à Pontifice approbatus, est infallibilis veritatis*. Quæ propositio ex prioris propositionis fundamento elicitur: huius propositionis probationem fusè prosequuti sumus art. 3. 4. 5. & 6. cùm de consensu Ecclesiæ ageremus, quam hìc repetere non est opus: siquidem consensus Concilij cum Pontifice conspirans, est ipse consensus Ecclesiæ, cuius decreta potissimùm circa fidem irrefragabilia habentur: qua propter videnda sunt testimonia, quæ ibi tum ex Scripturis, tum ex Patribus collegimus, & rationes, quas ad huius rei confirmationem attulimus.

Sed quoniam Hæretici huius temporis, Lutherus in lib. de Concilijs artic. 28. & 29. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 9. §. 11. & passim. Ioannes Somerus aduersùs Petrum Carolum lib. 2. cap. 3. nullam legitimis Concilijs infallibilem in rebus fidei decernendis veritatem relinquunt; sed quantumlibet pura, ac legitima fuerint, plurimis errorum næuis adhuc laborasse latrant; placet illos vna, vel altera ratione confodere. Nam legitimis Concilijs, vel spiritum adesse credunt, vel negant; si credunt, vt fatetur Caluinus institut. lib. 4. cap. 9. §. 1. his verbis. *Porro hoc est Christi ius, vt Concilijs omnibus præsideat, nec socium habeat hominem in ista dignitate*. Quomodo præsente, immò præsidente Concilijs, ac ea moderante, ac docente Christi spiritu, in decernenda fidei doctrina Concilia labi possunt? Infallibilis siquidem est Christi spiritus in decernenda fidei doctrina Concilia labi possunt? Infallibilis siquidem est Christi Spiritus, & cùm se Conciliorum ducem, ac moderatorem infallibilem præstat; planè dubitandum non est; quin totius Concilij consensum in decernendis rebus fidei, ità disponat, vt omninò infallibilem reddat. Hæc sanè clariora sunt, quàm vt ampliori demonstratione egeant.

Si negant: profectò ad ipsis Scripturis apertè mendacij, ac impietatis redarguuntur quæ Spiritum Sanctum Ecclesiæ legitimè in Concilio congregatæ Doctorem pollicentur: vt patet ex testimonijs Ioannis cap. 14. *Ego rogabo Patrem; & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, &c.* & cap. 16. *Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Et Actorum 15. apertè testatur Scriptura Spiritum Sanctum Concilijs adesse, cùm in Concilio Ierosolymis coacto Apostoli illis verbis vsi sunt. *visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, &c.*

Porrò, si quæ Concilia legitima censenda sint, percontentur. Ea vniuersorum Patrum consensu legitima Concilia iudicantur, quæ à legitimo Ecclesiæ Præside congregata, ab eodem confirmata existunt, vt perspicuum est ex Nicæna 1. Synodo, quæ vt Iulius Primus testatur epist. ad Orientales Episcopos, qui eidem Synodo interfuit: statuit, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari. Ac præclarè Pelagius II. epist. 2. ad Episcopos, qui Constantinopolim cum Ioanne Constantinopolitano Episcopo ad Concilium conuenerant, declarat, nullam vnquam Synodum ratam fuisse, quæ Apostolicæ auctoritatis præsidio munita non fuerit. Hæc sunt illius verba. [Relatum est ad Apostolicam sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita: & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.] Hic Pelagius Gregorij Magni in Apostolica Sede prædecessor fuit. Denique nulla Concilia vnquam pro legitimis habita fuisse, quæ à Romano Pontifice confirmata non fuerint, testatur Adrianus Primus Epist. ad Constantinum, & Irenem Matrem, quæ lecta est actione 1. secundę Nicœnę Synodi. [Romana Ecclesia (ait) quæ sem-

semper, & tenuit, & retinet principatum vnamquamque Synodum, & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit.] Hinc pleraque Concilia, quandoquidem à Pontificibus confirmata non sunt, inter illegitima collocantur, de quibus superius egimus.

Legitima igitur Concilia, cùm ea tantum sint, quę à summo Pontifice approbantur: quoties Pontifex Concilij alicuius decreta sua auctoritate firmat; constat Concilium illud infallibilem omninò veritatem docere; tum ob intimam Spiritus Christi præsentiam, ac Diuini Spiritus Magisterium infallibile, quod Concilio præsidet. Tum quia Pontifex, qui est successor Petri in iudicio fidei errare non potest: cùm ei fidei indefectibilitas, quoad fratrum confirmationem à Christo collata sit. Si enim Pontificem errare contingeret, tota simul Ecclesia, quæ illi subdita est, ac eum magistrum sequitur, cùm eo in errorem laberetur: nec vlla fidei certitudo prorsus in Ecclesia relicta esse: ex quo tandem accideret, vt quamplurimæ Hæreses, quę à solo Pontifice absque Concilio obtruncatæ sunt; velut Manichæorum, Marcionistarum, Sabellianorum, Nouatianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Luciferianorum, Ioniniani, Vigilantij; Heluidij rursus reuiuiscerent, ac in iudicium reuocarentur.

Cùm igitur Pontificis consensus in iudicio fidei sit infallibilis, quoties is Concilio, vel etiam Episcopali accedit, id planè efficit; vt vnanimis ille Patrum consensus Pontificis approbatione munitus, omnino infallibilis habeatur. Si quidem is totius Ecclesiæ est consensus, quem nefas est arbitrari in fide errare posse, vt testis est D. Augustinus de Baptismo contra Donatistas libr. 7. cap. 73. vbi aurea illa verba profert. [Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cepta, nullo plenario Concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.] Hæc præclarè Augustinus Cuius ea ratio assignari potest, quam nuper annuimus, quòd Concilium à Pontifice approbatum Spiritum Sanctum ducem, ac magistrum habet; quò fit, vt illius decreta velut diuina Spiritus Sancti oracula, ac infallibiles veritates censeri debeant.

Confirmatur hæc ratio: nam Conciliorum decreta, quibus hactenus præcipuas hæreses damnatas legimus, ita ab Ecclesia recepta sunt, vt de ijs dubitare nemo audeat, sed velut infallibiles fidei regulæ ab omnibus, ac etiam ab ipsis aduersarijs habeantur. Ità Caluinus Instit. lib. 4. cap. 9. §. 8. priscas illas Synodos, vt Nicęnam, Constantinopolitanam; Ephesinam 1. Chalcedonensem, ac similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplecti, atque, vt sacrosanctas se revereri profitetur. [Nihil enim continent (inquit) quàm puram, & natiuam Scripturæ interpretationem, quam sancti Patres spirituali prudentia ad frangendos Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodarunt.] Si in his Concilia errare potuissent, sanè dubium esset, an hæreses illæ iustè condemnatæ fuissent, ac pro hæresibus habendę essent: hinc fieret, vt hæreses vniuersæ, quę semel generalium Conciliorum gladio trucidatæ sunt, denuò reuiuiscerent, & via ad omnium Conciliorum euersionem pateficeret. Demum si Conciliorum auctoritas in dubium reuocatur, omnis omninò nobis aditus intercluditur, quo certam de controuersis olim fidei dogmatibus veritatem explorare possumus.

Accedat, & alia ratio. Ecclesiam ob id potissimùm, quòd à Spiritu Sancto regitur, in his, quæ ad fidem pertinent, errare non posse, non modò Scripturarum auctoritas prædicat, quæ Matthæi 16. capitulo Ecclesiam cunctis inferorum portis, id est, erroribus, atque hæresibus, vt exponunt Hieronymus, Theophylactus, & alij Patres; superiorem semper fore clamant. [*Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et perpetuum illi fidei magistrum Spiritum Sanctum pollicentur Ioan. 14. & 16. sed hoc ipsum etiam ipsi aduersarij fateri coguntur; ac præsertim Caluinus, qui Instit. lib. 4. c. 8. §. 15. Ecclesiam numquam in fide ruere posse affirmat, eò quòd numquam nisi in veritatem consentiat; & eodem cap. Ecclesiam veritatis, ac fidei custodem appellat.

Cùm verò generale Concilium cum Pontifice vniuersam Ecclesiam repræsentet, qui huiusmodi Concilij definitioni non acquiescunt, & quæ ab illo sancita sunt, velut incertæ veritatis in dubium reuocant; profectò Ecclesiam Catholicam non credunt, qualem Christus in Orbe instituit, vt nullo vnquam tempore, nisi in veritatem consentire possit: neque Spiritui Sancto per os Ecclesiæ loquenti certam fidem adhibent; cùm denuò de ijs disceptare volunt, quæ semel ab eo per Ecclesiam rectè constituta sunt: quò fit, vt neque Christiani, aut Catholici haberi debeant; sed cùm Ecclesiam non audiant, iuxta Christi præceptum, habendi sunt tamquam Ethnici, aut Publicani.

Hinc tales non immeritò Leo Magnus ingratos appellat, & cum Adam præuaricatore comparat epist. 78. his verbis. [Quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare; & quæ definita sunt conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre? & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?] Ex his constat Conciliorum sanctiones in doctrina fidei, quoties illis Pontificis consensus accedit, errori obnoxias esse non posse, sed infallibilem prorsus veritatem continere, quod in sequenti propositione adhuc fusius illustrabimus.

ARTI-

ARTICVLVS XIV.

An consensus Concilij cum Pontifice certam fidem faciat de doctrina fidei.

Septima, ac extrema propositio est. [Consensus Concilij à Pontifice approbatus certam, ac indubitatam fidem facit de doctrina fidei, atque illius vnitate.] Quod ad Doctrinæ fidei certitudinem spectat, planè ex his, quæ diximus satis exploratum est, fidei certitudinem ex certa definientis auctoritate potissimùm pendere, quæ cùm sit infallibilis, vt demonstratum est, nulli dubium est, quin ei quoque infallibilem certitudinem pariat.

At præterea, quæ in superiori articulo dicta sunt, quæ ad huius propositionis probationem spectant, certè in ea demonstranda totius Orbis consensus, ac naturalis ipsa ratio conspirant, quæ ad nostræ tempestatis sectarios fundendos satis esse deberent. Numquam enim cuiquam permissum fuisse legimus, in aliquod generalis Concilij (non itidem Prouincialis) decretum; velut dubium inquirere, aut quæ semel in eo discussa, ac definita sunt, denuò examinare, aut in dubitationem vocare. Quod vel ex Chalcedonensi Concilio perspectum esse potest, in quo cùm Nicenæ primæ Synodi decreta nonnulli ad examen reuocare vellent: nulla ratione illis permissum fuit; quin etiam mox sancta Synodus exclamauit. [Si quis retractat, anathema sit. Si quis super ista requirit, anathema sit. Maledictus qui addit: Maledictus qui aufert: Maledictus qui innouat;] vt scribit Sozomenus lib.4.cap.17.

Hinc Valentinianus, ac ipsius Collega Martianus Imperatores seuerissimo edicto sanxerunt, ne quis Synodi Chalcedonensis decreta impunè in dubium reuocaret, sed rata, ac firma ab omnibus haberentur, his verbis. [Cesset igitur iam profana contentio: nam verè impius; atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio, & perspicuo die commentitium lumen inquirere; quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlteriùs discutit, mendacium quærit. Nemo itaque, vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Christiana publicè turbis adunatis, & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus, & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religiosissimè Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit; cùm ea quæ nunc de fide Christiana statuta sunt iuxta Apostolicas expositiones, & statuta Sanctorum Patrum trecentorum decem, & octo, & centum quinquaginta definita esse noscuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non solùm contra fidem benè cõpositam veniunt; sed etiam cum Iudæis, & Paganis ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria.] Hæc pij Imperatores. Atque eodem modo, ac iisdem ferè verbis vtitur Martianus ad Palladium scribens, vt habetur in Codice Iustiniani, & in altero edicto ad Constantinopolitanos.

Cur verò Ecclesia semper generalium Conciliorum auctoritatem, tam magni fecerit, vt irrefragabilem iudicauerit, ea causa est, quam Leo Magnus explicat epist.78.quod in legitimis Concilijs à Pontifice approbatis Spiritus Sanctus infallibili veritate præsideat, quò fit, vt illorum decreta Dei potiùs quàm hominum decreta censenda sint. Ità enim scribit. [Prænoscat pietas vestra, venerabilis Imperator, hos quos spondeo dirigendos non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos à Sede Apostolica profecturos, quia de rebus, & apud Nicæam, & apud Chalcedonem sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia, & infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas.]

Alteram quoque causam reddit Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, quam nos quoque in priori articulo attigimus: nam si generalibus Concilijs nulla certa veritas suffragaretur, nullum Ecclesiæ aduersùs grassantes hæreses præsidium relictum esset, quo illas perimere, ac extinguere posset. [Patres (ait) nostri Catholici docti Pontifices in vnaquaque hæresi, quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica, & Apostolica secundùm Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps, firmumque constare: nec in eadem hac causa denuò, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recentiori præsumptione permiserunt; sapientissimè prouidentes, quoniam si decreta salubriter, cuique liceret iterare, nullum prorsus contra singulos errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur.

Hinc primam rationem contra aduersarios colligimus: nam si Conciliorum generalium, quæ olim pro hæresibus extirpandis, ac fidei dogmatibus definiendis celebrata sunt, decreta cuique licet scindere, vel in dubium reuocare: quænam obsecro omnium rerum in Religione perturbatio erit, quæ diuinarum rerum confusio; dum nihil certum, nihil stabile, nihil tutum amplectendum in fide relictum est? quid Christiana Religione mutabilius? quid illius fide incertius; cùm ea, quæ semel constituta sunt, postea damnentur? Certè omnis semper quærendæ, nullus vnquam inueniendæ fidei locus erit: ita vt de Christianis illud Pauli meritò dici posset 2. Timoth.3. *Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes*. Denique in cæca, ac obscura quadam perpetuæ Inquisitionis abysso res fidei versari opus esset, vt præclarè docet Athanasius Apologet.1. [Quæ nunc (inquit) à tot, ac talibus Episcopis probata sunt, ac decreta, clareque demonstrata, superuacaneum esse denuò reuocare in iudicium, nemo non confitebitur: ne si nunc quoque examinentur, & denuò iudicen-

rentur, ac rursus examinentur, atque iterum in infinitum exeat illa curiositas.]

Altera quoque ratione idipsum euincimus De Regis homiois edicto, quod ad publicam Regni vtilitatem latum est, vbi semel pronunciatum fuit, nemini sanè licet impunè disputare, aut in examen illud adducere: sed vniuersos eidem parere oportet. Iam nunc dicant aduersarij, num fas sit de Spiritus Sancti decreto, quod per os Ecclesiæ in legitimo generali Concilio prolatum est, nullo discrimine disceptare, ac velut suspectæ veritatis illud in dubium vocare? In hoc planè ingens læsæ Maiestatis crimen aduersarij incidunt, cùm legitimis Concilijs generalibus in definiendis fidei rebus incertam, ac proinde denuò examinandam veritatem tribuunt. Agnoscant igitur aduersarij legitimis Concilijs Oecumenicis adeò infallibilè ex Spiritus Sancti præsentia veritatem adesse, vt certam ac indubitatam de rebus fidei fidem faciant.

Neque Caluini restrictio ad rem pertinet, qui hanc propositionem ita limitat: Si Concilium ex verbo Dei de fide definiat; nam id superuacaneum est à Concilijs quærere, an ex verbo Dei definiant: cùm vniuersæ fidei definitiones, quæ à Concilijs manant non nisi ex verbo Dei vim, atq; efficaciam sortiantur: quò fit, vt iure optimo illæ verbi Dei appellationem sibi vendicent: nam, & Dei verbum citra controuersiam censendum est, quod Nicœnum Concilium contra Arrium de Consubstantialitate Filij definiuit. Dei verbum quoque credendum est, quod in Constantinopolitano Concilio de Spiritus Sancti diuinitate determinatum est contra Macedonium: demùm quotquot fidei definitiones à Concilijs haustæ sunt, omnes ex Dei verbo petitæ sunt, atque inde diuini verbi nuncupatione cohonestatæ sunt, vt nefas sit de his haud secus, quàm de diuino verbo dubitare: neque enim fas vnquam fuit aliquid præter Dei verbum de fide definire, cùm fidei obiectum sit ipsa diuina veritas hominibus reuelata: frustrà ergo Caluinus Concilia ad Dei verbum sibi magistrum supponant.

At hallucinatur Caluinus, cùm omnium Conciliorum decreta ad scriptum Dei verbum examinanda reuocat: cui enim non exploratum est vniuersa Conciliorum decreta circa fidei controuersias potissimùm versari; quæ vt plurimùm ex incerto, ac subobscuro Scripturarum sensu ortum ducunt? Porrò si Caluinus innolutum, ac latentem Scripturarum sensum ab ipsis Scripturis examinandum censet: quisnam erit veritatis agnoscendæ modus? Nam cùm lis de Scriptura incerta interpretatione agatur atque ea ad iudicandum prouocetur, quis eam in propria causa iudicem esse sentiat? quòd si ea sui secus (vt notum est) iudex esse non potest, neque eam, qua laborat, obscuritatem, ac incertitudinem tollere haud valet: sanè alio, ac viuo iudice opus est, qui diuina auctoritate fretus de ipsa verbi scripti obscuritate, ac incertitudine iudicare, ac decernere valeat. Porrò hæc legitimis Concilijs auctoritas à Deo collata est, vt in ambiguo Scripturarum sensu, quis verus ac legitimus sit, declarent: & ex eo quid de fide amplectendum sit, decernant: neque necesse est (vt opinatur Caluinus) eam scripti verbi interpretationem ex ipso scripto verbo manare, cùm id tantùm sufficiat, quòd ea cum scripto verbo non pugnet. Id Apostolorum exemplo confirmare licet; hi enim cùm adhibito seniorum Concilio de expresso Circumcisionis præcepto, quod legitur Gen. 17. his verbis conceptum. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit*; inter se conferrent: num illi Gentiles subijci deberent; statuerunt tandem nullatenus ab ijs obseruandum fore, atque eam legis interpretationem non ex vllo Dei verbo scripto, sed ex Concilij auctoritate expromptam fidelibus sequendam tradiderunt: quam tamen à Spiritu Sancto dictatam fuisse nemo dubitat, cùm ibi dicatur. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*.

Iam verò quod ad doctrinæ fidei vnitatem spectat; quæ est altera pars propositionis; ea ex Conciliorum consensu ita manifesta est; vt facilè quisque intelligere queat, non alia ratione legitima Concilia congregari, quàm vt pulsis hæreticus, quæ fidem dilacerant, vna ac integra fides ab omnibus custodiatur: atque eam in Concilijs perfectæ doctrinæ vnitatem seruari, cuius formam tradit D. Paul. 1. Cor. 1. *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Cùm enim Concilium vniuersam Ecclesiam repræsentat: inde fit, vt Concillorum decreta sint ipsius Ecclesiæ decreta: quæ sanc tunc perfectam in eodem sensu, & in eadem scientia fidei vnitatem concinent, cum vnanimi tot Patrum consensu, ac vno totius Concilij ore idem fidei decretum pronunciatur: atque hæc quidem plurimorum vnius Concilij Patrum in fidei doctrina consentientium vnitas adeò perspicua est, vt si vniuersa Concilia, quæ hactenus legitimè celebrata sunt, inuicem conferant; adeò in vna fidei doctrina simul conspirare agnoscant, vt nulla omninò in tot decretis schismata reperiantur, quæ doctrinæ vnitatem scindant: sed vno prorsus consensu, perinde ac si vnum tantùm Concilium, ac vna Concilij vox foret, idem semper senserint, idem sapuerint, idem decreuerint.

EIVS.

EIVSDEM AVCTORIS.

DEMONSTRATIO SEXTA

GENERALIS SEXTI SYMBOLI

Aduersùs Hæreticos.

DE SVCCESSIONE VISIBILI.

PRÆFATIVNCVLA.



Vod in temporalium regnorum fucceſſione fieri ſolere compertum eſt, vt qui regni fuceeſſores haberi voluut, antiquam è regia ſtirpe originem per Auotum, Abauorum, Tritauorum, ac aliorum maiorum lineam numquam interruptam oſtendant; quo ſanè probationis genere nullum inter homines ſinceriùs, & ad perſuadendum vehementiùs exiſtimari ſolet: ità vt omnem prorsùs ab hominum mentibus falſi ſuſpicionem abſtergat. Id in vera Religione, quæ humanum eſt Chriſti regnum, fieri æquum eſt: nam cùm multi ſint, qui veræ Religionis hæredes, ac ſucceſſores haberi volunt: ea verò tantummodò vera Religio ſit, quæ à Chriſto in Apoſtolis fundata, Apoſtolica meruit appellari; ſiquidem rectò æquitatis iure contenditur, ea illis ſummo iure adiudicari debet, qui legitima, non tam doctrinæ, quam Pontificum, ac cæterorum Eccleſiæ miniſtrorum ſucceſſione, numquam interrupta, quàm vera doctrina ſemper comitata fuit, ab Apoſtolis originem ſe duxiſſe demonſtrant. Qui verò ab hac ſucceſſione diſtant, cùm omni hæreditario iure expolientur, Chriſtiani regni potiùs inuaſores, quàm hæredes appellari debent. Quapropter, vt omnibus, atque ipſis aduerſarijs (ſi modò vera audire velint) exploratum ſit, quænam ſucceſſio veræ Religionis Symbolum agnoſci debeat: id nonnullis articulis (Deo fauente) explicabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An aliqua ſucceſſio in Eccleſia à Deo ſit inſtituta.

IN hoc Symbolo explicando, magnum (vt D. Pauli verbis vtar) nobis oſtium apertum eſt, ad veram tum fidem, tum Religionem demonſtrandam: ſed aduerſarij multi. Nam quo magis exploratum eſt, ex certa Pontificum, ac reliquorum Eccleſiæ paſtorum ſucceſſione, verum, certumque diuinæ, & Apoſtolicæ Religionis teſtimonium haberi: eò acriùs veræ Religionis aduerſarij vndique in eam ſe armant, fremunt, deſæuiunt, nullum non lapidem mouent, omnia moliuntur, excogitant, mentiuntur; omnes demum conatus, omnes neruos intendunt, vt eam penitùs conuellant. Denique quotquot hactenùs cum vera Religione pugnare viſi ſunt, ab hac ſucceſſione ità omninò abhorrent, vt nec nomen quidem ipſum ferre poſſint: ità olim Donatiſtæ illam acerrimè oppugnarunt, vt Optatus lib. 4. & D. Auguſt. hæreſi 96. referunt. Eandem imperabant Luciferiani, teſte Hieronymo cont. Luciferian. cap. 1. Tamdem hac noſtra tempeſtate acriter in eam inuehuntur Martinus Lutherus in colloquijs, Muſculus in locis communibus. Brentius in prolegom. Caluinus Inſtit. lib. 4. cap. 2. §. 2. Iſaac quidam Cheironios in reſponſ. ad Purſani admonit. Omnes denique gregatim Lutherani, & Caluiniſtæ velut agmine facto in eam irruunt. Nos verò Apoſtolicam ſucceſſionem in Eccleſia ab ipſo Deo inſtitutam, qua vera Religio ab Hæreticorum ſectis dignoſci poſſit; primùm demonſtrabimus.

Principio igitur, qui veram, ac legitimam Eccleſiæ ſucceſſionem agnoſcere volunt, duo ſibi perſuadere debent, Primum, eam non ex carne, & ſanguine, quemadmodum in terrenorum Regum ſucceſſione fit; ex legitima Miniſtrorum Eccleſiæ vocatione, electione, ordinatione explorari debere: neque eam locorum, aut perſonarum eſſe; ſed legitimæ præſertim, ac Apoſtolicæ authori-

tatis: Ecclesia namque cùm fide potissimùm genita sit, vt docet Iacobus cap.1. *Voluntaria enim genuit nos verbo vitæ, vt essemus initium aliquod creaturæ eius*; non carnaliter, sed spiritualiter propagari debee, nec generis, sed fidei propagatione drbet excrescere. Alterum, veram, ac legitimam successionem, quam veræ Religioois Symbolum esse dicimus; numquam à vera fide, ac doctrina esse disiunctam, sed eam ità comitari, vt numquam legitima socceffio absque vera doctrina esse possit, neque vera doctrina sine legitima successione possit consistere: quemadmodum nec Sol absque radijs, neque radij absque Sole esse valent.

Hinc necessariò colligimus, perpetuam in Ecclesia pastorum successionem à Deo institui oportere, ne fides, ac vera doctrina, qua Ecclesia propagari debet, aliquando interiret: cùm enim fides ex auditu percipienda sit, neque ea ab alijs, quàm à veris, ac legitimis pastoribus prædicari debeat, planè constat eam absque legitima pastorum successiooe, qoi fidem perpetuò io Ecclesia doceant, numquam aut esse, aut propagari posse: ea enim est veræ, ac legitimæ successionis Ecclesiasticæ natura, vt veram semper fidem in Ecclesia nutriat.

Quod olim Deus per Osram cap.s. Propheticis verbis indicauit, cùm Ecclesiam, quam futuram sibi coniugem prædixit, sempiterno fidei vinculo, ità sibi copulandam spondet, vt oullo vmquam tempore ab eo diuelli queat. *Sponsabo*, Inquit, *te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in fide*. Quòd si matrimonij vinculum, quod sempiternum esse debet, dissolui non potest; profectò nuptiæ, quæ Christum cum Ecclesia spirituali connubio cooiungunt, cùm perpetuum vinculum secum habeant, perpetua quoque fide, quæ nullis vmquam temporibus labilis sit, celebrari drbent. At verò cùm fides per se labilis sit, & ob humani cordis imbecillitatem, quod suomet pondere ad ima deflectitur, neque nisi ægrè ad cœlestia, quò fides spectat, trahi potest; facilè ad interitum ruat. Hinc perpetua legitimorum pastorum in Ecclesia successione opus fuit, qui Christo ab humanis sublato (quandoquidem is præsens doctor adesse non potest, à quo & fidei sacramenta, & emergentium dubiorum veritatem addiscat) fidem, qua Ecclesia Christo copulatur, perpetuò incolumem, ac intemeratam seruent, vt æternum inter eos coniugium esse possit.

Eapropter Deus Hieremiæ 3. hos illi pastores pollicetur, qui perpetuam in ea fidem foueant. *Dabo*, inquit, *vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*. Pastorrs iuxtà cor suum, sibi gratos, ac placitos illos Deus appellat, quos ipse largitur, qui non vltrò ad Ecclesiæ gubernacula currunt, ac nullo deferente pastoratus rapiunt, sed à Deo legitimè vocantur; qui legitima successione Episcoparus administrant, qui scientia potius, idest fide (quæ vt exponit Lyranus idcircò scientia dicitur propter assensus certitudinem) quàm vaniloquio Ecclesiæ coniugium fouent: qui vera doctrinæ pabula cum vitæ sanctimonia coniuncta, Christianis ouibus administrant. Qui denique veri sunt Ecclesiæ pastores, ac pronubi: quos Deus ad tuendum Ecclesiæ, & Christi coniugium per tempora, ac loca dispensar.

Cæterum perpetuam hanc pastorum in Ecclesia fururam successionem declarat Isaias cap.33. vbi postquam Ecclesiam Ciuitati illi Sion opulentæ, ac tabernaculo immobili his verbis comparauit. [Respice Sion Ciuitatem solemnitatis nostræ, oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam. Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.] Quæ verba de Christi Ecclesia dicta esse sentiunt Procopius, Augustinus, & Theodoretus; protinus addit. [Nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.] Quid porrò clauorum, ac funiculorum appellatione vates indicet, explicat Theodor. hoc loco, vbi Apostolicos viros, ac Ecclesiæ pastores his clauis, ac funiculis vult significari, quibus tuendæ, ac conseruandæ Ecclesiæ cura à Deo commissa est: quid enim claui profundè defixi, quid funiculi efficiunt; præterquàm quòd tabernaculum stabile, & immotum reddunt? ità Pastores, ac Doctores dum Catholica, & Orthodoxa doctrina Ecclesiæ tabernaculum muniunt, clauorum, ac funiculorum instar, illius fidem perpetuam, ac immobilem præstant. [Quemadmodum, ait Theodoretus, tabernaculorum claui io terram adacti stabile faciunt tabernaculum, fixum, & firmum. sic illi impendentes vitam corporis Ecclesiæ, & habentes corpora in terram abdita, animas in sedibus beatorum apud superos suis humeris Ecclesiam habent innixam, firmam, & stabilem: funibus similes sunt, ex clauis vsque ad tabernaculum pertingentibus; hoc enim sanctorum doctrinæ salubres, per quas inuicta manet fidelium fides.] Hunc ipsum sensum apertè tradit Salomon Eccles. 17. [Verba sapientum, ait, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno.] Hos igitur clauos, ac funiculos numquam ab Ecclesiæ tabernaculo idcircò euellendos, aut disrumpendos vates affirmat, vt perpetuam in Ecclesia Pastorum successionem à Deo institutam esse demonstret.

At luculentiùs diuus Paulus de perpetua hac Pastorum successione à Deo instituta agit ad Ephes.4. his verbis: [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, In opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes In vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.] Accuratè perpendenda sunt verba hæc diui Pauli.

Primùm enim ait, Christum dedisse Ecclesiæ Pastores, & Doctores, non ait Pastores à seipsis, vel à populo ad euangelizandi munus destinatos esse, sed à Christo: igitur à Christo Pastorum successio in Ecclesia instituta fuit, atque eodem planè modo, quo & Apostolos, & Prophetas, & Euangelistas ad sua munera accersit. Quòd si quis fortè quærat, quomodo Christus Apostolos miserit è ipsum audiat. *Sicut misit me*, inquit Ioan.20. *Pater, & ego mitto vos*. Non alio igitur

modo

modo Christus Apostolos misit, quàm quo ipse à Patre missus est. Porrò Christus cùm in mundum mittendus esset, à Patre vnctus fuit, vt testantur Act. Apost. cap. 4. *Conuenerunt enim verè in Ciuitate ista aduersùs puerum tuum Iesum, quem vnxisti.* Tum cap. 10. quonam modo hæc vnctio peracta fuerit, declaratur. *Quomodo*, inquit Lucas, *vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute*. Denique hæc vnctio non alia fuit, quàm legitima ordinatio, qua ad Messiæ munus à Patre vocatus fuit. Quapropter eodem modo cùm Apostolos ad Apostolatus officium obeundum elegit, legitimè vnxit; atque ad id munus ordinauit. Atque hoc sensu ait diuus Paul. 2. Corinth. 1. se à Deo Apostolum vnctum fuisse, atque signatum. *Qui*, inquit, *vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*: quod deinceps explicat c. 3. cùm ait. *Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti*. Fusiùs verò in epist. ad Galatas hoc ipsum declarat, in ipso initio epistolæ, cùm ait. [Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis.] Hinc tandem sequitur, quòd cùm Pastores eodem planè modo, quo Apostoli missi fuerunt, & ipsi mittendi sint, non nisi à Christo legitima ordinatione, quæ successionis seriem demonstrat, ad Apostolicum munus eligi debeant. Cùm verò Christus id per seipsum modò non præstet, sanè perspicuum est, hanc Pastorum ordinationem ab ijs tantùm perfici debere, qui vel Christi personam gerunt, vel illius potestatem in Ecclesia exercent, quales sunt Pontifices, ac Episcopi.

Id confirmat Paulus ad Rom. 10. *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, nisi mittantur*? Ex quo elicitur apertè, neminem Prædicatoris, aut Pastoris munus sibi assumere debere, nisi legitimè mittatur: at cùm legitimè mitti nemo possit, nisi ab eo, qui à Christo mittendi potestatem accepit: inde hoc primùm necessariò concludimus ex Paulo, auctoritatem quandam in Ecclesia à Christo institutam esse, quæ Pastorum creandorum, ac mittendorum potestatem habeat, quam non promiscuè in vulgo: sed in Ecclesiæ Pastoribus repositam esse voluit, cùm ait. [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, &c.] Deindè eos dumtaxat veros, atque Apostolicos Pastores esse agnoscendos, qui legitima successione, quæ per sacram ordinationem, velut spiritualem propagationem fit, Apostolis succedunt.

Hinc facilè perspici potest, quàm à diui Pauli doctrina dissentanea sit aduersariorum sententia, qui sacrorum Ministrorum electionem ad profanum populum referunt: quo sanè non paruam sacris rebus contumeliam irrogant, cum eo profanum populi statum sacris Ecclesiæ Ministris, ac Pastoribus meliorem, ac præstantiorem iudicant, ac id iuris, atque auctoritatis à Deo nunquam eidem delatum conferunt, quo Pastores ad Ecclesiæ ministerium mittere valeant. Quapropter omni legitima successione eos priuari æquum est, cùm nulla Apostolica ordinatione, ad Apostolica munera seipsos intrudant, ac proindè frustrà à Christo, ad Euangelica officia se vocatos iactent, cùm nullum suæ vocationis testimonium ex legitima ordinatione proferre valeant. Sed ad Paulum redeo.

Secundò Paulus his verbis docet, huic Pastorum successioni, quæ perpetua in Ecclesia esse debet, veram fidei doctrinam semper fore coniunctam. Cùm enim Paulus affirmet, Pastores, ac Doctores à Christo in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi Ecclesiæ esse datos: quod certè maximè perpendendum est. Quandoquidem Christi Corpus, quod est Ecclesia, non nisi vera fidei doctrina ædificatur: hinc liquidò colligimus, veram fidei doctrinam penes Ecclesiæ Pastores, qui legitimè in ea succedunt, semper repositam fore.

Ex quo apertus Caluini error euincitur, cùm ait; nec veritatem semper in sinu Pastorum ali, nec Ecclesiæ incolumitatem ab eorum statu pendere. Vnde enim habet Caluinus, quòd Christus quales Pastores, & Doctores Ecclesiæ daturus sit, cùm (Apostolo teste) idoneos se tantùm illi daturum promiserit, qui Ecclesiam vera fide ædificare valeant? An non audit Caluinus Ecclesiæ ædificationem à Pastoribus, ac Doctoribus pendere? an non id Apostolus apertè docet, cùm ait, Pastores, & Doctores à Christo datos esse in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi? quid aliud est Pastores à Christo dari in opus ministerij, quàm Pastores idoneos Ecclesiæ dandos esse, ac tales qui iuxtà Christi promissionem ad sinceram fidem docendam, ac reuincendas, & obtruncandas hæreses apti sint? Quid est, eos datos esse in ædificationem Corporis Christi; prætérquamquòd Christi Ecclesia, quæ velut corpus fidelium membris vsque ad seculi finem succrescere debet, ac ædificari, non alios quàm Pastores perpetuos ædificatores habere debet? ità vt nullo vnquam tempore in Ecclesia idonei Pastores deesse debeant, qui eam vera fidei doctrina perpetuò ædificent, ac tamdiu eos in Ecclesia suscitari oporteat, quamdiu Ecclesiæ ædificatio in Orbe consurget.

Nam quemadmodum Deus Opt. Max. eam à principio viuentibus corporibus vim indidit, quæ illa ad augmentum compelleret, ac tandem iuxtà genus suum ad perfectum adduceret: qua sublata res frustrà conditæ viderentur, cùm suæ perfectionis metas non attingerent: num eam corpori suo mystico, quod est Ecclesia, denegasse existimandum est, vt idoneos Pastores diuinæ illius virtutis ministros, qua Ecclesia augetur, amplificatur, ædificatur, donec ad perfectum crescat: eidem perpetuò non contulerit? Fatemur siquidem Ecclesiam diuina præsertim virtute ædificari. Fides namque quæ Ecclesiæ corpori augmentum præstat, à Deo, non ab homine manat; præterea Pastorum, ac Ministrorum ordinatio, à quibus Ecclesiæ filij generantur, non humana est, sed diuina: nam sicut illos quos Ecclesia baptizat, non homo, sed Christus baptizat, ac ijs fidem infundit: ità Pastores, quos Ecclesia ordinat: non homo, sed Christus ordinat, homo quidem per ministerium baptizat, ac ordinat,

Christus verò per potestatem, ac gratiæ infusionem: at verò exploratum est, Christum semper Pastorum ministerio, ad Ecclesiæ ædificationem vti; quibus eam virtutem à principio conferendam statuit, qua & legitimos filios Ecclesiæ generare, & Ecclesiam vera fidei doctrina alere, ac propagare, atque ea demum, quæ ad mystici sui corporis ædificationem necessaria sunt, præstare possent.

Quid? an non gratiæ promissio, quæ Ecclesiæ à Christo facta fuit, de idoneis Pastoribus ad sui ædificationem eidem prouidendis, longè efficacior esse debet, quàm quæ de hominis naturali propagatione olim facta legitur Gen. 9. cùm Deus dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*? Quòd si ea Dei voce adeò immota, ac stabilis permanet, vt orbi numquam homines defuturi sint, qui illum noua semper hominum propagatione ædificent, quid obgannit Caluinus, maiori, ac grauiori erga Ecclesiam Dei promissione extante, veros, ac legitimos Pastores aliquando in Ecclesia deficere posse, qui illius ædificationi incumbant; ac in eis veram fidem, ac doctrinæ veritatem, qua potissimùm Ecclesia regitur, ac ædificatur, perire posse? Planè, si qui semel dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, perpetuam hominum propagationem in orbe futuram statuit; ao non idem, de quo ait Apostolus. *Et ipse dedit quosdam quidem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi*. Ecclesiam hoc decreto perpetuò à Pastoribus, ac Doctoribus vera fide, ac doctrina ædificandam sanxit?

Denique cùm fixa Dei ordinatione dies perpetuò in orbe perseuerent; cùm Cœlum micantium sydcrum fulgoribus numquam destituatur: cur dubitandum est, quòd suprema illa Dei maiestas, perpetua legitimorum Pastorum successione, tamquam cœlesti luce Christianum Orbem non illustret; ac nitidissimum Ecclesiæ cœlum, vera sacrorum Doctorum prædicatione, velut cœlestium astrorum splendore inoccidno non coronet?

Id quidem verum est, hanc Dei promissionem de veris Pastoribus, ac Doctoribus Ecclesiæ factam, non in singulis Episcopis, ac Pastoribus impleri (quod non Dei promittentis defectu, sed hominis ordinati culpa accidit) ea tamen in perpetua Pastorum successione semper est efficax, ac vim ex Dei decreto sortitur, quo (Paulo teste) *posuit in Ecclesia Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, &c.*

Docet tertiò D. Paulus hoc testimonio, quo hæc Pastorum in Ecclesia successio tendat. *Ad consummationem*, nempe, *sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*. Eò vocatos, atque institutos à Deo fuisse Pastores declarat, vt fideles fide corroborentur, & infideles ad fidem pertrahantur. Hæc enim est consummatio Sanctorum, & opus ministerij, ad quod potissimùm Ecclesiæ Pastores electi sunt. Demum supremo omnium fine ad Ecclesiæ ædificationem datos affirmat, vt Ecclesiam fideli doctrina, ac vitæ sanctimonia ædificent, & tum ad fidei, tum ad charitatis augmentum, ac perfectionem ducant.

Postremò perpetuam hanc in Ecclesia Pastorum successionem futuram indicat, cùm addit. [Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Siue enim cum Theophylacto, ac Græcis scholijs, hæc de perfecta fide, & absoluta Christi notitia, qualis in hac vita haberi potest, intelligamus; siue cum Augustino lib. 22. de Ciuitate Dei, & Theodoreto, in hunc locum, de perfectione fidei, quam electi in futura vita ex clara Dei visione consequentur, hæc dicta interpretemur: id certum est; non priùs omnes, qui ad Christi Corpus pertinent, in vnam fidem confluere debere, donec electorum numerus impleatur: quod sanè tunc fieri opus est, cùm supremus iudicij dies aduenerit: quapropter his verbis Paulus insinuat, tamdiu legitimam Pastorum successionem in Ecclesia permansuram, quoad vniuersi fideles in ea fidei vnicate, qua inter se coniuncti sunt, Christo ad iudicium venienti tandem occurrant.

Hinc Matth. 13. Christus Ecclesiam agro comparat, in quo veræ fidei doctrinæ semen, vsque ad Messem, idest, vsque ad futurum Dei iudicium excrescere iubetur: at fidei semen in Ecclesia exoriri non potest, nisi à Pastoribus seminetur, quibus verbi Dei disseminandi munus iniunctum est, neque illud excrescere vsque ad Messem valet, nisi perpetua operariorum, Pastorum scilicet, ac Doctorum diligentia excolatur, ac irrigetur. Hinc Paulus aiebat. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*. Itaque perpetuam in Ecclesia Pastorum successionem, non quomodolibet, sed à Deo legitima ordinatione institutam esse necesse est, qui Ecclesiæ agrum excolant, & fidelium Messem curent: quandoquidem non ad alium præterquàm ad Dominum Messis pertinet operarios ad Messem curandam destinare. *Rogate*, inquit Christus, *Dominum Messis, vt mittat operarios in Messem suam*.

Sed illud eiusdem Pauli testimonium ad Rom. 10. quod nuper attigimus, paulò diligentiùs expendamus. *Quomodo*, ait Paulus, *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Quibus verbis Apostolus quatuor nobis maximè perpendenda insinuat.

Primum ex diuina ordinatione proficisci, quòd nemo Dei verbum prædicet, aut ceteros docendi munus in Ecclesia sibi vsurpet, nisi ab Ecclesia publica, ac perspicua vocatione, quæ ad Ecclesiæ magistratum spectat, vocatus fuerit: id enim indicant postrema illa verba, *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur*? Quo telo Apostolus aduersarios confodit, qui nulla ordinaria vocatione freti, docendi munus sibi arripiunt: cùm verò extraordinariam vocationem sibi accersunt, ac nullo cam testimonio confirmatam proferunt: id præstant, vt eam tam alijs quibuscunque Hæreticis, quàm sibi commuoem efficiant; ex quo planè se Hæreticos declarant: cùm hac extraordinaria vocatione se vocatos iactant, quam Hæretici omnes sibi prætexunt.

Secun-

Secundum, verbi Dei auditores ordinarijs tantùm concionatoribus, ac Pastoribus alligatos esse: ita vt ab extraordinarijs omninò cauere debeant: quod Paulus apertè docet illis verbis. *Quomodo autem audient sine prædicante?* scilicet ab Ecclesia misso, vt statim declarat, cùm subdit. *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Ex quo Caluini astua detegitur, qui vt hunc Pauli locum euadat, Institut. lib. 4. explicans verba illa Pauli ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. *His verbis*, inquit, *cùm illud ostendit hominum ministerium, quo Deus in gubernanda Ecclesia vtitur, præcipuum esse neruum, quo fideles in vno corpore cohæreant, tum verò etiam indicat, non aliter incolumem seruari Ecclesiam posse, quàm si his præsidijs fulciatur, in quibus salutem eius reponere Domino placuit.* Non enim ait, Episcoporum, aut Pastorum, *sed hominum ministerium, præcipuum esse neruum*, &c. vt ordinariam Pastorum successionem eneruet. At cum eo pugnat Paulus, qui non hominum simpliciter, sed hominum vocatorum, Pastorum scilicet ordinariorum ministerium Ecclesiæ necessarium esse affirmat, neque enim ait Paulus. Quinam prædicabunt, nisi homines? vt Caluinus obtendit; sed, *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ex quo tandem id secundò colligimus, prædicationem, cui in Ecclesia habenda est fides, non esse cuiusuis hominis, sed hominis ritè vocati ad Pastoris, aut Doctoris munus.

Tertium, Pastoribus, ac Doctoribus ab Ecclesia ritè vocatis, ac missis, non quidem in singulari, sed in communi veram, ac sinceram fidem perpetuò alligari: siquidem Paulus eisdem veram fidem, ac fidei magisterium assignat, cùm ait, *Ergo fides ex auditu*; scilicet eorum, qui prædicant, cùm missi fuerint. Id enim ex diuina ordinatione manat, vt sicut Baptismo remissio peccatorum, ita & ordinationi Ecclesiasticorum Ministrorum, ac Pastorum successioni, veræ, ac sinceræ fidei prædicatio promissa sit. Quod sanè fieri opus erat, ne vera fides aliquando in Ecclesia corrueret, & Ecclesiæ ædificatio intercideret: neque enim Episcoporum naturę tribuimus, aut hominum viribus, aut ingenio ascribimus, quòd in perpetua illorum successione sana, ac integra fides semper seruetur: sed Dei gratię donum agnoscimus, qui diuinam hanc promissionem cum perpetui Episcopatus munere coniunxit.

Quartum denique, perpetuam ex Dei promissione Pastorum, ac Doctorum in Ecclesia successionem fore, qui veram fidem doceant, ac prędicent. Id apertè testatur Paulus cùm ait. *Quomodo audient sine prædicante?* Nam si Ecclesię fides ex auditu prędicantium Pastorum pendet, igitur Pastores veram fidem prędicantes perpetuò in Ecclesia esse debent, ne Ecclesię fides intereat. Atque adeò necessarij sunt, vt sine ijs Ecclesia esse non possit.

Id confirmari potest exemplo: nam quemadmodum hominem, aut euulsis oculis videre, aut præcisa lingua effari posse nemo existimat; oculi quoque si à corpore separati existant, aut lingua præcisa proprium munus exequi non possunt. Ita sanè de Ecclesia sentiendum est, quæ cùm Christi corpus sit, in ea Pastores, ac Episcopi, oculorum, ac linguarum officio funguntur: at quo pacto Ecclesia sine Pastoribus, ac Doctoribus, aut veram fidem docere, aut ea, quę ad fidem pertinent, agnoscere valet? Pastores quoque si ab Ecclesię communione separati fuerint, quo modo sinceram fidem, vel perspicere, vel docere possunt; cùm nemo (Apostolo teste) sine prędicante credat; nemo nisi ab Ecclesia vocatus ritè prædicet? hinc certissimo argumento euincimus, Catholicam Ecclesiam sine perpetua Pastorum, ac Doctorum successione esse non posse; neque Episcoporum successionem à Catholica Ecclesia seiunctam posse consistere: sed vbi Ecclesia, ibi perpetuam Episcoporum successionem: & vbi perpetua Pastorum successio, ibi Ecclesiam esse constantissimè credendum est, vt præclarè docet Cyprianus lib. 4. epist. 9. [Illi, inquit, sunt Ecclesia, & plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens, vnde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt; cùm Ecclesia Catholica, quę vna est, scissa non sit, neque diuisa; sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata.]

Id quoque non obscurè probari potest ex verbis Christi apud Matthæum cap. 28. *Euntes ergo, ait, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia, quęcunque mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* His etenim verbis Christus perpetuum præsentiæ suę presidium, non solis discipulis, qui tunc aderant, ac breui consumpti sunt; sed quotquot illis in docendi munere legitima ordinatione successuri erant, pollicetur. Ex quo testimonio duo potissimùm elicimus. Primum nunquam in Ecclesia defuturos Pastores, & Doctores, quibus Christus dicat. *Euntes docete omnes gentes*, &c. Alterum, ijs semper Christi Spiritum adfuturum, vt vera semper doceant, vt verum semper illud sit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, &c.

Certè Christus cùm legitimos Ecclesię Pastores à spurijs, quos falsos Prophetas appellat, discerneret, non alio signo eos agnoscendos tradit, quàm à legitimæ successionis symbolo. Matth. 7. *Attendite*, inquit, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Nota diligenter falsos Prophetas, ac Pastores diuino Christi oraculo ex defectu legitimæ missionis, vocationis, electionis, ordinationis, quibus vera successio constat, primùm ac potissimùm deprehendi. *Veniunt*, inquit Christus, *ad vos*, non missi, sed à seipsis currentes; non vocati à Deo tanquam Aaron, sed suamet temeritate seipsos Ecclesiæ ministerio intrudentes; non electi, sed vltrò Pastorum munus sibi arrogantes; non ordinati, sed sese temerè sacris functionibus immiscentes. Matth. 24. *Surgent*, inquit alibi Christus *Pseudochristi, & Pseudoprophetæ*, non Deo, non Christo excitante, vocante, impellente; sed Sathanę spiritu impulsi, correpti, exagitati, vt

vt fidei tritico Hæresum zizania superseminent, vt in errorem inducant, si fieri posset, etiam electos. Hi siquidem sunt, qui sub ouina pelle lupum contegunt; hos Pseudochristos, Pseudoprophetas, ac Pseudopastores iure appellare licet, quandoquidem, & Christi doctrinam euertunt, & Ecclesiam omnibus, quibus possunt, vijs conantur prosternere. Hinc non immeritò Clemens I. in constitutionibus Apostolicis lib.6. cap.13. ait. [Obtestantes, vt ab eis fugerent, qui nomine Christi, & Moysis, Christum, & Moysem oppugnarent, & pelle ouis lupum tegerent. Hi enim sunt Pseudochristi, & Pseudoapostoli, & Pseudoprophetæ, seductores, & corruptores, partes vulpium, & vinearum, quæ vires depressas, & in terram sparsas habent: deuastatores, quorum opera, & studio multorum charitas refrigescet.] Hos tandem non Pastores, sed lupos vocat Ambrosius lib.7. in Luc. cap.10. *Nonne lupis Heretici comparandi sunt, qui insidiantur ouibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quàm diurno? Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi sua interpretationis nebulis obducere, & quantùm in ipsis est, fuscare conantur.* En quo signo Pseudopastores à legitimis Ecclesiæ Pastoribus dignosci debent. Qui enim à nullo ordinati ab hac legitima successione absunt, hos velut Pseudoprophetas, ac Pseudopastores cauendos Dominus præcipit.

Quam doctrinam ex ipsis diuinis fontibus haustam tradunt vniuersi Patres. Tertullianus de præscriptionibus aduers. Heret. ex Apostolica successione Hereticos præscribit cap.32. [Si quæ audent, inquit, se interserere ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: edant ergo origines suarum Ecclesiarum: euoluant ordinem suorum Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.]

Irenæus ex hac successione, quibus Pastoribus obtemperandum sit, ostendit lib. 4. cap.42. [Quapropter, ait, eis, qui sunt in Ecclesia, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt: reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere vel quasi Hæreticos, & malæ sententiæ.] En quàm præclarè Irenæus legitimam successionem semper cum vera fidei doctrina coniunctam docet: neque vllibi veram doctrinam absque successione esse posse agnoscit: ita vt legitima successio veram doctrinam gignat, vera autem doctrina Apostolicam successionem ostendat.

Hieronymus cont. Lucifer. cap.9. illam tantùm veram Ecclesiam esse affirmat, in qua Apostolica hæc successio viget. *In illa Ecclesia*, inquit, *permanendum est, quæ ab Apostolis fundata vsque ad hanc diem durat.*

Augustinus passim, ac copiosè hanc doctrinam tradit, tum in epist. cont. fund. Man. tum in Psalm. 44. vbi explicans locum illum Psalmi. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, inde legitimam hanc Pastorum in Ecclesia propagationem elicit, his verbis. [Quid est, inquit, pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt, tibi constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & illos constituit in sedibus Patrum: non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua tibi creuit paternitas.] En quomodo Augustinus perpetuam Pontificum, ac Episcoporum, qui Christi spiritu, & Ecclesiæ ordinatione generantur, propagationem à Deo in Ecclesia institutam esse docet.

Hoc ipsum disertè docent Optatus lib.3. cont. Parmenian. Epiphan. Hæresi 27. Athanas. oratione secunda cont. Arianos, & in quæstionibus ad Antiochum quæst.44. Cyprianus lib.1.ep.6. & alij Patres.

ARTICVLVS II.

Diluuntur obiecta aduersariorum.

PORRÒ aduersarij, cùm nec Deum, qui per Scripturas loquitur, nec homines Apostolicos huius veritatis testes reuereantur, legitimam hanc Pastorum successionem ab Apostolis inchoatam furiosè impetunt. Ioan. Caluinus Instit. lib.4. cap.2.§.2. cùm locorum successionem impugnasset, omnem simul se Ecclesiasticam Pastorum successionem euertisse iactat: Ait enim. [Cur non Africam citent, & Ægyptum, & totam Asiam: nempe quia in omnibus illis regionibus desijt sacra hæc Episcoporum successio, cuius beneficio se Ecclesias retinuisse gloriantur.] At certè Canis Caluinicus muscam hoc loco venatus est.

Siquidem existimat nos Episcoporum successionem ita vni, vel alteri loco alligare, vt si in ijs locis singularis illa Episcoporum series interrumpatur, mox tota Episcoporum successio ruat, fallitur Caluinus, neque enim, ita à Christo, & à Patribus didicimus necessariam successionem statuere, vt priuatis quibusdam Episcopatibus eam alligare cogamur, quinimò etiamsi omnes Episcopatus corruerent, & ab infidelibus, ita occuparentur, vt nulla prorsùs Episcopis Sedes relicta esset, haud tamen ipsa successio desijsse crederetur, cùm ea non locorum, sed personarum sit, neque loca, sed ordinatio veràm successionem præstet.

Planè malè de Ecclesiastica hac successione ageretur, si ea inter certas locorum angustias intercluderetur, quandoquidem, nec noui Episcopatus post Apostolos erigi potuissent, cùm tamen tot erecti fuisse constet, & qui erecti fuissent, ad hanc legitimam successionem non pertinerent. Frustra igitur nobis Africæ, Ægypti, Asiæ, ac demùm totius Græciæ defectum obiectat, quasi id nos credamus Christum his Orbis partibus simul, cum successione Episco-

ſcoporum perpetuam etiam fidem pollicitum fuiſſe.

Iam verò ita aperta eſt hæc Caluini calumnia, vt nec eam longiùs refellere opus ſit. Atqui inſignem Caluini inſcitiam cogor detegere. Obijcit nobis ille, Epiſcopos in his regionibus omninò defeciſſe, ob occupata ab infidelibus regna, quid tum? num idcircò ibi vera Epiſcoporum ſucceſſio deſijt? An non Epiſcopi à Pontifice perpetuò creantur, qui illarum Eccleſiarum titulo potiantur, tametſi ijs ob infidelium tyrannidem, ſuo ibi munere fungi interdictum ſit? Cùm Petrus, cùm Paulus, cùm tot poſt hos Apoſtolos, Pontifices Romæ agerent, an non illis decreto Principum cautum erat, ne quidquam de Chriſtiana profeſſione publicè tractatent, aut Epiſcopi officio fungerentur, nam proptereà ibi Pontificum ſucceſſio eſſe deſijt? Eccleſiæ (fateor) ab infidelibus occupatæ ſuis Epiſcopis non fruuntur, id licèt non ſine arcano Dei iudicio factum ſit, adhuc tamen ſuperſtes ibi Epiſcoporum ſucceſſio viget: qui ſi minùs loco, magis tamen loci titulo ijs Eccleſijs præſunt. Hæc quoad Caluinum ſatis.

Poſt Caluinum Philippus quidam de Mornay Gallus noſtri temporis Caluiniſta, nonnulla partim ex Luthero, Brentio, Muſculo, partim ex Caluino, & alijs aduersùs hanc Paſtorum ſucceſſionem argumenta colligit in tract. de Eccleſia cap. 3. quæ breuiter proponemus, ac refellemus.

Primum argumentum eſt Caluini, quod modò confutauimus, præterquàm quòd illud addit, quòd Papa non ſemper Romæ ſedit, ſed aliquando Auinione in Gallijs, ergo loci ſucceſſio non eſt neceſſaria.

Secundum: loci ſucceſſio nihil facit ad doctrinæ veritatem, patet id exemplo Templi Hieroſolymitani, quod deſtructum eſt, & domus Silo, quæ à Deo repudiata fuit, de qua Hieremia 26. *Ite ad domum meam in Silo, de qua dixi, & erit nomen meum ibi, & videte quid fecerim ei propter peccata populi mei.* Igitur non loci, ſed doctrinæ ſucceſſio requirenda eſt.

Tertium: Armeni, Æthiopes, Græci omnes ſuarum Eccleſiarum origines antiquas oſtendunt, qui tamen ſunt vel Hæretici, vel Schiſmatici.

Quartum. Patres docent loci ſucceſſionem nihil prodeſſe, vox enim Hieronymi eſt in decretis diſtinct. 40. cap. Non eſt. *Non ſunt filij ſanctorum, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera eorum*, & Diui Bernardi in Concilio Rhemenſi, *quid prodeſt ſi Canonicè eligantur, & non Canonicè viuant?* Cypriani epiſt. 4. *Plebs obſequens præceptis Dominicis à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet.* Idem docet Irenæus libro 4. capitulo 44.

Hæc quatuor argumenta, quandoquidem locorum ſucceſſionem impugnant, nullum nobis negotium faciunt, neque enim locorum (vt diximus) ſed perſonarum ſucceſſio præſertim in priuatis Epiſcopis inſpicienda eſt, quapropter facilè illis damus locorum ſucceſſionem in Epiſcopis non eſſe omninò neceſſariam, tametſi ea in Eccleſia, quoad fieri poteſt, ſeruari debeat. Illud verò quod de Pontificis ſucceſſione attingit, quam loco non vult eſſe alligatam, ea inductione, quòd Romanus Pontifex aliquando Romæ, interdum Auenioni ſedit; planè diuerſum eſt; neque enim eadem ratio Pontificis, & Epiſcoporum ſucceſſionem comprehendit. Nam Epiſcoporum ſucceſſionem certo loco alligatam non eſſe, proptereà aſſentior, quòd nulli priuato Epiſcopo Diuino iure aliqua ſedes deſtinata fuerit, quæ neceſſariò ad ſucceſſores tranſiret, ſed locorum conſtitutio, ac Epiſcopalium ſedium erectio tota à Pontifice pendeat, quò fit, vt Pontifex nouum Epiſcopatum erigere, & antiquum iuſtis de cauſis mutare poſſit.

At Pontifex cùm ſingulari Dei iuſſu Romanum Epiſcopatum adierit, vt teſtatur Marcellus prima epiſtola ad Antiochenos, neque niſi ex ſingulari Dei mandato, vel ſaltem ex cauſa illum mutare valeat, ita Romano Epiſcopatui alligatur, vt idem, & Orbis, & Vrbis Epiſcopus eſſe debeat. Quam ob cauſam hallucinatur Philippus, cùm Pontificem exiſtimat ſedem, ac titulum aliquando mutaſſe, cùm priùs Romæ, poſtea Auenioni ſedit, neque enim tunc ſedem, aut titulum, ſed locum dumtaxat mutauit, neque cùm Auenioni ſederet, proptereà Auenionenſis, ſed Romanus Epiſcopus appellabatur, haud ſecùs, quàm cùm nuper Ferrariæ Clemens VIII. moraretur, haud Romani Epiſcopi titulum in Ferrarienſem mutauit. Sedit igitur Auenioni, atque vt Orbis Epiſcopus ibi ditionem ſuam in Eccleſias exercuit, cùm tamen Romani Epiſcopi appellationem nunquam dimiſerit.

Porrò alio argumento perſonarum ſucceſſionem oppugnat. *Eccleſia*, inquit, *veræ doctrinæ, non perſonis innititur, igitur perſonarum ſucceſſio non poteſt eſſe vera Eccleſiæ nota.* Antecedens probatur. Nemo enim ſucceſſit Auguſto, & Commodus Marco Aurelio, & Manaſſes Ezechiæ, & quamplures in Eccleſia Romana Pontifices mali extitere, qui tamen bonis ſucceſſerunt, quòd ſi perſonarum ſucceſſioni, non ſanæ doctrinæ Eccleſia inniteretur, poſſet Eccleſia ex infidelibus, & Hæreticis tantummodò conſtare, qui veram fidei doctrinam non profitentur. Quare Tertullianus de Præſcr. Hæret. cum ait, conſanguinitatem doctrinæ requiri, & Irenæus lib. 4. cap. 42. cùm ait, illis Presbyteris obaudiendum eſſe, qui chariſma veritatis acceperunt, ad puram doctrinam neceſſariam Eccleſiæ notam referunt.

Egregius ſanè Sophiſta, cùm à vera doctrina probationem petere deberet, à moribus venatur. Quid quæſo morum probitati, vel improbitati cum doctrinæ veritate, aut falſitate commune eſſe poteſt? Bono Samueli ſucceſſit in Regno Iſraelitico malus Saul, num is proptereà Hæreticus, aut infidelis fuit? Num veram Eccleſiæ ſucceſſionem proſcindit, quòd malus bono ſuccedat, ſi is in fide integer maneat? Planè ſi ita eſt, quòd morum corruptionem veræ doctrinæ interitus ſequatur, ſanè de Caluiniana Re-

ligio-

ligione actum est, fateatur Philippus, necesse est, iugulatam apud Caluinum, & Caluinistas esse veram fidei doctrinam, vbi tam aperta morum improbitas vbique spectanda se offert.

Quid ait Philippe, Ecclesiam vera tantùm doctrina, non personis internosci? si rudes, si ignaros, si vulgares homines, ac plebeos ad Ecclesiam tantùm accerseres, id fortè suspicaremur. Nam cùm huiusinodi in Ecclesia nulla successione teneantur, non esset cur in Ecclesia successio quærenda esset, sed cùm non tantùm rudes, ac gregales homines, sed etiam Pastores in Ecclesia à Deo constituti sint, ex quibus propterea Ecclesiastica successio ortum habet, quòd hi perpetuò veram doctrinam fidelibus populis tradere, ac in Ecclesia custodire debeant, indè non solam doctrinam ad Ecclesiæ notam sufficere, sed priùs Pastorum successionem, à quibus vera doctrina petenda est, necessariam dicimus.

Id docent Tertullianus, & Irenæus his locis, quos Philippus perperam sibi vendicat. Nam Tertullianus cùm doctrinæ, consanguinitatem cum Apostolica doctrina commendat, id docet, quod vniuersa Ecclesia Catholica contra Caluinistas docet, nimirùm, eam solam doctrinam in Ecclesia veram censendam esse, quæ per omnia cum antiqua doctrina conspirat, & Apostolicæ doctrinæ consanguinea est. At quæ ea sit, ibidem aperit, cùm ait, eam Apostolicam doctrinam censeri, quæ ad nos vsque per legitimos Ecclesiarum Apostolicarum Pastores delata est. [Quid, inquit, Apostoli prædicauerint, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.]

Ex quo tandem infert, omnes illas doctrinas velut suspectas respui debere, quæ vel cum antiquitate pugnant, vel cum ea doctrina non conspirant, quæ ab Ecclesiæ Pastoribus tradita est. [Si, inquit, hæc ita sunt, constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis Matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum.]

Vides Philippe Tertullianum, quem tuæ causæ primum tibi Patronum asciueras, apertè tibi aduersari, neque eum vnquam Caluinistico more sensisse, sola doctrina veram Ecclesiam agnosci, sed potiùs veram doctrinam legitima Pastorum successione probari, ita vt priùs legitima Pastorum successio quærenda sit, tum ex ea vera doctrina exploranda, vt ex his tandem vera Ecclesia, velut certissimo symbolo deprehendi queat.

At neque illi magis fauet Irenæus, quin potiùs miror, qua fronte illum proferat, cum apertissimè cum ipso pugnet. Hæc Irenæi verba sunt, quæ ille citat. [Quapropter eis, qui sunt in Ecclesia, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, vel malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes.]

Quid magis his verbis Irenæus commendat, quàm legitimam in Ecclesia Pastorum successionem, ex qua certum veræ doctrinæ charisma deßuere præclarè agnoscit? Quibus verbis euidentiùs tum Philippi, tum Caluinistarum, ac Lutheranorum sententiam prosternere potuisset, quàm quòd eos docet suspectos, ac Hæreticos habendos esse, qui veram doctrinam aliundè, quàm à legitima Pastorum successione desumunt? id planè est, ac si apertè diceret, veram Ecclesiæ doctrinam ad Pastorem successionem examinandam esse, ac propterea priùs legitimam Pastorum successionem tanquam veræ doctrinæ traducem, ac magistram quæri oportere, quàm ipsam doctrinam, quæ tandiù suspecta esse debet, donec ab Ecclesiastica successione probetur. Et his patet verborum Irenæi sensus.

At certè existimo tam Philippum, quàm cæteros aduersarios falli, dum arbitrantur nos Pastorum successionem à vera doctrina seiungere, ac seiunctam veræ Religionis symbolum statuere, quasi Pastorum successio per se absque vera doctrina consistat, aut veram Ecclesiam demonstrare sufficiat. At addiscant, quæ sit Catholicorum sententia. Id enim Catholici asserunt, legitimam Pastorum successionem in Ecclesia nunquam omninò à vera doctrina diuelli posse, id enim sæpè pollicitus est Christus, cùm discipulos alloquens, quos Pastores Ecclesiæ constituerat, quique vniuersos Ecclesiæ Præsules repræsentabant, ait Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, &c.* & infrà, *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Item Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Quapropter eùm eam inter certissimas veræ Religionis notas reponimus, nunquam à vera doctrina secernimus. Neque tamen id ita accipi æquum est, quasi nullus Ecclesiæ Pastor à vera doctrina possit excidere, cùm plerosque decidisse compertum sit, id tamen constanter asserimus, Pastores nunquam simul omnes posse à fide deficere, & si qui fortè à fide deficiunt, non ampliùs Ecclesiæ Pastores, sed hostes potiùs censendos esse. Quamobrem eam dumtaxat legitimam Pastorum successionem agnoscimus, qua legitimè ordinati, vnam eandemque cum Apostolis Orthodoxam doctrinam seruant.

Atque hanc Pastorum successionem, non veram doctrinam, licèt ea semper cum vera doctrina coniuncta sit, veræ Religionis symbolum statuimus, ea ratione, quòd successio sit prior, ac notior vera doctrina, sicut instrumentum est priùs suo effectu, vt tuba est prior sono, truncus folijs, floribus, ac fructibus prior agnoscitur. Ecclesia enim nullo modo absque Pastoribus veris, & legitimis potest consistere, quod apertè docet Paulus, cùm Rom. 10. ait fidem ex auditu

ditu concipi. *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi, sed quomodò audient sine prædicante? & quomodò prædicabunt nisi mittantur?* Præcedat ergo auditus fidem, quæ veram doctrinam complectitur, auditum prædicatio, prædicationem missio, missionem verò legitima Pastorum electio, & ordinatio, vt superiùs diximus.

Hinc manifestum est, quòd cùm de vera doctrina plerumque dubitare contingat, nulla certior via sit ad illius veritatem inuestigandam, quàm eam ab Episcoporum, ac Pontificum successione, quæ veræ doctrinæ hæres est, quærere. Hac enim ratione Tertullianus de Præscript. veram doctrinam aduersùs sui temporis Hæreticos venatur. [Apostoli, inquit, Ecclesias apud vnamquamque Ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ exindè cæteræ Ecclesiæ mutuatæ sunt.]

Quamobrem ruit illa Philippi consequentia, quòd si ex personarum successione, non ex doctrina vera Religio agnosceretur, sequeretur Ecclesiam ex infidelibus componi posse, dummodò ibi personarum successio seruaretur. Ruit, inquam, hoc malè elaboratum consequens, quandoquidem nec personarum successio, qualis illa est, quæ in Ecclesia à Deo instituta fuit, & quam nuper descripsimus, sine vera doctrina esse potest, neque vera doctrina aliundè, quàm per os Pastorum legitimè sibi succedentium eloqui vllo modo valet. Ita fit, vt Pastorum successio perpetua sit veræ doctrinæ parens, & vera doctrina illius sit quodammodo Diuina quædam, ac legitima proles, quæ Diuino spiritu concepta, nullos non tam abortus timet, quàm perpetua propagatione excrescit. [Donec, vt ait Paulus, occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Christi.]

Restat, vt Isaac Cheironij argumentum proponamus, examinemusque, an fortè Philippo acutior, ac perspicacior sophistes fuerit. Is responsione ad Porsani admonitiones, qui liber Geneuæ impressus fuit anno 1600. cap. de successione, huiusmodi contra Ecclesiasticam personarum successionem argumentum mouet. Nota, vel signum Ecclesiæ, vel essentiale est, vel accidentarium, non accidentarium, nam accidentarium signum cœpit esse, quia tempus fuit, quando non erat, & ab aliquo accepit initium, & incrementum, igitur essentiale esse debet. Hoc est Cheironij fundamentum, ex quo posteà tricipitis argumenti sui monstrum parit, quod statim aperiemus.

At reuera nimis labile, ac arenosum fundamentum sternis Cheironi, cui quicquid superstruxeris, labi aliquando necessè sit. Signum Ecclesiæ non accidentarium, sed essentiale, ac intrinsecum esse vis. Nouum prorsùs, ac inauditum audio, sed tuum est, ac tuorum nouis semper propositionibus, ac ignotis ludere. At ego antiquum oppono. Antiquum est Cheironi, quòd signum, quo res aliqua agnosci debet, notius simpliciter esse debet ipsa re, quid est ipsa re? ipsa scilicet natura, ac essentia rei. Nostin' vnquam familiarem tuum Philippum, vndè nosti? an non ex aliquo signo, quo illum à cæteris discernis? Age, signum illud essentiale, an accidentale esse debet? Certè plusquam lynceis oculis te præditum esse oportet, si indiuidualem, ac essentialem ipsius differentiam, qua à cæteris personis discernitur, solus peruasisse te existimas, quæ hactenùs omnibus ignota fuit.

Quis mortalium id vnquam præter Cheironium sibi arripuit, vt rerum essentias perfectè cognoscat? cùm teste Philosopho 2. Metaph: sicut oculus noctuæ ad lumen Solis, ita intellectus noster se habeat ad manifestissima naturæ. Cùm igitur Philippum nosti, atque à cæteris, qui tibi familiares non sunt, secernis, non per intrinsecum, ac essentiale signum, sed per extrinseca, ac notiora accidentia nosti, quæ oculis spectanda se offerunt, vel ex vultus diuersitate, vel ex figura, vel ex coloribus, lineamentis, ac cæteris accidentarijs signis. Qua igitur ratione, cùm de extrinseco, ac visibili veræ Religionis signo agitur, quo à falsa dignosci queat, ad essentiale, ac intrinsecum signum confugis, nisi eò spectes, vt omnia veræ Religionis signa, quibus illa agnosci possit, è medio tollas?

At accidentarium signum, ait, cœpit esse, quia tempus fuit, quando non erat. Adhuc nona duces, & adhuc laberis Cheironi, an ignoras, quòd calor, quo ignis agnoscitur, ipsi igni accidens est? Quis tamen vnquam sensit tempus fuisse, quando calor in igne non erat? Homini accidens est, esse risibilem, esse quantum, esse qualem, nec tamen homo vnquam fuit absque risibilitate, aut quantitate, aut qualitate.

An ita rudis es, vt in ipsis Dialecticis rudimentis labores, cùm ipsi tyrones, qui vix supremis labijs Logicalia fundamenta degustarunt, non ignorent accidentium aliqua esse propria, alia communia, alia separabilia, alia inseparabilia? Quò fit, vt cùm ex his quodlibet ad aliquid significandum assumptum fuerit, accidentarium signum sit, quamobrem cùm veræ Ecclesiæ signum, eo quòd inseparabiliter eam comitari debeat, accidentarium esse non posse autumas, nimis apertè hallucinaris. Quòd si addiscere vis quale sit, ac esse debeat veræ Religionis signum. Dico illud accidentarium esse debere, non quidem vt communium, ac separabilium accidentium more, illud aliquando ab ea separari possit, aut eo vera Religio carere vnquam valeat, sed illi ita proprium, ac inseparabile esse agnoscimus, vt ipsam quoque veræ Religionis naturam comitetur. En quo fundamento inniteris Cheironi, quod facillimè ex se ipso ruit.

Iam argumentum illius tricorne expendamus. Primum argumenti caput est. Legitimum veræ Religionis signum cum ea debet nasci, & inchoari, sed signum hoc successionis non est natum cum vera Religione, neque cum illa inchoatum fuit. Id patet, quia Ecclesia nascens nullam habuit huiusmodi successionem. Probatur, nam tempore Apostolorum inter ipsa Ecclesiæ

initia (vt testis est Rabanus Maurus in epistola ad Regembaldum) omnibus concessum erat euangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare. At si omnes euangeliaabant, baptizabant, & Scripturas explanabant, successio nulla erat, tot ferè mendacia hic congetit Cheironius, quot verba profert.

Quis crassa hac, & tam supina argumentatione præter Chtironium vnquam vsus fuisset? Itane concludis Cheironi, nulla in nascenti Ecclesia successio viguit, quia omnes euangelizabant, omnes baptizabant, omnes Scripturas interpretabantur, quid indè infetre vis? Certè, vt nullos tunc in Ecclesia Pastores fuisse, vel omnes æquè exeitisse Pastores. En quomodò Cheironius araneæ instar venenom ex Pattum floribus colligit. Rabanus copiosum Spiritus Sancti munus fidelibus infusum inter illa Ecclesiæ initia, eo ttstimonio eaplicat, quo fiebat, vt plerique dono linguarum accepto, alij Christum prædicatent, alij Scripturas interpræcarentur.

Id Rabanus illis verbis insinuat, falsum enim est, omnes dona linguarum accepisse, aut Scripturarum interpretationis munere præditos fuisse, cùm id apertè refellat Paulus 1. Corinth. 12. *Nunqaid omnes Apostoli? nunqaid omnes Propheta? aanquid omnes Doctores? nunqaid omnes virtutes? nunquid omnes linguis loquuatur? uunquid omnes interpretantur?* Rabsnus igitur omnes tunc euangelizasse ait, quibus id munus ab Apostolis commissum erac, omnes Scriptutas interpretabantur, qui hoc ipsum donum à Spiritu Sancto acceperant.

Omnes denique populum docebant, quotquot huic muneri idoneos Apostoli, per manus impositiouem, ad diuersa Orbis loca dtstinassent, vt manifestum est in Actis Apostolorum cap. 13. de Saulo, & Barnaba, qui à Pastoribus Antiochenæ Ecclesiæ diuino iussu, sd hæc munera obeunda per manus impositionem dimissi sunt.

Sed quid horum obsecro successionem aut minuit, aut tollit? Num propterea nulla est in Ecclesia successio, quia multi sunt verbi ministri, multi Doctores, multi Pastores? immò indè te potiùs decebat Cheironi inferte, veram tunc fuisse in Ecclesia successionem, cùm ibi legitima successio agnoscatur, vbi Pastores, ac Doctores legitimè ordinantur, ac mittuntue, vt inter Ecclesiæ iuitia factum est, nam & septem Diaconi ab Apostolis ordinsti sunt, Petrus Clementem Episcopum instituit, Paulus Timotheum, ac Titum, illum Ephesi, hunc Cretæ, ac deindè per totam Asiam Episcopos, ac Presbyteros distribuit. Vides successinntm in ipsia Ecclesiæ primordijs floruisse.

At quid motor? Si Ecclesiasticam Pastorum successionem tollere cupiebat Cheironius, planè alio argumento illi probandum erar, nullus tunc fuisse in Ecclesia Pastotes, nam vbi legitimi in Ecclesia Pastores existunr, ibi veram successionem esse necessè est, quæ non nisi sublatis Pastoribus auferri potest. At quæ esset Cheironij insania, si Apostolos, qui tunc in Ecclesia erant, & Ecclesiam regebant, Pastores fuisse negaret? quod si ij Pastores erant, planè non argumento, sed aperta insania agit Cheironius, cùm nullam tunc in Ecclesia Pastorum successionem fuisse autumat. Primò igitur hoc argumenti capite exciso, ad secundum venio.

Secundùm argumenti caput est. [Quod non doctrina Ecclesiæ, sed auctoritate personarum introductum est, vim notæ perpetuæ obtinere non potest. Talis est successio, quæ ex personarum auctoritate tantùm vitam habet, non ex doctrina Ecclesiæ, vt patet ex testimonio Tertulliani, qui in exhortat. ad Castit. ait, differentiam inter ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas.] Vir iste, vt Pastotum successionem euettat, qua se premi animaduertit, vniuersa confundit, & naufragantium more, quæcunque obuia illi fiunt, tam quæ ad rem, quam quæ non ad rem faciunt, nam arripit, immò insanntum instar, dum alijs interitum se parare esistimat, propriam sibi necem molitur. Successio, inquit, introducta est in Ecclesia ex auctoritate personatum.

Adhuc velut rudi, ac ignaro illi termini explicandi sunt, & quid successionis nomine significetur, docendum, discat igitur duo in successione includi; Pastorum auctoritatem, & ordinationem, quodnam horum personarum auctoritate institutum est? num Pastorum auctoritas? si id affirmat, videat ne totam Euangeliorum veritatem peruertat, an non Christus Apostolos Pastores instituit, illis verbis. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos?* an non ijs auctoritatem Pastorum contulit, cùm ait. *Quacunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cælo, & quæcunque solueritis, &c.* Ioan. 20. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Paulum nunquamne legit docentem Pastores in Ecclesia à Deo constitutos esse ad Ephes. 4. *Et quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, &c.* Et Actorum 20. eundem testantem Episcopos à Spiritu Sancto ad Ecclesiæ regimen delectos esse? *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Quòd si Pastores à Deo institutns esse non recusas, iam non est, eur Pastorum ordinationem hominum inuentum esse accuses, aut à Deo profectam esse dubites, præsertim cùm Paulus dicat, neminem honorem sibi assumere debere, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron, & ex Scripturis exploratum sit, Paulum per manus impositionem Timotheum, ac Titum Episcopos ordinasse, & cæteros Apostolos multos vbique Episcopos eadem manuum impositione cresse. Demùm sicut à Deo legitima Pastorum institutio profecta agnoscitur, sic & legitima ordinatio, sine qua ipsa institutio esse non potest. Ex his igitur cùm legitima Pastorom successio constet, cùm vtrumque à Diuina auctoritate emanet, frustrà hæc hominum auctoritate incerta esse obitctas.

At quid Tertullianus. Docet, inquit,

diffe-

differentiam inter ordinem, & plebem Eccleſiæ auctoritate conſtitutam fuiſſe, at Tertullianum audiamus. *Differentiam*, inquit Tertullianus, *inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo*. Primùm quidem Tertullianus hoc loco non agit de differentia ordinis Eccleſiaſtici, quatenùs à plebe per ordinationem diſtinguitur, ſed de differentia conſeſſus Sacerdotum, ac plebis in Eccleſia, vt apertum eſt ex poſtremis illis verbis, quæ priora declarant. *Et honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo*. Tum etiam per alia, quæ hæc immediatè ſequuntur, addit enim: *vbi Eccleſiaſtici ordinis eſt conſeſſus, & offert, & tingit Sacerdos, qui eſt ibi ſolus*. Nam cùm de ordinatione agit, eum honorem non ab Eccleſiæ auctoritate pendere, ſed Dei ſanctificatione Sacerdotibus collatum eſſe apertè tradit. *Et honor*, inquit, *ſanctificatus à Deo*.

Porrò Eccleſiaſticum conſeſſum ordinis Sacerdotalis, & plebis, vt ſcilicet Sacerdotes ſuperiorem, plebs inferiorem in Eccleſia locum teneat, nemo ab ipſa Eccleſia diſpoſitum eſſe dubitat, cùm illius ſit, proprium cuique locum tribuere. Hic igitur verborum Tertulliani germanus, vt arbitror, eſt ſenſus, vt conſeſſus Eccleſiaſtici gradus diſpoſitionem inter ordinem Sacerdotalem, & plebem Eccleſiæ auctoritati tribuat. Honorem verò ordinationis ad Dei ſanctificationem referat.

Alium quoque ſenſum hæc Tertulliani verba ferre poſſunt, eumque legitimum, nimirùm, quòd duo ſint, quæ differentiam inter Paſtores, & plebem conſtituunt, nempè Eccleſiæ auctoritas, & honor à Deo inſtitutus, honor quidem, ac dignitas Paſtorum à Deo ſanctificata, ac inſtituta fuit, qua plebi ſuperiores eſſent, ac eidem præeſſent, hæc verò dignitas à Deo inſtituta, Eccleſiæ auctoritate confirmata fuit, ac per differentiam conſeſſus declarata.

Vides Cheironi, te tuæ cauſæ ex Tertulliano propriam necem accerſere, ac tecum pugnare Tertullianum, quem tibi Patronum adhibueras, neque enim aliud his verbis præ ſe fert Tertullianus, cùm ait honorem, qui per ordinatum conſeſſum Paſtoribus defertur, à Deo eſſe ſanctificatum, præterquàm quòd Paſtorum legitimè ordinatorum ſucceſſio, ac conſeſſus idcircò toti Eccleſiæ venerabilis eſt, quòd ea non ex hominum, ſed ex Dei inſtitutione, ac ſanctificatione manat.

Sed tertium argumenti cornu expendamus. [Sed & maius, inquit Cheironius, argumentum moueo, cuius auctor etiam mihi Tertullianus, immò ipſe Chriſtus.] Maiora polliceris, Cheironi, expecto, nam minima, ac leuiſſima ſunt, quæ hactenùs protuliſti, atque vtinam huius maioris argumenti is, qui ſe frequenter Chriſtum, & Angelum lucis ſimulat, auctor tibi non eſſet;

[Eccleſiæ, ait, illius, cuius nullus ordinis Eccleſiaſtici conſeſſus eſt, nulla ſucceſſio eſſe poteſt; ſed vbi tres, ait ibi Tertullianus, Eccleſia eſt, licèt Laici. Si verò abs te quærerem notam illius tripersonalis Eccleſiæ, ſucceſſionem non poſſes dare, Laici enim omnes.] Hactenùs illius verba ſunt. Expectabam, quid tumidi Cheironij montes maius parerent, at maius fateor mendacium pepererunt, maius item tum impietatis, tum imperitiæ ſignum eructarunt, quæ riſum potiùs, quàm admirationem pariant.

Quid eſt Cheironi? vix Tertullianum Eccleſiæ conſeſſum docentem protuliſti, mox eundem illum negantem obiectas, ſic inuitum illum ſibi ipſi contradicere cogis, at ſi ſecum ipſe pugnat, quo pacto eum tibi patrocinari putas? En maius, & apertius Cheironij mendacium. [Vbi tres, ait Tertullianus, ibi Eccleſia eſt, licèt Laici.] Sed non totam ibi Eccleſiam eſſe dicit, non perfectam, non integram. Malè igitur Tertullianum tractas, ac nobis obijcis, ſed Tertulliano omiſſo, rem ipſam expendamus.

Tripersonalem Eccleſiam ex ſolis Laicis conſtitutam nobis offert Cheironius, hoc caſu propoſito. Si tota Eccleſia periret, tribus tantùm Laicis in ea veris fidelibus relictis, vbi nam ſucceſſio eſſet, cùm ij tres Laici ſint, non Paſtores, quibus ſucceſſio debetur? Quis huius argumenti acumen non admiretur? quo priùs Paſtorum ſucceſsio ſublata ſupponitur, tum poſteà arguitur, vbi nam eſt ſucceſsio? At cur potiùs Cheironi Eccleſiam totam non expellis, vt liberiùs indè inferas, nulla Eccleſiam ſucceſſione teneri? maxima hæc tua impietas eſt, qua Scripturarum veritatem euertis, dum Eccleſiam Paſtoribus ſpolias, hac impietate aduersùs Paulum pugnas, qui Paſtores à Deo datos eſſe affirmat, vſque ad Orbis interitum, & conſummationem Sanctorum.

Hanc ipſam in Chriſtum extendis, qui Apoſtolis, qui vniuerſorum Eccleſiæ Paſtorum imaginem gerebant, ſe perpetuò vſque ad ſupremum Orbis occaſum adeſſe pollicitus eſt. [Ecce, inquit, ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.] Iam ſi Apoſtoli, atque adeò ipſe Chriſtus perpetuos Eccleſiæ Paſtores pollicentur, vt nunquam deſuturos affirment, tunc ita impiè Eccleſiam proſternis, vt omnes ab ea Paſtores auelli poſſe contendas? an non hac impietate, & Deum mendacem tibi fingis, mentitum Paulum, ac Spiritum Sanctum Scripturarum auctorem, vel inconſtantem, vel promiſſæ fidei fractorem tibi perſuades?

Quapropter impium, ac impoſſibile nobis obijcis Cheironi, cùm Laicalem tantùm Eccleſiam nobis conſtituis, non quidem quòd ipſa rei natura facto repugnet, ſed quòd ipſa Diuinarum promiſſionum ſtabilitas factum omninò tollat: quare minimè hanc Eccleſiam accipimus, immò verò illi cum tota Scriptura anathema dicimus. At verò lubet argumentum in Cheironium retorquere, qui veræ Eccleſiæ notam in veræ doctrinæ vſu conſtituit, nam ab illo quæro: ſi daretur illa tripersonalis Eccleſia, quæ Laicorum imperitorum eſſet, apud quos nullus eſſet veræ doctrinæ vſus, quiſnam illam ex vera doctrina Eccleſiam eſſe agnoſceret? vides Cheironi, dum nimis lynceus,

ceus, atque acutua videri vis, te tibi maiores tenebras offundere, quibus, & tua symbola sepelis.

Disce igitur, cùm Ecclesiam suis symbolis demonstramus, nos non Ecclesiæ partem, non imperfectam, non mutilam; sed totam, integram, perfectam, omnibus suis partibus constantem, qualis à Scripturis describitur, ostendere, quæ sanè tunc integra, ac perfecta est, cùm suis Pastoribus constat.

ARTICVLVS III.

An successio Pontificis sit necessaria.

BEatum Petrum à Christo Opt. Max. totius Ecclesiæ Pontificatum assequutum fuisse triplici illo præsertim oraculo Matt. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, tum eodem cap. cùm ait. *Et tibi dabo claues Regni cælorum. Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælis.* Et tandem Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his? Domine, tu scis, quia amo te. Pasce oues meas*, aliàs fusè demonstrauimus, cùm de vnitate capitis visibilis disceptaremus. Hoc igitur supposito tanquam certo, ac indubitato, modò demonstrandum superest; supremam hanc Petri in Ecclesia potestatem, ac Pontificatum minimè cum Petro extinctum fuisse: sed ad successores necessariò transijsse, ac proinde Pontificum successionem in Ecclesia non tantùm necessariam, verùm etiam ipso diuino iure institutam fuisse.

Primum igitur huius rei testimonium est, antiquissima ipsa Pontificum institutio, quæ non ab hominibus, sed à Deo in Ecclesia introducta fuit: nam cùm primùm in Adam Ecclesia inchoata fuit, exinde Pontificum successio effluere cœpit: nam quamuis ab ineunte illa Ecclesiæ ætate, Pontificum nomen priscis illis Patribus ignotum esset, quippe qui solo Patrum, ac Maiorum nomine contenti erant, vt satis apertè Scriptura testatur Deut. 32. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, Maiores tuos, & dicent tibi*, tum Dauid Psal. 43. *Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum*, &c. Attamen nulli fas est dubitare, rem, & munus Pontificum Patriarchas illos obijsse, cùm & oblationes Deo offerrent, & victimas immolarent; & legales benedictiones liberis impertirent; demùm, quæ Sacerdotalis muneris erant, supremo iure exercerent: quod Pontificium ius continuata successionis serie annuente Deo in primogenitos transfundebatur. At verò translata ab Ægypto in Palæstinam Synagoga; cùm legem, ac cœremoniales ritus Hebræus populus à Deo accepisset; tunc qui primatum Sacerdotij in Ecclesia gerebant, primùm Pontifices sunt appellati, sic dicti (vt ait Sceuola) à posse, & facere: eò quòd omnia, quæ ad sacra pertinerent, facere possent: & illius scitis facta omnia, tam priuata, quàm publica, ac sacrorum hominum congregationes subijcerentur. Horum nunquam interpolata successio, vsque ad Christum transmissa fuit, quorum integer cathalogus, & nulla ex parte corruptus, hactenùs extat apud Iosephum antiquit. lib. 20. cap. 8. & de bello Iudaico lib. 1. & sequentibus sparsim, quem auctor ille accuratè conscripsit, vnà cum Historijs Iudæorum, habita cuiusque successionis ratione: vnde constat Pontificum successionem iam olim in Patriarchis inchoatam, apud Hebræos summam ex Dei institutione, quæ clarior tunc emicuit, auctoritatem esse adeptam.

Cùm verò ad Christi tempora Hebræorum Synagoga peruenisset, noua sibi succedente Christi Ecclesia, noua quoque Christianorum Pontificum series à Deo instituta cœpit. Ac primus in hac Pontificis Sede Christus Opt. Max. Dei filius, Pontifex à Patre collocatur; ita attestante Psalmographo. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, & Paulo ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, &c.* Qui electo Petro suæ sedis successore, perpetuam, ac nunquam interruptam Pontificum successionem in Ecclesia esse voluit.

Huius rei fidem ex ipso Symbolo Nicænæ, ac Constantinopolitanæ Synodi accipere lubet; quas D. August. passim; immò ipsimet aduersarii, vnà cum duabus alijs Ephesina, & Chalcedonensi absque vlla exceptione recipiunt. Hæ siquidem Ecclesiam Apostolicam credendam proponunt; ea ratione, quòd ea ab Apostolis fundata, eam fidem, ac Religionem non casu, aut fortuna, sed legitima Pontificum successione, ac veluti hæreditario iure possideat, quam Christus Apostolis tradidit, quam etiam Ecclesia sub Apostolis constituta ab eisdem accepit.

Nam quo pacto Ecclesia Apostolica appellari posset, nisi ea ab Apostolis, præsertim à Petro Apostolorum vertice, per legitimam successionis lineam originem duceret? Hanc enim nunquam interpolatam Pontificum successionem declarat Christus illis verbis. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Neque enim illa verba ad Petrum dumtaxat referri possunt, quandoquidem vno Petro è medio sublato, Ecclesia defijsset, nec illorum sententia satisfacit, qui Petri fidem his verbis à Christo Ecclesiæ fundamentum appellari contendunt: nam licèt Petrus (vt alibi dicemus) ratione fidei fundamentum Ecclesiæ dici meruerit: attamen qui Christi verba perpendit, non fidei, sed Petro dictum audit, Super te ædificabo Ecclesiam meam: ita hæc verba exponunt Chrysostom. hom. 83. in Matth. Tertullianus de Pudicitia cap. 21. & Hieronymus ad cap. 16. Matth. atque alij plerique ita locum intelligunt: quò fit, vt non tam in ratione virtutis, quàm in ratione capitis, ac regiminis, Petrus Ecclesiæ fundamentum dici debeat; vt etiam sequentia verba demonstrant: illicò enim addit Christus. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Ijs enim clauibus, quibus Ecclesiæ potestas insinuatur, indicat Christus, non aliam ædificandæ in Petro Ecclesię rationem sibi fuisse, quam vt summum illi Ecclesiæ Pontificatum deferret. Porrò si Petro, non successoribus suprema hæc Ecclesiæ gubernandæ potestas tradita esset: eo cum sua fide extincto, quod-

nam

nam Ecclesiæ fundamentum reliquum esset? Petri fides, fortè dicent; quæ incolumis in Ecclesia viuit. At hęc non illius generis fundamentum est, quod Ecclesiæ præsit, sed alterius omninò, cui potiùs Ecclesia inniti debet: quapropter adhuc Ecclesiam in capite collabi necesse esset, ac illius ædificationem cessare, ac demum interire.

Quamobrem de perpetuo Petri successore hæc Christi verba intelligenda esse testantur Sergius Cyprius, qui 650. anno floruit epist. ad Theodorum Papam his verbis. [Firmamentum à Deo fixum, firmum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam sedem constituit. O sacer vertex, Christus Deus noster: Tu es enim sicuti veraciter diuinum pronunciat verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt, tibi & claues Regni cœlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatinè, quæ in terra, & quæ in cœlis sunt, promulgauit.]

Idem fatetur Ignatius Constantinopolitanus epist. ad Nicolaum, quæ habetur act. 3. octauæ Synodi his verbis. [Propter quæ dixit Petro magno, & summo Apostolorum. Tu es Petrus, & super hanc, &c. Tales enim beatas voces non secundùm quandam vtique sortem Apostolorum Principi solùm conscripsit, & definiuit; sed per eum ad omnes, qui post illum, secundùm illum efferendi erunt summi Pastores, & diuinissimi, sacrique Pontifices senioris Romæ transmisit.]

Hoc ipsum profitentur Nestoriani in Seleucia Parthorum, epist. ad Pontificem Romanum pro Patriarcha initiando Siud, siue Salaka Patriarcha Nestorianorum in professione fidei. Demum Gabriel Patriarcha Alexandrinus epist. ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, cui hic titulus inscriptus fuit. [Humilis Gabriel Dei gratia famulus sedis scilicet Marci in Vrbe Alexandrina Ægyptiaca, &c. salutem impertitur, atque osculum offert spirituale Patri domino Patrum Patri, Patriarcharum Principi, tertiodecimo Apostolorum gloriosi Domini nostri Iesu Christi, & quinto sanctorum Euangelistarum, & Sancti Petri Apostoli successori, Petri fidei super eius cathedra in magna Roma sedenti, cui data est à Deo potestas ligandi, atque soluendi, cuius mentio fit in Euangelio cùm dicit. Tibi, ò Petre, dedi claues regni cœlorum; Tu enim loco eius constitutus, & successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque corona capitis nostri Dominus Papa Clemens VIII.] Ex his constat ex vniuersali penè omnium consensu hæc Christi verba. *Tu es Petrus*, &c. ad singulos Petri successores referri debere, quorum legitimam successionem Christus his verbis complectebatur.

Hanc Pontificum successionem à Christo institutam docent verba ipsa Saluatoris Ioan. 21. *Pasce oues meas*, quæ non Petro singulariter dicta; sed singulis Pontificibus Petri successoribus congruere, tradit D. Bernardus de Consid. ad Eugenium Papam lib. 3. cap. 8. [Age, inquit, indagemus adhuc diligentiùs, qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei: quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij cœli Ianitores, & gregum Pastores: sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti; habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec modò ouium, sed & Pastorum, tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini: Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas.] Hæc Bernardus.

Quod etiam cognata ratio suadet. Nam Christus Petrum ordinarium Ecclesiæ Pastorem instituit: quod inde manifestum est, quia Ecclesia semper est ouile Christi, idcircò ordinario semper Pastore indiget: sed quæ ordinaria sunt, tamdiu perpetua esse oportet, quamdiu ipsa rei necessitas exigit. Cùm igitur Ecclesia tanquam Dominicus Grex semper Pastore indigeat: perpetuus verò Pastor esse non possit, nisi perpetua, ac ordinaria sit Pontificum successio: hinc perspicuum est, perpetuam Pontificum successionem in Ecclesia, velut necessariam à Christo fuisse institutam. Vide Chrysostomum lib. 2. de Sacerdotio, optimè de hac re disserentem.

Præterea si Clauium potestas, qua & soluere, & ligare, & mandatas sibi oues pascere, Petro commissum fuit, cum Petro expirasset; quandoquidem hoc ipsum de potestate cæteris Apostolis collata sentiendum est, nulla omninò in Ecclesia potestas relicta esset. Cur igitur alios præter Apostolos Pastores nominamus? Quid Timotheum, quid Titum, quid Linum, Cletum, Clementem, ac cæteros Episcopos, ac Pontifices commemoramus; quibus nullum aut Episcopale, aut Pontificium ius in Ecclesiam esset? vnde nobis post hos, tot Ecclesiarum Episcopi, ac Pastores? Ignatius Antiochiæ, Polycarpus Smirnensium, Irenæus Lugdunensium, Cyprianus Carthaginensium, Athanasius Alexandrinorum, Chrysostomus Constantinopolitanorum, Augustinus Hipponensium, & alij penè innumeri, quos Ecclesia Episcopos veneratur, Episcopi nomen reliquerunt. Quo tandem iure Lutherani, ac Caluinistæ Pastorum munus sibi vendicant, si tota Ecclesiæ potestas cum ipsis Apostolis extincta est? Planè nimis iniquo iure se Ecclesiarum Pastores venditant, si nulla in Ecclesia Pastorum successio ordinaria instituta est. Porrò licèt ijs iniquum semper ius sit, cùm Ecclesiastica successione careant: Porrò tamen ita clauium potestas tradita est, ac pascendi Dominici gregis cura demandata, vt illud etiam ius ad illius legitimos successores transmigrauerit.

Hinc cùm Petro singulari priuilegio dictum fuit. Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Quo Pontificale indeficientis fidei priuilegium insinuantur: protinus additur. *Confirma fratres tuos*. Haud alia (vt arbitror) ratione, quàm vt Petrum, ad publicam Ecclesiæ confirmationem perpetuò in docenda fide integrum fore declararet.

At

At certè nulli dubium est, quin Ecclesia semper hac confirmatione indigeat, cùm fides, qua singula Ecclesiæ membra subsistunt, labilis sit, & facilè diffluat: quamobrem Christus, vt Ecclesiæ fidei consuleret, perpetuum nobis Petrum fidei confirmatorem reliquit; non quidem persona, sed potestate; Pontificem nimirùm, qui Petri priuilegio, atque auctoritate munitus, alterius Petri instar confirmandorum fratrum curam sibi demandatam habet: quod sanè fieri nullo modo posset, nisi perpetua in Ecclesia Pontificum successio seruaretur, qui Petro legitimè succederent.

His, & alia ratio accedat, quòd duplicem inter alios finem agnoscimus, propter quem Christus Ecclesiæ Pontificatum Petro contulit. Primus est, vt ipse in Ecclesia præsens, ac quodammodo visibilis in visibili Pontifice semper esset, cui omnes tanquam præsenti Christo obtemperare deberent. Cùm enim Christus, qui visibilem olim in Ecclesia Pontificatum gessit, Pontifex tamen in cœlo esse non desinat, tametsi inuisibilis; idcircò visibilem sibi Pontificem subrogare voluit, vt in eo vniuersi, quasi visibilem illius præsentiam contemplarentur: & dum Pontificem vicaria Christi potestate in Ecclesia fulgentem cernunt, velut præsentem illius potestatem suspicerent. Alter quoque finis fuit, vt Ecclesiam suam in maxima, quoad fieri posset, vnitate contineret, vnitas verò tunc maxima, ac perfecta agnoscitur, cùm vniuersa Ecclesiæ membra, non tam inter se, quàm sub vno omnium capite Christi Vicario, ac successore, atque indè Christo ipsi connectuntur: quam vnitatem docet Diuus Paulus ad Ephe.4.vbi Ecclesiam humani corporis membris comparat, quæ tunc summam, ac perfectam vnitatem nanciscuntur, cùm omnia sub vno capite colligantur. *Christus* (inquit Paulus) *caput est, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundùm operationem in mensura cuiusque membri augmentum corporis facit.* Nec obstat, quòd Paulus Christum, non Pontificem caput Ecclesiæ appellat: cui vniuersa illius membra connecti debeant: nam quemadmodùm in Rege Prorex continetur, nec priùs Regis imperio subijcimur, ac illi voluntate coniungimur, quam Proregi nos subiectos esse agnoscamus. Ità in Christo capite etiam Pontifex, qui ministeriale caput est, intelligitur, neque vllus Christo coniungi valet, nisi priùs Pontifici se subditum fateatur. Quapropter satis fuit, Paulo Christum, tanquam supremum caput fidelibus proponere, ne fortè aliquis Pontificem primum, ac absolutum caput in Ecclesia esse suspicaretur.

Sed quod Paulus mysterio subticuit, id palàm Cyprianus profitetur, primò quidem in libro de vnitate Ecclesiæ, vbi vnitatem Ecclesiæ cum Christo capite, ab vnitate eiusdem cum Pontifice exorsam docet. [Vt vnitatem, inquit, Christus manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno Petro incipientem sua auctoritate disposuit.] Tum etiam lib.1.epist.8. vbi etiam tacitè Caluini argumento occurrit, quòd habet instit. lib.4. cap.6. §. 10. his verbis. [Cur in illa commendatione vnitatis, postquam dixerat, vnum corpus, vnum spiritum, vnam spem vocationis, vnum Deum, vnam fidem, vnum Baptisma, non etiam continuò addidit vnum Summum Pontificem, qui Ecclesiam in vnitate contineat?] Cui respondet Cyprianus. [Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini vocè fundata:] quasi id cum Caluino disceptans annuere vellet. Quid Caluine Paulo detrectas, quòd vnum Pontificem addiderit? Si vnum Ecclesiæ corpus visibile credidisses, agnouisses profectò, illud sine capite visibili esse non posse: si vnum spiritum didicisses, eundem quoque didicisses, non nisi per visibile caput in visibilia membra defluere: si vnam spem vocationis tenuisses, ea cunctas Ecclesię oues sub vno visibili Pastore à Christo instituto congregatas ad vitam æternam vocari non negares; si vnum Deum agnosceres, supremum illius ministrum non abijceres: si vnam fidem coleres, ea tibi Petro, ac Pontificibus, quibus ligandi, ac soluendi potestas tradita est, obtemperandum dictaret. Demum si vnum Baptisma agnosceres, in eo te vnam Ecclesiam, ac vnum visibilem Ecclesiæ Præsidem Pontificem credidisse, meminisse deberes. Idcircò non addidit Paulus vnum Summum Pontificem, cùm in his omnibus occlusus contineretur.

Porrò hi fines perpetuò in Ecclesia militant, vt manifestum est: neque enim modò Ecclesia minùs, quàm antea Christi præsentia, quæ in visibili Pontifice exhibetur, indiget: neque eam minori, quam olim capitis vnitate contineri opus est: quò fit, vt eadem finis necessitate manente, eadem semper media integra subsistant, & tam Ecclesiæ necessaria sit perpetua Pontificum successio, quàm ipsa Christi præsentia, ac perpetua vnitas in Ecclesia ab omnibus necessaria agnoscitur.

Hanc igitur perpetuam, ac nunquam interruptam Pontificum successionem, satis (vt arbitror) demonstratum est; Deo institutore in Ecclesia collocatam fuisse; ea potissimùm ratione, vt ea tantummodò vera Ecclesia, tum antiqua fides, atque auita Apostolorum Religio esse agnosceretur, quæ à Petro legitima Pontificum successione ad nos vsque perlata, iure sibi Apostolicum nomen vendicaret.

ARTICVLVS IV.

De necessaria Cardinalium successione.

POst diuinam Pontificum successionem, sequitur explicandum, quo iure, quaue ratione Cardinalium successio, qui illustrissima post Pontificem in Ecclesia dignitate fulgent, instituta sit. Ac primùm quidem in ipso vestibulo inter aduersarios nobis occurrit Caluinus, qui lib.4. instit. cap.7. §.30. Cardinalitiam dignitatem quadrupliciter insequitur: primò enim nomen, deindè munus ac officium, tertiò dignitatem, quartò auctoritatem conatur euertere: nam in primis Cardinalium nomen ante Gregorij tempora Ecclesiæ penitus ignotum fuisse dicit. *Apud superioris sæculi Scriptores*, inquit, *nomen hoc non reperio.* Id verò eo consilio præstat, vt omnem Cardinalitiam dignitatem à diuina Christi institutione expungat. Secundò, vt

Car-

Cardinalium statum ab Ecclesia expellat, Cardinalitium munus, ac nomen omnibus Episcopis indistinctè tribuit. *Vt in summa*, ait, *nihil aliud sit Sacerdos Cardinalis, quàm Episcopus*. Tertiò, Cardinalem Episcopo minorem olim semper fuisse tradit. *Video tamen*, ait, *fuisse tunc Episcopis minores, quos nunc longè antecellunt*. Postremò, vt omnem prorsus auctoritatem Cardinalibus eripiat, ijs nihil omnino veri, ac legitimi muneris in Ecclesia relinquit. *Verùm*, inquit, *qualescunque fuerint olim, quando nihil habent veri, ac legitimi in Ecclesia muneris, fucum dumtaxat, ac inanem laruam retinent*.

Sed hìc obiter in paucis his Caluini verbis totidem apertas contradictiones insinuare lubet, vt qua se inconstantia mendacium prodat, cunctis manifestum sit. Primùm Episcopos omnes Cardinales esse apertè docet, quod tamen mox recantat, cùm ait: Cardinales Episcopis esse inferiores. Deindè Cardinalibus Episcoporum officium in Ecclesia tribuit; qui tamen postremò ait, Cardinalibus nullum verum, ac legitimum esse in Ecclesia munus. Placet etiam tertiam contradictionem subnectere: vbicunque nomen de Episcoporum, ac Presbyterorum differentia agit, pares illos potestate omnino efficit. Hìc disertè Presbyteros tam Romanæ Ecclesiæ, quàm cæterarum Ecclesiarum Episcopis velut inferiores subijcit. [Hìc certè Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, ait, ab alijs minimè discernit, sed omnes ex æquo postponit Episcopis, idque eò vsque fuit obseruatum, vt in Concilio Carthaginensi cùm duo adessent Legati Romanæ Sedis, vnus Episcopus, secundus Presbyter, hic in vltimum locum reiectus fuerit:] neque id referendo, sed probando assumit, vt Cardinales Episcopis inferiores esse confirmet.

Quartum addit illustrissimus Bellarminus tom. 1. controu. 4. gener. lib. 1. cap. de Cardinalibus. Nam Caluinus primum miratur Cardinalium tam repentinam amplitudinem. [Nescio, inquit, qui factum sit, vt ita subitò in tantam amplitudinem emerserint: tum paulò post: nunc adeò mutata sors est, vt facti sint Regum, ac Cæsarum cognati.] Mox verò vertiginoso contradictionis spiritu arreptus, viles, ac contemptibiles in Ecclesia esse tradit. [Impleri, inquit, in illis oportuit, quod de talibus ait Malachias. Vos recessistis de via, & offendere fecistis in lege plurimos; propterea ecce ego dedi vos contemptibiles, & viles omni populo.] Si ad summum dignitatis, atque amplitudinis fastigium creuerunt (vt indè optimè colligit Bellarminus) quomodo viles, ac contemptibiles in Ecclesia dici possunt?

Sed, vt Caluino, ac cæteris aduersarijs, quibus Cardinalitia, sicut & Pontificia dignitas inuisa est, occurramus; duo explicanda sunt. Primum, Cardinalium institutio, secundùm, eorum in Ecclesia dignitas, ac officium.

Quod ad institutionem pertinet; non satis Caluini impudentiam demiror, qui Cardinalium nomen ante Gregorij tempora in Ecclesia ignotum fuisse tradit; cùm ante illa tempora notissimum fuisse constet, primum ex Concilio Rom. 2. sub Symmacho, qui vno sæculo Gregorium præcessit, vbi tam Presbyteri, quàm Diaconi Cardinales Concilio subscribunt. Rursùs in Romano tertio sub eodem Symmacho nominantur, vbi cap. 6. Cardinalibus prohibetur Ecclesiæ suæ bona, & possessiones alienare. Ante Symmachum Cardinalium mentionem facit Conc. Rom. 1. sub Syluestro, qui Symmacho, altero sæculo prior fuit. Floruit enim Syluester in Pontificatu circa annum Domini 314. in quo Concilio ita statuitur. *Non damnabitur Presbyter Cardinalis, nisi 44. testibus*. Ante Syluestrum Stephanus I. qui Pontificatu functus fuit anno Domini 255. apposito nomine Cardinales commemorat, vt patet ex Gratiano dist. 79. cap. Oportebat. [Oportebat, ait, vt sacrosancta Romana Ecclesia, iuxta quod à B. Petro, & eius successoribus institutum est, ritè ordinaretur, vt in Apostolatus culmen vnus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus consecraretur.] Hinc crassissimum Caluini mendacium apertissimè detegitur, qui ante Gregorij tempora inauditum fuisse Cardinalis nomen ausus est asserere, quod tamen tribus antè sæculis Ecclesiæ familiare erat.

Præthereà ex hac Stephani I. auctoritate postremò relata colligitur, quòd quamuis ante hunc Stephanum fortè Cardinalium nomen non legatur, illorum tamen institutio ab Apostolis profecta fuerit. Cùm enim in ea affirmetur, id Ecclesiam à D. Petro accepisse, vt decentiùs vnus ex Cardinalibus in Pontificem eligeretur, sanè consequens est, vt Cardinalium dignitas iam ab ipsis Apostolorum temporibus instituta esset: tametsi fortè nondum Cardinalis nomen tunc vsurparetur. Enimuerò, vt colligit Polydorus Virgilius lib. 4. de rerum inuentoribus cap. 9. Cardinalium institutio à temporibus Apostolorum exorsa est, licèt Cardinalium nomen tunc expressum non fuerit, nisi sub nomine Presbyterorum, vel Diaconorum Romanæ Ecclesiæ.

Porrò Apostolos id à Spiritu sancto accepisse, vel Senatum quendam Seniorum instituerunt, qui Pontifici in grauioribus Ecclesiæ negotijs sedulò assisterent; satis Scripturis consentaneum videtur. Id enim, & Moysem olim Deo ipso iubente præstitisse exploratum est, Num. 11. Is enim cùm grauissimo populi onere olim premeretur, neque solus tam ingens populi iudicandi pondus sustinere posset; Deum sibi imperantem audiuit. *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris*. Hoc ipsum, & Apostolos, vel ex Christi mandato, antequam in cœlum ascenderet, sibi impositum: vel à Spiritu sancto edoctos, præstitisse credendum est, qui cùm grauissimum totius Ecclesiæ pondus vnius Pontificis humeris incumbere non ignorarent, quod sanè tantò grauius erat, quantò Ecclesia per totum Orbem longè latèque diffusa, vnius populi Synagogam latitudine, & amplitudine præcellebat: quò faciliùs non tam priuato Pontificis commodo, quàm publicæ totius Ecclesiæ vtilitati proui-

de-

derent, partim ex antiqua, partim ex annua Dei institutione illustrissimum Seniorum Ecclesiæ Patrum collegium, velut alterum Sauhedrim erexerunt, quod post Apostolos Patres Cardinalium, idcircò nomine appellarunt: quòd hi velut solidissimi, validissimique Ecclesiæ cardines, sanioribus consilijs Christianum populum, vnà cum Pontifice moderarentur.

Quamquam, & aliam huius appellationis causam assignat Polydorus Virgilius eodem loco: is enim sentit eam nuncupationem ab Ecclesijs, ac Diaconijs quibusdam Romæ principalibus ortam fuisse; quas velut cæterarum cardines Euaristus primus in titulos erexit, ac Romanæ Ecclesiæ Presbyteris, ac Diaconibus diuisit: quos titulos Cardinales non multò post Marcellus primus certo numero limitauit, decreto statuens, ne quintum, ac vigesimum numerum excederent. Atque eò velut ad Diœceses quasdam confinebant, quotquot ex Gentibus ad Baptismum veniebant: hinc Cardinales illos solos appellatos fuisse censet, qui his titulis præerant: quam sententiam etiam amplectitur illustrissimus Bellarminus tom. 1. Controu. 4. gen. lib. 1. de Cardinalibus, vbi probat Cardinalis nomen primum loco impositum fuisse, tum à loco ad personas deriuatum: idque confirmat ex Concilio Meldens. cap. 54. vbi de titulis Cardinalibus mentio fit, & ex Ioan. Diacono in vita S. Gregorij lib. 3. cap. 11. vbi ait. [Cardinales violenter in Parochijs ordinatos forensibus in pristinum cardinem Gregorius reuocabat, id est, in Cardinalem titulum.] Atque hanc sententiam, vt communiorem, ita veriorem existimo: tametsi nec inficier, illos ita etiam appellari solitos, quòd inter alios principales, ac illustriores in Ecclesia sint, quorum consilio, ac prudentia tota Ecclesia regitur, ac gubernatur.

Cum igitur Cardinalium institutio Apostolica sit, nemini dubium esse potest, quin eorum successio à Christo ordinata fuerit: vt hi scilicet Apostolis (vt sentit Claudius Parisiensis in suo tractatu de origine Cardinalatus) in ea muneris dignitate succederent, qua Petro in Orbis totius regimine coadiutores erant. Triplicem enim statum Apostolos fortitos fuisse, ex eorum actis manifestè constat.

Primùm namque cœlesti vocatione ad Christum adducti, quæ Ecclesiæ erant, Christo auctore, & magistro, sedulò curabant. Christo verò in cœlum sublato, cùm Ecclesiasticarum rerum summa Petro, velut vniuersalis Ecclesiæ Pastori commissa esset: alterum status gradum nacti sunt: quandoquidem, antequam latissima Orbis spatia peragrarent; Petro velut Ecclesiæ Cardines assistentes, cùm eo Ecclesiæ regimini assiduè incumbebant, atque eidem muneri etiam ab eo disiuncti sedulò inuigilabant. Demùm cum impellente spiritu, ac vrgente Christi mandato, quisque ad eas Orbis plagas Christi fide imbuendas se contulisset, quæ dara sorte illi obtigerant: protinus singulari illarum cura oneratus, quæ suæ prouinciæ erant, excogitare cœpit: huic triplici Apostolorum statui, partim Cardinales, partim Episcopi succedunt.

Primo, & secundo Cardinales egregiè respondent: cùm enim eorum consilio vniuersa ferè, ac grauiora Ecclesiæ negoria tractentur, atque hi ita Summo Pontifici assideant, vt non solùm omnem industriam, omniaque studia ad Ecclesiæ splendorem conferant: verùm, & eorum sententiam in ancipiti rerum statu Summus Pontifex expectet; haud dubium est, quin primi, & secundi Apostolorum status officia ab ipsis honorificè gerantur: quare dubitandum non est eos successione à Christo instituta legitimè Apostolis succedere.

Hinc igitur Cardinalitia dignitas primas, ex Diuina institutione post Pontificem sedes accepit. Neque Caluino mirum videri debet, quòd ea in tantam amplitudinem emerserit: quandoquidem, & Dei institutio, & Hierarchicus ipse Ecclesiæ ordo id poscebat, vt Pontifex, qui supremum ius in Ecclesia exercet, sacrum sibi Cardinalium Senatum adiunctum haberet: quorum ope, & consilio in Ecclesia administranda vteretur: vt dum reliqui Episcopi Apostolorum in tertio statu successores proprio gregi pascendo incumbunt; hi Summo Pontifici grauissimè ad Ecclesiæ gubernacula laboranti propiùs assisterent, neque vnquam ab illius latere discederent.

Quo sanè, haud incommodè deduci possunt illa Ioann. Apoc. 4. visionis verba. [Et ecce, inquit, sedes posita erat in Cœlo, & supra sedem sedens, & in circuitu sedis sedilia vigenti quatuor, & super thronos vigenti quatuor seniores sedentes, amicti stolis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.] Cùm enim Ecclesia militans non ineptè cœlo comparetur, tum ob fidei serenitatem, tum ob spei altitudinem, qua ad cœlestia pertingit, tum ob ardentes, ac inflammatos charitatis ignes, quibus in Deum tendit: demùm ob perpetuum veritatis splendorem, quo fœliciter illustratur, vt exponit S. Greg. hom. 11. in Euang.

Prima quidem sedes, quæ in hoc ecclesiastici cœli fastigio erecta conspicitur, Pontificij throni typum gerit, in quo Pontifex Summus Christi Vicarius Dei locò sedet. Porrò in circuitu huius throni Cardinales, tanquam Seniores, ac Pontificis à latere Consiliarij, proxima post illum dignitate affulgentes proprias sedes sibi vendicant. Quam ob causam Leo 9. epist. contr. Michaelem Constantinopolitanum, & Leonem Æridanum Episcopos cap. 10. restatur Constantinum Magnum Pontifici, ac Cardinalibus Imperialia ornamenta concessisse his verbis. [Indè factum est, inquit, vt Constantinus Magnus concesserit Summo Pontifici omnia imperialia ornamenta, coronam, mithram, lorum, sceptrum, & omnem Imperialis potestatis gloriam: & omnibus Cardinalibus Reuerendissimis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus illud culmen singularis potentiæ, ac præcellentiæ tribuit, cuius Senatus videtur gloria adornari, id est, patricios, atque consules effici: necnon, & cæteris dignitatibus Imperialibus decorari, quibus vsque in præsens tam Summus Pontifex, quàm Cardinales priuilegijs perfruuntur.]

Quamobrem non frustra Cardinales amicti stolis, ac diademate coronati describuntur. Hoc enim non tam Imperiali, quàm di-

uino

nino priuilegio freti, Eccleſiæ Principes iuxta Propheticum vaticinium conſtituuntur. Pſal. 18. *Conſtitues eos* (inquit Dauid) *Principes ſuper omnem terram*: hinc, & Purpurati incedunt, & Epiſcopos dignitate antecellunt: nam licèt Epiſcopos, & quoad ordinis conferendi poteſtatem, maior ſit Cardinali tantùm Diacono, aut Presbyrero. Poteſt enim Epiſcopus Presbyreros ordinare, baptizatos confirmare, atque alia Epiſcopalia munia obire, quæ Cardinalis non Epiſcopus exercere non valet. Tum etiam quoad iuriſdictionem, quam in proprio Epiſcopatu exercet, quæ certè maior eſt, quàm Cardinalium iuriſdictio in proprio titulo, quæ illa amplior non eſt, quam habet quilibet Parochus Epiſcopo ſubiectus in propria Parochia.

Verùm enim verò, quia ſoli Cardinales ad id munus electi ſunt, vt in vniuerſali Eccleſiæ regimine Pontificem adiuuent, neque vllum alicuius ponderis negotium ſine eorum conſilio à Pontifice in Eccleſia geritur; imò, & ab ipſis Epiſcopi iudicantur, vt notat Eugenius IV. in epiſt. ad Archiepiſc. Cantuarienſem, & D. Bernard. lib. 4. de conſider. ad Eugenium Papam. Hinc Cardinales, & loci, & dignitatis excellentia Epiſcopos antecellunt.

Cęterùm quod ad Cardinalium munus ſpectat, quod in Eccleſia exercent, hactenùs de eo non nihil attigimus. Primum enim, ac potiſſimum, vt diximus, illorum munus eſt, Pontificem in Eccleſia regenda conſilio, & induſtria adiuuare. Hoc enim Cardinalis ab Epiſcopo munere differt. Nam Epiſcopo propriæ Eccleſiæ, ac Diœceſis tantummodò cura demandata eſt: nec ij Pontifici prǽterquam in generali Concilio aſſiſtunt. Cardinalibus verò non vnius, vel alterius Eccleſiæ, ſed omnium Eccleſiarum ſollicitudo, ad Pontificis leuamen ex officio incumbit, qui quotidianam Pontifici in tota Eccleſia adminiſtranda operam adhibent. Hinc D. Bernardus lib. 4. de conſider. ad Eugenium Papam de Cardinalibus agens. *Veniamus*, inquit, *ad collaterales, & coadiutores tuos: hi ſeduli tui, hi intimi tui*. Quo titulo etiam Conſtantius, & Concilium Baſileenſe Cardinales proſequitur, dum illos Pontificis conſules, ac collaterales appellant, vt ſuperiùs dictum fuit.

Alterum quoque Cardinalium munus eſt, Summum Pontificem eligere, quod quidem ſiue ex delegata aliqua poteſtate, aut humano priuilegio, ſiue ex Apoſtolica inſtitutione acceperint, planè ita illis proprium eſt, vt Epiſcopis etiam in Concilio congregatis nullum ius eſſe videatur Pontificis eligendi, niſi Cardinalium conſenſus adſit: quod res ipſa loquitur. Nam in Concilio Romano ſub Nicolao II. cap. 2. & vlt. quod allegat Gratian. diſtin. 79. cap. Si quis, omnis Papæ electio, quæ à Cardinalibus non fit, irrita declaratur. [Si quis, inquit, pecunia, vel gratia humana, ac populari tumultu Apoſtolicæ Sedi ſine concordi, & canonica electione Cardinalium eius Eccleſiæ, ac deinde ſequentium Clericorum Religioſorum inthroniazatur, non Papa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur: liceatque Cardinalibus, & alijs Clericis Deum timentibus, & alijs inuaſorem illum anathematizare, & humano Concilio à Sede Apoſtolica pellere.] Et in Concilio Lateranenſi, vbi Epiſcopi conuenerant, Iulio ſecundo è viuis ſublato; non Epiſcopi, aut Concilium, ſed ſoli Cardinales Leonem X. Pontificem creant, nec Concilio, nec Epiſcopis reclamantibus: quod ſanè apertum eſt teſtimonium, ius eligendi Pontificem Cardinalibus eſſe proprium, & peculiare: nam ſi ex D. Petri, & ſucceſſorum inſtitutione manat, vt ex Cardinalibus, qui Pontifices creandi ſunt, aſſumantur (vt ſuperiùs ex Stephano I. probatum fuit) æquum ſanè fuit, vt eodem Apoſtolico iure Cardinales Pontificis electores eſſent.

Cęterùm multa, quæ de forma electionis Summi Pontificis à Cardinalibus obſeruanda, de iuramento, quo Cardinales exiſtentes in Conclaui debent adſtringi, de victu Cardinalium in Conclaui, de iuramento, quod illi Pontifici electo præſtare debent, cùm noſtri inſtituti operis non ſit declarare, ea peti poſſunt, partim ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 40. partim ex conſtitutione Clementis VI.

Poſtremò, quæ ſint Cardinalium munera, declarat iuramentum, ac profeſſio Cardinalium, cùm ad Cardinalitiam dignitatem à Pontifice promouentur: cuius profeſſionis forma habetur in Concil. Baſileenſi his verbis concepta. [Ego N. nuper aſſumptus in Sancta Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ab hac hora in antea ero fidelis Beato Petro, vniuerſalique, ac Romanæ Eccleſiæ, ac Summo Pontifici, eiuſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus: laborabo fideliter pro defenſione fidei Catholicæ, extirpationeque Hæreſum, & errorum, ac ſchiſmatum, reformatione morum, ac pace in populo Chriſtiano. In alienationibus rerum, ac bonorum Eccleſiæ Romanæ, aut aliarum Eccleſiarum, & beneficiorum quorumcunque non conſentiam, niſi in caſibus à iure permiſſis; & pro alienatis ab Eccleſia Romana recuperandis pro poſſe operam dabo. Non conſulam quicquam Summo Pontifici: nec ſubſcribam me, niſi ſecundùm Deum, & conſcientiam meam: quæ mihi per Sedem Apoſtolicam commiſſa fuerint, fideliter exequar, cultum Diuinum in Eccleſia tituli mei, & eius bona conſeruabo, ſic me Deus adiuuet, &c.]

Atque hinc tres illi poſtremi Caluini errores initio propoſiti apertè refelluntur: primus quidem, quo Cardinalium munus, ac nomen ab Epiſcopali officio, ac titulo non differre contendit: quod planè ſicut ante hac inauditum fuit, ita à Caluino impiè ad Diuina munera in Eccleſia euertenda excogitatum agnoſcitur; præſertim cùm nullo id auctore, aut teſtimonio probet.

Porrò, is error apertè confutatus fuit, cùm Cardinalitiam dignitatem, eo ab Epiſcopali differre Patrum teſtimonijs demonſtrauimus, quòd hæc propriæ duntaxat Eccleſiæ curæ incumbat, illa verò in vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem ſeſe extendat.

Repellitur deinde ſecundus error, quo Cardinales Epiſcopis inferiores audet aſſerere: cùm ex his, quæ diximus, apertè conſtet, illos eò longè Epiſcopos dignitate antecellere, quò vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio, vnius Diœceſis curæ præfertur.

Ex his tandem poſtremus impudentiſſimus illius error exploditur, dum nullum

Cardinalibus in Ecclesia legitimum munus obeundum relinquit: siquidem præstantiora, & excellentiora Ecclesiæ munera (vt visum fuit) illis post Pontificem ipso Diuino iure Apostolis commissa creduntur.

Quapropter. vt quæ Diuinæ, ac illustrissimæ huius successionis ornamenta sint, paucis verbis perstringam. Sciant profectò illustrissimi Cardinales se eminentiori Apostolorum statui, ac dignitati succedere, ac propterea Mundi cardines, Orbis vniuersi Iudices, Ecclesiæ Principes, non immeritò appellari.

ARTICVLVS V.

De necessaria Episcoporum successione.

CÆterùm ad veræ Religionis symbolum demonstrandum, legitimam quoque Episcoporum successionem pertinere ita certum est, vt nulla vnquam vera Religio esse potuerit, quæ Pastoribus, aut Episcopis careret, quibus alendi gregis cura demandata esset. Quare non immeritò Cyprianus lib. 4. epist. 9. Ecclesiam plebem Episcopo adunatam appellat, & Hieronymus contrà Luciferian. *Ecclesia*, inquit, *non est, quæ non habet Sacerdotes*. Nec vlli vnquam dubium fuit, quin Episcoporum successio, tanquam veræ Religionis symbolum, in Ecclesia à Deo instituta fuerit: cùm & Episcopos à Christo ordinatos, & ad Ecclesiæ administrationem à Spiritu sancto vocatos esse, ex sacris literis apertissimè constet.

Id enim testatur Paulus 1. Cor. 12. *Et quosdam quidem*, ait, *posuit in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetos, tertiò Doctores, deinde virtutes*, &c. & ad Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum*, &c.

Nam quemadmodum in regni administratione fieri solet, vt ad dispertiendas rerum curas, Rex Magistratum instituat, cuius ope, & consilio totum deinde Reipublicæ corpus regitur, quod quidem non ad vnius, aut alterius Senatoris vitam vsque definiri oportet: sed diuturnum, ac perenne perpetua Senatorum, ac Prætorum successione esse debet. Hoc sanè pacto mysticum, ac spirituale Ecclesiæ regnum Deus administrat: in quo cùm Pontificem, velut Regem constituerit, penes quem supremum Ecclesiæ ius, ac rerum omnium summam residere voluit, ad illius labores subleuandos Magistratum illi perpetuum adiunxit. Ille quidem primùm ex Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Pastoribus, ac Episcopis inter ipsa Ecclesię initia collectus fuit, cùm omnibus Ecclesia adhuc paruula egeret: at ea iam adulta, ac per Orbem longè latèque dilatata, solus Episcoporum, ac Pastorum senatus relictus est, qui in partem sollicitudinis vocati, dum proprijs Ecclesijs sibi à Pontifice commissis quisque curandis incumbit, omnes quasi dispertito labore, communis Ecclesiæ administrationi operam nauant.

Huius verò sacri Magistratus institutio, quandoquidem non ad priuatam cuiusquam vtilitatem respicit, sed ad commune Ecclesię bonum, ad consummationem videlicet, ac perfectionem iustorum, qui ad vitam prælecti sunt, ordinatur; idcircò non temporalis, aut peremptoria censenda est: sed Episcopos propterea in opus ministerij, & sollicitudinis partem vocatos esse credendum est; vt perpetua, ac perenni illorum successione, Ecclesiæ corpus nunquam corrumpendum ædificaretur; quousque in virum perfectum transeat, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; quæ in cœlesti patria, Ecclesia ad Christum collecta, expectantur.

Quo sanè Pauli testimonio clarè constat, ipsam Apostolicam functionem, ac euangelizandi, pascendi, ac docendi potestatem, quæ ad Episcopos deuoluta est; cum ipsis, qui tum temporis erant, Apostolis, Pastoribus, & Doctoribus minimè expirasse: cùm necdum Sanctorum consummatio perfecta esset, nec Corporis Christi ædificatio perfecta periodum attigisset; sed immortali Episcoporum successione, vsque ad Orbis interitum protrahendam esse.

Verum illustriori testimonio idem Paulus Episcoporum successionem à Deo institutam confirmat Actorum 20. *Attendite*, inquit, *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*. Planè si quis à Paulo percontatus fuerit, quis Episcopos ad regendam Dei Ecclesiam passim per orbem constituerit: eum apertè docentem audit, hunc esse Spiritum sanctum, quandoquidem illius est charismata diuidere, ac Ecclesiasticas functiones singulis distribuere, atque Ecclesiæ splendori, ac vtilitati prospicere. Hac enim de causa orantibus discipulis, qui Antiochiæ morabantur, dixit Spiritus sanctus (vt legitur Actorum 13.) *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi illos*. Quale verò illud opus fuerit, ad quod illi Spiritu sancto euocati fuerant, constat profectò illud Apostolicum, ac Episcopale munus fuisse, quod non nisi à Spiritu sancto proficisci æquum fuit, vt ab eodem Episcoporum, quo Pontificum successio profecta intelligeretur.

At ne longiùs euagemur, idem esse Episcopale, & Apostolicum munus ex ipso Diuinarum Scripturarum testimonio perspicuum est: nam cùm Petrus de alio in locum Iudæ, qui ab Apostolatu defecerat, subrogando, ad coronam illam fratrum ferè centum viginti concionem haberet (vt habetur Actorum 1.) illa Psalmi auctoritate vsus est. *Et Episcopatum eius accipiat alter*: quo apertè demonstrat, eandem esse, & Apostolicam, & Episcopalem dignitatem; quò fit, vt cùm Matthias in Iudæ Episcopatum suffectus est, æquè Episcopus, ac Apostolus dici potuerit. Nam tametsi Episcopalis dignitas, ob Apostolatus excellentiam, ampliorem in Apostolis potestatem nacta esset: quàm eam, quam modò post Apostolos Episcopi exercent, idem tamen munus, & Episcopalis functio, quæ nunc Episcoporum est, priùs Apostolorum fuit, in ipsis à Christo instituta, vt disertè docet D. August. lib. 2. quæst. vet. & nou. testam. quæst. 97. *Nemo ignorat*, inquit, *Episcopos Saluatorem Ecclesijs instituisse. Ipse enim priusquam cęlos ascenderet, imponens manum Apostolis, instituit eos Episcopos, & ordinauit*. Quod

etiam

etiam ex ipso nominis etymo facilè demonstrari potest. Episcopi enim nomen (vt docet August. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 19.) Græcum est, atque inde deductum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam scilicet eorum gerens, *Epi* quippe (super) *scopos* verò intentio dicitur: vnde *Episcopin* aliud non significat, prætérquàm superintendere. Eandem etymologiam tradunt D. Hieronymus tom. 2. epistolarum epist. ad Euagrium, & D. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 6. *Quid aliud*, inquit, *interpretatur Episcopus nisi superinspector?*

Porrò hoc proprium Apostolorum munus fuisse, vt Christianis rebus superintenderent, ac velut Orbis Pastores, Christianarum ouium curam gererent, passim Scripturæ tradunt, & hactenùs non semel demonstrauimus; tum ex Matthæi vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. tum Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; vbi vniuersum hominum genus varijs superstitionibus confractum doctrina, ac prædicatione instaurandum illis tradit: quò fit, vt Episcopi tam nomen, quàm munus Apostolis conueniret.

Cùm igitur apud omnes in confesso sit, Episcopalem dignitatem à Christo Domino in Apostolis institutam esse; certè negari non potest, quin Episcoporum successio, quæ primùm in Apostolis exorta, deinde in Episcopos Apostolorum successores defluxit, diuinam originem sibi vendicauerit. Quod non obscurè Petrus ipse Act. 1. declarat, nam cùm ibi ait, à Spiritu sancto decretum esse, vt Episcopatum Iudæ accipiat alter; planè hoc ipso demonstrat, Episcopatus dignitatem ipso diuino iure in alterum transfundi debere, ac proinde Episcoporum successionem à Dei institutione proficisci. Et quidem id fateri opus est: nam cùm D. Paulus Timotheum Ephesi, Titum Cretæ Episcopos ordinauit, quo iure hanc illis dignitatem contulisset, nisi Apostolicam Episcoporum successionem, ipso Diuino iure institutam agnouisset?

Id verò præclarè affirmant antiquissimi Patres. Clemens I. ep. ad Iacobum fratrem Domini hoc Petrum docuisse tradit his verbis. [Episcopos ergo vicem Apostolorum gerere, Dominum docuisse, & reliquorum discipulorum vicem tenere insinuabat Petrus, &c.]

Idem docet Anacletus I. epist. 2. ad Episcopos Italiæ circa medium, & epist. 3. D. etiam Hieronymus ad Marcellam scribens. [Apud nos, inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent.] Et ad Heliodorum epist. 1. [Absit, inquit, vt de ijs quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt.]

Idem sentit D. August. in Psalm. 44. explanans verba illa. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres*, inquit, *missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi*.

Postremò Irenæus hanc successionem disertè explicat lib. 3. cap. 3. vbi ita scribit. [Ab Apostolis constitutos esse in Ecclesijs episcopos, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum, & magisterium illis tradentes, ideòque omnia fidei mysteria illis patefacientes, vt in omnibus perfecti, & irreprehensibiles essent.] Hinc igitur perfectè colligimus, Episcopos veros esse Apostolorum successores, atque eorum successionem in Ecclesia Diuino iure esse institutam.

Hic tamen, ne ordo Apostolicæ huius successionis confundatur, tria notanda sunt. Primum, Apostolos quandam potestatem sibi propriam, ac extraordinariam à Christo accepisse, quæ ad Episcopos successores minimè transfundi debuit. Apostoli namque tametsi Petrum sibi, ac toti Ecclesiæ Prælatum à Christo institutum agnoscerent; tamen cum extraordinaria pro Christo legatione fungerentur, vniuersas Orbis Ecclesias sibi subiectas habebant: quò fit, vt in omnes Apostolicum ius exercere possent. Hæc igitur potestas, quandoquidem merè Apostolica erat, ac Apostolis specialiter delegata, cum Apostolis extincta est, neque ad Episcopos successores transijt. Quod etiam fatetur Caluinus Instit. lib. 4. cap. 3. §. 4. vbi verba illa Pauli ad Eph. 4. pertractans. *Et ipse dedit quidem in Ecclesia quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores*. Eos omnes, præter Pastores, & Doctores, quos ordinarium munus in Ecclesia habere sentit, cum suo munere expirasse docet, quod etiam confitetur Beza Confess. fid. cap. 5. sect. 24.

Secundo expendi debet; Cardinales, & Episcopos non æquè Apostolis succedere; nam cùm triplex in Apostolis status distinguatur, vt præcedenti articulo explicuimus, Cardinalium successio primum, & secundum sibi vendicat; cum ij Pontifici assistant, & cum eo vniuersalis Ecclesiæ curam gerant. Postremus tantùm Episcoporum est. Cùm enim Apostoli singuli singulas prouincias, quæ sibi sorte obtigerant, curandas suscepissent, eo Episcopale munus Episcopis sub successoribus imitandum reliquerunt, vt inde Episcopi agnoscerent, se Apostolico munere fungi, cùm reiectis temporalium rerum curis, sedulò proprio gregi curando inuigilant.

Tertium denique, quod aduersarios maximè vrget, obseruandum est, Episcopos non in sola ordinis, vt reliqui Sacerdotes, sed etiam iurisdictionis potestate Apostolis succedere. Ordinis verò potestatem eam dicimus qua Corpus, & Sanguinem Christi conficere, administrare, à peccatis absoluere, atque alia Sacramenta conferre valent; ac præterea docendi, ac prædicandi potestatem habent: quæ illis cum cæteris Sacerdotibus communia sunt. At iurisdictionis potestas ea est, qua Episcopus successione à Presbytero differt. Ea enim Episcopus propriam Diœcesim visitandi, Presbyteros corrigendi, ac alia Pastoralia, ac episcopalia munera obeundi proprium ius Apostolica successione sibi comparat. Quæ sanè præstantiora sunt, quàm vt ea simplex Sacerdos, nulla Episcopali dignitate præditus, efficere queat. Hæc ex Diuinis literis perspicua sunt: nam & Paulus Tito Episcopo mandat, vt ea, quæ desunt, corrigat, & constituat per ciuitates Presbyteros, & alibi Timotheum admonet, vt nemini citò manum ad illius ordinationem imponat; neque aliquam aduersùs Presbyterum, nisi sub duobus, vel tribus testibus, accusationem recipiat, vt hinc addiscere liceat, Epi-

ſcoporum ſucceſſionem in Eccleſia Presbyterorum ſucceſſione præſtantiorem eſſe; vt poſtea fuſiùs declarabimus in ſolutionibus ad argumenta aduerſariorum.

Hinc Clemens primus Conſtit. Apoſtolicarum lib. 2. cap. 26. Epiſcoporum ſucceſſionem ob vtramque, & ordinis, & iuriſdictionis adeptam poteſtatem præſtantiſſimam colligit, his verbis. [Qui Epiſcopus eſt, hic eſt miniſter verbi, ſcientiæ cuſtos, mediator Dei, & veſtrum in his, quæ ad Deum colendum pertinent: hic eſt Magiſter pietatis, & Religionis: hic eſt ſecundùm Deum Pater veſter, qui vos per aquam, & Spiritum ſanctum in adoptionem regenerauit: hic Princeps, & Dux veſter, hic veſter Rex, & præfectus: hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro frui debet. Epiſcopus igitur vobis præſideat, vt dignitate Dei cohoneſtatus, qua Clerum ſub poteſtate ſua tenet, & toti populo præeſt.] Quod etiam præclarè confirmat Cyprianus lib. 5. epiſt. 6. [Inde, inquit, per temporum, & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur.]

Poſtremò, quod ſit Epiſcoporum in Eccleſia munus, ac officium partim ex his, quę hactenùs dicta ſunt, non obſcurè percipi poteſt, partim illud vberiùs explicat Concil. Aquiſgranenſe 1. cap. 9. vbi allegat Iſidorum lib. 7. de officijs eccleſiaſt. cap. 6. [Epiſcopi, ait, ſpeciale officium eſt, Scripturas legere, percurrere canones, exempla Sanctorum imitari: vigilijs: ieiunijs, orationibus incumbere, cum fratribus habere pacem: nec quemquam ex membris ſuis diſcerpere, nullum damnare niſi comprobatum: nullum excommunicare niſi diſcuſſum: quique ita humilitate pariter, & auctoritate præſtabit, vt nec per nimiam humilitatem ſuam ſubditorum vitia conualeſcere faciat: nec per immoderatam auctoritatè ſeueritatis poteſtatem exerceat: ſed tantò cautiùs erga ſibi commiſſos agat, quantò duriùs à Chriſto iudicari formidat.] Hæc quidem partim ad priuatam Epiſcopi, partim ad publicam gregis vtilitatem ſpectant: ſed ea quæ Clemens I. lib. 2. conſtit. Apoſtol. cap. 21. prior tradit, proprium Epiſcopi, in grege adminiſtrando munus attingunt. [De omnibus, inquit, Epiſcope ſollicitus eſto: ne quis propter te ſcandalum paſſus pereat: Laicus enim de ſolo eſt ſollicitus, tu autem de omnibus, vt qui maius ius habes, & grauius ſuſtines pondus, ſcriptum eſt enim, & dixit Dominus ad Moyſem, & Aaron: accipietis peccata Sacerdotij quare tanquam de pluribus rationem redditurus, de omnibus curam ſuſcipe: ac ſanum quidem conſerua: peccantem caſtiga, & ieiunio afflictum releua: & ingemiſcentem recipe, omni Eccleſia pro illo rogante, manuque impoſita permitte deinde eum eſſe in ouili. Somnolentos autem, & inertes conuerte, confirma, hortare, cura, ſciens quanta merces tibi parata ſit, cùm hæc facis: quemadmodum contrà, quantum periculum tibi immineat, ſi hæc negligas. Inquit enim de negligentibus populum Epiſcopis Ezechiel: væ Paſtoribus Iſrael, quoniam paſcebant ſemetipſos.] Ex his patet ſacram Epiſcoporum ſucceſſionem velut Diuino iure inſtitutam in Eccleſia neceſſariam eſſe, vt ea vera Dei Religio agnoſci poſſit.

ARTICVLVS VI.

De legitimo Epiſcoporum ſucceſſionis modo.

Reſtat de vera, ac legitima huius Apoſtolicę ſucceſſionis forma inueſtigandum, quonam modo ſcilicet Epiſcopi Apoſtolis in Epiſcopali dignitate ſuccedant; in hoc enim non minima controuerſia eſt inter nos, & aduerſarios; nam Caluinus Inſtit. lib. 4. cap. 5. §. 13. & 14. ex flagitioſa Epiſcoporum noſtrorum vita, ac ignorantia, quæ in ipſis obtendit, nullam apud nos eſſe legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem, neque ſucceſſionis modum colligit: ità enim ſcribit.

Dicant igitur, qua ratione velint haberi Epiſcopum, qui nullam officij partem minimo digito, vel in ſpecie ſaltem attingit; quem Theodorus Beza facunda quadam, ne dicam canina, mordacitate imitatus eſt in confeſſione fidei cap. 7. ſect. 12. Eandem maledicentiam amplificat Philippus de Mornay lib. de Eccleſia cap. vlt. quam etiam auctore Luthero lib. cuius titulus inſcribitur.

Aduerſus falsò nominarum ordinem Epiſcoporum Lutherani omnes nobis obiectant. Neque alio potiori ad Epiſcoporum ſucceſſionem euellendam argumento vtuntur.

Nos verò, cùm Epiſcoporum ſucceſſionem hactenùs à Deo in Eccleſia inſtitutam, ac collocatam eſſe oſtenderimus (nondum enim Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum ſucceſſionem attingimus, quæ vltimo libro examinanda erit) legitimum quoque, ac Apoſtolicum huius ſucceſſionis modum nequaquam ſublatum eſſe: ſed perpetuò in vera Chriſti Eccleſia ſeruari; nonnullis aſſertionibus, quibus tota res meliùs explicari queat, in hoc articulo demonſtrabimus.

Sit igitur prima aſſertio contra aduerſarios. [Epiſcoporum ſucceſſio nullis ipſorum vitijs, aut criminibus, modò aduerſus fidem non militent, aut impediri, aut auferri poteſt.]

Huius aſſertionis probationem ſi à Caluino petere liceret, ità diſertum, & acerrimum illius patronum, ac propugnatorem perſpiceremus, vt vix aliud præterea, quę Inſtit. lib. 4. cap. 1. §. 13. & ſequentibus ad illius veritatem demonſtrandam colligit, afferri poſſe videatur.

Ibi enim longa diſputatione contra Anabaptiſtas tuetur, malos homines flagitijs ſuis Eccleſiaſticam dignitatem non tollere, id crebris Scripturarum teſtimonijs confirmat, Prophetas allegat, Iſaiam, Hieremiam, Ioel, Abacuch, qui Eccleſię Hieroſolymitanæ mores deplorabant, vbi furta, rapinę, perfidiæ, cædes, & ſimilia ſcelera graſſabantur: qui tamen propterea, nec nouam ſibi Eccleſiam erigebant, nec ab alijs Sacerdotibus ſacrificia exigebant, dùm apud eos Dominum Verbum

bum suum deposuisse, & cæremonias instituisse, quibus ab ijs coleretur, non ignorarent; Matthæum citat, qui Ecclesiam ex bonis, & malis permixtam docet; ex retis parabola, piscium omne genus colligentis; ex agri comparatione, qui bona fruge consita, zizanijs inimici fraude inficitur. Demùm ex areæ similitudine, in qua sic collectum est triticum, vt sub palea delitescat.

Paulum prætereà sibi testem accersit, qui Corinthios, apud quos feruebant contentiones, sectæ, æmulationes, habendi cupiditates, apud quos etiam proscindebatur Pauli nomen, idcircò non repudiat, quòd ministerium verbi, & Sacramentorum vsus à Pastoribus, licèt scelestis illis impertitus, apud eos manet et.

Augustinum affert lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. ità consulentem, vt misericorditer corripiant, quod possunt; quod non possunt, patienter ferant; & cum dilectione gemant, atque lugeant, neminem autem ob id ab Ecclesiastico officio sibi iniuncto expellant. Id quoque plurimis consilijs adhibitis suadet.

Denique palàm fatetur §. 19. Pastorum, ac Episcoporum vita, neque piam conscientiam lædi, nec salutaria Ecclesiæ mysteria impediri. [Fixum igitur, inquit, vtrumque istorum maneat, nihil excusationis eum habere, qui externam Ecclesiæ communionem sponte deserit: vbi Dei Verbum prædicatur, & Sacramenta administrantur: deinde nihil obstare, vel paucorum, vel multorum vitia, quominùs illic ritè cæremonijs à Deo institutis fidem nostram profiteamur: quia nec alterius, siue Pastoris, siue priuati indignitate læditur pia conscientia, nec minùs pura sunt, ac salutaria mysteria homini sancto, & recto, qua simul ab impuris attrectentur.]

Eadem docent Lutherani in Augustana Confessione, & in Apologia eiusdem artic. 8. & 14. Certè nihil hac doctrina salubrius ab aduersarijs dici poterat, si in ea fixi permanerent: sed cùm mox suam inconstantiam prodant, & quæ vix bene dixerant, continuò pugnantibus malè dictis auertant, non est cur ipsa quoque illorum bene dicta magni faciamus, aut ijs quicquam debeamus.

Assertionem nostram, qua ipsi premuntur, approbat ipse Christus apud Matth. 23. cùm ait: [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque, dixerint vobis seruate, & facite; secundùm verò opera eorum nolite facere.]

Grauissimo sanè argumento hic aduersarios vrgeo, Deus cathedræ Moysi legitimam auctoritatem, ac successionem vsque ad Christi aduentum seruauit; neque tamen id impedire potuit desperata illa Pharisæorum impietas, & quæ tunc passim in Scribis regnabat dissoluta viuendi licentia: vnde id, nisi quia sciebat deprauatis Pastoribus nequaquam cathedræ, ac dignitatis potestatem minui?

Qua igitur ratione Apostolorum cathedram, quæ in Episcopis perpetua successione in Ecclesia conseruari debet, delere credendum est, si eam interdum corruptis Episcoporum moribus labefactari contingat? [Super cathedram Moysi, ait Christus, sederunt Scribæ, & Pharisæi: ergo adhuc integra erat cathedra, adhuc incolumis successio post tot annorum centurias, neque, tametsi tot Scribarum, & Pharisæorum criminibus maculata, vnquam defecerat: quin etiam eam Christus venerari iubet, ac suscipi. [Omnia, inquit, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.]

Cur igitur Apostolorum cathedra desijt, falsis plerumque criminibus ab aduersarijs impetita? cur Episcoporum successionem Caluinistæ, ac Lutherani è medio sublatam volunt, quam eos potiùs venerari deceret?

Audiant Augustinum contra literas Petiliani; immò aduersus illos disputantem lib. 2. cap. 51. [Quare, inquit, appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicam; si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere; numquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt, cathedræ in qua sedebant, vllam facit iniuriam? nonnè illam cathedram Moysi commendauit, & illos serua-to cathedræ honore redarguit? ait enim; super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedram Apostolicam, cui non communicatis.] Hactenùs Augustinus.

Prætereà cùm Deus per Ezechielem c. 34. de malis Pastoribus conquereretur, ac diceret. [Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonnè greges à pastoribus pascuntur?]

Et infrà. [Ecce ego super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas.]

Et infrà. [Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.] Num Pastores, ac legitimam Pastorum successionem è Synagoga substulit?

Hæc verba fusiùs prosequens Augustinus lib. de Pastor cap. 10. [Quomodò, ait, auertit Deus Pastores malos, vt non pascant oues ipsius? Certè dum de talibus dicit, quæ dicunt facite; tamquam diceret, mea dicunt, sua faciunt: cùm ergo facitis, quæ dicunt, ego vos pasco: mea enim dicunt, & non faciunt: & quomodò dicunt ea, quæ sunt Dei? quia velint, nolint Pastores, vt ad lac, & lanam peruenian Verba Dei dicturi sunt.]

Certè si ob morum corruptionem Pastores ab officio expungerentur: Christus veritatis Magister illos de iustitiæ regula declinantes cauendos præciperet. Verùm tantùm abest, quòd eos à pastorali munere arceat, quòd potiùs eisdem parere, ac obtemperare iubet. [Omnia, inquit, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.]

Huic assertioni assentiunt vniuersi Patres. D. Cyprianus lib. 4. epist. 9. vbi tacitè aduersariorum illationi respondet.

Cùm enim ij Ecclesiam propter indignos Episcopos Episcoporum successione priuari volunt, eo ipso incertos in Ecclesia Episcopos, ac Pastores collocant, cùm incertum, ac ignotum sit, quinam digni haberi debeant.

Ità igitur ait Cyprianus. [Credere quòd

quòd incerti sunt, qui ordinantur Sacerdotes in Ecclesia Dei, quid est aliud credere, quàm quòd non à Deo, nec per Deum Sacerdotes eius in Ecclesia constituuntur? hoc est autem in Deum non credere, hoc est, rebellem aduersus Christum, & eius Euangelium existere.]

At Caluinus pro sua Hæreticorum licentia, cùm Reges otio torpentes, ac malè Regnum administrantes, à Regni Sede haud propterea expellendos sentiat: sed Regis honorem nihilominùs, ac titulum eos retinere iudicet. Episcopos, si quando otio vacent, ab Episcopatus gradu deiectos contendit: quasi verò Dei mandatum de Republica, ac Regno ritè administrando, non æquè Reges alliget, ac Episcopos de pascendis ouibus præceptum à Christo præscriptum.

Hoc ipsum contra aduersarios tuentur diuus Ambrosius super Psalm. 39. [Alia, inquit, sunt verba delictorum, alia Sacramenta salutis. Non præiudicant verba virtuti, suis viribus substantia diuina fulcitur: homo auditur, Deus in operibus cognoscitur.]

Chrysostomus homil. 2. in 2. ad Timoth. Hieronymus, Gregorius, & alij, qui idcircò huic Catholicæ nostræ assertioni subscribunt, quòd diuinam institutionem hominum vitijs tolli non posse sentiant: cùm enim Episcopalis, ac Pontificia dignitas inter gratuita Spiritus sancti dona à Paulo annumeretur, quæ hominem, nec meliorem, nec deteriorem reddunt, neque aliquo modo iustum efficiunt; planè constat eam sine hominis iustitiam esse posse; vt patet de Caipha, qui tametsi scelestus esset, haud tamen idcircò Pontifex esse desijt, aut Pontificio iure priuatus est: quinimmò de illo testatur Ioann. 11. quòd cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit; vt eo ostenderet Episcopale, ac Pontificium ius etiam in impijs manere: vnde exclamat Chrysostomus hom. 64. in Ioann. [Vides quanta sit Pontificalis potestatis virtus. Os tantùm gratia, non etiam scelestum cor attingit.] Ex his patet prima assertio.

Assertio secunda. [Ad legitimam Episcoporum successionem primùm necessaria est Ecclesiæ vocatio.] Id docet Paulus Hebr. 5. [Nemo, inquit, sibi vsurpat honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodùm, & Aaron.]

Neque enim Aaron seipsum Pontificali muneri iniecit, aut Moysi persuasit, vt eum Pontificia dignitate exornaret: sed cùm liber ab ea cupiditate esset, Deum se vocantem, atque his verbis Moysi mandantem audiuit: [Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungatur mihi. Quare, inquit Paulus eodem loco, ità & Christus non semetipsum glorificauit, vt fieret Pontifex, sed is, qui dixerat illi, filius meus es tu: ego hodie genui te, sicut & alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.]

Porrò si Christus supremus Ecclesiæ Pastor, ac Dominus, qui Pontificale ius in Ecclesia proprij Sanguinis profusione adeptus fuerat, hunc honorem sibi iusto titulo debitum, nullo pacto sibi arripiendum putauit, quò vsque à Patre vocatus, ab eo Pontifex constitueretur; an id alijs licebit?

Quod & Apostolorum exemplo confirmari potest: ij namque non nisi postquam à Christo vocati sunt, Apostolicum, ac Episcopale munus sibi vendicarunt. [Ascendit (inquit Marc. 3.) in montem Iesus, & vocat ad se, quos voluit ipse, & fecit vt duodecim essent cum illo, & mitteret eos prædicare.]

Quibus verbis tria, ad Episcopum constituendum requisita Euangelista commemorat, primum quidem est vocatio, cum ait. *Et vocat ad se, quos voluit*, hæc enim prima est.

Priùs namque necesse est vocari eum, qui Episcopus creari debet, & hoc quidem primùm à Deo, qui omnium corda nouit, & scit quos elegerit, in quo quisque seipsum diligenter explorare debet, ne sub diuinæ vocationis prætextu propria commoda, ac vtilitates quærat.

Cùm enim Spiritus sanctus Saulum, & Barnabam ad Apostolicum munus vocasset illis verbis: [Segregate mihi Saulum, & Barnarbam in opus ad quod assumpsi illos,] ambo orationi vacabant, neque aliud præter Dei gloriam, ac Orbis salutem in animo versabant, atque eo se diuina vocatione dignos præstiterunt.

Postea verò ab ijs vocari debent, qui Ecclesiæ administrationem gerunt, vt idonei tantummodò, & tanto ministerio digni ad id munus eligantur.

Alterum est ordinatio, cùm addit. *Et fecit, vt duodecim essent cum illo*, idest, ordinauit, consecrauit, constituit Apostolos, ac Episcopos creauit, quæ quidem ordinatio (vt mox videbitur) cum primis necessaria est, vt ea quis Episcopus dici possit.

Postremum est missio, cùm ait, *& mitteret eos prædicare*: in qua quidem missione Episcoporum potestas, ac iurisdictio includitur.

Vocatio igitur, quæ ordine prima est, præcedere debet, sine qua nemo salubriter Episcopus ordinatur, qui enim vltrò Ecclesiasticis dignitatibus se intrudunt, & ad Episcopatus summa animi cupiditate inhiant, quos interdum etiam hominum fauore aucupantur, sanè eo ipso à diuina vocatione se omnino alienos esse ostendunt, immò & Christianorum fæces se esse declarant, cùm absque vllo probitatis, ac scientiæ testimonio, in sublimes Ecclesiæ thronos, quos sanctiores viri pertimescunt, euehi affectent, quibus accommodari potest illud Hieremiæ 23. *Ego non mittebam eos, & ipsi currebant*. Hos Gregorius Nazianzenus oratione in laudem Diui Basilij miserè deplorat, tamquam suis cupiditatibus Ecclesiæ statū labefactantes. [Nunc autem, inquit, periculum est, ne ordo in toto Christianismo sanctissimus, in toto Christianismo maximè sit ridiculus, non enim virtute magis, quàm malitia, & fraude Sacerdotij dignitas paratur, nec meliores, ac digniores, sed potentiores thronis insident.]

Nec tamen hi, si quando ab Ecclesia vocantur, ac ritè ordinati ad episcopatus accedunt, tamquam à diuina vocatione extorres, aut aspernandi, aut repudiandi sunt; cùm & Saluator in malis Pastoribus regimen, ac iurisdictionem probauerit. *Omnia*, inquit, *quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.*

Nam

Nam quemadmodum temporalis Princeps, qui commoda & pacem populis suis tuetur, nullatenus ab eis resellendus est, tametsi aut luxui, aut cæteris cupiditatibus indulgeat; ità qui Episcopi ab Ecclesia ritè ordinati sunt, cùm ea ordinatione Ecclesiæ Principes constituantur: si populum sibi subiectum in his, quæ muneris sui sunt, instituant, & debita iura officij erga eos impendant, nec per manifestas Hæreses, aut nefanda vitia sua, in quem Episcopi ordinati sunt, præiudicent, quamuis non omnino inculpatæ vitæ esse videantur, vel tolerandi sunt, vel Ecclesiæ denunciandi, vt mores corrigant.

Hi igitur, quamuis internam Dei vocationem non habeant, quandoquidem externa Ecclesiæ vocatione ad episcopatus accedunt, legitimam adhuc Episcoporum successionem retinent.

Neque enim morum corruptio (si quæ fortè est) Ecclesiasticorum munerum interitum secum affert, si integra fides adsit, ista superiùs probauimus.

Assertio tertia, [legitimam Episcoporum successionem electio ecclesiastica necessariò debet præcedere.] Hoc loco non agimus de nominatione, aut præsentatione Episcoporum, quæ multis retrò seculis, atque etiam hac nostra tempestate nonnullis Principibus, ob beneficia in Ecclesiam collata, concessa legimus.

Neque de consensu, ac approbatione populi in electione Episcopi, qui mos olim seruabatur in solemni populi conuentu, vt qui in Episcopum eligendus erat, publica populi approbatione, si idoneus esset, examinaretur; vt testis est Cyprianus lib. 1. epist. 3. [Ex diuina inquit, auctoritate descendit, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio comprobetur:] quare ità constitutum habetur in Concil. Carthag. [Non sine frustra à Patribus institutum, vt de electione eorum, qui ad ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia de vita & moribus præsentandi, quod nonnumquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis:] quam etiam consuetudinem hodie Ecclesia retinet, tametsi non ità solemniter populum ad suffragia conuocet, tum ob diœcesum amplitudinem, qua commodè fieri non posset, vt tot locorum populi in vnum locum confluerent, tum ad euitandum populi tumultum, quapropter satis visum fuit, vt vnus totius populi nomine ad Episcopi electionem suffragia ferret, hæc siquidem electionem tantùm præcedunt, sed electionem de qua agimus, non attingunt.

Cùm enim hę preuię tantummodò quędam dispositiones sint, quò electio maturiùs, ac honestiùs fiat; ea porrò electio Canonica est, quæ ab Ecclesiastico Magistratu, hac potestate prædito perficitur, quæ quidem Apostolicæ Episcoporum successioni ità necessaria agnoscitur, vt eam necessariò præcedere debeat.

Huius electionis formam nobis Christus tradidit apud Luc. cap. 6. vbi antequam duodecim Apostolos ordinaret, illos priùs elegisse legitur. [Et cùm dies factus esset, ait, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.]

Priùs vocauit, vt Episcopis præscriberet, ne ante Dei, & Ecclesiæ vocationem se ipsos in episcopatus intruderent. Deindè elegit, quò post vocationem necessariam esse Ecclesiæ electionem ostenderet.

Hanc verò electionem confirmat Io. 15. cùm ait: [Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis.]

Hinc D. Paulus ad Rom. capit. 1. scribens, se à Deo priùs vocatum Apostolum, posteà ad Apostolicum munus electum, ac segregatum dicit. [Paulus, inquit, seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas, &c.]

Porrò huius electionis formam Ecclesia à Christo accepit, ac in Episcopis creandis obseruauit, vt perspicuum est Act. 1. vbi cùm Apostoli de altero Apostolo in Iudæ locum sufficiendo agerent, ità legitur. [Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam; & orantes dixerunt. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas.]

Hoc ipsum, & in ordinatione Diaconorum Apostolos obseruasse, exploratum est Act. 6. vbi Apostoli septem illos Diaconos priùs eligunt, ac posteà per manus impositionem ad id munus ordinant. [Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, &c. & orantes imposuerunt eis manus.]

Atque indè perspectum est, Episcoporum electionem primùm ex diuina institutione pendere; tum eam non laicis magistratibus, aut populo, sed Apostolicis tantùm viris Ecclesiæ Præsulibus esse commissam.

Hanc enim potestatem Apostolos tantùm inter Ecclesiæ initia exercuisse legimus. Paulus enim Timotheum, ac Titum Episcopos eligit, atque is Timotheo mandat, vt constituat per ciuitates Presbyteros, neque id Apostolos absque expresso Christi mandato, aut Spiritus sancti ductu præstitisse credendum est.

Quapropter velut ex diuina ordinatione traditum, pleraque sacra Concilia statuunt, ne Episcoporum, aut Clericorum electio turbis vllo modo permittatur.

Sic Laod. Conc. canon. 13. allegatum à Gratiano dist. 63. cap. Non est. [Non est, inquit, permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium prouehendi.]

Idem statuit Concil. Nicen. 2. canon. 3. his verbis. [Si quis Episcopus sæcularibus magistratibus vsus per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur, & segregetur, oportet enim eum, qui est promouendus ad episcopatum ab Episcopis eligi.]

Denique Conc. 4. Constantinop. quod est 8. generale can. 20. [Sancta, inquit, & vniuersalis Synodus definit; neminem laicorum Principum, vel potentum semet inserere debere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cuiuslibet Episcopi,

præ-

præsertim cùm nullam in talibus potestatem quemlibet potentum; vel cæterorum laicorum habere conueniat, sed potiùs silere, ac attendere sibi, vsquequò regulariter à Collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pōtificis.]

Nec obstat, quòd aliquando Imperatores, præsertim Græci, Pontificum electioni ità sese immiscuerint, vt illi Imperiale decretum interponerent, immò plerumque nisi grandem pecuniam accepissent, illos creari nollent, quandoquidem illud Imperatorum violentia, ac tyrannide factum esse perspicuum est ex Gregor. in Comment. in Psal. 4. pœnit.

Cæterùm etsi hi Principes, hac vi in Episcoporum, ac Pontificum electione vterentur, nihil tamen electionem impediebar, quominùs libera illius potestas ab Ecclesiæ Præsulibus exerceretur.

Ex his apertè constat, quàm inanes, ac friuolæ sint aduersariorum rationes, quibus Episcoporum electionem, variè tamen, ac inconstanter impugnant.

Nam Caluinus Instit. lib. 4. cap. 3. §. 18. quem sequitur Beza in Confess. fid. capit. 5. sect. 28. Brentius in prolegomenis, & Musculus in locis communibus, vbi semel id sibi persuasit, Ecclesias omnes Antichristi tyrannide esse oppressas, id facilè statuit ordinariam Episcoporum electionem ab Ecclesia defecisse, atque extraordinariam, ac immediatam tantummodò à Deo profectam sufficere.

At hæc est Antichristi vox, qua aiunt totum Orbem penitus defecisse, ac proptereà nouos Apostolos, nouos Euangelistas, nouos Episcopos, nouum denique Christum excitandum fuisse.

Quid hoc est, præterquàm Antichristum prædicare, ac illius ministros se gerere? Hoc quippè argumento olim aduersùs Marcionem, & Valentinum vsus est Tertullianus in præscript. [Probent, inquit, se nouos Apostolos esse, dicant iterum Christum descendisse, iterum docuisse, iterum Crucifixum, &c.]

At verò hac sententia non contentus Caluinus, alteram sibi pugnantem adhibet, qua ordinariam quidem in Ecclesia ministrorum electionem esse agnoscit; sed eam tantùm Apostolicam, ac à veteri Ecclesia vsu receptam esse docet, quæ non solum à magistratu, sed à tota plebe per omnium, vel saltem plurium suffragia fit: id acerrimè defendit Inst. l. 4. c. 3. §. 15.

Quæ sententia, quàm apertè cum Apostolorum institutione, & antiqua Ecclesię doctrina pugnet, ex his quæ diximus, satis manifestum est.

Quam etiam hac vna ratione impiam cuincimus. Nam potestas eligendi ministros Ecclesiæ, est supernaturalis, ac merè spiritualis: ergo non potest à ciuili auctoritate conferri. Antecedens probatur tripliciter.

Primò, quia hæc potestas confertur modo, & via supernaturali, ipsa videlicet donorum Dei collatione, quæ quidem non à Deo, naturæ lege mediante, velut omnis potestatis auctore proficiscuntur, verum nulla naturæ lege mediante, sed Sacramento quodam à Deo instituto; per se, ac immediatè à Deo manant; quò fit, vt ipsa quoque potestas supernaturalis sit.

Secundò, quia huius potestatis obiectum, quòd est animæ salus, excedit naturæ terminos; ac proindè est supernaturale.

Tertiò, ac postremò, quia huius potestatis finis, ac vsus est, homines ad supernaturalia bona, non naturali, sed supernaturali via, perducere. Ex his omnibus elicitur, ecclesiasticam potestatem eligendi ministros esse supernaturalem, ac merè spiritualem. Contra verò ciuilis magistratus, aut populi potestas, naturalis est, ac de iure gentium introducta, tametsi illo mediante, à Deo quoque ordinata sit, neque internum animarum statum; sed externum tantùm corporis commodum, ac vtilitatem spectat, quò fit, vt toto genere ab ecclesiastica potestate differat, indè rectè concludimus, neque ad populum, neque ad magistratum vllo modo Episcoporum electionem, quæ supernaturalis potestas est, pertinere.

Assertio quarta. [Episcopos electos, vt Apostolica successione fruantur, necesse est ab Ecclesia ordinari:] Christus enim electos Apostolos Episcopos ordinauit, cùm illis ligandi, & soluendi potestatem tradidit. [Quęcumque, inquit, ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solueritis, &c.] tunc enim proprium episcopale munus illis contulit, vt sentit D. August. lib. 2. qu. vet. noui test. qu. 97. quod etiam probari potest ex illis verbis Luc. 6. [Et elegit duodecim ex his, quos & Apostolos nominauit,] idest, ordinauit, ea enim nominatione illis Apostolatum contulit. Hinc Apostoli à Christo edocti cùm regendam Ecclesiam suscepissent, electos Episcopos per manuum impositionem, qua ordinis Sacramentum significabatur, ad episcopale munus ordinabant, vt de Timotheo, & Tito perspicuum est, qui à Paulo per manuum impositionem Episcopi ordinati sunt. [Commonefacio te (inquit Paulus 2. Timoth. 1.) vt resuscites gratiam, quę est in te per impositionem manuum mearum:] Neque vllus vmquam episcopali munere ante hanc ordinationem legitimè in Ecclesia functus fuit. Cuius rei testes sunt Saulus, & Barnabas, qui tametsi ad Apostolicum, & episcopale munus à Deo vocati essent; non priùs tamen eam potestatem sibi vendicarunt, quàm per manus impositionem, Antiochiæ Episcopi ordinati essent, vt habetur Actor. 3. [Segregate (ait Spirit. S.) mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi illos.]

Iam illos Spiritus sanctus ad Euangelicum opus assumpserat, iam ad episcopatum vocauerat, quos tamen ad Ecclesiæ ordinationem mittit, nec priùs eo ministerio illos fungi vult, quàm ab Ecclesia segregati, atque ad id munus ordinati fuerint, quapropter subditur. [Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.]

In quo sanè maximam ecclesiasticæ ordinationis dignitatem licet conspicere: nusquam enim ante hoc tempus legimus Paulum aut Barnabam pro Apostolis habitos fuisse, quod etiam non leui argumento probari potest, nam cùm Lucas eodem capite Prophetas,

cas, & Doctores Antiochiæ commorantes enumeret, inter eos Barnabam, & Saulum non inter Apostolos recenset, immò Saulum vltimo loco collocat, quod sanè numquam fecisset, si Paulus ante illud tempus, inter Apostolos habitus fuisset; præsertim cùm Paulus 1. Corinth. 12. Ecclesiasticam Hierarchiam describens Apostolos omnium primos in superiori gradu collocet. [Et posuit quosdam quidem in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, &c.]

Atque indè necessariò colligimus, quòd cùm hi, qui inter Orbis Apostolos locum sortiti sunt, non priùs Apostolicum, ac Episcopale munus assequuti fuerint, quàm ab Ecclesia ordinationem susceperint; sanè exploratum est, hanc quoque in alijs ordinationem requiri.

Neque dubitandum est, communem hanc esse Scripturæ phrasim, vt Episcoporum ordinatio per manuum impositionem passim explicetur.

Cuius rei testis est Isidorus de officijs cap. 6. relatus in Concil. Aquisgranensi capit. 1. [Quòd verò, inquit, per impositionem manus à præcessoribus Dei Sacerdotibus Episcopi ordinantur, antiqua est institutio, Isaac autem Patriarcha sanctus ponens manum super caput Iacob benedixit eis similiter & Iacob filijs suis benedictionem dedit, sed & Moyses super caput Iosue manum suam imponens, dedit ei spiritum virtutis, & ducatus in populo Israel, sic & superimpletor legis, & Prophetarum Dominus noster Iesus Christus per manus impositionem Apostolos benedixit sicut in Euangelio Lucæ scriptum est, & in Actibus Apostolorum ex præcepto sancti Spiritus Paulo, & Barnabæ ab Apostolis manus imposita est in episcopatum, & sic missi sunt ad euangelizandum.]

Cæterum necessariam esse huiusmodi ordinationem ab Ecclesia collatam, sine qua nullus Episcopus legitimè appellari queat, Patrum institutæ declarant, qui modum Episcoporum ordinationi præscribunt, nam Clem. I. Can. 1. Apost. [Episcopus, inquit, à duobus, vel tribus ordinetur Episcopis:] idem reperit lib. 3. Constit. Apostol. capitulo 20.

Hoc ipsum statuit Anacletus epistola secunda: [Non minùs, inquit, quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, vllatenus Episcopus ordinetur;] quod ex Apostolica traditione profectum esse tradit.

Damasus de Chorepiscopis epist. 4. nullum Episcopum agnoscit, qui à tribus Episcopis non fuerit consecratus. [Quòd enim, inquit Episcopi non sint, qui minùs quàm à tribus sunt ordinari Episcopis, omnibus patet, quoniam (vt bene nostis) prohibitum est à sanctis Patribus, vt qui ab vno, vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nomine Episcopi; si nomen non habent, qualiter officium habebunt?]

Porrò ex Concilijs hoc decernit Concil. Nicænum primum can. 4. Concil. Carthag. 2. cap. 12. Conc. Carthag. 3. cap. 39. Concil. Carthag. 4. cap. 2. Conc. Africanum sub Bonifacio I. can. 16. idem decretum renouat his verbis. [Statuimus, vt secundùm formam antiquam non minùs, quàm tres ordinent Episcopum, excepta ea prouincia, quæ paucos habet Episcopos.]

Hinc Concilium Rhegiense sub Theodosio, & Valentiniano canone primo eo, quòd duo temerè præsumpserant in partibus Galliæ Episcopum ordinare, illos grauiter corripit; atque ità definit. [Itàque ordinationem quam canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprouincialium literis, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil quod Episcopum faceret, ostensum est.] Quod etiam confirmat Conc. Tolet. 4. can. 18.

Quare non satis demirari possum aduersariorum impudentiam, qui nulla Dei vocatione accersiti, aut ecclesiastica electione, & ordinatione promoti; Pastorum, ac Episcoporum nomen sibi vsurpane.

Equidem de his Cyprianus ait lib. de vnit. Ecclesiæ. [Hi sunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispensatione præficiunt: qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt, quos designat in Psalmis Spiritus sanctus sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes.] Atque hoc ipsum de aduersarijs dici potest, quod de Nouatiano idem Cyprianus affirmabat lib. 2. epist. 6. ad Magnum. [Nouatianos, inquit, in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta nemini succedens à semetipso ordinatus est.]

Assertio quinta. [Episcopi legitimè ordinari non possunt absque Romani Pontificis assensu.] Quæ assertio licèt nonnullis incerta videatur, mihi tamen certissima est, ac nullo discrimine afferenda, immò oppositam sententiam, velut nullo Scripturarum testimonio munitam, aut Conciliorum auctoritate roboratam, nullo modo ferendam existimo.

Porrò, vt quæ mihi hanc assertionem certissimam reddunt, aperiam.

Illud primum statuo, quod nemo fidelis, ac Catholicus iure inficiari queat; Petro totius ecclesiasticæ administrationis claues à Christo collatas fuisse, ac supremum Ecclesiæ Pastorem constitutum, vt patet ex illis verbis Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque solueris, &c.* tum ex alijs Io. 21. *Simon Petre diligis me plus his? pasce oues meas;* ac proindè Romanum Pontificem Petri successorem, eandem prorsus, ac supremam in Ecclesia potestatem obtinere.

Hinc illud quoque certissimum cuique esse debet, Pontifici ob hanc clauium potestatem illi absolutè commissam, Ecclesiam ità subiectam esse, vt quæcumque ad Ecclesiæ administrationem pertinent, ab eo necessariò pendere debeant, Id enim Catholica Ecclesia semper professa est, & vniuersi Orthodoxi Patres agnouerunt.

Hoc Alexander I. testatur epist. 1. [Relatum est, inquit, ad huius sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad ca-

caput ipſo dicente : Tu es Petrus, & ſuper, &c.]

Hoc ipſum & Dionyſius docet epiſt. 2. [Olim, inquit, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, vt babeamus aoctoritatem voiuerſali Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſubuenire, & quicquid nociuum eſt, auctoritate Apoſtolica corrigere, & emendare.]

Hinc D. Bernard. de conſid. ad Eugen, lib. 3. cap. 8. [Alij, inquit, in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatos es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt.]

Et epiſt. 131. de Pontifice agens. [Poteſt, inquit, ſi vtile iodicauerit, nouos ordinare epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt, poteſt aos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſubleuare, prout ratio ſibi dictauerit.] Id tandem antiqua Eccleſiæ fide receptum eſt, omnem Eccleſiæ adminiſtrationem ità ad Pontificem pertinere, vt nihil in Eccleſia ſine Pontifice peragi debeat, vt ait D. Ignatius epiſtola ad Smirnenſes. [Sine Epiſcopo, ait, oemo quicquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam pertinent.]

Et Dionyſ. Areop. de Eccleſ. Hierarch. cap. 5. eam eſſe Pontificalis poteſtatia dignitatem agnoſcit, vt per omnes Eccleſiæ ſtatus operetur. [Pontificalis ordiois virtus, ait, in ſacris omnibus diſtinctionibus capitur, & per omnes ſacros ordines operatur propriæ Hierarchiæ myſteria.]

His accuratè perſpectis, iam perſpicuum eſt, Epiſcoporum ordinationem, quæ inter grauiſſima Eccleſiæ negotia collocari debet, abſque Romani Pontificis aſſenſu, aut mandato, ad quem omnia Eccleſiæ negotia referenda ſunt, perfici noo poſſe; neque Epiſcopis vllo iure licere, Pontifice iocooſulto, Epiſcopum ordinare.

Nec oppoſitæ ſententiæ fauet, quòd Epiſcopi Apoſtolis ſuccedant, quibus Epiſcopos inſtituere licebat, nullo Petri explorato aſſenſu, cùm verò id Apoſtolis ex diuina poteſtate illis collata liceret, idem nunc quoque Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus licere exiſtimane.

Nam (vt his reſpondeam) ſi Petri auctoritatem, ac pontificium ius etiam in ipſa Eccleſia mordicùs tueri velimus, neque ipſos Apoſtolos dicious, Inconſulto Petro quemquam Epiſcopum ordinaſſe : cùm ij liberam à Petro, priuſquam ad diuerſas Mundi plagas ſe conferrent, ordinandorum Epiſcoporum facultatem obtinuiſſent : licèt enim à Chriſto Epiſcopi ordinati eſſent; ius tamen creandorum Epiſcoporum à Chriſto illis collatum fuiſſe nulla Scripturæ apertè pronunciantiquò ſit, vt illud à D. Petro eos accepiſſe credendum ſit.

Quòd ſi (vt nonnullis placet) id ſentire malumus, hanc creandorum Epiſcoporum poteſtatem Apoſtolis ipſo diuino iure traditam fuiſſe, ita vt inconſulto Petro Epiſcopos ordinare poſſent; planè affirmamus iuxtà communem ſententiam; hanc poteſtatem Apoſtolis collatam, in Eccleſia non ordinariam, ſed extraordinariam fuiſſe; ac proindè cùm extraordinaria tantùm eſſet, cum ipſis Apoſtolis expiraſſe, ordinariam verò duntaxàt, legitima ſucceſſione Epiſcopi relictam eſſe.

Porrò ſi nulla Apoſtoli extraordinaria poteſtate, ad id præditi fuiſſent; haud dubium quin ea ordinaria Apoſtolorum poteſtas fuiſſet, vt in Epiſcopis eligendis prius Petri conſenſum exploraſſent, quod modò Epiſcopis, qui in ordinaria tantùm poteſtate Apoſtolis ſuccedunt, omninò fieri neceſſe eſt: vt neminem Epiſcopum inconſulto Pontifice conſecrent.

Atque inde apertè colligimus Epiſcopis ius conſecrandorum Epiſcoporum, non diuinum, ſed tantùm poſitiuum eſſe; licèt ipſa conſecratio ab Epiſcopis perficienda, ab Apoſtolico iure profecta videatur. Id ipſa experientia ſæpiùs declarauit : nam ſi quando Pontifice inconſulto Epiſcopus quiſpiam ordinatus fuit : mox huiuſmodi ordinatio caſſa, & irrita ab omnibus habita fuit.

Hac enim ratione Gregorius, Maximum qui ſe in Salonitanæ Ciuitatis epiſcopatum, Papa, ac eius reſponſalibus irrequiſitis intruſerat : ab epiſcopatu depoſuit, ac irritam illius ordinationem declarauit, vt videre licet apud Gratian. diſt. 63. cap. 24. & lib. 4. Regeſt. epiſt. 34.

Ceterum ordinandorum Epiſcoporum facultatem à Romano Pontifice expectandam eſſe, nec Epiſcopum abſque illius conſenſu ordinari poſſe : expreſſè tradit Concil, Telenſe ex epiſt. 4. Siricij I. Romæ conſcripta ad Africanos Epiſcopos, & allegatur à Gratiano diſt. 64. cap. extrà, his verbis. [Extrà conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt, primatis nemo audeat ordinare. Integrum enim iudicium eſt, quod plurimorum ſententiam conſequatur.] Præterea Nicolaus I. Lotharium Regem deterret, ne inconſulto Romano Pontifice Epiſcopum in Treuerenſi Ciuitate, & Agrippina Colonia conſecrari permittat. [Relatum, inquit, eſt nobis, quòd quicumque ad Epiſcopatum in Regno tuo prouehendus eſt, nonniſi fauentem tibi permittas eligi. Idcircò Apoſtolica auctoritate, ſub diuini iudicij atteſtatione iniungimus, vt in Treuerenſi Vrbe, & in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum ſuper hoc noſtro Apoſtolatui fiat.]

Hoc ipſum B. Gregorius Beneuento Epiſcopo mandat, vt habetur in Regeſt. lib. 2. epiſt. 19. vt quicumque Epiſcopus conſecrandus erit, ad eum ante illius conſecrationem tranſmittatur. [Epiſcopus, ait, dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti, ſubſcriptionibus omnium roborati : & dilectionis tuæ teſtimonio literarum ad nos ſacrandus occurrat.] Atque idem Gregorius Ioanni Subdiacono vt habetur lib. 6. Indict. 11. ep. 30. hoc ita apertè tradit, vt nullus dubitationi locus eſſe poſſit. [Quantò, inquit, Apoſtolica Sedes (Deo auctore) cunctis prælata eſſe conſtat Eccleſijs : tantò iuret multiplices curas, & illa nos valdè ſollicitat, vbi ad conſecrandum Antiſtitem noſtrum expectatur arbitrium.] Ita quoque Leo IX. epiſt. 4. ad Petrum Antiochenum Epiſcopum, mandat, vt nullus inthronizetur Epiſcopus, priuſquam à ſummo Pontifice confirmatus fuerit : ſicque euidentiſſimè conſtat, nullum Epiſcopum legi-

gitimè absque Romani Pontificis assensu consecrari posse.

Neque obstat, quòd tam multi extene apud antiquos canones modi, quibus Episcopi assumebantur. Quandoque enim à Clero, & Populo ciuitatis simul conspirantibus, Episcopis eligebantur: qui modus in vsu fuit Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, Leonis, ac Gregorij temporibus, vt ex Nicephoro, Calisto, & alijs sacrarum Historiarum Scriptoribus patet: interdum verò ab Imperatoribus solis, vel cum Clero, ac Populo, qui mos in Romano Pontifice creando à Instiniano seniore incepit, & vsque ad Constantinum IV. qui iuri suorum prædecessorum in hac parte cessit, seruatus est. Rursùs autem ab Adriano I. ius hoc Carolo Magno, & à Leone VIII. Othoni Imperatori concessum legitur: vt patet ex Gratiano dist. 63. canon. Adrianus, & can. in Synodo.

Aliquando etiam mos fuit, vt soli Canonici Episcopum eligerent, qui in aliquibus Germaniæ partibus adhuc viget. Demùm canones omnes antiqui Primati consecrandorum Episcoporum ius tribuunt, vt manifestum est ex Concil. Carthag. 2. can. 12. ex Concil. Rhegiensi can. 1. & Concil. Tarraconensi can. 15. Item Concil. Chalcedon. generale 4. act. 11. Leo I. epist. 51. Hilarius I. epist. 1. ad Ascanium idem sanciunt. Hinc enim nonnulla difficultas oriri posset, quo pacto huius assertionis nostræ doctrina cum antiquo iure concordet: quam tamen breuiter distinctione quadam adhibita soluimus.

Nam in Episcoporum ordinatione quinque vt plurimum concurrunt, postulatio, nimirùm, electio, assensus, confirmatio, & ordinatio, seu consecratio. Postulatio ad populum pertinet, cùm Episcopum aliquem sibi dari poscit, à qua non admodùm etiam distat ea, quæ nunc à Regibus, ac Principibus obtinetur, quæ nominatio, seu præsentatio nuncupatur; quamuis aliquantulùm differant postulatio, & nominatio.

Nam postulatio, quędam simplex populi petitio est, nullo priuilegio roborata, quæ cùm nulli iuri inhæreat, si quando visum fuerit, à Pontifice refelli potest. Nominatio verò, cùm numquam sine Pontificis priuilegio esse soleat, eo stante absque causa à Pontifice non reijcitur, cùm Princeps eo priuilegio ius sibi in ea nominatione acquisierit.

Electio verò ad Clerum tantummodò spectat, quæ olim cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati fieri solebat. Quam distinctionem indicat B. Greg. in Regist. lib. 2. epist. 19. & refertur à Gratiano dist. 61. can. Episcopus.

Assensus verò ad Metropolitanum spectat, sine quo Episcopus ritè consecrari non potest, vt superiùs demonstrauimus. Confirmatio denique ad Pontificem pertinet, qui populi postulatione audita, ac Cleri electione perspecta, tum Metropolitani assensu explorato, vti rectè illi visum fuerit, electionem, vel confirmat, vel reprobat. Qui si propositam electionem confirmauerit, tum demùm ordinatio comprouincialibus Episcopis demandatur: nunc verò Romanæ Curiæ stylus illud sapientissimè addidit, vt Episcopus ante consecrationem districto examini subiaceat.

Atque hæc postrema distinctio habetur ex Concil. Lateran. cap. 29. quæ constitutio extat, extrà de electione, & electi potest; atque hac distinctione plurima in antiquo iure conciliantur, quæ vel sibi, vel iuri nouo aduersari videatur: nam in antiquis canonibus, sæpè electionis, & ordinationis termini confunduntur, ita vt ordinario quandoque electio nuncupetur, & è conuerso: ita etiam postulatio sæpè electio appellatur: quò fit, vt aduersarij falsò existimauerint Episcoporum electionem, & ordinationem ad populum, aut Imperatores aliquando spectasse: cùm tamen in id omnia iura reclament: quapropter quæ Ambrosij, & Chrysostomi tempestate circa Episcopos, vel à populo, vel à Clero simul cum populo facta sunt; vel sola populi postulatio fuit, vel Cleri electio, quæ ordinationis substantiam non attingunt: ius verò Imperatoribus in summo Pontifice creando concessum, non fuit eligendi Pontificem, aut quoquomodo illius electioni sese immiscendi, sed tantùm, vt electioni Pontificis assensum præberent, illis ex priuilegio facultas data fuit: si quid præterea in Pontificum electione Imperatores sibi vsurparunt, id prorsùs tyrannicum fuit.

Hoc igitur certissimum sit, absque Pontificis assensu numquam Episcopum legitimè ordinari potuisse; cùm ad solum Pontificem iure diuino pertineat; vt vel ipse Episcopum eligat, vel eligendi modum præscribat, vt rectè probat Illustrissimus Bellarminus tom. 1. controu. 5. de clericis lib. 1, cap. 8. cui illud postremò adijcio: Concilium Tridentinum eos solos Episcopos legitimos asserere, ac pro talibus habendos decernere, qui Rom. Pontificis auctoritate ad Episcopatum assumuntur, vt habetur sess. 23. can. 8.

Assertio sexta. [Episcopi legitimè ordinati Apostolis succedunt.] Hæc assertio à prioribus manat. Nam cùm hactenus dictum sit, ad veram Episcoporum successionem quatuor necessariò requiri;

Primum, Vocationem, qua à Deo, & ab Ecclesia vocari debent.

Secundum, Electionem, quæ vel à Clero, vel ab ipso Pontifice, nullo modo à populo, vel à magistratu fit.

Tertium, Confirmationem, quæ ad solum Pontificem velut totius Ecclesiæ caput, ac Pastorum pastorem spectat.

Postremum, Ordinationem, quam à tribus Episcopis ex Apostolorum institutione perfici opus est.

His simul concurrentibus, nemini dubium esse debet, quin Episcopi ita legitimè ordinati Apostolis succedant. Cùm enim Christus antequam è viuis excederet, perfectam, ac necessariam Ecclesiæ administrationem instituerit, eam sanè tunc in Ecclesia sacrorum Ministrorum sobolem excitauit, quæ & sola ad Ecclesiæ gubernationem sufficeret, & perpetua successione, ad extremum vsque Ecclesiæ periodum propagari deberet: id enim luculenter Paulus testatur ad Ephes. 4. scribens. [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, &

Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei:] ex quo illud manifestè deducitur, nullum esse in Ecclesia Ministrorum genus, quod ab antiquo illo stipite à Christo instituto, per sacram successionis lineam originem non duxerit.

Quod cùm ita sit, nemo sanè inficiari potest, Episcoporum sobolem (vt alias omittam) quæ ab ipsis Apostolorum temporibus exorsa est, dummodò veram ordinationis Apostolicæ lineam retineat, legitimè Apostolis succedere: atque adeò Apostolos ordinatos à se Episcopos sibi successores agnouisse, vt in eos omnes ordinariæ potestatis ius, velut in successores, ac potestatis hæredes transferrent, vt ex Paulo ad Tit. 1. colligimus. [Huius rei gratia, inquit, reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi;] quæ Pauli dispositio planè alia non erat, quàm eiusdem, qua ipse fruebatur, episcopalis potestatis velut in successorem collatio: vt inde perspectum esset, Episcopos, quoties ritè ab Ecclesia ordinati sunt, legitimè Apostolis succedere.

Quod olim sanctorum Patrum antiquitas non obscurè testata fuit; nam Cyprianus lib. 4. epist. 9. Ecclesiæ præpositos omnes Ecclesiæ ordinatione Apostolis succedere docet; quod etiam confirmat Eusebius Papa ep. 3. [Manus, inquit, impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse: neque ab alijs, quàm ab illis, qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet.] Idem tradit Damasus epist. 4. de Chorepiscopis. Augustinus hanc quoque Apostolorum successionem in Episcopis seruatam docet in Psalm. 44. [Quid est, ait, pro Patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi.] Hoc ipsum apertè profitetur Isidorus de Eccles. off. lib. 2. cap. 5. [Apostolis, inquit, decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum Mundum in Sedibus Apostolorum.] Idem repetit lib. 7. originum cap. 12. Quam successionem etiam tuentur Rupertus de diuin. off. lib. 1. cap. 27. Gulielmus Parisiensis de Sacramento Ordinis c. 13. D. Bonauentura in lib. 4. sent. dist. 25. qu. 1. Augustinus Triumphus de potest. eccles. q. 93. artic. 1. Ludolphus Carthusian. vitæ Christi part. 1. cap. 32. Postremò generale Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. Episcopos inter Apostolorum successores collocat. [Proindè, inquit, sancta Synodus declarat, præter ceteros ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem ait Apostolus, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei.]

Hinc perspicuum est eos, qui Apostolica hac successione carent, quoquo nomine, siue Episcoporum, siue Pastorum, aut Ministrorum nomine nuncupantur, non veros, ac legitimos esse Ecclesiæ Pastores, ac Ministros, cùm nulla Ecclesiæ ordinatione Apostolis succedant, sed potiùs fures esse, ac latrones: quippe qui non per ostium in Domini caulam ingrediuntur, nec iuxtà formam à Deo præscriptam legitima ordinatione fruuntur: sed aliundè in Ecclesiæ Ministerium irrumpunt. Nam cùm certum sit in Ecclesia esse fures, ac latrones: oportet enim Hæreses esse, inquit Paulus, quæ gregem mactent, & perdant, ac simul veros pastores, qui ouium curam gerunt: haud facilè alia ratione hi ab illis discerni valent, quàm quòd hi per Ecclesiæ ostium, quod legitima successione aperitur, ad episcopalem dignitatem ascendunt, illi verò nulla Apostolica successione assumpti, clàm in Domini gregem irrumpunt, & nemine sibi episcopatum deferente, Episcopi, ac Pastoris nomen, ac officium sibi vsurpant.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiecta aduersariorum.

CAluinus, cùm se, suosque Episcopos nulla Dei vocatione ad episcopatum accersitos, nulla Ecclesiæ ordinatione electos, nulla denique legitima successione in Apostolorum Sedibus constitutos cerneret, aduersùs Episcoporum perpetuam successionem insurgit, ac eam omninò sublatam demonstrare nititur Institut. lib. 4. cap. 5. vbi inter alia, hæc habet. [Hoc constat à centum annis, vix centesimum quemque fuisse electum, qui sacræ doctrinæ aliquid teneret: si de moribus fiat censura, paucos, aut propemodùm nullos reperiemus, quos non indignos veteres canones iudicassent: si hæc vera sunt, nulla hodiè neque diuino, neque ecclesiastico iure canonica electio in toto papatu superest.] Hanc quidem calumniam fusiùs in tertio libro refellemus, cùm de Romanæ Ecclesiæ Episcopis agemus. Nunc illius tantùm impudentiam aperire sufficiat.

Certè qui fidei patrimonium profligauit, ac veritatis Sedem aperto bello oppugnare contendit, haud mirum est, quòd ad id mendaciorum aciem instruat: neque erubescat apertas calumnias pro solidis argumentis venditare. Quid magis à vero alienum est, quàm quòd pro vero sibi statuit Caluinus? [Hoc constat, inquit, à centum annis, vix centesimum quemque fuisse electum, qui sacræ doctrinæ aliquid teneret?] Immò hoc constat à centum annis, vix centesimum quemque fuisse electum, qui sacram doctrinam egregiè non teneret: vt latè in tertio libro constabit, vbi eruditissimorum Episcoporum, qui ipsa Caluini tempestate in Theologica facultate, ac re sacra clarissimi floruerunt, leuiter numerum attingemus: vbi etiam secundam calumniam, quam de moribus Episcoporum mouet, excutiemus: obiecta malorum vitæ probitate, qui inter illius temporis Episcopos enumerantur. Ex quo geminam, ac manifestam hominis impudentiam animaduertere licet, qui dummodò Romanæ Ecclesiæ

Epi-

Epiſcopos in omnium odium inducat, illum tam apertè mentiri non pudet.

Sed quid ex his inferat, expendamus. [Si hæc, inquit, vera ſunt, nulla hodiè, neque diuino, neque eccleſiaſtico iure, canonica electio in toto papatu ſupereſt.] Malè Caluinus ex hypotheſi arguit, quandoquidem priori exiſtente falſa; conſequens eſt, vt & ipſa conſequentia falſa ſit; negamus vera eſſe, quæ de Epiſcoporum moribus corruptis, ac inſcitia tu ipſe excogitaſti: quonam hæc concluſio abibit? non aliò ſanè, præterquàm in idem mendacium, à quo progenita fuerat.

Verùm vt melius Caluini celebris ignorantia prodatur: demus Caluino maiorem illam hypotheticam eſſe veram: fuerint Epiſcopi ſacrarum literarum ignari; fuerint moribus corrupti; num propterea canonica electio in toto papatu perijt? Equidem, quòd Epiſcopus, qui proprium gregem ſcientia, ac doctrina paſcere debet, ea potiſſimùm ſcire debeat, quæ ad epiſcopale munus obeundum neceſſaria ſunt, non inficior. Id enim veterum Pontificum canones ſanciunt: attamen quòd omnes in Theologica peritia veterariſſimi eſſe debeant, quando ea potiſſimùm, quæ iuris canonici ſunt, teneat; quibus gregem ritè adminiſtrare queant; neque diuina lex, neque veteres canones imperant.

Quapropter nihil impedit, quominùs hi rectè, ac legitimè in Epiſcopos eligi valeant: tales vniuerſos penè Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos fuiſſe, etiam tempore Caluini declarat ipſa Romanæ Eccleſiæ praxis, quæ cunctos ad epiſcopatus onus ſubeuhendos priùs examini ſubijciebat: vt teſtatur Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 2. Neque arbitror Caluinum, ita egregiè mentiri velle, vt omnes Epiſcopos ſacrarum literarum prorſùs ignaros velit aſſerere: quò fit, vt Epiſcopi, quamuis ea ſacrarum literarum peritia præditi non ſint, quæ illos perfectos Theologos præſtet: dummodò ea ſcientia polleant, qua ad alios docendos idonei fiunt, rectè eligi queant.

Quod verò ad mores Epiſcoporum eligendorum attinet. Ea tantùm Epiſcopi electio iuxtà canones irrita eſt, qui publicam, ac manifeſtam morum corruptionem ſecum ad epiſcopatum defert: quæ ſcandalum in populo parere ſuaptè natura valet; quòd ſi quis priuata quædam vitia occultè geſtat, quæ paucis nota ſunt, ijs præſertim ad quos ſpectat electio: nec ob ea à quopiam denunciatur: planè nulla ratio fert, quòd huiuſmodi iure ad epiſcopatum eligi non poſſit, ſi reliqua huic oneri ſubeundo requiſita habeat. At Caluinus virulenti ſcorpionis inſtar, ex floribus, vnde mel colligere deberet, venenum ſuggit, ac Epiſcoporum vitam, excogitatis criminibus labefactare conatur, vt eos in ſuorum odium adducat; quod ſanè proprium Hæreticorum eſt, vt optimè notat. Auguſt. epiſt. 137. ad Hipponenſes his verbis. [Hæretici non habendo, quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant; & ea ipſa plurima falſiſſimè iactant, vt cùm ipſam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur criminari, & obſcurare non poſſunt; homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus effingere quicquid in mentem venerit, poſſint.]

Rurſùs idem Caluinus Inſtit. lib. 4. c. 2. §. 2. hanc ipſam Epiſcoporum ſucceſſionem aggreditur, his verbis. [Perpetua Epiſcoporum ſucceſſione conſeruatam fuiſſe Eccleſiam, ne intercideret. Commemorant, quanti hanc ſucceſſionem fecerint Irenæus, Auguſtinus, & alij, Quàm friuola ſint iſta, & planè ludicra, &c.] Cui etiam in hac impietate coniunctus eſt Melanchton, qui in locis de Eccleſia ita ſcribit. [Quare cùm hæc nomina audis, ſucceſſio ordinaria, poteſtas interpretationis, poteſtas ferendarum legum; ſcias inſidias vetæ doctrinæ ſtrui, & quæri prætextus ad ſtabiliendos errores in Eccleſia.]

Non tam à fuſtibus, quibus cæduntur, canes ſibi cauent, quàm aduerſarij à legitima, ac perpetua Epiſcoporum ſucceſſione, atque Eccleſiæ poteſtate ſibi aufugiendum putant, cùm ab ijs nimis aſperè torquentur. At profectò neque friuola, neque ludicra eſt Epiſcoporum ſucceſſio in Eccleſia continuata, niſi friuolum, ac ludicrum ipſum Dei verbum velint aſſerere, quod hoc ipſum tradit. Quid enim Paulus apertiùs docet, quàm legitimam, ac numquam perituram Paſtorum ſucceſſionem in Eccleſia, tum 1. Corinth. 12. tum etiam ad Epheſ. 4. cùm ait, Chriſtum dediſſe Eccleſiæ Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum, vſquequò omnes occurramus in vnitatem fidei? Quid luculentius tradit, quàm ab ijs conſeruandam, atque ædificandam fore Eccleſiam, cùm ait, hos in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti in Eccleſia poſitos eſſe? num inficiari poteſt Caluinus, Epiſcoporum ſucceſſione Eccleſiam propagari, quod Paulus ipſe teſtatur Rom. 10. cùm ait. [Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?] Certè non modò friuola, ac ludicra, ſed etiam impia nobis perſuadere conatur Caluinus, cùm ſublatam, vel non neceſſariam Epiſcoporum ſucceſſionem in Eccleſia eſſe affirmat.

Dicat, num res ludicra exiſtimanda eſſet, ſi quis hominem abſque parentibus naſci, aut ſteriles, atque à genetandi officio vacantes procreare, alijs perſuadere vellet; hoc ipſum ſanè, ac magis ridiculum à nobis extorquere nititur Caluinus; cùm Eccleſiam abſque Epiſcopis ſpiritualiter propagari docet: nam cùm Paulus 1. Corinth. 4. id affirmet. [In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui,] ac Matthæi vlt. Chriſtus Diſcipulis præcipiat, [Euntes docete omnes gentes, &c.] Neque vllus fidelis ordinariè ſine prædicante credat: nullus quoque ſincerè prædicet, niſi qui à Catholica Eccleſia legitimè eſt vocatus, ac miſſus: quo pacto Eccleſiam ſine Epiſcopis conſeruari, aut propagari putat, cùm ij eo ipſo, quòd ab Eccleſia ad epiſcopatum promouentur, prædicandi, & Eccleſiæ propagandæ ab eadem munus accipiant? Illud ſanè perinde eſt, ac ſi hominem abſque progenitoribus naſci exiſtimaret. Hinc igitur perſpicuum eſt, eos dumtaxat inſidias veræ Apoſtolorum doctrinæ ſtruere, ac prætextus ad ſtabiliendos ſuos errores in Eccleſia quærere, qui ordinariam Epiſcoporum ſucceſſionem ab Eccleſia conuellunt.

Cæ-

Cæterùm ex his, quæ hactenus de Episcoporum munere, ac dignitate disseruimus, manifestè proditur alter aduersariorum error qui Episcopi nomen, ac officium cum Presbyteris commune esse volunt, neque maiorem dignitatem Episcopum, quàm Presbyterum in Ecclesia obtinere existimant.

Quam hæresim primùm Aerius Armenus Presbyter teste Epiphan. hæresi 75. & August. de hæresibus cap. 53. in Ecclesia docuit, ea ratione impulsus, vt tradit eodem loco Augustinus, quòd non potuerit Episcopus ordinari, quam postea amplexus est Ioannes Wiclefus Trialogo 4. Atque eandem nunc tuentur Lutherus in captiuitate Babylonica cap. de Ordinis Sacramento, & aduersùs falsò nominatum ordinem Episcoporum,] Philippus Melanchton in secunda editione locorum communium fol. 91. Ioann. Caluinus libro 4. Institut. cap. 2. 4. 5. cuius hæc sunt verba. [Quibus docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis ciuitatibus, vnum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, vt fieri solet, dissidia nascerentur, neque tamen sic honore, & dignitate superior erat Episcopus, vt dominium in collegas haberet, sed quas partes habet Consul in Senatu, vt referat de negotijs consulendo, monendo, hortando, alijs præsit auctoritate sua, totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit, exequatur, id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cætu, atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum fatentur ipsi veteres.]

Quot hic verba Caluinus profert, tot ferè mendacia componit: Ait enim imprimis hos omnes Presbyteros olim appellatos fuisse, quibus docendi, ac prædicandi munus iniunctum fuisset. Ac docuit, & prædicauit Stephanus, vt habetur Act. 6. quem tamen non Presbyterum, sed Leuitam, ac Diaconum tantùm Scripturæ commemorant. Docebant Diaconi Philippenses, ad quos Paulus epistolam dirigit, atque eos hortatur, vt collaborent omnes fidei Euangelij. Docuit Eunuchum Philippus Diaconus, qui Presbyter tamen non erat; falsum est igitur solis Presbyteris docendi, ac prædicandi munus demandatum fuisse.

Addit præterea, Presbyteros olim solitos fuisse, Episcopum in singulis Ciuitatibus eligere, cùm tamen oppositum constet ex Paulo ad Tit. 1. vbi eidem mandat, vt constituat per Ciuitates Presbyteros, non igitur Presbyteri Episcopum, sed Episcopus Presbyteros eligebat, ac per singulas Ciuitates constituebat.

His, & aliud mendacium adiungit, cùm ait, Episcopum nullam in] cæteros Presbyteros dominij iurisdictionem vnquam obtinuisse, sed eum tantùm honoris gradum inter Presbyteros sibi vendicasse, quem habet Consul in Senatu, vt scilicet cæterorum decreta exequatur, cuius tamen oppositum docet Paulus ad Tim. epist. 1. cap. 5. & alibi, vt mox videbimus.

Tandem Episcopalem dignitatem hominum duntaxat consensu, ac consuetudine in Ecclesiam inuectam, allatis quibusdam veterum Patrum dictis malè expositis conatur astruere, quæ tamen suo sensui reddita, oppositum potiùs affirmant.

Cæterùm, vt ad propositam hæresim reuertamur, quam primùm in Aerio Ecclesia damnauit, ac nouissimè in Luthero, ac Caluino, ac cæteris huius tempestatis Hæreticis Concilium Tridentinum Oecumenicum anathematizat. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Certè Episcopos Presbyteris maiores esse, ipsa Diuina Institutio apertè declarat, quæ Episcopis, non econtrà, munus creandi Presbyteros tribuit.

Id exploratum est ex Paul. 1. Tim. 5. ibi enim Paulus Timotheum Episcopum à se constitutum monet, vt manum vlli citò non imponat, id est (vt exponit diuus Hieronymus) nullum Presbyterum inconsideratè absque debito vitæ examine ordinet, quam expositionem etiam huic loco adhibet Leo primus epist. 87. ad Episcopos Africanos capit. 1. [Quid est, inquit, citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere?]

Eodem modo hunc locum explicat Theodoretus. [Manus, inquit, citò nemini imposueris, oportet enim priùs examinare vitam eius, qui ordinatur.]

Id ipsum confirmat idem Paulus cùm Tito Episcopo mandat, vt constituat per Ciuitates Presbyteros. Ità enim habet ad Tit. 1. [Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per Ciuitates Presbyteros.]

At Presbyteros constituere, est ordinare licèt etiam de locorum constitutione locus intelligi possit, attamen id magis videtur annuere Paulus, vt Titum iubeat Presbyteros in singulis Vrbibus ordinare, ac ordinatos passim per loca constituere, neque enim tanta erat Presbyterorum in Creta multitudo, præsertim inter illa Ecclesiæ primordia, quæ centum Vrbibus, quibus tunc ea insula munita erat, absque noua Presbyterorum ordinatione sufficeret.

Quare Epiphanius hæres. 75. cont. Aerianos Episcoporum ordinem, Presbyterorum generatorem appellat. [Episcoporum, inquit, ordo Patrum generator est. Patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum verò non potens generare Patres per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ;] Quod prior Clemens I. docetur Can. 2. Apostol. [Presbyter, inquit, ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.] Inde Concilium Antiochenum can. 9. monet Episcopos, [vt ordinent Presbyteros, & Diaconos, & vnaquæque cum iudicio tractent.] Quòd si solis Episcopis Presbyteros ordinandi, ac benedicendi potestas à Deo collata est cùm iuxta Paulum minor semper à maiori benedicatur, quis tam insanus, ac stupidus est, qui Episcopos ipsa Dei institutione Presbyteri, non econtrà benedicantur, ac ordinentur? Hinc est illud diuus Ambrosius dictum in cap. 2. prioris ad Timoth. [Omnis Episcopus Presbyter est, non tamen omnis Presbyter Episcopus;] Cuius ratio ea est, quòd omnis Epi-

Episcopus idcircò Presbyter est, quia ex Presbyteris ad Episcopatum assumitur, at non econuerso; omnis Presbyter Episcopus est, propter Episcopalis muneris dignitatem, qua Presbyterum antecellit.

Atque hinc crassissimum Caluini mendacium aperitur, qui Episcopum olim à Compresbyteris eligi, ac Episcopum nomine tantùm, non re nominari solere autumat: cùm Episcopos olim non à Presbyteris, sed ab Episcopis tribus saltem ordinari debere Apostolica lege sancitum fuerit, vt ex Anacleto epist. 2. & ex Concilio Nicæno 1. canon. 4. & alijs Canonibus constat, vt aliàs visum fuit.

At non modò hac ordinis conferendi potestate, ac pluribus alijs Episcopalibus muneribus, quæ ad Episcopos, non ad Presbyteros ipsis Canonum atiquorum sanctionibus spectant, velut chrisma conficiendi, infantes consignandi, altaria erigendi, Basilicas consecrandi, ac similia, quæ tum Conc. Tolet. 1. cap. 20. tum Hispalense cap. 7. solis Episcopis tribuunt; Episcopi Presbyteris præstanr, sed etiam ipsa iurisdictione, quæ ab ipsis Apostolorum temporibus Episcopis legitima fuit, vt inferiùs demonstrabimus, qua etiam Episcopus in Ecclesia Principis nomen assequutus est, vt docet Clemens I. Constit. Apostolicarum lib. 2. cap. 26. [Qui Episcopus est, ait, hic est minister verbi, scientiæ custos, mediator Dei, & vestrum, &c. Hic princeps, & dux vester, hic vester Rex, & præfectus.]

Quòd etiam affirmat diuus Ambrosius, in cap. 4. Ephes. [In Episcopo, inquit, omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est: hoc est princeps Sacerdotum.]

At obijcit Caluinus Hieronymi testimonium ex Comment. 1. capitis ad Titum, vbi videtur innuere Presbyteros Episcopis esse pares, & ex Ecclesiæ consuetudine potiùs; quàm ex diuina ordinatione factum, vt multis Presbyteris vnus præesset Episcopus. Hæc illius sunt verba. [Idem est presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur, postquam verò vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto Orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.]

Et paulò infrà. [Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ità Episcopi nouerint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regi.]

Eadem repetit libro de septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, quo testimonio olim quoque freti sunt Waldenses ad Episcopatus dignitatem euertendam.

Mirum est quomodo plerique Catholici Doctores hoc testimonio premantur; quamque in Hieronymi sententia explicanda torqueantur, vt illum ab Aerij errore vindicent.

At frustra, meo iudicio, in hoc laborant, cùm Hieronymi sententia eo tantùm spectet, vt Episcopalem iurisdictionem in certos presbyteros ab Ecclesiastico iure duntaxat manare sentiat, quæ sententia Catholica est, nec ab vllo Catholico damnatur.

Cùm enim, vt superiùs dictum fuit, duplex sit in Episcopo potestas, quædam, quæ est Episcopalis ordinis propria; altera iurisdictionis, prima quidem quæ ordinis Episcopalis est; qua scilicet presbyteros ordinare, chrisma conficere, infantes consignare, altaria erigere, Basilicas consecrare, ac similia potest, ex ipsa vi ordinationis, tum ex diuina auctoritate in Episcopum fluit, neque Hieronymus Episcopum hac potestate presbytero maiorem esse negat, quin hoc ipsum vbique fatetur, præsertim eodem libro de septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum, vbi de septimo Episcoporum ordine agens, ità inquit. [Septimus autem in his dispositionibus Episcopalis ordo est, & qui primus, & perfectus in cunctis est, qui Omnipotentiæ Dei, & in Christo donatur, ex quo processus omnium gloriarum, & plenitudo est virtutum ex quo omnia, in quo omnia, ipse enim ordinat Sacerdotes, ipse Leuitas, ipse Subdiaconos, ipse Lectores, ipse Ostiarios, ipse Fossarios, ipse arundinem tenens metitur Hierusalem, ipse fabricæ Dei præest.]

Quid de Episcopi dignitate honorificentius ab Hieronymo dici potuit, aut opportunius; quo Lutheranos, ac Caluinistas confoderet, qui Episcopo solum nomen, ac laruam nulla solida auctoritate constantem relinquunt?

Idem prætereà epistola ad Euagrium, Episcopum ordinis potestate presbytero maiorem esse apertè pronunciat. [Quid facit, inquit, Episcopus excepta ordinatione, quod non faciat etiam presbyter.]

Idem repetit epistola 48. ad Sabinianum Diaconum capit. 5. vbi satis apertè declarat, Episcopum saltem hac ordinis potestate presbytero, ipso Diuino iure præstare.

Quod verò ad iurisdictionis potestatem attinet, qua Episcopus presbyteris præesse, de causis Clericorum iudicare, presbyteros per singula loca constituere, leges præscribere solet, & alia, quæ magis ad suæ Ecclesiæ gubernationem, & externum forum, quàm ad spirituale pertinent, præstare potest, hæc tametsi à Deo ità in Ecclesia ordinata sit, vt ea Episcopi frui debeant, vt ex Matth. 18. colligitur, vbi secreta admonitione coram duobus, vel tribus testibus correptum, nec audientem Dominus Ecclesiæ denuntiari iubet: id est, Ecclesiæ Præsuli, vt exponit Chrysostomus, vt Episcopi iudicio flagitiosus ille subijciatur.

Res enim cùm semper, vel ad Summum Pontificem, vel ad Ecclesiam in Concilio congregatam deferri non possit, sanè opus est; in singulis Episcopis esse potestatem iudicandi, quæ ad iurisdictionem spectat, verùm enimuerò, quia hæc potestas exteriorem Ecclesiæ gubernationem respicit, quæ Summo Pontifici ob illius potestatis plenitudinem tota

tota commissa est, ea ità illius arbitrio relicta est, vt eam Pontifex in Episcopos extendere, contrahere, minuere, certis limitibus præfinire, penitùs auferre, demum quæcunque sibi pro Ecclesiæ vtilitate, circa eam decernere visum fuerit, proculdubio, valeat.

Hinc Episcoporum iurisdictionem à Deo quidem ità in Ecclesia ordinatam agnoscimus, vt ea Ecclesia omninò carere non possit at illam non nisi ab Ecclesia in Episcopos manare non negamus.

Hæc Hieronymi sententia est, ex intimis illius verborum sensibus deprompta, nec alium aduersarij sibi confingere valent horum verborum sensum, vbique enim de sola iurisdictionis potestate agit, & cùm ad schismata euitanda in toto Orbe decretum esse ait, vt vnus de presbyteris Episcopus crearetur, qui cæteris præesset, & cùm ex Ecclesiæ consuetudine magis, quàm ex Dominicæ dispositionis veritate processisse ait, vt Episcopi presbyteris maiores essent, neque nos ab Ecclesiæ decreto magis, quàm à Dei dispositione profectum inficiamur, vt Episcopi in presbyteros ius exerceant, quandoquidem Episcopalis iurisdictionis potestas ab Ecclesia manat in Episcopos, qua presbyteris anteferuntur, ac ius illis dicunt, quod apprimè indicat Hieronymus, cùm ait, presbyteros ex Ecclesiæ consuetudine Episcopis esse subiectos, ea enim subiectione, quæ ad iurisdictionem pertinet, apertè Hieronymus demonstrat, se de Episcoporum tantùm iurisdictione agere, qua presbyteris præferuntur.

Quare Hieronymus nihil non modò Catholicæ sententiæ officit, sed vbique nobiscum sentit, neque eo seipsos aduersarij munire debent, cùm is potiùs aduersùs illorum impietatem pugnet.

At licet Hieronymi verba id sonatent, quod aduersarij volunt, nimirum presbyteros olim fuisse Episcopis pares: attamen quando secus ex approbata Ecclesiæ consuetudine, is optimè decretum esse censet, vt scilicet ad euellenda schismatum semina Episcopi presbyteris sint maiores, non tam illis prodest Hieronymus, quo se obtegunt, quàm ab illius modestia, ac pietate illorum impudentia ac impietas damnatus, quæ in eo mirificè se prodit, quòd illi Ecclesiæ auctoritatem, ac consuetudinem toto Orbe receptam hæreticorum more contemnunt, quam is pio animo suspicit, ac veneratur.

ARTICVLVS VIII.

De necessaria Presbyterorum successione.

Restat postremo loco presbyterorum successio explicanda, quam plerique hæreticorum à vera Religione conantur auellere.

Lutherus, vt antiquiores taceam, vt omnem presbyterorum ordinem, ac successionem facilè conuellat, omnes Christianos docet in Baptismo Sacerdotes fieri.

Ità enim scribit ad Senatum Pragensem. [Sacerdos in nouo Testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur; nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes.]

Idem scribit in captiu. Babylon. cap. de ordine.

Ioannes Caluinus in Sacerdotium Catholicorum inuehitur epist. 190. his verbis. [Totum Sacerdotium Papisticum non solùm impia est veri mysterij profanatio, sed execrabilis in Christum contumelia.]

Tum Instit. lib. 2. cap. 15. §. 6. huius rationem reddit, quandoquidem nullum vult esse Sacerdotem præter Christum. [Summa tamen, ait, huc redit, non nisi in Christum competere Sacerdotij honorem.]

Mox conuerso telo in seipsum pugnans, omnes Sacerdotes affirmat. [Iam, inquit, Sacerdotis personam sustinet, non modò vt æterna reconciliationis lege Patrem nobis fauentem, ac propitium reddat, sed etiam vt nos ascisceat in societatem tanti honoris. Nam qui in nobis polluti sumus, in ipso tamen Sacerdotes offerimus nos, & omnia nostra Deo.] Hæc ille.

Quapropter tria nobis demonstranda erunt.

Primum, non omnibus æquè Sacerdotij dignitatem competere, sed nonnullis dumtaxat personis à Deo vocatis, atque ad id munus legitimè ordinatis.

Secundum, quodnam sit horum presbyterorum in Ecclesia munus, ac dignitas.

Tertium, ac postremum, presbyterorum ordinem, ac successionem in Ecclesia à Christo institutam esse, vt in ea perpetuò vigeret, quæ nonnullis Catholicis propositionibus explicabimus.

Prima propositio. [Christus tametsi sit supremus Sacerdos in Ecclesia, non tamen est solus Sacerdos.]

In prima huius propositionis particula, qua asserimus Christum esse supremum Sacerdotem, omnes aduersarij nobiscum conueniunt, id enim manifestum est ex Psalm. 110. [Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech;] Quem locum assumit D. Paulus ad Hebræos 7. vt probet Christi Sacerdotium etiamnum perpetuum esse. [Christus autem, inquit, eo quòd maneat in æternum, perpetuum habet Sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, accedentes per semetipsum ad Deum.]

Quo loco Paulus apertè demonstrat ex eo, quòd Christus viuens in æternum, æterno fungitur Sacerdotio, idcircò perpetuum esse Sacerdotem, nec illi deesse, quæ in Cœlo Patri offerat, ibi enim assiduè per Ecclesiæ Sacerdotes seipsum incruentam hostiam Patri offert, vt idem Paulus priori capite docuerat illis verbis. [Vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundùm ordinem Melchisedec, Pontifex factus in æternum.]

Porrò in secunda particula dissentiunt, vt dictum fuit; nàm Caluinus tum loco citato, tum Institut. libro 4. cap. 18. §. 1. nullum, præter Christum, Sacerdotem esse contendit: immò insigni illos iniuria Christum afficere docet, qui cum eo alios Sacerdotes asciscunt; ea idcircò nobis probanda est.

Primum argumentum desumi potest ex ipso

ipſo Caluino, qui Chriſtum idcircò Sacerdotis perſonam ſuſtinere ait, vt non modò homines Deo reconciliet; verùm multò magis, vt eos ipſo omnes Sacerdotes efficiat; quòd ſi omnes Sacerdotes ſunt ex Caluino, ergo Chriſtus non eſt ſolus Sacerdos.

Cæterum hoc argumentum tantùm contra Caluinum ex conceſſis valeat: falſum enim eſt omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe, vt infrà demonſtrabimus.

Secundum argumentum deſumitur ex Scripturis: Chriſtus enim Apoſtolos Sacerdotes inſtituit, Ioann. 20. cùm illis remittendi peccata poteſtatem contulit: [Hoc cùm dixiſſet, ait, inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.]

Inde enim Apoſtolos Sacerdotes à Chriſto ordinatos fuiſſe colligit Hyſichius in Leuitic. libro 1. cap.4. [Non idonei ſumus, ait peccata nobiſmetipſis dimittere, Chriſtus autem pro nobis propitiationem perfecit: vnde & eius voce Sacerdotes in Eccleſiam, vtpotè eius officium ſubeuntes, quibus in perſona Apoſtolorum dicebat: Quorum dimiſeritis peccata, dimiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt.]

Atque ex eodem loco Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & rurſus Chryſoſtomus in tertio libro de Sacerdotio, & diuus Ambroſius libro 1. de pœnitentia cap. 2. colligunt Sacerdotes eſſe in Eccleſia, qui peccata dimittant. [Vide (inquit Theophylactus) Sacerdotum dignitatem, quòd Diuina ſit, non humana: Dei enim eſt remittere peccata.] Cùm igitur Chriſtus Apoſtolos Sacerdotes ordinauerit, & Sacerdotes in Eccleſia ſint, non igitur Chriſtus eſt ſolus Sacerdos.

Hoc argumentum confirmat diuus Paulus 1. Corinth.4. cùm ſe non tantùm Dei miniſtrum, ſed etiam myſteriorum Dei diſpenſatorem appellat: [Sic nos, ait, exiſtimet homo, vt Dei miniſtros, & diſpenſatores myſteriorum Dei.]

Dei quippè myſteria ea ſunt, quæ à Sacerdote tractari, ac diſpenſari ſolent, velut Euchariſtiam conficere, Baptiſmum conferre, à peccatis abſoluere, de quibus Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdot. ita inquit: [Etenim, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs commiſſum eſt, vt ea, quæ in Cœlis ſunt, diſpenſent.]

Porrò hæc myſteriorum Cœleſtium diſpenſatio Sacerdotibus credita eſt, vt ait Iſidorus de offic. lib.2. cap.7. his verbis: [Preſbyteri autem interpretantur Seniores, quia Seniores ætate Græci Preſbyteros vocant: his enim ſicut Epiſcopis diſpẽſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: præſunt enim Eccleſijs Chriſti, & in confectione Diuina Corporis, & Sanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt.]

Quamobrem cùm Paulus ſe diſpenſatorem myſteriorum Dei vocat, proculdubio Sacerdotem ſe eſſe inſinuat, nec tamen vllam ſe putat Chriſto iniuriam irrogare, aut Chriſti Sacerdotium euertere.

Præterea ex eodem Paulo ad Hebr. 6. vbi ait: [Præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech, Pontifex factus in æternum;] duplici argumento colligimus: Sacerdotum multiplicationem in Eccleſia non modò Chriſti Sacerdotio non infenſam, ſed potiùs neceſſariam eſſe.

Primum argumentum eſt à Pontificis nomine: Pontifex enim is dicitur, qui ſupremam inter Sacerdotes dignitatem obtinet: inde namque apud Hebræos ij ſoli Pontifices appellabantur, quibus Sacerdotum turba parebat (vt notum eſt) cùm id paſſim in veteris Teſtamenti codicibus perlegatur; nàm Iudith 15. de Ioachim Pontifice legitur: [Ioachim autem ſummus Pontifex de Hieruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis Preſbyteris ſuis, vt videret Iudith.]

Ac propterea alio nomine etiam ſummus Sacerdos dicebatur, quaſi ſummo inter Sacerdotes gradu præcellens: ita ſit, vt inter Pontificem, & Sacerdotes relatio quædam mutua conſtituta videatur, velut inter patrem, & filios; inter ſuperiorem, & inferiores; vt nec Sacerdotes ſine Pontifice, nec Pontifex abſque Sacerdotibus eſſe poſſe videatur.

Paulus igitur cùm Chriſtum Pontificem appellat, ſine dubio ex ipſa vi nominis ſuos illi Sacerdotes aſciſcit, quibus Pontifex dici poſſit.

Neque obijcere valent aduerſarij, Chriſtum extremum fuiſſe Pontificem ſecundùm ordinem Aaron, cuius ordinis prorſus antiquati ſunt Sacerdotes: nam Paulus Chriſtum, non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontificem nuncupat. Porrò licet Chriſtus etiam ſecundùm ordinem Aaron Pontifex fuerit, cùm ſeipſum Patri ſacrificium in cruce obtulit, quo Aaroniticum Sacerdotium deleuit, ſeu potiùs compleuit. Attamen potiſſimum illius Sacerdotium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, cuius à Deo Pontifex perpetus creatus fuit, in quod Aaroniticum prius illud Sacerdotium tranſtulit, vt ipſemet Paulus teſtatur eodem capite: [Si ergo, ait, conſummatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Tranſlato enim Sacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat.]

Quapropter neceſſe fuit, illi alios quoque Sacerdotes, ſecundùm ordinem Melchiſedech, quorum Pontifex eſſet, aſſignari. Non igitur Chriſtus eſt ſolus Sacerdos.

Alterum argumentum deſumitur ex appoſita particula, *In æternum*, qua Paulus poſt Dauid Chriſti Sacerdotium non temporale, inſtar illius prioris, ſed perpetuum, ac æternum eſſe docet, cuius illum perpetuum Pontificem deſignat.

Hinc ita argumentum deducimus, Chriſtus eſt Pontifex in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, igitur perpetuos habet Sacerdotes ſibi ſubiectos; conſequentia nota eſt ex priori argumento.

Nàm ſi is ſolus Pontifex eſt, qui ſub ſe habet Sacerdotes, profectò ſi is æternus Pontifex eſt, æternos habeat Sacerdotes, neceſſe eſt; ſed præterea alia id ratione probatur.

Nàm æternitas Sacerdotij, ac Pontificatus

catus Christi absque Sacerdotibus non potest consistere: etenim cùm Sacerdotium, ac Sacrificium ita inter se coniuncta sint, vt Sacerdotium nullibi, absque Sacrificio reperiri queat: indè enim apud Græcos Sacerdos *Thytis*, dicitur, à *Thyein*, quod est sacrificare, vndè *Thysia* Sacrificium; & apud Latinos Sacerdos dicitur, quasi sacra dans, idest, Sacrificia offerens; vt docet Anselmus in epist. ad Hebr. quod etiam aduersarij non negant, cùm in sua versione Gallica Bibliorum, vbicumque Sacerdotis nomen offendunt, vertunt, *Sacrificateur*.

Id tandem confirmatur ex Paulo ad Hebr. 5. vbi de Pontificis officio agens, ita ait: [Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccaris, &c.]

Notanda est vniuersalis illa affirmatiua, *omnis Pontifex*, quæ æquiualet huic. Nullus Pontifex constituitur, quin offerat dona, & sacrificia, quod etiam cap. 8. confirmat, cùm ait: [Omnis Pontifex constituitur ad offerenda munera, & hostias;] tum paulò post, de Christo agens: [Necesse est, inquit, & hunc habere aliquid, quod offerat.]

Si Christus Pontifex, ac Sacerdos appellari debet, planè opus est, vt Sacrificium pro peccatis offerat: at verò cùm is modò per se Sacrificium non offerat, illi Sacerdotes ascire necesse est, per quos is æternum Pontificis munus implere queat.

Quod si dicaue, Christum in Cælo sacrificium crucis Patri semper offerre, ac proindè non esse absque sacrificio, neque alijs, quàm seipso Sacerdotibus indigere.

His obstat primùm, locus: nàm ibi tantùm locus sacrificij, & expiationis peccatorum esse debet, vbi peccata ipsa perpetrantur; sed in Cœlo non perpetrantur facinora, sed tantùm in terra, igitur tantummodò in terra, non in Cœlo sacrificia offeruntur.

Obstat etiam tempus, nàm si Christus in Cœlis Patri sacrificium Crucis semper offerret, vtique semper haberet ipsum sacrificium præsens; neque enim fieri potest, vt actu sacrificator sit, & ipsum sacrificium præsens non habeat. At quomodò Christus in Cœlo crucis sacrificium præsens habere potest, cùm iampridem actio sacrificij transierit? Dicent fortè Christum in Cœlo habere crucis sacrificium præsens, quatenus præteritam illius sacrificij actionem Patri, velut præsentem offert: at hoc non est verè sacrificium offerre; hoc enim pacto, omnes Sancti, ac mulieres in Cœlo existentes, cùm ad Deum erga homines placandum crucis sacrificium Deo offerunt, Sacerdotes dici possent.

Tria enim ad sacrificij substantiam pertinent.

Primum, vt res ex prophana fiat sacra.

Secundum, quòd res sacra in sacrificium Deo offeratur, ita vt tunc sacra fiat, cùm offertur.

Tertium, quòd consummetur: Christus verò in Cœlo nihil habet, quod ex prophano fiat sacrum, totum enim sacrum est, cùm priùs Deo in sacrificij crucis oblatione sacratum fuerit, quapropter nec rem sacrificio sacrandam Patri offerre potest, Denique ibi nulla rei sacrificio immolatæ consumptio est, nec esse potest, cùm res, quæ immolari deberet, quæ est caro Christi, vtpotè gloriosa consummari non possit, indè rectè colligimus Christum in Cœlo sacrificium non offerre.

Cùm igitur Christus Sacerdos esse non possit, nisi sacrificium aliquo modo offerat, cum per se id efficere non possit, sanè constat id eum non alia ratione, quàm per Sacerdotes præstare, ac propterea Sacerdotes illi tribui debere.

Ita hunc locum explicat Oecumenius in epistola ad Hebr. cap. 5. his verbis: [Non ad ipsam tantùm, quæ à Deo semel facta est, ostiam, & oblationem dixit in æternum; sed ad nostri temporis Sacerdotes inspiciens, per quos Christus & sacrificat, & sacrificatur; quique eis in mystien illo conuiuio, ac cœna, Sacerdotij huius tradidit formulam.]

Eamdem quoque explicationem adhibet Anselmus in epist. ad Hebr. cap. 5. [Tu es Sacerdos, inquit, idest, sacra dans per te, & per tuos in æternum.]

Plurima omitto Patrum testimonia, quæ Sacerdotes citra Christi contumeliam in Ecclesia esse clamant, res enim ita clara est, vt vel ipsis cæcis perspicua esse possit.

Secunda propositio: [In Ecclesia, quicumque baptizati sunt, non omnes sunt Sacerdotes.] Quæ propositio expressè cum Lutheranorum, ac Caluinistarum doctrina pugnat.

Ac primam huius rei probationem à priori Caluini doctrina, quam superiori propositione impugnauimus, petere lubet.

Ibi enim cùm Caluinus affirmet neminem præter Christum Sacerdotem esse, planè seipsum euertit, cùm deinceps omnes Sacerdotes esse contendit; sed cum prior doctrina velut falsa à nobis reiecta fuerit: extremus quoque, ac oppositus illi error facilè leuitatis conuincitur.

Primum ab ipso Orbis consensu. Neque enim vlla vmquam natio ita commune habuit Sacerdotium, vt sine discrimine omnes Sacerdotis officio fungi pateretur. Quis enim omnes apud Ægyptios Sacerdotes, omnes apud Indos Gymnosophistas, omnes apud Persas Magos, omnes apud Gallos Druidas, omnes apud Romanos Flamines, omnes apud Turcas Santones (his enim nominibus olim Sacerdotes appellarunt) vmquam esse existimauit?

Certè priscorum Philosophorum, qui olim homines sapientia antecellebant, ea communis semper sententia fuit, vt Sacerdotes à communi plebe quamplurimùm distare debere, ac summo præ cæteris honore colendos esse ducerent; neque enim (inquit Arist. lib. 7. Polit. cap. 9.) agricola, neque artifex, neque vilium exercitiorum quisque Sacerdos est deputandus: honos namque Dijs est à Ciuibus impendendus.

Plato etiam Sacerdotes ita à populo distinguit, libro 16. qui est de Regno: vt eos maiori charitate oportere abundare affirmet, propter eorum, quæ tractant magnitudinem.

Cicero, & Valerius plurima de Sacerdotum Religione ab antiquis magno in pretio habita scribunt.

Neque

Neque olim apud Ægyptios, ob ſingularem illorum in Sacerdotes venerationem, licebat Regem, abſque Sacerdotio imperare.

Demùm hic vniuerſi Orbis ſemper conſenſus fuit, ac omnium ſeculorum ſententia, vt cùm Deum cum primis ſacris quibuſdam ritibus colendum eſſe ducerent: ſacros etiam quoſdam homines à communi plebe delectos conſtituerent, qui ſacrificia offerrent; reſponſa in incerto rerum ſtatu redderent, populo benedicerent, atque alia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, ſacra peragerent: quamobrem cùm totius Orbis conſenſus, quaſi quædam naturæ vox ſit, planè aduerſarij ipſum naturæ ordinem euertunt, cùm omnibus promiſcuè Sacerdotij dignitatem conferunt.

Secundo ex veteris Synagogæ teſtimonio hic error refellitur. Nemo enim ignorat antiquæ Synagogæ Sacerdotes ita Dei inſtitutione à reliqua plebe ſeparatos fuiſſe, vt proprium munus, à quo reliquum vulgus arcebatur, in Templo exercerent. Sic enim Exod. 30. præceptum legitur: [Aaron, & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos, vt Sacerdotio fungantur mihi.]

Et num. 3. [Aaron autem, & filios eius conſtitues ſuper cultum Sacerdotij. Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.]

Hinc Saul Iſraelitici populi Rex, inter alias cauſas, ob id à Deo reprobatus legitur, quòd holocauſtum offerre temerè præſumpſit, cùm Sacerdos non eſſet: nec impunè Ozias, tametſi præpotens Rex, incenſum Domino in Templo adolerè auſus eſt, quod Sacerdotum munus erat, quandoquidem ſtatim lepra à Deo percuſſus de Templo ejectus eſt, illis Azariç verbis ſeuerè correptus: [Non eſt tui officij, ò Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, ideſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium: egredere de ſanctuario.]

Quòd ſi Regi, Sacerdotij ſibi ius arripere non licuit, quantò magis cæteris prophanis hominibus, qui Leuitici generis non erant, id numquam licuiſſe credendum eſt? Quid igitur aduerſarij garriunt, omnes æquè Sacerdotes inſtitutos eſſe?

Scio quid obmurmurent. Hoc nimirum, non Synagogæ, ſed Eccleſiæ Chriſti priuilegium eſſe, vt omnes quotquot Baptiſmi tincti ſunt, Sacerdotes exiſtunt, ac Sacerdotij ſocietatem cum Chriſto naneiſcantur.

Ac ſi ab ipſis quærimus, qua ratione id Baptiſmus nobis conferat: hæc illorum communis vox eſt, homines Baptiſmo Chriſti participes effici, ac Chriſtum induere, iuxtà illud Pauli ad Galat. 3. [Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.] Ac proindè Sacerdotes effici. At ſi Chriſtum induere eſt Sacerdotem fieri: certè illos fateri opus eſt, quotquot in antiquo illo Synagogæ ſtatu veram fidem coluerunt; Sacerdotes extitiſſe; cùm & ipſi Chriſtum, tametſi venturum, induerint, & in Chriſto baptizati ſint, teſte Paulo 1. Corinth. 10. vbi affirmat, priſcos omnes illos Patres, qui ſub veteri lege continebantur, Chriſti fidem, tametſi ſub figurarum inuolucris, coluiſſe: [Nolo, inquit, vos ignorare fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari: & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducauerunt; & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt; bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.]

Cùm igitur eadem Chriſti fides, & priſcos illos Synagogæ homines, & Chriſtianos, illos quidem implicita, hos explicita Chriſto coniunxerit, ac Chriſti participes effecerit; profectò nulla ratio eſt, cur hoc Chriſtianæ Eccleſiæ magis, quàm Synagogæ priuilegium tribuant, vt eo Chriſtianos tantummodò, non Hebræos omnes Sacerdotes conſtituant. Quòd ſi omnes per Baptiſmum Sacerdotes fiunt, quid mulieres Sacerdotiſſas appellare prohibet, quæ Baptiſmum acceperunt?

At certè falluntur aduerſarij, cùm Baptiſmo omnes Sacerdotes fieri ſibi perſuadent: Baptiſmo enim mortis, ac meritorum Chriſti tantùm participes efficimur, quibus in nouum hominem reſurgimus, vt idem Apoſtolos teſtatur ad Romanos 6. [Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.]

Atque indè Chriſtum induimus, cùm per fidem, ac charitatem in Chriſto viuimus: non autem Sacerdotij Chriſti ſocij efficimur cùm Sacerdotium Chriſti nihil protsùs cum Baptiſmo commune habeat; præter id quòd Baptiſmus Sacerdotij Chriſti effectus eſſe agnoſcitur.

Cum verò Sacerdotium Chriſti tam à Baptiſmo diſtet, quàm cauſa à ſuo effectu recedit, idque ſolum nobis Baptiſmo conferatur, quòd ipſam Baptiſmi efficientiam conſequitur, ſcilicet peccatorum remiſſio, indè exploratum eſt, Chriſti Sacerdotium in Baptiſmo communicari non poſſe, cum illud Baptiſmi cauſa, non effectus ſit.

Neque enim Paulum vnquam dixiſſe commemorant, Baptiſmo nobis Chriſti Sacerdotium conferri, aut participes eius Sacerdotij fieri.

Malè igitur hoc Eccleſiæ priuilegium ſonat, quod nulla diuina, aut Apoſtolica lege collatum habetur.

Aliam huius priuilegij cauſam aſſignat Caluinus. Ait enim Chriſtum ideircò Sacerdotis perſonam geſsiſſe, vt nos in ſui Sacerdotij ſocietatem aſciret: at certè mirum eſt, quòd Paulus, qui in epiſtola ad Hæbreos, in deſcribendo Chriſti Sacerdotio, ac illius fine tam copioſus eſt, præſertim 9. capite, vbi Chriſti Sacerdotium eò tendere docet, vt homines Deo reconciliet. [Nunc autem, inquit, ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit: Et paulò infrà. Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.] Numquam tamen huius finis meminit, quem nobis Caluinus commemorat, vt ſcilicet nos in partem ſui Sacerdotij vocaret. At ſicut hic finis Apoſtolo ignotus fuit: ità Eccleſia ab Apoſtolis edocta hunc finem ignorat, cùm nullam præter Apoſtolicam doctrinam recipiat.

piat. At miror, cùm Christi Sacerdotium ità cum Regno conniunctum sit, vt ab eo nullatenùs diuelli possit: vnde Petrus Christi Sacerdotium regale appellat. Cur Caluinus omnes Christianos Reges quoque esse non sentiat? Accedat, quòd si Christi Sacerdotium eò spectabat, vt omnes Christi fide imbutos Sacerdotes constitueret: cur tam pauci apud Hæbreos Aaronitico Sacerdotio fungebantur, quod Christiani Sacerdotij typum gerebat: nam si æquum eft figuram veritati respondere, quemadmodum vni Christo vnus Pontifex respondebat (vt restatur Paulus) ità fieri opus erat, vt omnibus in Christiana Ecclesia, Sacerdotij honore insignitis, omnes etiam in Synagoga Sacerdotio fungerentur. Euanescit igitur friuolum hoc Ecclesiæ priuilegium, sola Lutheranorum, ac Caluinistarum mente compactum, ex quo integrum nostrum argumentum manet.

Tertiò ex comparatione Ecclesiæ, & Synagogæ hic error exploditur. Cùm enim Christi Ecclesia nulla ex parte inferior sit Synagoga; si illa sacros Sacerdotes diuinorum munerum functores, à plebe distinctos, inunctos, ac præstantiori quadam dignitate fulgentes tantùm sibi asciuit; cur hæc sacrorum Sacerdotum ornamento expoliata, viris æquè, ac mulieribus, pueris, ac infantibus, sanis, atque insanis, dignis, & indignis, rudibus, ac imperitis: demùm profanæ plebi, ac multitudini nullo discrimine sacrum Sacerdotij munus obeundum deferet? Immò cùm Christi Sacerdotium tantò Hæbreorum Sacerdotio præstantiùs, & eminentiùs sit, quantò veritatis lux ipsam figurarum noctem antecellit; an non ijs Sacerdotibus nitere debet, qui quo præstantiori munere funguntur, eò puriores, ac sacratiores, & à communi plebe remotiores esse debent, vt eo puriùs, ac honestiùs diuinioribus, ac sanctioribus rebus vacare possint? Id enim in omnibus Sacerdotibus, ac Pontificibus fieri æquum est; quod D. Paulus in Christo perfectum esse docet ad Hebr.7. [Talis enim, inquit, decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cœlis factus.] Quòd si priscis illis Gentilium Sacerdotibus, sacra agentibus exclamare licebat; *Procul ò procul este profani*. Si apud veterem Synagogam diuina lege cautum erat, ne externus, & qui Sacerdos non erat, ad altaris ministerium accederet, vt perfectiùs, ac honestiùs diuinæ res ministrari possent: cur Ecclesia Christi profanos, externos, ac nullo Sacerdotij honore præstantes, ad ius Sacerdotij vocare credenda est.

Quartò idem reijcitur ex ipso Sacerdotis nomine. Dicitur enim Sacerdos, quasi sacra dans, vt notat Rabanus de vniuerso lib.4. cap.5. ex quo duo elicimus. Primum, laicis nullo modo Sacerdotium connenire; cùm ij sacra non dent, neque ijs datum sit sacris sese immiscere; immò ipso antiquo iure id illis vetitum sit. Nam Clemens I. lib. 2. Constit. Apost. cap.20. narrat sic ab Apostolis statutum fuisse. [Neque laicos concedimus, aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, Baptismum, manus impositionem, vel benedictionem magnam, siue paruam. Non enim sibi quis sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, & per Episcopi manus datur hæc dignitas: & qui ad eam promotus non est, sed eam sibi vsurpat, Oziæ pœnam sustinebit.] Hinc Sozomenus lib. 7. Eccl. Hist. c.24. & Theodoret. lib. 5. Hist. Eccles. c.18. D. Ambrosium Imperatori, se in loca Sacerdotum ingerenti, ità dixisse ferunt. [Adyta templi scito, ò Imperator, solis peruia esse Sacerdoribus; cæteris verò vniuersis impervia: nec licere cuiquam ea contingere; quare egreditor, communque cæteris in commune consistito. Purpura enim Imperatores, non item Sacerdotes facit.] Quapropter Concil. generale 6. quod est Constantinop. 3. can.58. laicos à Diuinis ministerijs omninò arcet. [Nemo eorum, inquit, qui sunt in ordine laicorum, Diuina sibi mysteria impertiat.] Concil. Turonense 3. ingressum in sanctuarium laicis interdicit, can.4. [Laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare penitùs non præsumant.] Atque idem decretum renouat Concil. Coloniens.3. par.3. c.31. Ex quo primùm constat, non omnes Sacerdotes esse, cùm Laici Sacerdotio fungi prohibeantur. Alterum est; quòd qui sacra attrectare, ac alijs ministrare debent, eos excellentiori vitæ forma, ac nobiliori virturum splendore plebi præstare decet, vt sacris rebus Diuinus honor habeatur. At si cuncti Sacerdotes sunt, & rudis quilibet, ac gregalis homo id muneris sibi vsurpat, quisnam Diuinis rebus honos exhibetur; cùm digni, ac indigni promiscuè eas administrent? an non contumelia Deo irrogatur, cum indigni rerum sacrarum administri ei adhibentur? Propterea Origen. hom. 6. super Leuit. docet Sacerdotem populo præstantiorem esse debere. [Requiritur, inquit, in ordinando Sacerdote, & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.] Præterea si omnes in Ecclesia Sacerdotes sunt, si omnes sacra dant, quæ erit plebs, quæ sacra non det, sed tantùm accipiat? Igitur non omnes Sacerdotes, sed aliquos tantùm esse oportet, quibus sacrorum administratio commissa sit.

Quintò hunc errorem apertè diuinæ Scripturæ damnant, nam cùm Apostolis dumtaxat Dominus (vt habetur Ioan. 20.) remittendorum peccatorum potestatem contulerit. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.* Cùm ijs tantùm ius ligandi, atque soluendi tradiderit. Matt.18. *Quæcumque alligaueritis super terram, &c.* cùm ijs solis conficiendæ Eucharistiæ facultatem tribuerit Luc.22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Denique cùm illis tantummodò docendi munus demandauerit Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes*. Planè constat eos dumtaxat, non omnes, Sacerdotes à Christo ordinatos fuisse, quibus Diuina hæc mysteria credita sunt. Cæterùm cum hoc ibs tantùm in Apostolorum successores, qui Sacerdotes in Ecclesia ordinantur, translatum fuerit, vt testis est D. Ambrof. lib. de Pœnit. cap.2. [Ius, inquit, ligandi, atque soluendi solis Sacerdotibus permissum est.] Nemini dubium est: non omnes in Ecclesia esse Sacerdotes, sed eos tan-

tantùm, quibus legitima ordinatione horum mysteriorum administrandorum munus collatum est.

Deindè ne temerè quilibet Sacerdotij dignitatem inuaderet, monet diuus Paulus Heb. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*. Ex quo habemus eos tantùm in Ecclesia Sacerdotes esse, qui imprimis à Deo vocantur, atque à populo segregantur: ità namque vocatus, ac segregatus fuit Aaron, cùm Moysi dictum fuit Exod. 28. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis suis de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungantur mihi*. Deindè ab Ecclesiæ Præsulibus legitimè ordinantur: sic enim & consecratus fuit Aaron, vt legitur Exod. 29. *Oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur*. Neque enim vllus in Ecclesia Presbyter, aut Sacerdos esse potest, qui legitimè ab Episcopo ordinatus non fuerit, vt docet Dionys. Areopag. de Eccles. Hiararch. cap. 5. par. 1. [Ne ipse quidem, inquit, Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus;] quod etiam confirmat Anacletus epist. 2. [Sacerdotes, inquit, à proprio ordinentur Episcopo: ità vt ciues, & alij Sacerdotes assensum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent.] Idem statuitur in Concil. Niceno 1. can. 60. ex Arabico, & Carthag. 4. cap. 3. Cùm igitur Sacerdos à proprio Episcopo, iuxtà antiquorum Canonum decreta ordinari debeat, quis omnes Christianos à proprio Episcopo ordinatos? quis omnes sacro oleo inunctos, atque ad Sacerdotale munus electos censeat?

Patrum clarissima testimonia præter eo, quæ aduersarijs haud ignota sunt, quibus hęc Lutheranorum, ac Caluinistarum doctrina prorsùs exploditur.

Venio ad aduersariorum argumenta, quibus suum errorem confirmant. Tria potissimùm Scripturarum loca nobis aduersarij objiciunt, ex quibus sua argumenta depromunt. Primus est 1. Pet. 2. *Et ipsi*, inquit, *tanquam lapides viui, superædificamini, domus spiritalis, Sacerdotium sanctum*. Ex quo ità arguit Lutherus. Petrus docet omnes fideles in Sacerdotium sanctum ædificari, igitur omnes fideles sunt Sacerdotes: consequentia patet. Nam in Sacerdotium ædificari, est Sacerdotem fieri.

Secundus locus est apud eundem Pet. eodem cap. paulò infrà. [Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, &c. Ex quo secundò ità arguit. Christianus populus est genus à Deo electum, regale Sacerdotium, igitur ex Dei electione, ac institutione omnes Christiani sunt Sacerdotes.

Tertius locus est Ioan. Apoc. 5. *Et fecisti*, inquit, *nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*. Cui etiam & illud additur Apoc. 20. *Erunt Sacerdotes Dei, & Christi eius*. Ex quibus hoc argumentum conflant. Christus ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione Christianos Sacerdotes fecit, ergo omnes Christiani Sacerdotes ex Christi institutione existunt. Hæc illorum potissima argumenta sunt, quæ vt leuia sunt, ità facilè dissoluuntur. Porrò ad eorum solutionem, non alio auctore opus est, quàm ipsis Apostolis, quorum hæc loca sunt. Quid ait Petrus? nos superædificari Sacerdotium sanctum: atque inde infert Lutherus, omnes Christianos Sacerdotes esse; optimè quidem, si de spirituali, ac mystico Sacerdotio intelligeret; sed cùm de proprio Sacerdotio verba Petri interpretetur, malè arguit. Quæret, quo testimonio id probem: planè eiusdem Petri, verùm ex verbis, quæ ille mutis instar extremo loco corrosit. Cur non integram Lutherus Petri sententiam protulit, quæ hoc ipsum illi probasset? En integer locus. [Tamquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, &c. Luthero postrema hæc verba molesta erant, quandoquidem promiscuum Sacerdotium suum euertebant, ac propterea alto silentio sepelit.

An negare potest Lutherus tale esse Christianorum Sacerdotium, quod hoc loco à diuo Petro asseritur, quales sunt hostiæ, quæ in eo immolantur. At Petrus spirituales tantum hostias huic Sacerdotio tribuit. *Offerre*, inquit, *spirituales hostias, acceptabiles Deo*. Igitur spirituale tantùm Sacerdotium hoc esse opus est, quod spirituales tantùm victimas offert. Quo sensu etiam alter eiusdem Petri locus, quem paulò post subijcit, accipiendus est, cùm sit: fideles esse genus electum, ac regale Sacerdotium: atque eodem, & reliqua Ioannis testimonia exponenda sunt: cùm omnes à Christo Sacerdotes factos esse affirmat. Dicat enim Lutherus, si omnes Christiani ex his Petri, & Ioannis testimonijs propriè Sacerdotes institutos esse colligit, cur non etiam propriè reges esse affirmat? Vterque enim & Regnum, & Sacerdotium simul connectit. *Regale Sacerdotium*. Petrus. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*: ait Ioannes. At num ita Lutherus desipiet, vt omnes Reges propriè esse dicat: cùm neque omnes Reges esse, neque multos imperare, sed multò plures subditos, quàm Reges esse inter Christianos perspicuum sit? Quòd si Christianos idcircò Reges appellare vult, quod sub Christo Rege spiritualiter militent, ac illi subijciantur, cui subijci regnare est: cur non eadem ratione etiam Sacerdotes nuncupari existimat, vt scilicet non Ecclesiastica ordinatione Sacerdotio fungantur, sed vel Deo spiritualiter sese in holocaustum offerant; & carnis concupiscentias, atque animi cupiditates spiritus gladio sacrificent, vel vt D. August. exponit lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 10. ideò Sacerdotes vocentur, quia Christi, qui supremus Sacerdos est, sint spiritualia membra. [Non vtique, inquit August. de solis Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia Dei Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma: sic omnes Sacerdotes, quoniam sunt membra vnius Sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus. Gens, inquit, sancta, regale Sacerdotium.] ità etiam hæc loca de spirituali Christianorum Sacerdotio interpretantur Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 1. Hieronymus contra Lucifer. Chrysost. hom. 16. in Matt. Basilius de Baptismo q. 8. Rabanus de Sacram. Altaris c. 24. & Beda in hunc locum Petri.

At quamuis hoc sensu omnes Christiani, Sacerdotes spirituales dicantur: id tamen

nul-

nullo modo Sacerdotalem ordinem, ac dignitatem minuit, quæ non omnibus, sed nonnullis dumtaxat selectis hominibus ad eam Ecclesiæ ministerio vocatis, & ordinatis confertur, quibus & proprium Sacerdotum munus exercere, & distinctum à plebe gradum obtinere, ipsa Dei institutione collatum est: quo fit, vt his tantummodò propriè Sacerdotis nomen conueniat, qui hoc in Ecclesia publico munere perfunguntur.

Denique illud in hoc aduersariorum errore planè intolerabile est, quòd pueros, fœminas, cæcos, dementes, furiosos, dummodò baptizati sint, omnes Sacerdotes esse volunt. Egregium sanè Sacerdotium, cuius muneri obeundo pares sunt infantes, qui necdum quale sit Sacerdotum munus, aut quid ipsum Sacerdotium sit, agnoscunt. Indoctæ mulieres, quibus à Paulo nihil magis, quàm loqui, docere, ac multò magis Sacerdotale munus in Ecclesia exercere interdicitur. Cæci, qui ab ipsa vmbra veri Sacerdotij olim apud Israeliticum populum arcebantur: amentes, furiosi, qui Sacerdotio prorsùs indigni censentur. Cur non & bruta animalia accersis Luthere, vt hoc tuo Sacerdotio fungantur? At profectò neque ea omninò respuit: nam cùm is totam vim ad culpam delendam fidei ascribat: indè deducit, nihil omninò referre, an absolutionis Minister sit vir, aut fœmina, aut puer, ac propterea docet, puerum æquè benè, vt Papam absoluere. At si à Luthero percontetur quispiam: Si pœnitens à Psitacho audiret: Ego te absoluo, & is illi constantissimè crederet, an is esset absolutus, necne? Certè iuxtà Lutheri doctrinam se absolutum credere debet, quandoquidem tota absolutionis vis pendet à fide, non ab homine. Igitur à quocumque audiat: Ego te absoluo, & credat, is absolutus proculdubio erit. Absolutio verò cùm à nullo præterquàm à Sacerdote iure impendatur: ipse quoque Psitachus erit Luthero Sacerdos, ne bruta ipsa tanto Lutheri Sacerdotio desint.

Tertia propositio. [Sacerdotes in Ecclesia tantùm sunt homines electi, atque ad Sacerdotale munus ab Episcopis specialiter ordinati.] Huius rei plurima, tum ex Scripturis, tum ex Patribus, tum ex Concilijs suppetere possunt testimonia. Nam Act. 14. legitur de ordinatione Presbyterorum. [Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.] Extant preterea Canones Nicænæ Synodi primæ 60. ex Arabico. Concilij Neocæsareensis, can. 11. Trullens. can. 14. Conc. Carthag. 4. c. 3. Agathens. c. 17. Toletan. 4. c. 20. Braccarensis 3. c. 3. & aliorum Conciliorum, de quibus sequenti propositione agemus. Vnicum hic dumtaxat Clementis I. testimonium expendere lubet, qui Constitut. Apostolicarum lib. 8. c. 52. ità scribit. [Non omninò omnis, qui credit, continuò Sacerdos est, & Pontificium consequitur honorem. Post autem Assumptionem Christi, nos oblato secundùm eius ordinationem sacrificio puro, & incruento, constituimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos prospicientes periculum impendens his, qui ordinationem perturbant: arripientes sibi dignitates non commissas, & tyrannicè sibi vendicantes ea, quorum non habent potestatem, & irritant Spiritum sanctum, cuius testimonium euertunt.]

Iam hic aduersarios obtestor, vt singula Clementis verba mecum euoluant, ijs enim non modò illorum errorem prosterni, quo omnes Sacerdotes esse volunt, verùm & perfidiam apertè declarari perspicient, qua sacris, ac electis à Deo hominibus Sacerdotij honorem eripiunt. Imprimis cùm baptizatos, quoscumque Sacerdotes esse docent, sanè apertè illos Apostolicus vir erroris redarguit, cùm ait; non omnem, qui credit, continuò Sacerdotem esse. Præterea cùm sacrificio altaris incruento pleno ore detrahunt, cuius oblationem, quæ Sacerdotis propria est, velut Christo contumeliosam conuellunt. En quàm apertè Clementis ex persona Petri loquentis testimonio impietatis accusantur. En Christi ordinationem. En sacrificium incruentum. En oblationem à Christo institutam. En Episcopos, ac Presbyteros specialiter ad id munus electos. [Nos, inquit, oblato secundùm eius ordinationem sacrificio puro, & incruento, constituimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.] At qui sunt, qui legitimam Sacerdotum ordinationem perturbant? Planè aduersarij, qui vt sacrum Sacerdotium electis ab Ecclesia hominibus collatum prosternant, omnes *promiscuè* Sacerdotes esse autumant: hi nimirùm Sacerdotij dignitatem à nemine sibi collatam arripiunt, & quam nulla Dei vox, aut Ecclesiæ ordinatio Sacerdotij illis potestatem contulit, quasi per vim, ac tyrannicè inuadunt. Hi tandem sunt, qui Scripturarum testimonia sinistra interpretatione, vt suo errori faueant, ad se indignè compellunt, quo acerbiùs Spiritum sanctum Scripturarum auctorem irritent. Hæc omnia vir Apostolicus adamussim prædixit, cùm ait. [Prospicientes periculum impendens his, qui ordinationem perturbant, arripientes sibi dignitates non, &c.] Quapropter audiant aduersarij, quid tandem Apostolorum discipulus concludat. [Dicimus ergo, inquit, neminem sibi arripere debere Sacerdotalem honorem, sed vel à Deo esse accipiendum, quod fecit Melchisedech, & Iob, vel à Pontifice, vt Aaron accepit à Moyse.] Ex his perspicuùm est, non omnes æquè Sacerdotes esse, neque omnibus promiscuè Sacerdotij ius competere, sed eos dumtaxat propriè Sacerdotes appellari, qui à plebe semoti, legitima Episcoporum ordinatione Sacerdotij dignitatem in Ecclesia obtinuerint.

Quarta propositio. [Presbyterorum ordo, ac dignitas in Ecclesia à Christo est instituta.] Huius propositionis veritas partim superiùs demonstrata fuit in prima propositione: vbi in secundo argumento probauimus Apostolos à Christo Sacerdotes ordinatos fuisse; tum illis verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum, &c.* tum ex Paul. 1. Cor. 4. vbi Paulus cùm se Dei ministrum, ac diuinorum mysteriorum dispensatorem appellat, Presbyterum se profitetur. Cùm igitur Christus Apostolos Presbyteros instituerit, perspicuum est hoc primo argumento

Pres-

Presbyterorum ordinem à Chriſto in Eccleſia inſtitutum eſſe.

Porrò ſecundum argumentum eſt Apoſtolos poſt Chriſti Aſcenſionem non ſolùm Presbyteros ordinaſſe, vt conſtat ex Actibus Apoſtolorum de Paulo, & Barnaba, de quibus ait Lucas. [Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt; ſed etiam à ſe conſtitutis Epiſcopis ordinandorum Presbyterorum poteſtatem contuliſſe, quod ſanè exploratum eſt: nam Paulus Tito Cretenſi Epiſcopo mandat, vt Presbyteros per ſingulas Ciuitates ordinet: ità habetur ad Tit.1. [Huius rei gratia, inquit, reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Ciuitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.] Ac prætereà Timotheum Epheſiorum Epiſcopum monet, vt nemini citò manum imponat, quod de Presbyterorum ordinatione dictum eſſe, ſuperiùs ex ſententia D. Hieron. ad cap.18. Iſa. Leonis I. epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos cap. 1. & Theodoreti in eum locum explicauimus. At certum eſt Apoſtolos numquam id ſibi ius in Presbyterorum ordinatione arripuiſſe, niſi illud ex Diuina Chriſti inſtitutione profectum accepiſſent.

Tertium argumentum eſt ex conſenſu Eccleſiæ. Eccleſia enim id ſemper certum, ac firmum habuit Presbyterorum ordinem à Chriſto inſtitutum fuiſſe, atque id contra Hæreticos coſtantiſſimè defendit, vt docent vetuſtiſſimi Patres. Nam Chryſoſtom. lib.3. de Sacerdotio. [Sacerdotium, inquit, in terra quidem peragitur: ſed in rerum cœleſtium claſſem, ordinemque referendum eſt: atque id per quàm meritò: quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed Deus ipſe ordinem huiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiam nunc in carne manentibus auctor fuit, vt Angelorum miniſterium animo conciperent.] Sed Chryſoſtomo antiquior Ambroſ. lib. de dignitate Sacerdotali c.4. Presbyterorum ordinem ex Diuina inſtitutione, ac gratia manare diſertè docet. [Quis dat, inquit, frater Epiſcopalem gratiam? Deus an homo? reſpondes ſine dubio, Deus: ſed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus: Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextra. Epiſcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.] Verùm vtroque prior Dionyſius Areopag. de Eccleſ. Hierarch. cap. 1. hoc apertè contra aduerſarios docet, his verbis. [Sacerdotij quidem noſtri functionem ſanctiſſime fili Timothee, auguſtioris eſſe, ac diuinæ, & diuinitùs indultæ ſcientiæ, actionisque, & perfectionis, his qui ſacratioris doctrinæ inſtitutionem ex Sacerdotalibus myſterijs traditionibus acceperunt, de ſanctarum Scripturarum maieſtate neceſſariò demonſtrare inſtitui.] Hinc & ipſe antiquiſſimus Ignatius epiſtola ad Smirnenſes, Sacerdotij dignitatem, non humanam, ſed diuinam velut à Deo manantem eſſe ſentit. [Sacerdotium, ait, eſt omnium bonorum, quæ in hominibus ſunt apex, qui aduersùs illud furit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum & Chriſtum Ieſum primogenitum, qui natura ſolus eſt ſummus Sacerdos Patris. Plurima etiam Concilia hunc Eccleſiæ conſenſum teſtantur, quæ Presbyterorum ordinem à Deo profectum agnoſcunt. Immò cùm nullum Concilium ſit, cui id indubitatum non fuerit, eorum teſtimonia conſultò omittimus.

Quinta propoſitio. [Presbyterorum munus in Eccleſia non eſt tantùm docere, ſed etiam Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere, à peccatis abſoluere, atque alia munia obire.] Propoſitio eſt contra Caluinum, qui Inſtitut. lib.4. c.4. §. 2. Presbyterorum officium ad ſolum docendi munus reuocat. Nos id quidem non negamus inter alia hoc quoque docendi munus Presbyterorum commiſſum eſſe. Id enim ex pleriſque Euangelicæ Hiſtoriæ locis colligere licet. Primùm enim Chriſtus Sacerdotibus, Apoſtolis, nimirum, ac Diſcipulis, quos Sacerdotes ordinauerat, docendi munus iniunxit Matth. vlt. cùm ait. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Tum Matth. vltim. *Euntes docete omnes gentes*: ij namque cùm animarum Paſtores à Deo conſtituti ſint, ac proprij gregis paſcendi curam ſibi demandatam acceperint, illorum præcipuè munus eſſe, doctrinæ, ac rectæ fidei pabula illi adminiſtrare, quibus in vitam æternam alatur: atque hoc proprium Presbyterorum officium eſſe docet Clemens I. lib.2. Conſtitut. Apoſt. cap.30. [Presbyteri, ait, in formam Apoſtolorum à vobis cenſeantur: Magiſtri ſint ſcientiæ Dei: quoniam Dominus nos mittens dicebat. Euntes docete omnes gentes. Idem affirmat Leo I. epiſt. 62. ad Maximum cap. ſexto. [Illud, inquit, quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi ius docendi, aut prædicandi audeat vendicare: ſiue ſit ille Monachus, ſiue laicus, qui alicuius ſcientiæ nomine glorietur; quia etſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij, quæ recta, & ſana ſunt, ſapiant, non tamen permittendum eſt, vt quiſquam extra Sacerdotalem ordinem conſtitutus gradum ſibi Prædicatoris aſſumat.] Quod idem docet Cyrillus Alex. de recta in Deum fide ad Reginas Comm.2.

At præter hoc alterum Presbiterorum munus agnoſcimus, nempe Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere: quod tunc Saluator ſolis Sacerdotibus obeundum detulit, cùm panis, ac vini ſubſtantia in corpus, ac ſanguinem ſuum conuerſa, Apoſtolis dumtaxat, quos Sacerdotes conſtituebat, id faciendum præcepit illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ita teſtatur Iuſtinus ad Antoninum Pium Apolog.2. [Non enim (inquit) vt communem panem, & communem potum iſta ſumimus: ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus eſt Chriſtus Saluator noſter, & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi eius ab ipſo profecti gratiæ actæ ſunt, alimoniam, vnde ſanguis, & caro noſtra permutationem aluntur, incarnati illius Ieſu carnem, & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Nam Apoſtoli in Commentarijs à ſe ſcriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Ieſum.

Iesum. Eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in mei recordationem. Hoc est Corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratijs actis, dixisse. Hic est Sanguis meus.] Hæc Iustinus. Id verò munus solis Sacerdotibus commissum docet Conc. Nicenum primum lib. 3. cap. de Diuina mensa. [Iterum (inquit) etiam hic ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & poculum, sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus, & sanguinem nos verè sumentes, credere hæc esse nostræ Resurrectionis symbola,] Porrò duplex hoc Sacerdotum munus commemorat Conc. Aquisgranense 2. cap. 5. [Presbyterorum (ait) qui sunt Ecclesiæ Christi, & in confectione Diuini corporis, & sanguinis consortes cum Episcopis sunt, ministerium esse videtur, vt in doctrina præsint populis, & in officio prædicandi,

Tertium Presbyterorum munus est à peccatis absoluere; quod sanè tunc illis à Christo collatum fuit, cùm Apostolis ait. [Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum, &c.] Quę potestas ad Sacerdotes transijt, qui Apostolorum in hoc munere successores fuerant, vt notant Isychius lib. 1. in Leuit. cap. 4. & lib. 6. cap. 25. [Non (inquit) qualiscumque dignitas Sacerdotij est: huic enim sorte datum est, vt mediator sit inter Deum, & homines, & per hunc genus nostrum Creatori reconciliat. In lingua Sacerdotum, nexus, & absolutio peccatorum nostrorum consistit.] Quę sanè dignitas tanta est, vt eam neq; antiquæ legis Sacerdotes, neque ipsi Angeli vnquam sibi vendicare ausi fuerint; ea tamen ex profusa Dei benignitate, ac singulari Christi meritorum virtute Christianis Sacerdotibus collata est, vt admiratione planè dignum sit tanta, eos dignitate pollere, vt Diuinum, quodammodo tribunal in terris, à quo Dei iudicium pendeat. Ita enim de hoc præclaro Sacerdotum munere egregiè disserit Chrysostomus hom. 5. de verbis Isa. [Vide Dominum &c. A terra (inquit) iudicandi principalem auctoritatem sumit Cęlum. Nam index seder in terra: Dominus sequitur seruũ, & quicquid hinc in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat.] De hoc Presbyteri munere fusiùs in secũdo libro agemus,

Quartum Presbyterorum munus est, baptizare, & Extremæ vnctionis, ac matrimonij Sacramenta fidelibus ministrare, quod Christus ipse Apostolis, quorum in hac parte Sacerdotes officio funguntur, gerendum præcepit. partim illis verbis Matth. vlt. cùm illos ad prædicandum, & baptizandum misit. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. partim Marc. 6. cùm Apostolos iubet oleo infirmos inungere. *Et vngebant* (inquit) *oleo multos ęgros.* Idem Iacobus Apostolus præcipit cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Tandem Ioann. 2. Christus in Cana Galileæ ad benedicendas nuptias discipulos duxit. Porrò hæc esse propria Presbyterorum munia, ex ex ipsis Apostolicis constitutionibus addiscere licet, quas Clemens Petri Discipulus collegit. Nam lib. 3. Const. Apost. cap. 20. baptizandi munus solis Presbyteris commissum esse docet. *Sed*, inquit, *Presbyterum tantùm docere, offerre, baptizare, benedicere populo iubemus.*] Quòd si illud alijs Clericis, non Sacerdotibus, ac etiam Laicis concessum legitur, id ita intelligi debet, si nullus adsit Sacerdos, qui ex proprio munere Baptismum conferre valeat, vt docet Isidorus de offic. Eccl. lib. 2. cap. 24. his verbis. [Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse traditum, eiusque mysterium nec ipsis Diaconibus explere est licitum, absque Episcopis, vel Presbyteris, nisi illis procul absentibus vltima languoris cogat necessitas, quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari, de sæculo euocetur Idem quoque tradit D. Aug. ad Fortunatum. Cæterùm Extremæ vnctionis Sacramentum à solis Presbyteris ministrandum esse testatur Euthymius in cap. 6. Marci, vbi ita scribit. [De vnctione olei solus Marcus loquitur. Admonet autem, & hoc Iacobus Apostolus in Epistola sua catholica dicens. Ægrotat quis inter vos, asciscat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.] Denique Diuus Ambrosius, nuptiarum benedictionem solis Presbyteris reseruatam tradit Epist. 70. [Cùm coniugium (ait) velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat, quomodo par est coniugium dici, vbi non est fidei concordia?

At verò præter hæc, pleraque alia Sacerdotibus officia iniuncta sunt veluti Hymnos, ac Psalmos in Ecclesia canere, preces ad Deum pro populo fundere, peccantes corrigere. *Nam qui Sacerdos est*, ait D. Hieronym. in cap. 2. Malach. *& non corripit delinquentes, Sacerdotis officium præterit.* Animarum præterea saluti incumbere, virtutum splendore, ac vitæ sanctimonia cæteris prælucere. [*Sacerdotis enim animum*, ait Chrysostom. lib. 6. de Sacerdotio. Solaribus radijs puriorem esse oportet: & paulò infrà. Cùm autem ille, & Spiritum Sanctum innocauerit, sacrificiumque illud reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato: quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? quantam Religionem? Considera enim quales manus illas administrantes esse oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat: qua denique re non puriorem, sanctioremue esse conuenit animam, quæ tantum illum, tamque dignum Spiritum receperit?]

Ex his quale sit Presbyterorum in Ecclesia munus, quantaue dignitas perspicuum est, quam D. Io: Chrysost. mirè prosequitur libris de Sacerdotio, ac potissimùm tertio, tom. 5.

Postrema propositio, [Presbyterorum successio in Ecclesia de iure diuino est instituta, & proinde necessaria.] Nonnulli Presbyterorum successionem ad filios Aaron referunt; inter quos est Isidorus de officijs Eccles. lib. 2. cap. 7. [Presbyterorum ordo (inquit) exordium sumpsit à filijs Aaron: qui enim Sacerdotes vocabantur in veteri Testamento, hi sunt qui nunc appellantur Presbyteri.

teri.] Horum verò ſententia ita intelligenda eſt, vt Presbyterorum ſucceſſionem ad filios Aaron, non quoad inſtitutionem, ſed tantùm, quoad figuram referant: Presbyterorum namque inſtitutio (vt ſuperius demonſtratum fuit) à Chriſto profecta eſt. Alij Presbyteros ſeptuaginta duobus Diſcipulis ſuccedere docent, quorum ſententiam ſequitur Illuſtriſſimus Bellarminus tom.1.lib.4.cap.25 de Rom.Pont.quam ſententiam docent Clem. 1.epiſt.1.& Anacletus epiſt.2. & 3.attamen ſi verum eſt, quod ibi aſſerit Bellarminus, nimirum Diſcipulos illos non fuiſſe Presbyteros, nec vllum ordinem à Chriſto accepiſſe: planè non video quomodo illis Presbyteri ſuccedant: niſi, vt ibi ait Bellarminus, eos tantùm per ſimilitudinem ſuccedere dicamus: quo pacto etiam Clemens, & Anacletus aiunt, Presbyteros diſcipulorum typum in Eccleſia gerere: quòd ſanè ità intelligi debet, vt Presbyteros non propriè diſcipulorum officio ſuccedere credamus: cum diſcipuli nullum præterquàm docendi munus à Chriſto acceperint; ſed ſicut diſcipuli Apoſtolis comparati, inferiorem dignitatis gradum obtinebant: ita Presbyteri Epiſcoporum comparatione minorem in Eccleſia dignitatem ſibi vendicêt. Hoc planè annuere voluit Anacletus, cùm ait: Videntes autem ipſi Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum meſſis, vt mitteret operarios in meſſem ſuam. Inde electi ſunt ab eis 70.diſcipuli, quorum typum gerunt Presbyteri. Conſtat namque veram ſucceſſionem Presbyterorum miniſterij eſſe debere: quòd ſi Diſcipuli Sacerdotes non fuerunt: nec Sacerdotij miniſterio in Eccleſia functi ſunt, nihil profectò ſupereſt, in quo Presbyteros illis verè, ac propriè ſuccedere credamus.

Poſtrema tandem aliorum ſententia eſt; Presbyteros Apoſtolis in eo munere ſuccedere, quo Sacerdotes à Chriſto inſtituti fuerunt. Apoſtolos enim triplici munere in Eccleſia functos fuiſſe exploratum eſt, primùm Sacerdotali, cùm docerent, baptizarent, Euchariſtiam conficerent, Miſſas celebrarent, ac Sacramenta conferrent. Deinde Epiſcopali, quod potiſſimùm in Presbyterorum ordinatione enituit. Demum Apoſtolico, quo per totum Orbem prædicare, Eccleſias fundare: Epiſcopos conſecrare, ſacros libros conſcribere, & alia huiuſmodi, quæ Apoſtolicam auctoritatem comitabantur, præſtare poterant. Apoſtolicum munus cùm extraordinariè Apoſtolis collatum fuiſſet, nullos ſucceſſores habuit, neque enim poſt eos alij in Eccleſia Apoſtoli ſurrexerunt: quibus hoc munus tribuendum eſſet; quò fit, vt cum ipſis Apoſtolis expirauit; At in Epiſcopali officio Epiſcopi ſucceſſerunt; vt ſuperiùs demonſtratum fuit, quibus eadem Epiſcopalis auctoritas, quæ olim in Apoſtolis à Chriſto inſtituta fuit, legitima conſecratione communicatur. Tandem in Sacerdotali munere illis Presbyteri ſuccedunt; quandoquidem hoc ipſum munus, quod Apoſtolis à Chriſto iniunctum fuit, cùm illos Sacerdotes inſtituit, ad Presbyteros velut in hac parte Apoſtolorum ſucceſſores tranſijt.

Hanc ſententiam, quam ego veriorem exiſtimo, antiquiſſimi Patres docent. Clemens lib.2.Conſt. Apoſt.cap.28. eam expreſsè tradit his verbis. [Presbyteris, inquit, ſi aſſiduè in ſtudio docendi verbum Dei laborauerint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum locum tenent.] Eandem confirmat Irenæus lib. 4. cap.43. [Quapropter, inquit, eis, qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis.] Diu. Hieronym.Epiſt.1.ad Heliodorum, ita de Apoſtolica Presbyterorum ſucceſſione ſcribit cap.7. [Abſit inquam; vt de Clericis quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt, per quos, & nos Chriſtiani ſumus.] Iſychius in Leuit.lib.1.ca.4. Germanus Conſtantinop.in Theoria, & alij hanc ſententiam defendunt. Quæ hac ratione confirmari poteſt. Nam cùm omnibus exploratum ſit, Chriſtum Dominum tunc primùm Sacerdotalem dignitatem inſtituiſſe, cùm Apoſtolos Sacerdotes ordinauit: ſanè conſtat Presbyterorum ſucceſſionem non aliunde, quàm ab ipſis Apoſtolis petendam eſſe, à quibus eorum munus, ac dignitas exorſa eſt: quò fit, vt Presbyteri idcircò Apoſtolorum ſucceſſores dicantur, quod ijs legitima Eccleſiæ ordinatione in Sacerdotali ordine, ac officio ſuccedant.

Hinc facilè noſtræ propoſitionis veritatem aſſequimur. Nam cùm probatum fuerit, Presbyterorum ordinem à Chriſto inſtitutum eſſe, & Sacerdotale munus, quod ſemel Apoſtolis commiſſum fuit, ad Presbyteros tranſlatum fuiſſe; inde apertè colligimus; Presbyterorum ſucceſſionem, tunc primum ex Apoſtolis propagandam à Chriſto in Eccleſia inſtitutam fuiſſe; cùm clauium poteſtatem, qua vniuerſa ligare, ac ſoluere, & quæ opus eſſent, Eccleſiæ prouidere poſſent, Apoſtolis contulit: qui eam poteſtatem deinceps, Deo annuente, in Epiſcopos ſibi ſucceſſores tranſfuderunt. Neque enim exiſtimandum eſt, alia ratione: præterquàm Dei ordinatione factum eſſe, vt poſt Domini Aſcenſionem Apoſtoli Epiſcopos per Orbem conſtituerent, ac illis Sacerdotum ordinandorum ius conferrent. Eò namque ſpectabat, vt tam Epiſcoporum, quàm Presbyterorum ſucceſſio in Eccleſia perpetuò aſſeruaretur.

Hinc impudentiſſimum Caluini ſcelus aperitur, non tam noſtro, quàm inferni igne expiandum, cùm verum, ac ſacrum Eccleſiæ Sacerdotium Chriſto auctore inſtitutum, impiam, ac execrabilem myſteriorum profanationem appellat: at quo auctore, quaue ratione id probat? non alia ſanè, quàm maximo concepto in Sacerdotes odio: neque id mirum, cùm Caluino id ſemper legitimum ſit, vt quod nullo teſte probare poteſt, Caluinicis conuicijs, ac blaſphemijs inſectetur. Errat Caluinus; non Papiſticum nos (vt ferociter oblatrat) Sacerdotium colimus, ſed Chriſtianum; neque Papam, ſed Chriſtum noſtri Sacerdotij auctorem agnoſcimus: quare fruſtrà ſæua odia Caluiniſtæ in illud deſpumant.

ARTICVLVS IX.

An omnes succedant in æquali Potestate.

Ecclesiasticam Hierarchiam ex supremis, medijs, ac infimis Pontificum, Episcoporum, ac Presbyterorum ordinibus contextam, atque ita à Deo institutam, vt perpetua, & numquam interpolata successione, vsque ad extremum Orbis interitum incedere debeat, hactenus demonstrauimus; & quid vnicuique ordini proprium sit, quo ordine, qua dignitate, & quibus succedat non obscurè (vt puto) declarauimus. Restat iam, vt quem potestatis gradum quilibet ordo in Ecclesiastica Hierarchia sibi vendicet, maioremne, an æqualem, aut minorem; qua lege, quaue dispositione ordinentur, paulò acuratius expendamus.

Ac primùm ipse Hierarchiæ ordo postulat, vt cùm varij, ac distincti ordines in ea collocati sint, quibus diuersa munera conueniunt, non idem sit omnibus gradus, aut potestas: sed vt ait Dionysius Areopagita de Cœlesti Hierarchia cap. 3. sicut in Cœlesti Hierarchia id inter Angelicos ordines decretum est, vt alij purgentur, alij purgent: quidam luce doctrinæ illustrentur, nonnulli illustrent, & aliqui perficiantur, alij perficiant. Ità in Ecclesiastica Hierarchia fieri opus est, vt discreti sint ordinum gradus, & inter se ità potestate differant, vt alij præsint, alij subijciantur, neque omnes idem munus exerceant, sed quisque impositum sibi opus peragat: nam (vt docet Paulus) Christus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Euangelistas, postremò Pastores, & Doctores collocauit: vt in his ordo quidam conncxus conspiceretur, quo totum Ecclesiæ corpus ad perfectam sui ædificationem tenderet. Quapropter Ecclesiam suam Christus domus ædificationi comparauit, Matth. 16. *Super hanc petram*, ait, *ædificabo Ecclesiam meam*. Nec non Petrus 1. epist. 2. *Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis*; in quo Ecclesiasticorum graduum ordinem, ac distinctionem innuere volunt.

Nam in ædificanda domo necesse est lapides ità ordinari, vt alij quidem cæteris grandiores in fundamento substernantur, alij medium, alij supremum locum teneant, neque enim aliter domus ædificari posset, nisi hac ordinis dispositione constaret. Ità in Ecclesiæ ædificatione à Deo sapientissimè dispositum videmus, vt quidam supremum in Ecclesia locum ea Dei institutione sibi vendicent, alij medio, alij infimo loco consistant; cuncti verò in vnam Ecclesiæ ædificationem conspirant. Neque enim tanta fidelium multitudo, quæ in Ecclesia longè, latèque diffusa, collecta conspicitur, alia ratione conseruari, ac subsistere posset: vnde præclarè Gregorius lib. 4. indict. 13. epist. 52. [Ad hoc, inquit, Diuinæ dispensationis prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores prioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vnaversa concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus differentiæ ordo seruaretur.]

Quamobrem Deus Optimus Maximus sicut in Vniuersi regimine, hac ordinum distinctione, ac dispositione vsus est, cùm excellentiores, ac vniuersales quasdam causas, tamquam rerum omnium sublunarium principia, cæteris prælatas esse voluit: medias item, quæ acceptas à superioribus virtutes infimis communicarent: infimas tandem, quæ vtriusque subiectæ, ab ijs propriam virtutem mutuarent. Quis enim Solem, & Astra, vniuersales, ac eminentiores causas esse non agnoscat: quæ cùm in proxima elementa influunt, veluti in medias causas agunt? Media verò elementa illorum virtute imbuta, ceu mediæ causæ infima elementa mouent, ac ijs suam vim indunt, quibus tandem rerum ordo disponitur, ac conseruatur. Illud ipsum in Ecclesiæ constitutione seruari voluit, vt in ea ordinum gradus, nulla perturbatione distincti cernerentur; vnde multiplex munerum differentia manaret: & summi Opificis sapientia in ijs præclarè sese contemplandam offerret. Nihil est enim, quod Principis sapientiam adeò manifestè commendet, quàm Reipublicæ ab eo institutæ ordo, ac dispositio.

Nam quemadmodum natura eo admirabilis conspicitur, quòd in corpore humano singulis membris singula munera designauit, his quidem præstantiora, illis humiliora, ac imbecilliora. Ita supremus naturæ Auctor se admirabilissimum præbuit, cùm in Ecclesia administranda eam munerum, & officiorum distributionem esse voluit, quæ nullum perturbationi locum relinqueret. Quæ enim, vel maior perturbatio, vel perniciosior in humano corpore confusio excugitari posset, quàm si omnia simul membra viderent, nullum incederet, omnia incederent, nullum audiret; omnia audirent, nullum videret: omnia vel manus, vel auris, vel pes, vel lingua essent, vel, quod peius est, ad vnum omnia hæc munera simul spectarent, & in eo tumultuarentur. Sanè peius aliquid Ecclesiæ accideret, si omnes æquè ad Apostolicum munus accerserentur, omnes eumdem prophetandi spiritum haberent, omnes docerent, nullus addisceret, omnes iudicarent, nullus iudicium subiret, omnes Sacerdotes essent, nullus laicus, omnes Pastores, nullus ouis esset. Demum eadem Spiritus sancti dona ita omnibus æquè distribuerentur, vt omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Euangelistæ, omnes Pastores, omnes Doctores existerent.

Hoc peruersum administrationis genus, à quo natura ipsa abhorret, diuus Paulus longè ab Ecclesia expellit cùm 1. Corinth. 12. ait. [Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?] Ob id sapientissimus Deus cùm primum Ecclesiam instituit, ita munerum

rum functiones singulis distribuit, vt vni quidem Pontifici maximo rerum summam, ac totius Ecclesiasticæ administrationis gubernacula commiserit; vt perfectus Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ à Monarchia incipit, ordo seruaretur.

Porrò secundo gradu Episcopos constituit, quibus singularum Ecclesiarum curam demandauit, vt Pontificis sollicitudinem minuerent, ac onus subleuarent. Postremum gradum Presbyteris tribuit (neque enim de minoribus ordinum gradibus mentio fit, quandoquidem ad vnum Presbyteratus ordinem tendunt) quos docendæ, ac regendæ multitudini sub Episcopis præesse voluit. Plebi verò perpetuam cunctis Ecclesiæ ordinibus subiectionem, ac reuerentiam indixit, vt hac munerum, ac ordinum varietate Ecclesiam perpetuò ædificaret.

Quamobrem beatus Ignatius sacram hanc Ecclesiæ Hierarchiam ex Episcopis, & Presbyteris sub vno Pontifice erectam describens epist. 2. ad Trallianos, ait. [Quid enim ille est Episcopus, nisi qui principatum omnem, & potestatem supra omnes obtinet, vt obtinere homo potest, qui est pro viribus Christi Dei imitator?] Nota hìc Ignatium de Pontifice agere, quem Episcopum antonomasticè appellat, sub quo etiam cæteros Episcopos comprehendit, perinde, ac si diceret, esse Episcopum Episcoporum: addit præterea. [Quid verò Presbyterium nisi collegium sacrum, Consiliarij, ac Confessores Episcopi? quid iterum Diaconi, nisi imitatores Angelicarum virtutum, & ministrantes ministerium purum, & immaculatum? Qui igitur ijs inobediens fuerit, atheus, & impius omnino fuerit, & Christum improbans, ac eius ordinationem imminuens.]

Porrò hæc idcirco præmisimus propter aduersarios, qui Dei sapientia contempta, quæ sacra hac rerum varietate delectatur, vniuersa singulis tribuunt, Ecclesiastica munera confundunt, & præclaram Ecclesiæ Hierarchiam, diuino hoc consilio institutam, suis delirijs euertunt. Quapropter hoc veluti fundamento constituto, aduersus illos nonnullis conclusionibus, quò res tota distinctiùs explicari possit, pugnabimus.

Prima conclusio. [Summus Pontifex, Patriarchæ, Metropolitæ, Episcopi, Parochi, omnes in iurisdictionis potestate Apostolis succedunt.] Hac conclusione aduersarios perstringimus, qui nullam iurisdictionis potestatem Ecclesiæ Pastoribus relinquunt. Ità Caluinus Institut. lib. 4. cap. 7. & eodem lib. cap. 4. §. 2. 3. & 4. Sed quoniam de vniuscuiusque iurisdictione agendum est posterioribus conclusionibus, vbi declarabitur, quæ cuique iurisdictionis potestas competat, sufficiat id vnico argumento demonstrare, siquidem exploratum esse arbitror, quicumque ad Ecclesiæ gubernationem à Deo vocati sunt, ijs iurisdictionem aliquam competere, vt non solùm potentes sint exhortari in doctrina sana (vt ait Paulus) sed etiam eos, qui contradicunt, arguere: neque enim Ecclesia rectè gubernari posset, si nullam coactiuam potestatem haberet, qua & impios censuris coercere, & emergentes causas iudicare valeret. At certum est, quòd summus Pontifex, Patriarchæ, Metropolitani, Episcopi, Parochi, ac vniuersi Ecclesiæ Pastores ad illius gubernationem à Deo vocati sunt, vt superiùs probatum fuit, & apertè confirmatur ex Paulo, qui Ephes. 4. Pastores à Christo in Ecclesia positos esse affirmat ad ædificationem Corporis Christi, id est Ecclesiæ, Ecclesiæ verò ædificatio gubernatione perficitur.

Tandem id expresè Christus docet cùm Ecclesiasticum tribunal ex Pastoribus collectum in Ecclesia erigit, Matt. cap. 18. atque ad illud Ecclesiæ iudicia referenda esse iubet. *Si te non audierit*, inquit, *dic Ecclesiæ*, id est, Præsulibus Ecclesiæ (vt exponit Chrysostomus.) Cùm igitur hi sint Ecclesiæ Præsules, nulli dubium esse debet, quin in iurisdictionis potestate Apostolis succedant.

Illud tamen admonendum est, quòd etsi omnes legitimè in hac potestate Apostolis succedant, non tamen omnes eodem modo succedunt: quidam enim immediatè, alij mediatè tantùm succedunt, solus Pontifex immediatè in hac Iurisdictionis potestate Petro succedit, quandoquidem ab eo totam potestatis plenitudinem illi à Christo collatam accipit: reliqui verò mediatè ad huius potestatis partem assumuntur, quatenus scilicet ea illis à Pontifice communicatur: neque enim existimandum est, extraordinariam potestatem, quæ cæteris Apostolis à Domino collata fuerat (vna Petri excepta) ad illorum successores transmeasse: nam cùm ordinaria non esset, illud quoddam personale Apostolorum priuilegium fuit, quod minimè ad illorum successores peruenire, ac extendi debuit. Quapropter si aliquam Iurisdictionis potestatem Episcopi, ac reliqui Pastores in Ecclesia sibi vendicant, non à reliquis Apostolis, sed à Petro dumtaxat, cuius ordinaria potestas erat, expectare debent. Cùm verò ea tota in Pontificem illius successorem effluxerit: hinc perspicuum est, eam illis mediatè à Pontifice conferri.

Secunda conclusio. [Pontifex Maximus Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri; si in his, quæ Sacerdotalis ordinis sunt, inter se comparentur; in æquali ordinis potestate succedunt.] Hæc conclusio idcirco priori annexa fuit, vt quid Ecclesiæ Pastores inter se commune, quid discretum habeant, innotescat. Communis siquidem omnibus est ordinis dignitas, quæ nullam inter eos differentiam, ac discretionem esse patitur, vt docet diuus Hieronymus epist. ad Euagrium. [Eiusdem meriti, inquit, & eiusdem Sacerdotij cuiuscumque loci Episcopus, & quiuis Presbyter est.] & diuus Ambrosius ad cap. 3. prioris ad Corinth. [Episcopi, & Presbyteri, ait, vna ordinatio est: vterque enim Sacerdos est.] Idem docet Isidorus de offic. Ecclesiast. lib. 2. cap. 7. [Presbyteri, inquit, interpretantur seniores, quia seniores ætate Græci Præsbyteros vocant: his enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione diuina Corporis, & Sanguinis consortes cum Episcopis sunt.] Huius autem rei ea ratio assignari potest; quòd ordinis potestas non suscipit magis, & minùs, neque ea in Petro maior fuit, quàm in cæteris Apostolis: sed ea omnes pares inter se fuerunt, vt testis est

est Cyprianus de vnitate Eccles. [Et quamuis, inquit, Apostolis omuibus post resurrectionem parem potestatem rribuat, & dicat. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si eui tenueritis, tenebuntur.] Constat enim ex allato Matthæi testimonio illum de sola ordinis potestate loqui. Quò fit, vt eadem potestas æqualis quoque omnibus Apostolorum successoribus relicta fuerit: hinc cuncti eadem conficiendę Euchatistiæ auctoritate præditi sunt: omnes æquè baptizandi, absoluendi, infirmos inungendi, nuptias benedicendi, & ea omnia, quæ ad ordinis administrationem spectant, præstandi potestatem acceperunt: nec maiorem Pontifex, quàm quilibet Sacerdos hanc sibi vsurpare valet, cùm omnes immediatè in hac ordiuis potestate Apostolis suceedant.

Dico in ordinis potestate: nam actus, aut executio potestatis, cùm sæpissimè ad Iurisdictionis potestatem pertineat, non æquè omnibus conuenit (vt infrà declarabitur) sicut etiam nec par in cunctis est illa Iurisdictionis pars, quæ circa peccatorum absolutionem versatur: quandoquidem easus aliqui superioribus ordinibus reseruantur, à quibus nefas est inferiores ijs inconsultis, absoluere. His exceptis par est omninò in Pontifice, Patriarcha, Metropolira, Episcopo, ac Parocho ordinis potesras: nam potesras, quæ Episcopalem dignitatem comitatur, qua Episcopus Presbyterum antecellit, euiusmodi est Presbyteros ordinandi, Chrisma conficiendi, &c. de qua superiùs egimus, non est propriè ordiuis, sed dignitatis: tametsi ea ipsa Episcopali ordinatione fluat.

Tertia conclusio. [Summus Pontifex succedit in tota plenitudine potestatis, ac proptereà in potestate iurisdictionis vniuersos Ecclesiæ ordines antecellit.]

Huius rei duplex ratio assignari potest.

Prima ratio est, quòd Pontifex succedit Petro, qui cùm reliquorum Apostolorum caput esset, ac illos iurisdictionis potestate antecelleret: vtpotè qui iurisdictionem in cæteros Apostolos à Christo acceperat, eandem in Pontificem sibi successorem transmisit.

Altera ratio est, quòd solus Pontifex immediatè Petro succedit, cui vni Christus totam Ecclesiasticam potestatem contulit: cœteri verò ordines mediatè tantùm succedunt; quò fit, vt Pontifex solus succedat in tota, ac integra potestate iurisdictionis, non Episcopi, ac cœteri ordines, qui cum mediatè tantùm succedant, iurisdictionis potestatem à Pontifice expectare debent.

Confirmatur hæc ratio primò: nam potestas gregis pascendi, ac gubernandi, quę Petro à Christo collata fuit, illis verbis. *Petre amas me? Pasce oues meas*; ad omnem Ecclesiasticam iurisdictionem per totum Orbem se extendit: nec quisquam cuiusuis gradus, aut ordinis à Petri cura eacipi potest: dummodò inter Christi oues computetur.

At hæc potestas tota ad Pontificem Petri successorem translata est, vt aliàs probatum fuit. Igitur Pontifex totam potestatem iurisdictionis in omnes Ecclesiæ ordines immediatè obtinet.

Confirmatur secundò: nam ad Pontificem pertinet Conciliorum indictio, vt constat ex can. 20. Concilij Nicæni 1. vbi sancitur, non debere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, quem canonem citat Socrates libro 2. capit. 5. & eundem refert Iulius Primus in epist. 1. ad Orientales.

Hoc ipsum Marcellus Papa in epist. decretali, affirmat ab Apostolis fuisse decretum, & refert Iuo 4. part. cap. 240. Prætereà ad eundem Pontificem spectat Conciliorum confirmatio, adeò vt in Concilio Chalcedonensi Act. 1. accusatus fuerit Dioscorus Alexandrinus Patriarcha, quòd absque auctoritate Sedis Apostolicæ Synodum ausus est congregare. nulla aut indictione, aut confirmatione à Romano Pontifice spectar. [Quod numquam, inquit, ritè factum est, nec ritè facere licuit.]

Quod etiam confirmat Iustinianus constit. nouell. 131. [Nulla vmquam, ait, Synodus legitur rata, quæ ab Apostolica Petri Sede non fuerit fulta.]

Hinc tàm generalium, quàm prouincialium Synodorum Patres, earum confirmationem à Pontifice petere semper consueuerunt, vt patet de Nicæn. 1. quæ à Syluestro confirmari petijt Constantinop. generale primum à Damaso. Ephesinum generale à Cœlestino. Chalcedonense generale à Leone I. demum quotquot hactenùs legitima Concilia celebrata sunt, à Pontifice confirmationem obtinuerunt.

Atque ob eam causam Antiochenum Concilium 190. Episcoporum, & Ariminense 300. & Basileense, ac pleraque alia nullius auctoritatis extiterunt, eò quòd à Pontifice confirmata non fuerint.

Cùm igitur ad Pontificem spectet Concilia indicere, indicta confirmare, & quæ in eis acta sunt, sua auctoritate roborare, quandoquidem generalia Concilia vniuersam Ecclesiam repræsentant, indè perspicuum est, supremam iurisdictionis potestatem in Pontifice residere.

Confirmatur tertiò, siquidem ad Pontificem licet ex toto Orbe appellare in causis Ecclesiasticis.

Id testatur Anacletus epist. 1. ab Apostolis statutum fuisse, & confirmatur ex can. 19. Concilij Nicæni 1. vbi ità sancitur. [Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit liberè Apostolicam appellent Sedem.]

Hic esnon est ex ijs, qui citantur à Iulio Primo epist. 2. ad Orient. quam epistolam citant Socrates lib. 2. cap. 13. Sozomenus lib. 3. cap. 9. Theodoretus lib. 5. cap. 4. atque hic Iulius Syluestro I. sub quo Nicænum Concilium celebratum fuit, medio tamen Marco successit.

Porrò ne quis hunc canonem suppositum suspicetur; idem decretum habetur in eodem Concilio cap. 20. vbi ità decernitur. [Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari.]

Idem statuit Concilium Sardicense can. 7. & Chalcedon. can. 9. Felix II. in ep. ad Conc. Ægyptiorum.

In-

Innocentius I. ep. 29. ad Concilium Mileuit.

Damasus in epist. ad tria Africana Concilia.

Quod etiam res ipsa loquitur. Plerique enim Episcopi olim à suis sedibus pulsi Romanum Pontificem appellarunt, inter quos fuit Brictius Turonensis Episcopus D. Martini in Episcopatu successor, teste Gregorio Turonens. de rebus Francorum lib. 10. c. 30. Athanasius quoque ab Alexandrino Episcopatu Arrianorum factione pulsus, ad Iulium Papam confugit, vt narrat Theodoretus l. 2. cap. 4. & est apud Socratem libro 2. cap. 11. Ioannes Chrysostom. iniustè ab Episcopatu eiectus, Innocentium I. appellauit, vt testis est Palladius in vita Ioannis Chrysostomi Sozomenus lib. 8. cap. 29. & Nicephorus lib. 13. cap. 23. Flauianus etiam Constantinop. Episcopus in Pseudo-synodo Ephesina iniustè damnatus, Leonem Papam legatione missa appellauit, & patet ex epistola Valentiniani Imperatoris ad Theodosium Secundum. Demum plerique alij, qui apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum videri possunt, Romanum Pontificem appellarunt.

At certè nemo ignorat ius audiendarum appellationum, ex toto Orbe, ad supremam tantùm auctoritatem, ac iurisdictionis potestatem spectare.

Confirmatur quartò. Ad Pontificem namque spectat Episcopos, Archiepiscopos, ac Patriarchas eligere: quod sanè maximum argumentum est, penès illum summam totius Ecclesiasticæ potestatis esse.

Cùm enim singulis Episcopis particularium Ecclesiarum gubernatio commissa sit, vt omnes totam Ecclesiam per partes gubernent: si nullus Episcopus iure eligitur, nisi ea auctoritate Pontificis; sanè constat summum in Ecclesiam ius apud Pontificem esse, quo sese in omnes Ecclesiæ rectores extendit.

Hoc autem ius ex diuina auctoritate Pontifici collatum esse, quatenùs est successor Petri, patet primùm ea Verbis Christi. *Pasce oues meas.*

Nàm perspicuum est, absque Pastoris consensu nihil, quod ad gregis curam, ac administrationem pertineat, à quopiam agi oportere.

At Episcoporum electio ad Christiani gregis administrationem spectat, nemo igitur Episcopus absque Pontificis, totius Ecclesiæ Pastoris assensu eligi debet.

Confirmatur ex ipso antiquissimo vsu Ecclesiæ, quo receptum est, vt nullus Episcopus, aut Metropolitanus, aut Patriarcha inconsulto Pontifice consecretur.

Hinc Gregor. in Regest. lib. 4. epist. 34. conqueritur Episcopum in Salonitana Ciuitate, eo nesciente ordinatum fuisse præter antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. [Salonitanæ, inquit, Ciuitatis Episcopus me, ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit.]

Præterea Patres Concilij Constantinopolitani 1. generalis, cùm Nectarium, Flauianum, ac Cyrillum Patriarchas elegissent, in epistola Synodica ad Damasum, petunt à Pontifice factam electionem confirmari.

Denique hoc ipsum probatur ex capit. Quis nesciat 11. dist. vbi id apertè traditur, his verbis. [Quis nesciat, aut non aduertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur ab omnibus, debere seruari; nec superduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem debeat generalem aliundè accipere, vel exemplum; præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, & Galliam, Hispaniam, & Aphricam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut successores eius instituerunt Sacerdotes.]

Ex quibus patet Pontificem vniuersos Episcopos, Metropolitas, Patriarchas, Iurisdictionis potestate antecellere.

Quarta conclusio. [Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Iurisdictionis potestatem non ab Apostolis, sed à Pontifice accipiunt.]

Hanc conclusionem ad maiorem præcedentis declarationem annectimus, quam nonnullis rationibus probamus.

Prima ratio est. Quòd in qualibet Hierarchia necessaria est ordinum dependentia (vt docet Dionys. de Cœlest. Hierarch. cap. 3.) id patet in Cœlesti Hierarchia, in qua diuinę lucis radij ab ipso Deo immediatè in superiores creaturas defluunt, indè ad inferiores perueniunt.

Ità in Ecclesiastica Hierarchia, quæ ad Cœlestis exemplar instituta est, teste Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia capit. 6. fieri æquum est; vt scilicet ab vno Ecclesiæ capite diuinæ potestatis radij, qui in eo plenissimè elucent, primùm in Patriarchas, dein in Metropolitanos, indè in Episcopos, postremò in Parochos deriuent.

Hinc Cyprianus de vnit. Eccles. Ecclesiam, tum Soli, tum arbori, cum fonti comparat. [Quomodò, inquit, Solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vno plurimi riui defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate: vnitas tamen seruatur in origine, &c. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per Orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur, ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput est, & origo vna.]

Vides Cyprianum apertè totam potestatis plenitudinem in vno capite, ac Pontifice collocare: & ab ea in cæteros Ecclesiarum Præsules velut radios, tum ramos, tum riuos defluentem agnoscere: ità vt, ij non aliundè iurisdictionis potestatem, quàm à Pontifice accipiant, qui Solis, arboris, ac scaturiginis instar eam omnibus impertit.

Hunc spectat, quod Exod. 18. ac Num. 11. Moysi ægrè ferenti tantæ multitudinis curam, Dominus permisit, vt nonnullos ex populo electos viros, secum ad plebis administrationem acciret. Quinimmò ait Deus. [Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.]

Equi-

Equidem cùm multò amplior, ac augustior sit Christi Ecclesia per Orbem longè lateque diffusa, quàm olim Synagoga fuerit, quæ vix vnius populi angustijs, ac Palæstinæ plaga continebatur: atque adeò Christianus populus præ Hebræo copiosus sit, vt illum solus Pontifex administrare nequeat: si id Synagogæ Pontifici concessum fuit, vt seniores ex populo, ac prudentiores secum iudices adhiberet: cur amplioris Christianæ Ecclesiæ Pontifici id negari debet, vt Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Presbyteros velut seniores sibi Ecclesiasticarum caussarum iudices ascire non valeat, quibus iurisdictionis in singulas Ecclesias potestatem tribuat?

At illud planè admirabile, quòd cùm Deus Optimus Maximus electis illis Hebræorum iudicibus haustum abundè spiritum elargiri posset, illum tamen à Moysi spiritu exhaurire voluit, quo apertè insinuare voluit, potestatem qua illi ad gubernandum populum vtebantur, non nisi à Moysis potestate pendere: perindè, ac si Moysis spiritus illis eam potestatis vitam tribueret.

Quod certè in Ecclesia fieri consentaneum fuit, vt gubernatiua Episcoporum potestas à Pontificis potestate profecta agnosceretur, ac veluti quædam pars Pontificiæ potestatis (ea tamen salua semper, ac integra Pontifici relicta) ad Episcopos manaret.

Huic secunda ratio patrocinatur. Nàm cùm Ecclesia Monarchicum administrationis genus à Deo acceperit, in quo totius iurisdictionis potestas ab vno ad distinctos magistratuum, iudicum, ac præfectorum ordines diffunditur: inde fit, vt quicquid in Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, potestatis, ac iurisdictionis diffunditur, id à Pontifice, qui est Ecclesiæ Monarcha, potestate manare censendum sit.

Denique id probatur ex cap. ita Dominus, distinct. 9. vbi ita habetur. [Huius muneris Sacram entum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum primo principaliter collocaret; vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.] Quod etiam confirmat Leo Papa serm. 3. suæ ordinationis, his verbis. [Magnum & mirabile Petro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, vt si quid commune cum ea cæteris voluit Principibus, numquam nisi per illum dedit, quicquid alijs non negauit.]

Neque sanè leuia sequerentur incommoda, si iurisdictionis potestas, quæ in Episcopis est, non à Pontifice, sed à Christo immediatè in eos flueret; nam primùm, neque tota potestatis plenitudo in Pontifice esset, cùm Episcoporum potestas Christo tantùm, non Pontifici subijceretur, neque Pontifex esset Orbis Pastor, cùm Episcopi illi subiecti non essent, quod Christi testimonium impugnat, qui vniuersam Ecclesiam Pontificis potestati subijcit, illis verbis. *Pasce oues meas.*

Præterea si Episcopis iurisdictionis potestatem à Christo, immediatè acciperent, aliud sequeretur incommodum, quòd Pontifex circa Episcoporum iurisdictionem, nihil omnino immutare posset, cùm is contra ius diuinum nihil possit, atque indè fieret, vt neque Episcopos eligere, neque electos confirmare, neque de illorum caussis cognoscere, neque flagitiosos deponere, neque nouos Episcopatus erigere, neque erectos, si quando opus fuerit, diuidere, neque Diœceses extendere, quæ omnia iura Canonico antiquissimo repugnant, vt patet 16. quæst. 1. cap. Et temporis, & Extrauag. de translatione Episcoporum capit. 1. & 16. quæst. cap. Fœlix, & capit. Præcipimus. Vndè tandem apertè colligimus Patrochorum, Episcoporum, Metropolitanorum, Patriarcharum iurisdictionem non esse immediatè à Christo, sed à Pontifice profectam.

Quinta conclusio. [Episcoporum iurisdictio, quamuis immediatè à Pontifice fluat, ea tamen à Deo est instituta.] Conclusio nota est primùm ex Paul. ad Ephes. 4. [Et ipse dedit, ait, quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.] Tum Act. 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.]

Quibus testimonijs apertè declarat, Episcoporum iurisdictionem in Ecclesia diuino iure esse institutam, nam cùm Ecclesiæ regimen ad iurisdictionem pertineat, neque illud sine iurisdictione exerceri non possit, si Pastores, ac Episcopi à Spiritu Sancto ad Ecclesiæ gubernacula constituti sunt, quis inficiari potest, illorum regimen, ac iurisdictionem in Ecclesia à Deo ita esse ordinatam, vt ea omnino tolli non possit?

Hanc Episcoporum iurisdictionem confirmat idem Paulus ad Titum 1. scribens, vbi Tito Cretensi Episcopo ius corrigendi, ac constituendi per Ciuitates Presbyteros, Apostolica auctoritate confert, Presbyteros enim in vrbibus constituere, beneficia conferre, Parochias distinguere, cuique suos vrbium fines statuere ad iurisdictionem pertinent, vt manifestum est. Eandem iurisdictionis potestatem Timotheo tribuit 2. Timoth. 5. cùm illi de Presbyterorum caussis iudicare facultatem præbet. [Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus, vel tribus testibus.]

Quod etiam decreto confirmat Concilium Chalcedonense Can. 9. [Si quis Clericus, inquit, habet cum Clerico litem, aut negotium proprium, Episcopum ne relinquat, & ad sæcularia iudicia non excurrat, sed caussam priùs ad proprium Episcopum agat, vel de Episcopi sententia apud eos, quos vtraque pars elegerit iudicium agitetur.] Idem statuit Concil. Roman. 2. sub Syluestro cap. 16. Carthaginen. 3. cap. 9. Veneticum cap. 9. Agathens. cap. 32. Epaunense cap. 11. Quæ Conciliorum decreta pijssimus Iustinianus edicto communit, vt habetur in Authent. Constit. 123.

Cæterùm Clemens I. Epist. 1. ad Iacobum

bum frattem Domini refecens vltima verba Petri ait. [Volebat Petrus nullum Presbyterum in alicuius Episcopi Parrochia aliquid agere debere absque eius permissu, sed & cunctos Presbyteros proprijs Episcopis in omnibus absque mora obedientes, instituente Domino, esse debere docebat,] Quod etiam epist. 3. Presbyteris præcipit, atque idem decreto prosequitur Pius I. epist. 2. ad Episcopos Italiæ, quod decretum allegatur à Gratiano caus. 2. quæst. 1. cap. Si quis Sacerdotum.

Ignatius præterea Episcoporum iurisdictionem insinuat in epistola ad Smirnenses. [Honora Deum, inquit, vt omnium auctorem, Episcopum verò, vt Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem,] ac propterea Episcoporum Sedes altiùs in Ecclesia erigi solere, vt Episcopalem iurisdictionem significent, indicat Vrbanus I. epistola 1. cap. 4. [Quòd sedes, inquit, in Episcoporum Ecclesijs excelsæ constitutæ, ac præparatæ inueniuntur, vt thronus, speculationem, & potestatem iudicandi, & soluendi, atque ligandi à Domino sibi datam materiam docent.]

Denique Episcopis, summam Ecclesiastici regiminis, sub Pontifice, diuino iure collatam esse docet Cyprianus epist. 27. his verbis. [Dominus noster, inquit, cuius præcepta metuere, & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Euangelio loquitur, & dicit, Petro. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Indè per temporum, & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.] Ex quibus perspicuum est Episcoporum iurisdictionem in Ecclesia à Deo institutam esse.

At verò, an ea immediatè à Christo in Episcopos fluat, notanda est distinctio, quam tradit D. Thomas in prima distinct. 12. quæst. 1. artic. 3. & 3. contra Gentes capit. 70. duplicem esse causam immediatam, quædam enim immediata dicitur, immediatione virtutis, cùm scilicet prima virtus ab ea in effectum proficiscitur, qua ratione prima causa omnia immediatè operatur, cùm rebus omnibus agendi virtutem impertit, & cum omnibus agit. Altera verò immediata appellatur immediatione suppositi, cùm scilicet nullum inter causam, & effectum suppositum mediat.

Primo modo Episcoporum iurisdictio fluit immediatè à Christo, is enim per se, ac immediatè Episcoporum iurisdictionem instituit, cùm Episcopos, ac Pastores in Ecclesia esse voluit, qui ad illius gubernacula sederent, & summam iurisdictionis potestatem Pontifici contulit, vt eam in Episcopos distribueret, quæ distributio in genere non ab humano, sed à diuino prorsùs iure profecta censeri debet, quò fit, vt eam Pontifex penitùs auferre non possit, neque enim Pontifex prohibere potest, ne Episcopi vlli omninò consecrentur, aut consecrato Episcopo eam iurisdictionis potestatem saltem in genere subtrahere potest, quæ suæ Ecclesiæ regendæ necessaria sit. Potestas enim suprema non ad destructionem, sed ad Ecclesiæ ædificationem Pontifici est collata.

Secundo modo Episcoporum iurisdictio est immediatè à Summo Pontifice. Is enim à Deo velut totius Ecclesiasticæ potestatis depositarius constitutus est, à quo Episcopi, ac reliqui Ecclesiæ Pastores propriam iurisdictionis potestatem mutuare debent.

Haud secùs, quàm si Rex Proregem in remotissima quadam Prouincia institueret, cui totam Regiam potestatem creandorum, & amouendorum Magistratuum, ac cæterorum ministrorum committeret. Hi quidem Magistratus, ac Ministri à Prorege instituti potestatis virtutem immediatè à Rege profectam acciperent, à quo & ipsa Proregis auctoritas pendet, at à Prorege id muneris, ac potestatis immediatè sortiuntur, cùm ab eo regia potestate, quæ illi commissa est, creantur.

Hoc planè modo Episcoporum iurisdictionem à Christo quidem totius Orbis Monarcha, quòd ad primum virtutis influxum spectat, oriri dicimus, à quo omnis spiritualis potestas manat. At verò Pontifex, cùm in vasta hac Ecclesiæ Prouincia Prorex à Christo constitutus fuerit, cui totam Regiæ potestatis plenitudinem ad Episcopos, ac cæteros Ecclesiæ Pastores creandos contulit, is velut Ecclesiasticæ potestatis dispensator, singulis Episcopis suas iurisdictionis partes assignat, & si opus fuerit, mutat, minuit, auget, tollit, ita fit, vt Episcoporum iurisdictio, & Christum auctorem, & Pontificem immediatum dispensatorem habeat.

Sexta conclusio. [Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri non succedunt in æquali potestate iurisdictionis, sed alij in maiori, alij in minori.] Id enim Hierarchicus ordo in Ecclesia à Domino constitutus postulat, in quo diuisiones gratiarum, ministrationum, ac operationum (teste Paulo 1. Corinth. 12.) ab vno Spiritu, ac Domino profectæ cerni debent. Hac enim officiorum, ac munerum varietate, ac diuersorum graduum dispensatione, quæ in Patriarchis, Metropolitis, Episcopis, Presbyteris conspicitur, Ecclesia planè admirabilis redditur.

Neque dubitandum est, hos ordinum gradus, ab ipsis Apostolis in ipso Ecclesiæ exordio institutos fuisse. Id ex Apostolicis Canonibus constat, vbi sæpissimè fit mentio de distinctione Presbyteri, & Episcopi, præter testimonia, quæ superiùs ex Paulo attulimus, hæc distinctio habetur Can. 15. vbi Presbyter prohibetur ab vna Parochia in aliam migrare, præter voluntatem Episcopi, & Can. 31. [Presbyter qui audet seorsim colligere relicto Episcopo,] deponitur, tandem luculentissimè Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum, quam epistolam ab aduersariorum calumnijs eruditè vendicat Franciscus Turrianus pro epist. Pontif. lib. 2. cap. 13. Anacletus quoque epist. 3. hanc distinctionem docent, Episcoporum, ac Metropolitanorum differentiæ meminit Canon 34. Apostolorum, in quo iubetur, ne Episcopus absque Primatis, seu Metropolitæ

litæ sententia quicquam singulare, aut excellens agat, id est (vt exponit Zonaras in Scholijs ibidem) nihil agere, quod Ecclesiæ statum communem respiciat, cuiusmodi sunt dogmaticarum quæstionum definitiones. Metropolicanorum, & Patriarcharum distinctionem tradit apertè Concilium Nicænum, Can. 6. & 7. quos vetusto Ecclesiæ more docet Episcopis superiores esse, idem memorat Concilium Antioche. num Can. 9. Quare nulli dubitandum est, quin hæc graduum Ecclesiasticorum distinctio ab ipsa Apostolica traditione emanet.

Cæterùm quomodò inter se iurisdictionis potestate distinguantur. Certum est imprimis Parochorum ordinem in subiectum tantùm sibi populum iurisdictionem sibi vendicare, cùm primùm sibi regendus traditur. Hinc enim Polycarpus epist. ad Philippenses, iubet illos subiectos esse Presbyteris. [Subiecti, inquit, estote Presbyteris, sicut Deo, & Christo.] Et Gregorius Nissenus oratione in eos, qui alios acerbiùs iudicant, Presbyteros populi gubernatores appellat. [Sacerdos est aliquis, ait, populique regendi munus sortitus est, prinatorum casus commisereatur, memineritque se quamuis dignitate præstet ijs, quos gubernat, & regit, naturam tamen eandem habere.]

Porrò hæc Presbyterorum iurisdictio in eo consistit, quòd homines à peccatis absoluere, Sacramenta illis administrare, peccantes ex officio corrigere, publicos peccatores ab Altari arcere valeat. Quapropter Chrisostomus homil.83. in Matth. [Siue quis, inquit, dux militiæ sit, siue præfectus, siue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes.]

Episcopi verò ampliori, quàm Presbyteri iurisdictionis potestate præditi sunt. Hi enim duplicem potestatem in ipsos Presbyteros exercent. Prima est potestas ordinis conferendi, qua Episcopus Presbyteros antecellit. Item Episcopus confirmationis Sacramentum administrat, quod Presbytero non licet. Casus prætereà sibi absoluendos reseruat, à quibus Presbyter ius absoluendi non habet. Altera potestas est, iuris in Presbyteros dicendi. Episcopi namque legitimi Iudices sunt in causis Presbyterorum, ac Clericorum, vt docet Paul. 1.Timoth. 5. & confirmat Concil. Chalcedonen. Can.9. Ex his patet Presbyteros in minori iurisdictionis potestate, quàm Episcopos fuę cedere.

Episcopi verò sicut Presbyteris potestate præcellunt, ita Archiepiscopis, seu Metropolitanis (hæc enim nomina idem officium sonant) iurisdictione inferiores sunt. Nam primò Episcopis ius tantùm est in suo Episcopatu, neque vltrà potestatem extendere valent, vt cautum est Can.39. Apostol. & habetur decretum in Concil. Carthagin.1. Can.10. & in Concil. Sardicens. Canon. 14. & tandem hoc ipsum statuit Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. sed Archiepiscopi visitationis ius habent in Episcopos sibi subiectos, quam ob causam decretum est in Concilio Valentin. 3. Can. 19. vt Metropolitani Episcopos visitent.

Secundò, non licet Episcopis sine Metropolitani consensu in dubijs fidei aliquid decernere, id enim prohibet expressè Can.34. Apostol. & Concil. Antiochen. Can.9. vt suprà attigimus.

Tertiò, Episcopus non debet ordinari aut consecrari inconsulto Metropolitano, vt habetur statutum in Concil. Arelat. Can.37. Carthagin.2. Can.13. atque hoc ipsum repetit Concil. Chalcedonens. gener.4. Act.11. in causa Bassiani Ephesini Episcopi, qui inconsulto Metropolitano fuerat ordinatus. Id tandem habetur in Concil. Tarraconen. Can.15. quod allegatur à Gratiano causa 65. cap. Si quis.

Quarto, Metropolitanus habet vsum Pallij, quod signum est plenitudinis potestatis, ac iurisdictionis, quam Archiepiscopus in suffraganeos sibi Episcopos habet, vt docet Alcuinus de Diuin. Offic. cap.38. de vestimen. [Pallium, inquit, nihil aliud est, nisi discretio inter Archiepiscopum, & eius suffraganeos.]

Idem tradit Amalarius de Eccles. offic. lib.2. cap.23. Quapropter Innocen.III myst. Missæ lib.1. cap. 3. cauet, ne Archiepiscopus ante receptum ab Apostolica Sede pallium, Episcopos consecret. [Dicitur autem, inquit, pallium plenitudo Pontificalis officij, quoniam in ipso, & cum ipso confertur Pontificalis officij plenitudo, nam antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet Clericos ordinare, Pontifices consecrare, vel Ecclesias dedicare, nec Archiepiscopus appellari.]

Quintò, Metropolitano fas est, Concilia Prouincialia conuocare, ad quæ suffraganei Episcopi conuenire tenentur, vt habetur statutum in Concil. Antiocheno Can. 20. & Arelat. Can.6. & 37.

Postremò, Episcopis præceptum est, vt Metropolitanis obediant. Ita præcipit Concil. Vernense Can. 2. [Statuimus, inquit, vt Episcopi cæteri ipsis Metropolitanis in omnibus secundùm canonicam institutionem obediant,] quod iterùm repetit Can. 4. Idem iubet Concil. Meldense Can. 31. quod sanè apertum argumentum est, Metropolitanos maiorem, quàm Episcopos iurisdictionis potestatem esse nactos. Id tandem ipsum Archiepiscopi nomen declarat, quod sonat Principes Episcoporum.

Denique Patriarchis ipso iure amplissima sub Pontifice iurisdictionis potestas super Episcopos, ac Metropolitanos collata est, quorum potestatem tradit Anicetus I. epist. 1. ad Episcopos Galliarum, quam allegat Gratianus distinct. 99. cap. Nulli, & eo prior Anacletus I. epist. 2. & 3. vbi ita Patriarchas à Metropolitanis distinguit. [Episcoporum, inquit, ordo vnus est, licèt sint Primates illi, qui primas Ciuitates tenent, qui & in quibusdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autem qui in Metropoli à Beato Petro Apostolo, ordinante Domino, & à prædecessore nostro Sancto Clemente, seu à nobis constituti sunt, non omnes Primates, seu Patriarchæ esse possunt, sed illæ Vrbes, quæ præfatis, ac pri-

scis

sdis temporibus primatum tenuere, Patriarchatum, aut Primatum nomine fruantur. Reliquæ verò Metropoles Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum, & non Patriarcharum, aut Primatum vtantur nominibus.] Idem tradunt Stephanus I. epist. 2. ad omnes Episcopos, & Fœlix II. in Concil. Roman. Can. 12.

His igitur Apostolico iure permissum est, vt Episcoporum, & Metropolitanorum causas iudicent; appellationes, quæ ab Episcopis à Metropolitano ad eos fiunt, audiant; vt constat ex Decreto Bonifacij I. quod allegat Grat. causa 6. quæst. 4. cap. Si inter. [Si inter Episcopos, inquit, eiusdem Concilij dubitatio emerserit de ecclesiastico iure, & de alijs negotijs primùm Metropolitanus eorum cum alijs quibusdam in Concilio considerans rem, diiudicet: & si non acquiescat vtraque pars iudicatis: tunc Primas illius regionis inter ipsos audiat, & quod Canonibus, & legibus consentaneum sit, hoc definiat; & nulla pars valeat calculo eius contradicere.]

Ad hæc, & ius habet Concilia celebrandi, quibus Metropolitani interesse tenentur, vt decretum est in Conc. 8. generali can. 17. necnon & ipsos Metropolitanos, qui vel Episcopos sua auaritia opprimunt; vel iis Archiepiscopalia munera committunt, pœnis vsque ad depositionem mulctare valent, iuxta decretum Concil. gen. 8. can. 9. & 14. Præterea Metropolitanis districtè præcipitur Patriarchis, seu Primatibus subditos esse. Ita generale Conc. 8. suprà memoratum Can. 17. [Quisquis ergo, ait, Metropolitanorum proprium Patriarcham contempserit, & vocatione eius, quæ siue ad vnum, & solum, siue ad plures, siue ad omnes fit, absque validissima ægrotatione, vel Paganorum incursu non obedierit: & per totos duos menses, post notitiam vocationis, ad proprium venire Patriarcham minimè festinauerit: vel si quocunque modo latitare, aut non cognoscere nuncium ab illo missum tentauerit, segregetur. Si verò inter vnum annum eandem contumaciam, & inobedientiam demonstrauerit, deponatur omnimodè, & ab omni Sacerdotali operatione decidat, atque à dignitate, & honore, qui Metropolitanis conuenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obediet, Anathema sit.]

Postremò Patriarcharum dignitatem super Metropolitanos euectam disertè prosequitur Concil. Lateranense generalissimum sub Innocentio III. cui interfuerunt Patres num. 1215. Can. 5. cuius hæc verba sunt. [Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpotè mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra. Constantinopolitana primum, Alexandrina secùdum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant seruata cuilibet propria dignitate: ita quòd postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem: Dominicæ verò crucis vexillum ante se faciant vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicunque Summus Pontifex præsens extiterit, vel eius Legatus vtens insignijs Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem prouincijs eorum iurisdictioni subiectis, ad eos, cùm necesse fuerit, prouocetur, saluis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.] Hin perspicuum est, Patriarcharum successionem in Ecclesia maiori præ Metropolitanis, ac Episcopis, atque ampliori potestate fulgere. Porrò hos omnes distinctos potestatum gradus ab vna potestatis plenitudine, quæ in Pontifice residet, veluti riuulos defluere nulli dubium est: quibus ecclesiastica Hierarchia (Dei sapientia illustrante) perfecta tandem, ac ordinatissima conspicitur.

ARTICVLVS X.

An ex perpetua hac ordinum Ecclesiasticorum successione vera Religio demonstretur.

PErpetuam, ac nunquam interruptam ecclesiasticorum Præsulum, Pontificum præsertim, successionem in Ecclesia à Christo institutam fuisse, ob eam potissimùm causam, vt in ea perpetua, ac nunquam interrupta Religio vera asseruaretur, atque ab Hæreticorum sectis, quæ nullam Apostolicam successionem sibi vendicant, discerni posset, ipsa imprimis communis hominum ratiocinatio declarat. Qui enim antiquam generis nobilitatem iactant, & regio Gallorum puta, aut Hispaniarum Regum sangine censeri volunt, quò faciliùs fidem apud homines acquirant, genealogiam texunt, & per maiorum lineam ascendentes, originem suam euoluunt, quovsque ad originis stipitem perueniant, qui aut Gallorum, aut Hispaniarum sceptro potitus fuerit. Huc demonstrationis genere passim, & ipsa Scriptura vsa fuit: nam Ruth 4. cùm illius libri scriptor demonstrare vellet Dauid à Phares originem duxisse, totam Phares vsque ad Dauid posteritatem reuoluit: atque idem præstat auctor libri Esther c. 2. cùm Mardachæum è stirpe Iemini oriundum ostendit; siquidem omnem Mardochæi vsque ad Iemini prosapiam enumerat: denique Matthæus cùm Christum Dominum ex Abrabæ semine progenitum demonstrat, non alia demonstratione vtitur, quàm quòd exactè Christi genealogiam ab Abrahami inchoatam, & per omnes Abrahæ posteros vsque ad Christum decurrentem, recenset. Adeò enim hoc testimonium certum est, vt cæteris omnibus probationum generibus, etiam in ciuili iure apud forenses præcellat.

Hoc pacto veram Religionem demonstrari opus est: nam cùm apud omnes certum, ac indubitatum sit, eam tantummodò veram Religionem habendam esse, quæ ab Apostolis tradita Apostolicæ nomen sibi meritò comparauit; nemo sanè Apostolicam Religionem sibi vendicare debet, nisi illius origi-

nem à Christo primùm, tum ab Apostolis inchoatam, ac inde per succedaneam Pontificum, ac Episcoporum lineam ad nos vsque propagatam, quasi contextam genealogiam demonstret.

Et quidem quantùm hoc testimonium valuerit apud veteres, declarat Ioseph. Antiquit. lib. 13. c. 6. hoc exemplo. Nam cùm inter Iudæos, & Samaritas de Hierosolymitano, ac Garizitano templo orta esset seditio, quodnam eorum legitimum foret. [Dum Iudæi, inquit, contendunt iuxta Moysi præscripta Hierosolymorum tẽplum esse legitimum; Samaritæ verò Garizitanum; prouocatum est ad Regem (nempe Alexandrum Magnum) & amicorum eius consessum, vt ab eis causa audiretur, & qui vtriusque partis causidici succumberent, morte mulctarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodosio; Hierosolymitanis Iudæis Andronicus Messalam filius, iurauerunrque per Deum, & Regem, quòd ex lege probationes allaturi essent, & rogauerunt Regem, vt necaret eum, qui iusiurandum non seruasse deprehenderetur. Itaque Rex multis amicis in consilium adhibitis, consedit causam auditurus. Iudæi verò, qui Alexandriam habitabant erant solliciti pro defensione iurium Hierosolymitani templi, ægrè ferentes antiquissimi, & nobilissimi templi auctoritatem in discrimen vocari. Sed cùm Sabbæus, & Theodosius concessisset Andronico, vt prior diceret; orsus ex lege approbare eius sanctitatem, & Religionem, ostendens per continuam Pontificum successionem Sacerdotij vsque ad sua tempora propagationem, & ab omnibus Asiæ Regibus maiestatem eius loci honoratam donarijs: Garizitani verò, ac si omninò nullum esset, nunquam ab eis habitam rationem: his, & talibus rationibus persuasit Regi, vt decerneret Hierosolymitanum esse ex sententia Moysis conditum; Sabbæum verò, ac Theodosium addiceret supplicio.] Hæc ille. Quo sanè exemplo liquidò constat, sapientissimi Regis, ac optimatum de re tanta, ex sola legitima Pontificum successione prolatum iudicium, atque ea ratione Iudæis causam adiudicatam, aduersùs Schismaticos, & Hæreticos in exemplum perpetuò manere: cùm cuiuslibet hominis rationis compotis iudicio certum, exploratumque sit; illic veram, ac legitimam tantùm Religionem esse, vbi Pontificum successio ab eius exordio est legitimè conseruata.

Hoc argumento Tertullianus de præscrip. Hæret. cap. 32. sectarios prouocat, vt veram Ecclesiam, quam sibi haud secus, quàm nostra tempestate Lutherani, ac Caluiniani arrogabant, pęnes se esse demonstrarent. [Si quæ audent, inquit, se interserere Apostolicæ ætati, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere. Edant ergo origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem suorum Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentem.] Quo etiam argumento vtitur Optatus contra Donatistas lib. 2. [Vestræ, inquit, Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.]

Alterum huius rei argumentum est, quòd Pontificum successio in vera Religione perpetua esse debet: igitur ex ea vera Religio certissimè colligitur. Antecedens probatur: nam huiusmodi successio à Deo instituta fuit, vt superiùs demonstratum est, primò ex verbis Christi apud Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* quæ (vt ostendimus) non tantùm ad Petrum, sed ad omnes quoque Pontifices Petri successores referri debent, ne Ecclesiam cum Petro perijsse credamus: secundò ex illis verbis Ioan. 21. *Petre amas me? pasce oues meas*: quæ ad singulos Petri successores pertinent, vt suprà annotauimus ex D. Bernardo; tertiò probatur inductione: nam si Synagoga perpetua Pontificum successione potita fuit, quæ antiquissimam Religionem illi à Moyse traditam aduersus Samaritas defendit, cur in hac parte Ecclesia minor Synagoga esse debet, vt Pontificum successione destituta sit, qua seipsam, veramque Religionem aduersus Hæreticos tueri possit?

Tertium argumentum est, quòd vera fides, ac Religio pænes Pontifices dumtaxat necessariò stabilis, ac perpetua esse debet: quapropter perpetua illorum successione indubiè declaratur. Antecedens certum est ex verbis Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos*: vbi Christus non tam pro Petri, quàm Pontificum, quos in Petro spectabat, fide orauit, vt nunquam laberetur. Idem habetur apud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Siue enim hanc petram iuxta communiorem Patrum expositionem, Petrum intelligamus, siue Petri fidem; certum est, eam nunquam ab inferorum portis, quas errores, ac hæreses Patres interpretantur, expugnandam fore: sed perpetuò incolumem in Petro, in Pontifice successore viuit, seruandam esse.

Ex quo perspicuum est, Pontificum fidem, quatenùs scilicet Pontifices sunt, & Ecclesiæ magistri; Hæreseon labe nunquam Ecclesiam labefactare posse. Nam tametsi, vt homines sunt, humani aliquid pati, ac Magistros se præbent, id ex Dei priuilegio sibi vendicant, vt quæ veræ fidei sunt, semper doceant; nec vnquam à vera fidei doctrina exorbitare valeant, quod posthac fusiùs explicandum erit.

Cùm igitur perspicuum sit veram fidem, ac Religionem cùm in alijs labi possit, apud Pontifices dumtaxat necessariò conseruari. Planè constat eorum successione veram Religionem, quàm apertissimè demonstrari; ita vt non modò credendum sit veram Religionem tandiù in Ecclesia conseruari debere, quandiù Pontificum successio propaganda est, verùm etiam eam tantummodò veram fidem, ac Religionem esse, quæ cum Pontificum successione diffunditur.

His accedat quartum argumentum. Nam Pontificum successio necessaria est ad veram Religionem demonstrandam, igitur vera Religio per illam necessariò demonstratur. Probatur assumptum: Ecclesia namque, aut vera Religio sine Pontifice nulla est, quemadmodùm corpus absque capite integrum esse non potest. Domus etiam absque fundamento con-

consistere nullo modo valet: quod autem est caput corpori, ac domui fundamentum, illud est Pontifex Ecclesiæ, vt aliàs probatum fuit. Quamobrem Cyprianus Ecclesiam vocat plebem suo Sacerdoti adunatam, & gregem suo Pastori vnitum. Cùm ergo Ecclesia absque Pontifice esse nequeat, vera autem Religio tantummodò in vera Ecclesia sit; planè fieri opus est, vt aut nulla Religio sit, nulla subsistente Ecclesia, aut si vera Religio esse debet, ea in vera Ecclesia reposita sit, quæ cùm ad se ipsam tuendam Pontificum successione, velut fundamento, ac capite necessariò indigeat, perspicuum est hac Pontificum successione veram tum Ecclesiam, tum Religionem declarari.

Superest vltimum argumentum, quod ex necessaria, tum Euangelicæ doctrinæ, tum etiam Catholicæ fidei veritate, ac sinceritate colligitur. Etenim citra controuersiam esse debet, quod aliàs probauimus, atque ex aduersariorum, præsertim Caluini sententia statuimus, Ecclesiam ex Dei dono nunquam, nisi in vera fidei doctrina, ac veritate posse consentire: ac proindè veram, ac sinceram Euangelij doctrinam in ea perpetuò propagandam fore. Quod cùm ita sit, primùm quidem exploratum est, Ecclesiæ fidem ex Euangelica doctrina, ac sacrorum voluminum veritate potissimùm pendere, siquidem ab his quid credendum, quid respuendum sit, instruimur. Ac cùm nec Apostolos viderimus, qui sacram hanc Euangeliorum doctrinam tradiderunt, neque Euangelicorum voluminum nobis veritas ab ipsis probata sit: qua ratione Euangeliorum veritatem, & cum ea veram fidem nos assequutos esse credimus, nisi ea dumtaxat, quòd cum Pontificum successione ea ad nos veritas trãsmissa est? Quandoquidem Linus, qui post Petrum sedit, acceptam à Petro Euangelicorum voluminum veritatem Cleto successori reliquit: eaque veritas apud cęteros Pontifices custodita perpetua Pontificum successione ad nos vsque delata est: quo sanè constat, non tam Euangeliorum, ac reliquorum sacrorum voluminum sinceritatem, sed cum ea etiam fidem, ac veram Religionem, quæ ab ijs pendet, ex Pontificum successione non obscurè demonstrari.

Accedat, quòd vbi est legitima Pontificum, & Episcoporum successio, ibi dumtaxat viget Apostolica doctrina, ibi tantùm est sincera fides, vera, vna, sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia: vbi non est, ibi neque Apostolica doctrina, nec sincera fides, nec vera Christi Ecclesia: sed horribilis tantùm Sathanæ Synagoga reperitur.

Quis enim ignorat Apostolicam doctrinam in ea tantùm Ecclesia esse posse, vbi perpetua Pontificum, ac Episcoporum, qui eam ab Apostolis acceperunt, successione conseruatur; ac velut per manus posteris traditur? Hinc Irenæus lib. 4. cap. 43. ijs tantùm Episcopis obaudire monet, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum successione Episcopatus charisma veritatis certum acceperunt.

Cæterùm cùm vera fides, ac Religio ex Apostolica tantùm doctrina ortum habeat, nemoque Apostolicam doctrinam alijs tradere nouerit, nisi qui Apostolis succedens, cum successione certum veritatis charisma acceperit, atque ab Ecclesia vocatus, Apostolicæ doctrinæ disseminandæ munus sibi iniunctum habuerit: certè frustra veram fidem, ac Religionem quærunt, qui eam alibi, quàm in legitima Pontificum, ac Episcoporum successione inueniendam putant: præsertim cùm ea idcircò in Ecclesia à Deo ordinata sit, vt Ecclesiam perenni, ac sincera fidei doctrina ædificet, vt testatur Paulus ad Ephes. 4. cùm ait. [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.]

Denique ibi tantùm veram esse Christi Ecclesiam, ac Religionem, vbi perpetua Pastorum successio elucet: id præsertim declarat, quòd ex ipso Dei decreto, ex hoc Pauli testimonio desumpto, vera Ecclesia absque legitima Pontificum, & Episcoporum successione esse non potest, vti aliàs ostendimus: quò fit, vt vbi perennis Episcoporum successio effulget, ibi esse Catholicæ Ecclesiæ domicilium proculdubio credendum sit: vt preclarè docet Cypr. lib. 4. epist. 9. vbi Ecclesiam esse definit, plebem suo Sacerdoti adunatam, & Pastori suo gregem adhærentem: tum addit. [Ad extremum scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse; & frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt: cùm Ecclesia, quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa; sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata.]

Ex quo tandem id colligimus, nullam non modò esse apud Caluinianos, & Lutheranos Ecclesiam, quæ Episcoporum, & Sacerdotum successione destituta est; verùm etiam esse Sathanæ Synagogam, in qua non Pontifex, non Episcopus, non Sacerdos sedet; sed Sathanas ipse est Pontifex, ipse Episcopus, ipse Sacerdos; quandoquidem eius nullum est maius studium, quàm Ecclesiæ vnitatem, ac inconsutilem tunicam Christi discerpere: vt Ecclesiæ præposito sublato, ac Episcopis longè pulsis, atrociùs atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Quod nunc quoque per membra sua (vt Cyprianus docet) Sathanas efficere conatur.

Porrò symbolum istud integræ, ac perpetuæ successionis, vniuersi Patres ita obuijs vlnis exceperunt, vt eo semper ad veram Religionem à sectis discernendam cum primis vsi fuerint. Tertullianus de præscrip. Heret. illud aduersus Hæreticos vsurpat. [Omne genus (ait) ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.]

Certè communis, atque irrefragabilis ratio ea est, ac Dialecticis non ignota, vt qui singulare aliquod ens demonstrare volunt, ijs necesse sit omnia illius singularis principia, species, differentias, genera euoluere: vt pura qui Socratem entis natura præditum vellet osten-

ostendere, primùm hominem esse demonstraret, tum animal, tum animatum corpus, tum substantiam, quousque ad ens deueniret, à quo omnium entium posteritas, tanquam à principio, oritur. Id sanè ab ijs, qui veram Religionem demonstrare volunt, pręstari opus est: vt illius genus per succedentium sibi Pontificum seriem ad primam originem censeant quousque ad Apostolicam Religionem perueniat, quæ omnium mater est, & origo, ex qua omnis posterior Ecclesia Apostolica dicitur.

Nam quod ad particulares Ecclesias spectat, tametsi certum sit eas Apostolicas appellari, quæ ab Apostolis olim fundatæ sunt, à quibus traducem fidei (vt Tertullianus ait) & semina doctrinæ cęteræ exinde Ecclesię mutuatæ sunt, vt Ecclesiæ fierent. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smirnensium Ecclesia habet Polycarpum, à Ioanne collocatum, Alexandria Marcum, Hierosolyma Iacobum: his tamen Apostolicum nomen haud ita præcisè conuenit, vt aliæ Ecclesiæ Apostolicæ appellari prohibeantur, quæ nullum ex Apostolis, vel Apostolicis viris auctorem suum proferunt: quippe multò illis posteriores. Quæ denique quotidiè eriguntur, & in posterùm consurgent, non minùs Apostolicæ censeri debent, cùm Apostolica auctoritate, quæ in Pontifice residet, erectæ sint, & in eadem Apostolica fide conspirent, ac demùm doctrinæ consanguinitate sub vnius Pontificis obedientia, cum cæteris Apostolicis Ecclesijs coniunctæ sint. [Per hoc enim, ait Tertullianus, & ipsę Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum.]

At hìc de vniuersali Ecclesia agimus, quam cùm hoc Apostolico nomine exornare, eòque ab ijs, quæ Apostolicæ non sunt, distinguere cupimus: id secus fieri non potest, quàm vt ad Pontificum successionem confugiamus; quam cùm nunquam interruptam fuisse ostendimus, ac caput ipsum legitimum Petri successorem demonstramus, facilè veram, & Apostolicam esse concludimus.

Hinc antiquissimus Pater Irenæus lib.4. hanc Pontificum successionem ita magni facit, vt veræ fidei, ac Religionis agnitionem ab ea pendere existimet. *Agnitio vera*, inquit, *est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso Mundo, & charactere Corporis Christi, secundùm successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt; quæ peruenit vsque ad nos custodita*. Quibus obsecro verborum ornamentis poterat Irenæus Ecclesiasticam successionem magis illustrare, quàm cùm eam, veram fidei, ac Religionis agnitionem, & Corporis Christi characterem appellat: vnaquæque enim fides, ac Religio, siuè vera, siuè falsa sit, suam faciem gerit, qua agnoscatur. At plerumque accidit falsam Religionem simulata sanctitatis specie, veræ, ac legitimæ Religionis speciem præ se ferre: at eam mox fictam esse deprehendimus, cùm in hanc Pontificum successionem oculos conijcimus.

Quam idcircò etiam Corporis Christi, id est, Ecclesiæ characterem nominat: quod signum, aut symbolum sonat. Nam quemadmodum bestia illa horribilis, vt legitur Apocalyp.13. characterem suum suis adoratoribus impertiebatur, quò suos esse agnosceret: ita quoque Ecclesia Christi sponsa characterem suum habet, quo veros fideles signat. Illa quidem tot capitum bellua falsam Religionem indicat, quæ tot capita exerit, quot dissidentes sectas, ac doctrinarum capita attollit. Hæc adoratores suos charactere suo insignit, hoc illos agnoscit, hoc illos omnibus manifestos reddit: at quis huius bestiæ character est? is planè, quòd nihil antiquum, nihil sibi legitimæ successionis relictum habeat. Demùm hæc characteris inscriptio est, vt nemini succedant.

At vera Religio huic oppositum characterem habet, quo seipsam, ac vniuersos sibi coniunctos declarat, quòd scilicet nihil, nisi quod Pontificum successione antiquum, ac Apostolicum est, agnoscit.

Hoc signo Augustinus veram Religionem, ac Catholicam Ecclesiam agnouit, agnitam reperit, ac repertam constantissimè tenuit: vt ipsemet testatur cont. Epist. Manich. cap.4. [Multa, inquit, sunt, quæ me in Ecclesiæ gremio iustissimè tenent. Tenet consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate formata. Tenet ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas Dominus post Resurrectionem commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio.] Peto ab aduersarijs, vt mecum Augustini mentem expendant. Manichæus erat Augustinus, & ab Ecclesia seiunctus; quænam vera Religio esset, assiduè quęrebat.

Attamen cogitationum fluctibus vndique exagitatus animus, quò se verteret, aut vbi veram Ecclesiam, ac Religionem quæreret, ignorabat. Plurimæ illi sectæ, quæ Ecclesiæ imaginem gererent, sese amplexandæ offerebant; iam enim in Manichæorum sectam, in qua eatenus vixerat, ac edoctus fuerat, illum incidisse pœnitebat; quid tandem illum ad Ecclesiam Catholicam compulit? quo symbolo illam veram Ecclesiam, ac Religionem esse agnouit? Plurimis sanę: at illud postremum, ac potissimum fuit, quòd in ea Pontificum sibi inuicem succedentium, nunquam interruptam seriem à Petro exorsam asseruari perspexit. Tanta quippe huic successioni vis ad Religionis veritatem demonstrandam inest, vt & ab illa exerrantes reuocare possit, & in ea incedentes ab omni erroris suspicione tutos sibi vendicet.

Quod etiam egregiè explicat Origenes in proœm. lib.1. Periarchon. [Cùm, inquit, multi sint, qui se putant sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant: seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens.] Quibus verbis Origenes aduersarios tacitè coarguit, qui non successionem, sed veram doctrinam veræ Religionis symbolum constituunt. At Origenes eam tantùm veram doctrinam agnoscendam docet, quæ per successionis seriem ab Apostolis profecta, hactenùs in Ecclesia asseruatur. Et quidem cùm tam multæ doctrinæ sint, quæ ab aduersarijs circunferuntur, miram pietatis speciem

præ

præ ſe ferentes; Christi merita attollentes; vnius duntaxat Dei adorationem celebrantes, fidei præmia exaltantes, Scripturarum vim præ omnibus efferentes: quæ ratio eſt, cur eas tantoperè vera Eccleſia execretur? Ea ſanè, quod cùm nihil prorſus cum antiquis commune habeant, ab Apoſtolicæ ſucceſſionis ordine hoc ipſo ſe abhorrere declarant.

Porrò ea cauſa eſt, cur in fidei doctrina tantoperè antiquitatem exequirimus, ac recentes doctrinas velut veræ fidei peſtes procul abijcimus: nam quæ cum antiqua Pontificum ſucceſſione doctrina ad nos perlata eſt, vera, ac Apoſtolica iure ab omnibus cenſetur: eas verò, quæ ab horum ſucceſſione procul abſunt, non ab Apoſtolis traditas, ſed Apoſtolicæ diſciplinæ extorres meritò exiſtimamus. Quod etiam æquum eſt nos de Religione ſentire: vt ſcilicet ea nobis tantùm Religio tanquam vera, & Apoſtolica commendetur, quæ cum Pontificum ſucceſſione certum Apoſtolicæ veritatis teſtimonium ſibi vendicat: ea verò omnis quocunque nomine nuncupetur, quæ ab hac Apoſtolica ſucceſſione diſtat, velut Apoſtolis inaudita, ac inuiſa, à toto Chriſtiano Orbe expellatur.

FINIS.



RE-

REGESTVM

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff.

Omnes ſunt Duerniones
Principium eſt Duernio.



ROMÆ, M.DC.XCIX.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.



